

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

#### Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + Refrain from automated querying Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

#### **About Google Book Search**


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/





GENERAL LIBRARY





# ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI

OPERA OMNIA

TOMUS SECUNDUS

# DISPUTATIONUM ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

S. R. E. CARDINALIS

# DE CONTROVERSIIS

CHRISTIANAE FIDEI

ADVERSUS HUJUS TEMPORIS HAERETICOS

TOMUS SECUNDUS

Editio prima neapolitana iuxta Venetam anni mpecare

EMINENTISS. CARDINALI

azeqee oleale ofera

ARCHYEPISCOPO NEAPOLITANO

DICATA

C S

NEAPOLI
APUD JOSEPHUM GIULIANO
EDITOREM

1837

Bull Slax BX 890 .B4 1856g

STABILINENTO TIPOGRAFICO
Salita Magnocavallo N. 66, p. p.

## INDEX

## LIBRORUM ET CAPITUM

#### LIBER PRIMUS

DE CONCILIIS, ET ECCLESIA

#### **PRAEFATIO**

CAP. I. Ordo disputationis.

11:16 13:11

3

))

'n

II. Qui scripserint de conciliis.

III. De nomine concilii et origine.

IV. Partitio conciliorum duplex.
 V. Concilia generalia approbata.

NI. Concilia generalia reprobata.

VII. Concilia partim confirmata, partim reprobata.

» VIII. De concilio nec manifeste probato, nec manifeste reprobato,

» IX. De utilitate, vel etiam necessitate celebrandorum conciliorum.

X. Concilia generalia utilia esse, et suo quodam modo necessaria, non tamen absolute et simpliciter.

XI. Concilia episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria. CAP. XII. Cujus sit congregare concilia.

n XIII. Solvuntur argumenta adversariorum.

XIV. Explicantur dubilationes quaedam.

» XV. Quinam sint ad concilium convocandi.

» XVI. Solvuntur objectiones adversariorum.

» XVII. Quot episcopi requirantur ad generale concilium.

» XVIII. Episcopos in conciliis non consiliarios, sed judices esse.

» XIX. Cujus sit generali concilio praesidere.

XX. Solvuntur argumenta adversariorum.

» XXI. Explicantur conditiones, quas Lutherani requirunt in concilio celebrando.

#### LIBER SECUNDUS

#### DE CONCILIORUM AUCTORITATE

CAP. I. Argumenta et partitio hujus libri.

II. Concilia generalia a pontifice confirmata, errare non posse, ex Scripturis demonstratur.

3 III. Idem probatur ex Patribus.

IV. Idem ostenditur argumentis a ratione ductis.

V. Concilia particularia, a pontifice approbata, errare non posse.

VI. Solvuntur argumenta ex Scripturis deprompta.

» VII. Solvuntur argumenta petita ex testimonio veterum Patrum.

VIII. Solvuntur argumenta ex conciliorum erratis.

IX. Solvitur objectio ducta ex ratione.

x. Concilia particularia, non probata a summo pontifice, non omnino certam fidem facere.

BELLARMINI. VOL. II.

CAP. XI. Concilia generalia, ante confirmationem summi pontificis, errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur pontificis instructionem.

» XII. An sit major auctoritas concilii, quam Scripturae.

XIII. An concilium sit supra pontificem.
 XIV. Explicantur opiniones diversae.

» XV. Summum pontificem caput esse totius Ecclesiae.

» XVI. Non esse in concilio summam polestatem.

» XVII. Summum pontificem absolute esse supra concilia.

» XVIII. Pontificem non posse subjicere seipsum sententiae coactivae conciliorum.

» XIX. Solvuntur argumenta adversariorum.

#### LIBER TERTIUS

#### DE ECCLESIA MILITANTE TOTO ORBE DIEFUSA

- I. De nomine Ecclesiae. CAP. II. De definitione Ecclesiae. III. De non baptizatis. n IV. De haereticis el apostatis.V. De schismaticis. VI. De excommunicatis. VII. De praedestinatis. VIII. De non persectis. IX. De magnis peccatoribus. X. De infidelibus occultis.
- XI. Proponitur altera controversia; An Ecclesia sit semper visibilis, sive, an errare et deficere possit.
- CAP. XII. Ecclesiam esse visibilem.
  - XIII. Ecclesiam visibilem non posse de/i-
  - XIV. Ecclesiam non posse errare.
  - XV. Solvuntur argumenta, quibus astruitur Ecclesia invisibilis.
  - XVI. Solvuntur argumenta, quibus adversarii probant, Ecclesiam posse deficere.
  - XVII. Solvuntur argumenta, quibus adversarii probant, pastores Ecclesiae omnes simul errare posse.

### LIBER QUARTUS

#### DE NOTIS ECCLESIAE

I. Tractationem de notis Ecclesiae uti-CAP. CAP. X. NOTA septima. XI. NOTA octava. lissimam esse. II. Refellitur sententia haereticorum. )) XII. NOTA nona. XIII. NOTA decima. III. Proponuntur verae notae Ecclesiae. IV. Explicatur prima NOTA. V. NOTA secunda. XIV. NOTA undecima. XV. NOTA duodecima. XVI. NOTA decimatertia. XVII. NOTA decimaquarta. VI. NOTA tertia. VII. NOTA quarta. VIII. NOTA quinto.
IX. NOTA sexta. » XVIII. NOTA decimaquinta.



#### LIBER PRIMUS

DE

## CONCILIIS ET ECCLESIA

## **PRAEFATIO**

 $S_{
m acrorum}$  conciliorum auctoritatem, quae semper in Ecclesia magna fuit, adversus multiplices haereticorum fraudes et calumnias, his libris pro viribus defensurus, antequam ad rem ipsam aggrediar, pauca quaedam putavi esse dicenda de summa atque incredibili calliditate, quam ad hanc elevandam auctoritatem Satanae administri nostris temporibus adhibuerunt. Etenim quoniam sacrosancta conciliorum auctoritas in Ecclesia catholica. ut par erat, semper eminuit, et saepe in maximis rerum perturbationibus ad dissipandas errorum tenebras, quasi fulgor quidam salutaris illuxit, non existimavit hostis humani generis posse diutius se discordias in Ecclesia ferere, et schismata, atque haereses conservare et propagare, nisi judicia ecclesiastica de medio tolleret; et cathedram illam everterel, ex qua Christus ipse per homines sonans. et judicans, omnes, sidei controversias, litesque componit.

Itaque Lutheranos excitavit homines, ut ad fallendum paratos, ita projectos ad mentiendum; qui quidem, cum initio nullo modo fieri posse crederent, ut summus pontifex ad indicendum generale concilium adduceretur, coeperunt ipsi magna contentione simul et pontificem graviter accusare, et adversus eundem pontificem concilii generalis opem implorare. Ita enim fore arbitrabantur, ut et quaecumque vellent scelera atque flagitia, quamvis falsa et incredibilia, de pontifice libere spargere, et eum apud omnes Christianas nationes reum maximorum criminum facere sibi liceret, et ipsi interim non Ecclesiae hostes esse, ut re ipsa erant, sed viri amantes pietatis, fideique zelum habere, quippe qui concilii auctoritatem agnoscerent, ab omnibus judicarentur. Quocirca tot, et tam atrocibus calumniis, et maledictis, et voce, et literis Christi vicarium oneraverunt, ut permultis, magnisque nationibus plane persuaserint, eum non Christianum praesulem, sed Christi juratum hostem, atque adeo ipsum verum, et proprie dictum Antichristum esse.

Orationem certe immensam susciperem, si ea mendacia percensere vellem, quibus haeretici hujus temporis in omnibus pene libris, et sermonibus suis apostolicae sedis pontificem impudentissime asperserunt, unum solum aut alterum exempli causa attingam. Martinus Lutherus in libro de Ecclesia prope extremum: Papa, inquit, Scripturam sacram, in coeno, et pulvere sepeliit, et doctrinam Christianam pene integram delevit. Exstat libellus de primatu papae scriptus nomine totius synedi smalchaldicae, auctore, ut arbitror, Philip-

po, quo in libro, praeclara illa synòdus Lutheranorum ab hoc mendacio exorditur: Papa, inquit, arrogat sibi auctoritatem condendi leges de cultibus, de mutatione sacramentorum, de doctrina, et vult suos articulos, sua decreta, suas leges existimari pares legibus divinis. Et infra: Arrogat sibi papa divinam auctoritatem, quia sumit sibi jus mutandi doctrinam Christi, et cultus a Deo institutos, et suam doctrinam, et suos cultus vult observari tamquam divina.

At quod sacramentum, quem cultum a Deo institutum, quem doctrinae articulum papa mutavit? Et quis ille pontifex fuit, qui suas leges divinis legibus exaequavit? An non videmus quotidie pontificias leges, vel ab iisdem, qui tulerunt, vel a successoribus, si tempus id postulet, abrogari? Quae vero divina lex ab ullo unquam pontifice legitur abrogata? Sed nolo in ejusmodi nugis tempus amittere. Hoc affirmo, similibus mendaciis plenos esse libros Lutheranorum, eaque apud filos, non ut res saltem dubias, sed ut oracula certissima literis, et sermone omnium celebrari. Qui tamen initio, ut dicebam, ne omnino alieni ab Ecclesia catholica esse viderentur, quanto plus auctoritatis, detrahebant pontifici, tanto amplius concilio tribuebant. Exstat Lutheri ipsius ad generale concilium provocatio. Exstant comitia imperialia, augustana, norimbergensia, spirensia, ratisbonensia, wormatiensia, aliaque nonnulla, in quibus Lutherani generale concilium saepius postularunt.

At ne forte molestum sit, si tempus in tam variis tot comitiorum actis recitandis conteramus, proferam tibi, lector, ipsorum protestantium testimonium, quod ad initium ejus libri, qui Protestatio adversus concilium tridentinum inscribitur, continetur: Profitemur, inquiunt, ac protestamur nos adhaerere, ac semper adhaesisse protestationi, et appellationi R. patris D.Lutheri ab injustissimo, violentissimoque judicio pontificis, ac omnium ejus factionis judicium, ac liberum Christianum, legitimum, ac in Spiritu sancto congregatum concilium. Qui processu protestatio, et appellatio fuit postea unanimiter, ac multoties a nostris Ecclesiis renovatus, et in aliquot etiam imperialibus conventibus ab omnibus statibus comproba-

tus. Haec ipsorum sunt verba, quibus, ut vides, affirmant, Lutherum primo, deinde Ecclesias suas, postremo etiam principes, sibi addictos, a pontificis sententia ad Concilii judicium saepius appellasse.

Sed quamdiu existimas, in sententia ista expetendi concilii permanserint? Quandiu nullum futurum esse concilium speraverunt. Nam simul ac Paulus pontifex ejus nominis tertius, concilium generale ad tridentinum indixit, et ejusdem concilii fundamenta jaci, et initia quaedam apparere coeperunt, continuo illi mutata sententia, vel potius, quam ante simulaverant, aperte prodita, concilium improbare, a conciliis appellare, nec solum recentia, sed eliam vetera omnia reprehendere? et ipsum tridentinum, vixdum inchoatum, invectivis, censuris, protestationibus, calumniis quoque, et mendaciis opprimere studuerunt, ut si fieri posset, prius concilium illud haereticorum astutia solveretur, quam catholicorum diligentia coalesceret.

Ita vero esse, ut dico, testes mihi sunt omnes, qui legerunt librum de conciliis a Luthero illo ipso tempore conscriptum, libellum Philippi Melanchthonis de causis, cur Lutherani ad concilium non accesserint; librum Protestationis 34. ministrorum: librum Illyrici de norma, ac praxi concilii: Denique Martini Kemnitii examen tridentini concilii, consilium Caroli Molinaei super eodem non admittendo concilio; antidotum Joannis Calvini contra ejusdem venena concilii. Sed operae pretium erit ex istis ipsis, quos nominavimus, auctoribus, aliquid proponere, ut ex eorum verbis et testimonio cognoscas, quanti fiant ab illis Ecclesiae concilia, quae paulo ante tantopere flagitaverant.

Igitur Martinus Lutherus, cum fama accepisset, indictum esse concilium, continuo arrepto calamo, librum confecit. atque inscripsit, de Conciliis: credo, ut ageret Deo gratias, et Ecclesiae gratularetur, atque omnes ad concilium invitaret. Nihil minus; summa enim libri est, nihil esse opus conciliis, cum etiam vetera illa sanctissima et celeberrima erraverint, et quilibet parochi, et ludimagistri non minus possint in Ecclesia, quam praevis maxima, et numerosissima concilia. Orditur a concilio illo sine controversia antiquissimo et sanctissimo, quod

apostoli Hierosolymis celebraverunt; et quoniam in eo concilio apostoli decreverunt abstinendum eses a sanguine et suffocato, ad has angustias nos redigit, ut vel ab his cibis nos abstineamus, vel aperte fateamur, liberum esse concilio summo ac primo non obedire. Deinde, graviter exponit quanta calamitas esset, non vesci deinceps capreis, leporibus, cervis, euniculis, anseribus, turdis, caeterisque aviculis, et quod miserius est, abstinere lucanicis, aliisque farciminibus, et jusculis etiam quibusdam, quae non solum pipere condiuntur, sed etiam sanguine ( ut ipse loquitur, qui ista bene norat) vel liquido tinguntur, vel crasso et coagulato infarciuntur.

Quia vero tam gravis jactura nullo modo subeunda Luthero esse videbatur, inde effecit, non esse apostolico decreto obtemperandum. Ex quo rursum ita conclusit; ergo liberum est nobis omnia alia concilia relinquere, et sic liberi sumus ab omnibus conciliis. Praeclare omnino: quasi vero quia non tenemur ea concilii lege, quae solum ad tempus data fuerat, jam nullis aliis conciliorum legibus teneamur.

Pergit deinde ad nicaenum I. concilium, cuius in Eccelesia catholica semper summa auctoritas fuit. ac de canonibus ejus concilii loquens: Hi omnes. inquit, articuli, foenum, stramen, ligna, stipulae fuerunt. El infra: De illis ligneis articulis reliquiae manserunt, quasi aliqui titiones, nempe articulus de festo paschatis. Hic nimirum est honor, quem habet Lutherus antiquissimo et celeberrimo concilio, ut ejus decreta ligna, foenum, stipulas, titiones appellet. Sed parum esset, si tantum non necessarios, ac supervacaneos eos canones diceret, et non etiam periculosos, impossibiles, inter se contrarios, ac pugnantes esse contenderet. Quia enim vetat concilium, ne qui se absciderunt, sacris ordinibus initientur, et simul imperat hominibus sacratis, ne ullam omnino domi suae foeminam habeant, praeter matrem aut sororem: Hic prorsus, inquit Lutherus, non intelligo sanctum Spiritum in hoc concilio, si illi pro idoneis non sunt reputandi in ministerio ecclesiastico, qui seipsos castrant ad vilanda libidinum incendia; et rursus illi etiam non sunt idonei,

qui ad evincendos carnis stimulos habent, aut ducunt uxores; quo res tandem cadet? An debebit episcopus, aut concionator illum intolerabilem ardorem, et aestum amoris illiciti sustinere, et neque conjugio, neque castratione se ab his periculis liberare? Quasi vero, Luthere, nihil sit medium, inter conjugium et castrationem. Quo pacto igitur, Paulus, Joannes, Jacobus, apostoli caeteri, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, et quid enumero singulos homines? quo pacto, inquam,tot millia sanctorum, neque se ipsi absciderunt. et tamen usque ad vitae finem uxoribus caruerunt? nimirum precibus, jejuniis,labore assiduo,non membrorum abscissione gloriosa certamina superantur.

Sed audiamus, quam honorifice de hoc eodem nicaeno concilio sub finem hujus loci loquatur Lutherus: An vero, inquit, nihil aliud est negotii Spiritui sancto in conciliis, quam ut impossibilibus, periculosis, non necessariis legibus suos ministros obstringat, et oneret? Quae cum ita sint, vides certe, lector, quanti faciat Lutherus conciliorum auctoritatem, cum decreta nicaeni concilii, quo nullum est magis a Patribus omnibus laudatum, lignea, non necessaria, periculosa, impossibilia, inter se pugnantia, ac demum stramen, foenum, stipulas, titiones ore impudentissimo appellare non vereatur. Quid, quod omnia concilia ita extenuat, ut cum eis parochorum industriam et ludimagistrorum auctoritatem comparet? Putasne, inquit, adeo esse tenue, aut angustum officium parochi, aut ludimoderatoris, ut non possint aliqua ex parte conferri ad concilia? Dicam et quiddam amplius, maius lumen accedit doctrinae christianae ex catechismo puerili, quam ex omnibus conciliis. Et infra: Et quid opus est verbis, etiam si omnium synodorum decreta possent per infundibulum demitti in tuum corpus, tamen nondum esses Christianus, quia nimis parum conferunt. Egregia sane conclusio, et digna tam gravi theologo, qui paulo ante tam serio videbatur concilii generalis judicium appellare. Omitto quod dicit de II. III. et IV. synodo, cum similia sint prioribus, et ego brevitati studeam.

Venio igitur ad ea mendacia, quae ad extenuandam concilii tridentini auctoritatem adversarii sine ullo pudore effutiunt, nec tamen omnia, nec etiam plurima, id enim infiniti operis esset, sed pauca de multis proferam: Illi sycophantae, inquit Lutherus in libro de conciliis, qui parasitantur papae, adco sunt dementati, ut hoc paradoxum audacissime defendant, concilia potestatem habere condendi novos articulos fidei, et mutandi veteres. At qui sunt isti sycophantae? Cur nemo nominatur? Ubi, quando, quo teste dixerunt, aut scripserunt, posse a conciliis fidei articulos immutari?

Matthias Illyricus in libro de norma, ac praxi concilii tridentini: Clamant illi, inquit, concilii scilicet Patres, Ecclesiam, idest, pontificem cum suis spiritualibus esse supra Scripturam; et papam posse ex plenitudine potestatis contra apostolum. et totum vetus Testamentum dispensare. Haec ille. Sed exstat concilium, legatur diligenter, nusquam invenientur ejusmodi portenta.

Martinus Kemnitius in examine concilii tridentini, ita dives mendaciorum est, ut quatuor sententiolis, quinque mendacia comprehenderit; Dicunt, inquit. Patres, videlicet concilii, quod papa habeat voluntatem pro ratione, in his, quae vult, quod possit formam sucramentorum ab apostolis traditam immutare, quod contra epistolas Pauli possit statuere, quod dispensare possit contra quatuor prima concilia et contra verba evangelii. Quis crederet tam impudentes homines reperiri potuisse, qui de tridentino concilio tam audacter mentirentur, cum et ipsius acta passim legantur, et adhuc vivant plerique eorum, qui ipsi per se concilio interfuerunt?

Sed restat adhuc aliud splendidum omnino, et saepius repetitum adversariorum mendacium. Multis de causis Lutherani Hosium cardinalem, virum aeterna memoria dignum, implacabili odio persequuntur, sed eo praecipue, quod legatus apostolicae sedis concilio tridentino praesederit, atque eidem concilio industria et sapientia sua non parum ornamenti, atque etiam emolumenti contulerit. Ut igitur simul, et legati et synodi auctoritatem deprimerent, verba quaedam, quae is cardinalis in libro de expresso verbo Dei, nomine Schuvenckfeldii haeresiarchae protulerat, et ideo protulerat, ut indiçaret, quam tetri errores ex lutherana haeresi, qua-

si venanti fructus ex corrupta radice pullulassent: illa, inquam, verba, tamquam si cardinalis ipsius sententiam continerent, boni isti viri magna cum execratione ubique disseminaverunt; ac primum in lib. Protestationis 34. ministrorum, ita legimus: Sed jam audiamus istius gloriosi gubernatoris praesentis conciliabuli verba, quomodo, et secundum quam regulam ille cum suis sodalibus velit de Ecclesiae, et religionis controversiis judicare, et statuere:sic enim in blasphemiae verba erumpit, inquiens: Nos vero Dei de coelo sententiam exspectabimus, ac tum istos pro sua, non Scripturarum sententia dimicantes, tum ipsas etiam Scripturas facessere jubebimus. Non oportet legis, aut Scripturae esse peritum, sed a Deo doctum. Vanus est labor, qui Scripturae impenditur. Scriptura enim creatura est, et egenum quoddam elementum:nec convenit Christiano nimium creaturae addictum essc. Quibus recitatis subjiciunt Protestantes: Haec iste nefarius Antichristi cardinalis legatus, et impii conciliabuli gubernator, contra viventem Deum blasphemai.

Ilivricus vero in libro de norma et praxi concilii tridentini, posteaquam illa eadem verba ex libro cardinalis deprompta repetivit, ita illi bene precatus est: Dominus, Jesus inquit, obstruat igne infernali isla blasphema ora Antichristi, et ejus mancipiorum, et vindicet gloriam ab eorum tyrannide. Quid tibi videtur, candide lector, an non est scelus inauditum, et audacia plane incredibilis in causa tam atroci, et tam perspicua tam impudenter mentiri? Est in manibus liber, nec ulla est in verbis ejus obscuritas, et si testimonium auctoris requiritur, ego ipse doctissimum illum senem aliquando dicentem audivi: Ego ita sentirem? ego talia scriberem? si mea illa verba essent, vere di-Inus essem, qui in medio foro oremarer. Et placuit tamen non uni, aut duobus, sed triginta quatuor simul ministris verba illa optimi viri in alienum sensum ita detorquere, ut quae Schuvenckfeldii sunt, cardinalis ipsius esse crederentur; qui mihi similiter fecisse videntur, ac si aliquis modo contenderet illa blasphema verba Judaeorum de Christo: Ecce homo vorax, et potațor vini, non est hic homo a Deo, qui sabbathum non custodit,

reus est mortis, tolle, tolle, crucifige eum; atque alia his similia, non esse verba Judaeorum, sed Matthaei, aut Joannis, quod in eorum evangeliis reperiantur. Habes igitur, quam parvi aestiment concilia adversarii, et quot fraudibus, et calumniis eorum auctoritatem elevare conentur. qui tamen paucis ante annis generale concilium, tamquam unicum remedium praesentium dissidiorum expetere videbantur.

Sed dicet aliquis fortasse, optabant illi quidem, alque optant etiam nunc generale concilium, sed non ejusmodi, quale tridentinum suit. Ita est, optant illi generale concilium, sed quale numquam fuit. Explicat enim conditiones concilii Philippus Melanchthon in eo libello, quem inscripsit, de caussis cur Lutherani ad concilium non accesserint; sed polissimum duae sunt. Altera, ut jus suffragii etiam decisivi habeant omnes homines docti, sive sacerdotes, sive laici sint; quod est in Ecclesia Christi ad hunc diem inauditum. Nec talis concilii ullum exemplum proferent, praesertim, cum doctos homines vocent, qui dum loquuntur, aut scribunt, aliquot verba graeca, aut hebraica, latinis admiscent. Altera conditio est, ut detur ab imperatore salvus conductus, non solum personis, sed etiam caussae. hoc est, ut nec personae possint puniri, si nolint obtemperare concilio, nec fides, et confessio lutheranorum possit damnari, etiamsi theologi lutherani eam defendere non potuerint; quae conditio et cum superiore apertissime pugnat, et est ipsa per se inepta et ridicula. Nam, si nec personae, nec sententiae damnari possunt, nihil omnino in concilio decernetur.

Quorsum igitur attinebat petere, ut etiam laici suffragium habeant decisivum, si nihil est in concilio decidendum? Et quorsum tot sumptus, tot pericula, tot labores in concilio congregando? Quorsum ex toto orbe terrarum episcopi et doctores vexantur, ut ad concilium veniant? Quorsum tot dies in quaestionibus fidei proponendis, discutiendis, definiendis consumuntur: si posteaquam sunt omnia parata, adhuc licet unicuique 'concilii decretum in controversiam revocare? Neque Philippus Melanchthon solus hoc docet, docuit ante eum Marlinus Lutherus, docuere post eum Joannes Cal-

vinus, Joannes Brentius, Martinus Kemnitius, Lutherani et Calvinistae omnes; Capite, inquit, Lutherus art. 115. ex quingentis articulis, hoc evangelium, quia neque papae, neque conciliis, neque **ulli hominum commissum est, ut** concludat, quid sit fides. Ideo debeo dicere, papa tu conclusisti cum conciliis, nunc habeo ego judicium, an acceptare queam, necne. Et Calvinus lib. 4. Instit. cap. 9. § 8. Quoties, inquit, concilii alicujus decretum profertur, expendi primum diligenter velim, quo tempore habitum sit, qua de caussa habitum, et quo consilio, quales homines interfuerint; deinde illud ipsum, de quo agitur, ad Scripturae amussim examinari, idque in eum modum, ut concilii definitio pondus suum habeat, sitque instar praejudicii; neque tamen examen, quod dixi, impediat.

Itaque vult Calvinus, concilii sententiam, praejudicium, non judicium esse, deque ca sententia posse, ac debere quoscumque, el maxime privatos homines judicare. Quod idem aliis verbis Kemnitius, Brentius et caeteri omnes docent. Quid vero est hoc aliud, quam nolle judicium ullum fieri? Nolle controversias unquam finiri? Nolle pacem et concordiam, sed bella, schismata, dissensiones, lites vigere perpetuo? Sed bene habet; nisi aliud dicerent, facilius laterent: haeretici certe non haberentur. Nunc vero ita se produnt, ut plane nunc sint caeci, qui eos haereticos esse non vident; nanv cum haeresis ab electione dicatur, nulla est nota clarior, nullum certius stgnum hominis haerelici, quam cum ecclesiastico judicio non acquiescit; sed ipse sibi est dux, ipse judex, ipse dogma proprium eligit, quod sequatur. Fidei, obedientia comes est, mater humilitas. Haereseos soror, contumacia, mater superbia est.

Quae cum ita sint, nostrae jam partes erunt, ut quantum operae, industriae, laboris in ecclesiastica auctoritate labefactanda hostes fidei ponunt, tantum nos in eadem asserenda, ac vindicanda ponumus; et quoniam ea in summo pontifice et episcoporum conciliis praecipue cernitur, et nos jam de pontifice quinque libris, pro ingenii nostri tenuitate, disseruimus, nunc de conciliis, quanta maxima poterimus claritate, Deo duce, atque auspice disseremus.

# CONCILIIS ET ECCLESIA

#### CAPUT PRIMUM

Ordo disputationis.

Disseruimus hactenus de capite militantis Ecclesiae; nunc de ipsa Ecclesia disserendum crit. Quia vero Ecclesia bifariam considerari potest, ut in conciliis congregata cernitur, et ut toto orbe terrarum diffusa est; propterea nos quoque primum de conciliis, tum de ipsa Ecclesia disputabimus. Praeponimus autem disputationem de conciliis disputationi de Ecclesia, licet ordo naturae contra suadere videretur, quoniam disputatio de conciliis maris connexa est cum disputatione de summo pontifice, quae jam praecessit, quam disputatio de Ecclesia.

Igitur controversia de conciliis duabus in rebus posita est, in definitione legitimi concilii, et in e-jusdem concilii auctoritate; haeretici enim hujus temporis fingunt novam formam conciliorum, et iis deinde nullam fere tribuunt auctoritatem. Nos tamen his duabus partibus addemus tertiam.

Itaque in tres partes dividetur universa disputatio. In prima praemittemus quaedam, quae ipsi disputationi quasi aditum aperiant; qui scripserint
de hac materia, quid sit concilium, quotuplex,
quot, et quae hactenus celebrata sinte quae omnia
tractabimus sine contentione ad modum simplicis
narrationis. In secunda definiemus, quid proprie
postulet natura legitimi concilii, ubi tractabitur de
materia, forma, fine, et efficiențe conciliorum,
necnon de iis, quae adversarii requirunt in conciliis. In tertia disseremus de auctoritate concilio-

BELLARMINI. Vol. 11.

rum, tum absolute, tum etiam per comparationem ad Scripturae, et summi pontificis auctoritatem.

#### CAPUT II.

Qui scripserint de conciliis.

Ut igitur ordiamur a primo; de hac materia tractant in primis libri ipsi conciliorum, qui tamen negligenter conservati sunt, et multis vitiis scatent, quae corrigenda sunt ex veterum lectione; deinde multa extant in decretis Gratiani, Ivonis, Burchardi, Martini Bracarensis; item pauca quaedam legi possunt apud Hilarium lib. de synod. Isidorum lib. 6. etymolog. cap. 16. Bedam in lib. de sex aetat. in Constantino IV. Freculphum in fino Chron. Joan. Psellum et Photium lib. de septem synod.

Praeter hos veteres scripserunt multi recentiorum, ut Thomas Waldensis lib. 2. doctrinal. fid. cap. 26. et 27. Joannes de Turrecremata lib. 3. Sum. de Eccles. Joannes Gerson in tractatibus variis de petest. Eccles. et concil. Dionysius Carthusianus in lib. tribus de concil. Joannes Eckius in Enchir. Jodocus Clichtovaeus in defens. concil. senon. et Jodocus Tiletanus in defens. concil. trid. Joannes Cochlaeus in lib. de concil. Joannes Roffensis cont. artic. Lutheri 28. et 29. Cajetanus in Opusc. Albertus Pighius lib. 6.hierarch.ecclesiast. Cardinalis Hosius in explanat. Symb. cap. 24. et lib. 2. cont. prolegom. Brentii, Petrus a Soto in defens. suae confess. cont. Brentium; Joannes Antonius Delphinus lib. 2. de Eccles. Melchior Canus lib. 2. de loc. theolog. Hugo in opere inscri-

Digitized by Google

pto, synodia hugonia; item Jacobatius in opere de concil. et Gaspar Villalpandaeus in disputat. novem pro concil. trid. Alphonsus a Castro lib. 4. de haeres. Gulielmus Lindanus lib. 3. cap. 7. Panopl. evang.

#### CAPUT III.

#### De nomine concilii et origine.

Porro concilii nomine idem significatur in Ecclesia, quod nomine comitiorum in regnis; nam quemadmodum cum oritur controversia in republica. conveniunt in unum principes regni, vel magistratus, ac statuunt quid facto opus sit: ita in Ecclesia cum oritur controversia aliqua de religione, conveniunt praesules Ecclesiarum, et simul collatis sententiis, statuunt quod bonum videtur. Ita actum videmus Act. 15. ubi primum coeperunt concilia christiana celebrari, ac deinceps singulis aetalibus.

Hanc autem originem conciliorum, etsi Albertus Pighius lib. 6. de coelest. hierarch. cap. 1. con tendat esse plane humanam, et naturali ratione excogitatam, probabilius tamen est divinam esse. Nam concilium chalcedonense in epist.ad Leonem, et VI. synodus, act. 17. et Coelestinus papa in epist. ad conc. ephes. et conc. tolet. III. non procul ab initio, docent, concilia esse demonstrata a Christo in illis verbis Matth. 18. Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ego in medio illorum sum.

Deinde, credibile est, apostolos, qui pleni erant Spiritu sancto, nonnisi ipso Spiritu sancto admonente primum concilium congregasse; unde etiam dicunt; Visum est Spiritui sancto et nobis, Act. 13. Praeterea, etsi ratio naturalis dictat, ut in rebus dubiis princeps consulat homines peritos; tamen ut soli episcopi convocentur, et ii non sint consiliarii, sed judices, non videtur solius humanae rationis inventum. Denique certum est, conciliorum celebrationem, quae omnibus saeculis in Ecclesia fuit, de apostolica traditione descendere: apostolicas vero traditiones ego quidem humana inventa appellare non auderem. Sed hactenus de origine. Nunc de nominibus uno verbo.

Nomen latinum concilii, invenitur passim in Testamento veteri et novo, pro congregationibus Judaeorum, sed graece nomen, idest, σύνοδος, non invenitur in Scripturis, ubi enim latine legimus concilium, in graeco textu ubique est συνάδριον vel συναγωγή invenitur autem nomen synodi primum in canonibus apostolorum can. 38. ubi jubentur episcopi singulis annis bis concilia celebrare:deinde invenitur apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 23. ac deinceps in omnibus auctoribus.

#### CAPUT IV.

#### Partitio conciliorum duplex.

Sunt autem quatuor genera conciliorum: quaedam enim sunt generalia, quaedam nationalia, quaedam provincialia, et quaedam dioccesana.

Membrorum trium primorum meminit Augustinus lib. 2. de bapt. cont. Donatist. cap. 3. ubi dicit, concilia provinciarum, vel etiam majora qualia sunt regionum, emendari a conciliis plenariis. Ultimi membri meminit concilium toletanum IV.cap.25.

Generalia dicuntur ea, quibus interesse possunt et debent episcopi totius orbis, nisi legitime impediantur, et quibus nemo recte praesidet, nisi summus pontifex, aut alius ejus nomine: inde enim dicuntur occumenica, idest, orbis terrae concilia.

Nationalia dicuntur, in quibus conveniunt archiepiscopi, et episcopi unius regni, vel nationis, quibus praeest aliquis patriarcha, vel primas, qualia sunt multa concilia romana, toletana et africana, de quibus illud notandum est, ea, licet sint revera distincta a generalibus et provincialibus, tamen utrorumque nominibus interdum appellari.

Vocantur enim saepe concilia universalia, ut patet ex conciliis romanis sub Symmacho, ubi semper dicitur: Symmachus concilio generali praesidens: et tamen aderant solum episcopi Italiae. Sic in concilio toletano III. cap. 18. dicitur: Praecipit haec sancta, et universalis synodus; et tamen solum aderant episcopi Hispaniae. Idem patet ex concilio IV. carthaginensi. Dicuntur ergo ista generalia, sive universalia, quia sunt generalia in eo regno, non autem absolute. Dicuntur autem provincialia ista eadem a Gratiano dist. 3. can. Porro; quia certis provinciis continentur, non autem ad omnes christianos pertinent, sicut vere generalia.

Provincialia dicuntur, in quibus conveniunt tantum episcopi unius provinciae, quibus praeest archiepiscopus, sive metropolitanus; et hujus generis sunt plurima in tomis conciliorum. De his videtur loqui VII. synodus act. 3. cum ait, se amplecti etiam decisiones localium conciliorum.

Dioecesana sunt, in quibus conveniunt tantum presbyteri unius episcopatus, et iis episcopus praeest: cujus generis paucissima exstant, nec immerito; nam vix dici possunt concilia, cum in eis ordinarie nullus sit, qui jurisdictionem habeat, praeter unum episcopum qui praeest.

Altera partitio conciliorum complectitur item quatuor membra: quaedam enim sunt ab apostolica sede approbata atque ab Ecclesia universa recepta; quaedam omnino reprobata; quaedam partim approbata, partim reprobata; quaedam nec approbata, nec reprobata. Quod membrum postremum in conciliis particularibus potissimum locum habet.

#### CAPUT V.

#### Concilia generalia approbata.

Concilia generalia approbata numerantur hucusque decem et octo. Primum est nicaenum, quod quidem celebratum est ab anno Domini 327.usque ad annum 330. qui fuit annus 15. Sylvestri papae, et vicesimus Constantini imperatoris; convenerunt episcopi 318. e quibus erant patriarchae, Alexander alexandrinus, Eustatius antiochenus, Macarius hierosolymitanus et Metrophanes constantinopolitanus; quamvis hi duo postremi non erant eo tempore patriarchae, sed diu postea eam dignitatem

adepti sunt. Quidam etiam Metrophanem non per se, sed per legatum Alexandrum, qui postea ei successit in episcopatu adfuisse volunt. Vide Metaphrastem in Orat. de rebus gest. apud Nicaeam. Ac duae potissimum controversiae definitae sunt: una de die paschatis: altera de divinitate Christi adversus haeresim Arianorum, ipso Ario principe haereseos post annos decem in latrinis dum alvum

purgaret foede defuncto.

Sed quia haec omnia in dubium revocari possent propter discrepantes scriptorum sententias, paucis singula demonstranda sunt. Primum, de tempore concilii mira est opinionum varietas, sed veritas postrae sententiae hac ratione confirmari potest. Constat, concilium nicaenum finem accepisse anno 20. imperii Constantini. Id enim scribit Eusebius lib. 3. de vita Constantini, et Socrates lib.1.histor. cap. 12. coepit autem Constantinus imperare anno Christi 311. ut ex Chronico s. Hieronymi, ex Gregorio Haloandro, aliisque Chronologis patet. Efficitur igitur, ut anno Christi 330. fuerit annus Constantini 20. et finis nicaeni concilii.

Item inchoatum est concilium Paulino et Juliano consulibus, ut Socrates refert lib. 1. cap. 9. alias 13. et Nicephorus lib. 8. cap. 26. Duravit autem annis 3. ut idem Nicephorus ibidem testatur. Porro consulatum Paulini, et Juliani Cassiodorus annotavit anno 17. Constantini, ex quo sequitur finitum concilium fuisse anno 20. ejusdem; proinde inchoatum anno Christi 327. finitum anno 330. Sane Onuphrius Panninus, quia consulatum Paulini, et Juliani po-nit anno Christi 325. hoc ipso anno ponit initium

synodi nicaenae.

Deinde incidisse conciliis tempus in Sylvestri pontificatum, non Sylvestri et Julii, ut Photius docet in lib. de septem synodis, vel Julii solius, ut Sozomenus scribit lib. 1. cap. 16. et ex Sozomeno Calvinus lib. 4. Institut. cap. 7. § 1. et Joachimus Camerarius in historia nicaenae synodi, ubi se diligentissimum scriptorum veterum lectorem fuisse affirmat, facile demonstrari potest. Nam. ut supra diximus anno 20. Constantini, finis concilio impositus est, quod etiam fatetur Camerarius, lib. cit. Sylvester autem creatus est pontifex anno sexto Constantini, ut ex Chronico Eusebii, ac Hieronymi palet, et sedit in apostelica sede supra 20. annos, ut Damasus, Onuphrius, et omnes omnino scriptores testantur. Igitur annus 20. Constantini, et finis nicaeni concilii in Sylvestri pontificatum necessario incidit.

Praeterea Milthiades Sylvestri praedecessor sedit eodem Constantino imperante, ut testantur Oplalus lib. 1. contra Parmenian. et Agustinus in epist. 162. et 165. et ipse etiam Constantinus apud Eusebium lib. 10. hist. cap. 5. non igitur poluit Sylvester nisi post inchoatum Constantini imperium apostolicam sedem adipisci. Tenuit autem eam omnium consensu supra 20. annos. Ergo 20. anno Constantini, qui fuit postremus nicaeni concilii, non Julius, sed Sylvester apostolicam sedem moderabatur. Quare recte Damasus in pontificali, Hieronymus in Chronico, Theodoretus lib. 1. hist. cap. 3. sexta synodus act. 18. et concilium florentinum sess. 3. alique permulti auctores nicaenam synodum Sylvestri papae temporibus factam esse scripserunt.

De numero episcoporum, qui eidem concilio interfuerunt, videntur esse sententiae variae. Nam Eusebius lib. 3. de vita Constantini dicit convenisse episcopos supra 250. Athanasius lib. de sententia nicaenae synodi ait, fuisse episcopos plus minus 300. Eustathius apud Theodoretum lib. 1. cap. 8. hist. dicit numeratos supra 270. Sozomenus lib. 1. cap. 16. ponit circiter 310. Vera tamen, et communis, sententia est, fuisse 318. Nam Epiphanius haeresi 69. scripsit, usque ad sua tempora fuisse conservata nomina singulorum episcoporum, et fuisse praecise 318. Hilarius quoque in lib. de synodis prope extremum, et Ambrosius praefatione librorum de fide, mysticum et sacrum dicunt esse numerum Patrum concilii nicaeni, et multo antea praefiguratum in illis 318. militibus, quibus Abraham victoriam de quinque regibus reportavit. Denique Hieronymus in Chronico, Sulpitius lib. 2. hist. Theodoretus lib. 1. cap. 7. et omnes alii constanter hunc numerum ponunt.

Jam vero duas fuisse causas ejus concilii: quaestionem videlicet de paschate, et quaestionem de Christi divinitate, testantur Eusebius lib. 3. de vita Constantini, Athanasius in libro de synodis Arimini, et Seleuciae, et Epiphanius haeresi 70. quae

est Audianorum.

Denique, utrum nicaenum concilium ante mortem probrosam Arii celebratum sit, non est omnino certum. Epiphanius enim haeresi 69. aperte scribit, concilium post mortem Arii celebratum fuisse : at contrarium scribunt historici. Rushnus lib. 10. cap. 13. Socrates lib. 1. cap. 19. et 25. et caeteri. Neque possunt hae sententiae conciliari, si dicamus duos Arios fuisse, ut significat Sulpitius lib. 2. sacrae historiae. Nam etiamsi duo Arii fuerint, unus tamen est ille, qui periit in latrinis. Hunc autem ipsum Epiphanius ante concilium, Ruffinus et caeteri post concilium ponunt. Et sane videntur historici melius sensisse, praesertim cum in V. synodo tractatum sit, an liceat haereticos post mortem damnare quod certe in dubium venire non potuisset, si Arium jam mortuum synodus nicaena damnasset. Sed res non est tanti momenti, ut propterea oporteat nos plus temporis in ca consumere.

Secunda synodus est constantinopolitana, quae celebrata est adversus Macedonium, negantem Spiritus sancti divinitatem, Theodosio seniore imperatore, ac Damaso summo pontifice. Convenerunt autem episcopi ex diversis provinciis 150. e quibus patriarchae fuerunt Nectarius constantinopolitanus, Timotheus alexandrinus, Meletius antiochenus, et

Cyrillus hierosolymitanus.

Porro tempus synodi hujus secundae incidit, Prospero teste in Chronico, in cousulatum Gratiani et Theodosii Augustorum, hoc est, in annum Domini 383. vel in annum sequentem, ut vult Socrates, qui lib. 5. hist. cap. 8. scribit, Concilium convenisse Coss. Syagrio et Eucherio, hoc est in annum 384. vel si rationem Onuphrii sequaris,in annum 381. quos ex eodem Prospero et Cassiodoro, et aliis constat consulatum gessisse post consulatum Gratiani et Augusti. Psellus in libro de septem synodis ponit intervallum annorum 56. inter primam et secundam synodum. Si autem ad numerum annorum 327. quo tempore diximus inchoatam fuisse synodum primam, addas numerum annorum 56. efficies numerum annorum 383. qui est numerus, quem Prosper in Chronico adnotavit.

Est vero animadvertendum, in hoc concilio, neminem adfuisse ex próvinciis occidentalibus. Siquidem Damasus papa Romae cöegerat synodum occidentalium, atque ad eum locum invitaverat episcopos, qui Constantinopoli convenerant, ut eo modo Romae celebraretur concilium plenissimum; sed quia Patres orientales justis de caussis Romam venire non potuerunt, accepit Damasus excusationem eorum, et animis ac sententiis duae illae synodi conjunctae sunt, ac si una et eadem fuissent. Atque propter hujusmodi conjunctionem habita est synodus constantinopolitana una ex Oecumenicis et legitimis synodis. Vide Theodoretum lib. 5. hist. cap. 9. et 10.

Tertia synodus est ephesina I. quae coacta est Theodosio juniore imperatore, et Coelestino I. summo pontifice; Convenerunt episcopi 200. Ex quibus patriarchae fuerunt Cyrillus alexandrinus, qui locum etiam romani pontificis obtinebat. Joannes antiochenus, et Juvenalis hierosolymitanus; quamquam Joannes, quia. se adhuc in itinere constituto, concilii decretum factum fuerat, initio dissentire coepit a Cyrillo postea tamen reconciliati sunt, atque idem senserunt. Caussa concilii fuit Nestorii episcopi constantinopolitani nova haeresis, quae Christum in duas personas dividebat.

Celebratum vero concilium est Basso et Antiocho consulibus, ut Prosper in Chronico et Socrates lib. 7. cap. 34. indicarunt; Is autem erat annus Domini 434. Quid sequuti sint Psellus, qui ponit solum intervallum annorum 40.inter secundam et tertiam synodum, et Onuphrius, qui adnotavit hanc synodum celebratam anno Domini 430. coss. Theodosio decimumtertium, et Valentiniano tertium, non possum dicere, praesertim cum in ipsa synodu tom. 2. cap. 1. disertis verbis legamus synodum inchoatam post consulatum Theodosii decimumtertium, et Valentiniani tertium, nec ignorare potuerit Onuphrius, non esse idem coss. Theodosio decimumtertium, et Valentiniano tertium, et post consulatum Theodosii decimumtertium et Valentiniani tertium.

Adde, quod Vincentius Lyrinensis in lib.de profanis vocum novitatibus prope extremum. qui ipso tempore vixit, ita loquitur: Ante triennium ferme in Asia apud Ephesum celebratum concilium est, viris clarissimis Basso, Antiochoque consulibus. Quid clarius?De tota hac synodo vide Liberatum in breviario cap. 5. 6. 7. 8. et sequentibus, Socratem lib. 7. cap. 34. Evagrium lib. 1. cap. 4. et ipsam synodum nuper ex graeco in latinum sermonem conversam, ac tomis duobus comprehensam.

Quarta synodus est chalcedonensis, quae collecta est adversum haeresim Eutychetis archimandritae, quae unam tantum in Christo naturam asserebat post incarnationem. Acta vero est haec synodus Leone I. pontifice maximo, et Martiano Augusto, consulatu ejusdem Martiani, ut ipsum conci-

lium testatur act. 1. Incidit autem is Marliani consulatus in annum Christi 454. juxta computum Matthaei Palmerii, et Gregorii Haloandri, vel 452. juxta Marianum Scotum et Sigebertum, vel 451. juxta Onuphrium in lib.de romanis pontificib. Psellus 30. annos interponit inter tertiam et quartam synodum; sed is, ut superiori numero detraxit annos decem, ac posuit 40. pro 50:ita nunc addidit annos decem, ac posuit triginta pro viginti, nisi sit error librariorum. Porro episcopi adfuerunt 630. ex quibus erant patriarchae, Dioscorus alexandrinus, qui tamen mox ejectus est, Maximus antiochenus, Anatholius constantinopolitanus et Juvenalis hierosolymitanus. Vide Liberatum in breviario cap. 11. et sequentibus, et Evagrium lib. 2. histor. cap. 2. 3. et 4.

1

ļ

Quinta synodus generalis non est, ut multi putant, ea quae sub Agapeto et Menna celebrata est, quaeque in secundo tomo conciliorum sub nomine quintae synodi quatuor actionibus continetur; siquidem illa particularis fuit. et quintam synodum antecessit, ut disertis verbis docent Joannes Zonaras in vita Justiniani, et Nicephorus lib. 17. eap. 9.

Coacta est autem quinta synodus vera apud Constantinopolim, Vigilio summo pontifice, et Justiniano seniore imperatore, anno duodecim post consulatum Basilii, ut initio ejusdem synodi legimus, qui est annus Dominicae incarnationis 533.vel 556. juxta Psellum, qui annis 102.vult posteriorem esse quintam synodum quarta. Convenerunt episcopi 165. ut idem Psellus tradit; e quibus erant patriarchae Eutychius constantinopolitanus, Apollinaris alexandrinus, Domninus antiochenus et Eustochius hierosolymitanus, qui tamen non per se, sed per legatos interfuit. Summus autem pontifex, nec per se, nec per legatos interfuit. Synodum tamen per libellum confirmavit, ut Nicephorus scribit lib. 17. cap. 27.

Caussa congregandi concilii fuit Origenis haeresis, quae tunc invalescebat. Itaque damnatus est Origenes, et simul Dydimus et Evagrius ejus sectatores: necnon Theodori Mopsuesteni et Theodoreti Cirensis scripta, et opistola, quae dicebatur Ibae ad Marim Persam. Vide de hac synodo Zonaram loco citato, Nicephorum Iib. 17. cap. 27. s. Gregorium Iib. 1. epist. 24. Evagrium Iib. 4. cap. 38. et Liberatum in breviario cap. 23. et 24. tametsi quae Liberatus dicit, valde caute legenda sunt; aut enim non sunt ipsius, aut ipse falsa aliqua relatione deceptus fait. Certe non congruunt cum aliorum catholicorum Patrum narrationibus.

Sexta synodus celebrata est apud Constantinopolim anno duodecimo Constantini IV. teste Paulo diacono in vita ejusdem, qui quidem erat annus Domini 681. vel 685. juxta Psellum, qui annos 129. ponit inter-quintam et sextam synodum. Quod vero in ipso concilio passim adscribitur annus 28. ejusdem Constantini. non est error typographorum, ut censet Illyricus Cent. 7. cap. 9. Nam etiamsi non imperavit Constantinus post mortem patris, nisi annis 17. tamen imperavit etiam annis multis cum patre suo, ut Zonaras significavit, dum illum ait ab ipso patre coronatum fuisse ante discessum in Siciliam. Itaque concilium numerat annos Con-

stantini a prima coronatione. Paulus verò diaconus a morte Constantis patris Constantini.

Convenerunt episcopi 289. ut idem Paulus diaconus testatur, et consentit numerus, qui habetur in VII. synodo act. 3. Beda tamen in lib. de sex aetatibus, prope finem, Rhegino lib. 1. Ado viennensis, et Freculphus in Chronico, solum centum quinquaginta Patres numerant. Patriarchae fuerunt duo. Georgius constantinopolitanus et Macarius antiochenus. Nam alexandrinae et hierosolymitanae Ecclesiarum solum legati quidam adfuerunt. Summus quoque pontifex Agatho per legatos suos interfuit et praesedit. In ea synodo damnata est haeresis eorum, qui unam tantum in Christo voluntatem esse volebant. Vide de hac synodo praeter citatos auctores. Albertum Pighium in diatriba et Franciscum Turrianum in apologia pro VI. et VII. synodo. Albertus enim has duas synodos sextam et septimam, ut modo extant, adulterinas et supposititias esse concedit. Contra Turrianus veras et germanas esse docet. Quid nobis verius videatur in lib. 4. de pontifice cap. 11. jam explicavimus.

Septima synodus apud Nicaeam congregata est anno VIII. Constantini et Irenae, ut scribunt Paulus diaconus lib. 23. rerum romanarum, et Cedrenus in compendio historiarum. Fuit autem is annus Christi 781. si Paulo diacono credimus, vel 786. si credimus Cedreno. Onuphrius ponit annum Constantini X. et Christi 789. Psellus annos duntaxat 60. inter sextam et septimam synodum esse volunt; quod nullo modo cum veritate cohaeret. Ideo quidam mendum esse putant librariorum, ac Psellum insum'annos centum scripsisse. Convenerunt episcopi, ut idem Psellus habet 350. e quibus patriarcha unus fuit Tharasius constantinopolitanus, caeterorum patriarcharum solum legati adfuerunt. Adrianus papa per legatos suos praesedit, ac una cum reliqua synodo eos damnavit, qui sacras Christi et sanctorum imagines omni honore spoliabant. De hac synodo vide, si placet, quae nos disseruimus, cum ageremus de concilio francofordiensi, in disputatione de cultu imaginum.

Octava synodus est concilium IV. constantinopolitanum, quod celebratum est Adriano II. summo pontifice, et Basilio Augusto, anno tertio ejusdem Basilii, ut in ipsa synodo acta prima significant, qui annus erat Domini 870. Convenerunt episcopi 383. e quibus unus patriarcha Photius, ac deinde Ignatius constantinopolitanus, caeteri per le-

gatos adfuerunt.

Est autem hoc loco animadvertendum, tres synodos in caussa Photii Constantinopoli celebratas. Una tempore Nicolai I. pontificis, et Michäelis imperatoris celebrata est, in qua depositus fuit Ignatius, et ordinatus Photius; cujus synodi meminit Zonaras in vita Michäelis; nec est dubium, hanc fuisse profanam synodum, ut patet ex epistolis Nicolai I. et Adriani II.

Altera synodus est ea, quam nos diximus octavam. quae exstat, quamvis imperfecta, in tomis conciliorum, in qua deposito Photio, iterum restitutus est Ignatius. atque hujus synodi meminit Zonaras in vita Basilii imperatoris.

Tertia est ea, quam tempore ejusdem Basilii ce-

lebravit per legalos suos Joannes VIII. Adriani successor, in qua synodo, defuncto jam Ignatio, iterum restitutus est Photius; et, si vera sunt, quae Graeci dicunt in concilio florentino sess. 6. et quae refert ex hac synodo Franciscus Turrianus in lib. de actis VI. VII. et VIII. synodi, rescissa plane acta praecedentis synodi, sub Adriano; quin etiam statutum, ut tolleretur de symbolo illa particula (Filioque) sed id nullam habet verisimilitudinem. Idcirco facile mihi persuadeo, aut esse omnia conficta, quae dicuntur de Joanne VIII. ut s. Antoninus docet in Summa historiali part. 3. tit. 22. cap. 13. § 10. aut certe verum quidem esse, Photium a Joanne VIII. per legatos restitutum in sedem constantinopolitanam post mortem Ignatii; at caetera supposititia et adulterina esse, et a Graecis conficta, ut ex Manuele Calleca Turrianus ostendit lib. citato.

Confirmor autem in hac sententia, tum quia Zonaras meminit quidem restitutionis Photii, non autem abrogationis concilii VIII. nec ablationis illius particulae (Filioque) ex symbolo; tum etiam, quia Graeci in concilio florentino sess. 6. non agnoscunt pro synodo occumenica concilium illud sub Joanne VIII. etsi illis multum prodesse potuisset, si legitimum et germanum concilium fuisset. Atque hactenus de conciliis orientalibus, nunc addemus breviter occidentalia.

Nonum concilium est lateranense Primum, episcoporum 900. et amplius, anno 1123. contra Saracenos. pro recuperanda terra sancia, tempore Callisti II. et Henrici V. imperatoris. Platina, Onu-

phrius. Non exstat.

Decimum est lateranense II. episcoporum mille, anno 1139. contra antipapas, et pro jure cleri, tempore Innocentii II. et Lotharii imperatoris. Platina,

Onuphrius. Non exstat.

Undecimum est lateranense III. episcoporum fere 300. pro reformatione Ecclesiae, et contra Waldenses, anno 1180. tempore Alexandri III. et Friderici I. imperatoris. Platina, Onuphrius, item Gulielmus Tyrius, qui interfuit lib. 20. de bello sacro c. 26.

Duodecimum est lateranense IV. Patrum 1283. ex quibus erant episcopi 1573. anno 1215. contra varias haereses. et pro terra sancta, tempore Innocentii III. et Friderici II. Matthacus Palmerius,

Onuphrius, Platina.

Tertiumdecimum est lugdunense Primum, anno 1245. contra imperatorem Fridericum. et pro terra sancta, tempore Innocentii IV. et Friderici II. Matthaeus Palm. Platina, Onuphrius. Exstant hujus concilii aliqua decreta in Sexto decretalium.

Decimumquartum est lugdunense II. Patrum fere mille, ex quibus episcopi erant 500. anno 1274. contra errorem Graecorum, tempore Greg. X. et Rodulphi imperatoris. Matthaeus Palm. Platina, Onuphrius. Exstant ex hoc concilio quaedam in Sexto decretalium.

Decimumquintum est viennense, episcoporum 300. anno 1311. contra varias haereses, tempore Clementis V. et Henrici VII. imperatoris. Palmerius, Platina, Onuphrius. Exstant ex hoc concilio decreta, quae dicuntur Clementinae.

Decimumsextum est florentinum (omitto pisanum, constantiense et basilcense de quibus postea), anno 1439. Patrum 141. qui subscripserunt, et multorum aliorum, qui ante subscriptionem discesserant; ut in fine concilii annotatur, contra errores Graecorum, tempore Eugenii IV. et Alberti imperatoris. Matth. Palmerius, Platina.

Decimumseptimum est lateranense V. Patrum 114. contra schismata, et pro variis negotiis, tempore Julii II. et Leonis X. et Maximiliani imperatoris, coepit anno 1512. finem habuit 1517.

Decimumoctavum est tridentinum, anno 1545. inchoatum, anno 1563. finitum contra haereses Lutheranorum, tempore Pauli III. Julii III. ac Pii IV. et Caroli V. ac Ferdinandi imperatorum. Numerus Patrum his verbis describitur a Gaspare Villalpandaeo, disputatione quinta de concilio tridentino. Adsunt, inquit, sex cardinales, quatuor legati, patriarchae tres, archiepiscopi triginta duo, episcopi ducenti vigintiocto, abbates quinque, generales ordinum ministri septem, episcoporum procuratores plurimi.

Ex his conciliis nullum est, quod non sit a pontifice probatum, et a catholicis recipiatur; nam de primis octo conciliis patet ex decreto dist. 16. can. Sancta octo. De novem sequentibus synodis, ex eo patet esse probatas, quod in eis praefuerit summus pontifex. De ultima patet ex confirmatione Pii IV. At Graeci tantum recipiunt prima septem concilia, ut notum est ex concilio florent. sess. 5. et 6. Lutherani autem tantum recipiunt prima sex, ut patet ex Magdeburgensibus Centur. 8. cap. 9. et Centur. 9. cap. 9. Eutychiani, qui adhuc inveniuntur in Asia, tantum recipiunt prima tria. Nestoriani, qui etiam in oriente reliqui sunt, tantum recipiunt prima duo. Trinitarii, qui in Hungaria et Polonia nunc versantur, nullum recipiunt.

#### CAPUT VI.

#### Concilia generalia reprobata.

Primum generale reprobatum, est concilium antiochenum anno 345. in anno quinto Constantii, ut dicitur a Socrate lib. 2. cap. 5. et Sozomeno lib. 3. cap. 5. in quo damnatus est Athanasius, et via pateracta ad eversionem concilii nicaeni primi.

Notandum est autem, a summa conciliorum, et ab aliis confundi hoc concilium cum aliis quibusdam. Sex enim fuerunt concilia antiochena. Primum et secundum contra Paulum Samosatenum, tempore Dionysii papae, circa annum 269. Vide Eusebium lib. 7. hist. cap. 23. 24. 25. et 26. Tertium Arianorum, tempore Julii I. anno 345. ut supra diximus. Quartum est Macedonianorum pro sua haeresi anno 367. tempore Liberii papae. Hieronymus in Chronico. Quintum est catholicum provinciale episcoporum 30. cujus canones 25. habentur in tom. 1. conciliorum. Videtur fuisse tempore Joviani et Liberii. Vide Sozomenum lib. 6. cap. 4. Sextum est insertum act.14.concilii chalcedonensis.

Secundum generale est mediolanense episcoporum plusquam 300. anno 354. tempore ejusdem Constantii, in quo etiam oblique fides catholica

damnata est. Ruffinus lib. 10. cap. 20. Socrates lib. 2. cap. 29.

Tertium generale est ariminense episcoporum 600. sub eodem Constantio anno 363. ut notat Hieronymus in Chronico, in quo sublatum est de symbolo nomen ὁμούσιος hujus concilii fuit quasi pars quaedam seleuciense in oriente. Vide Augustinum lib. 3. contra Maximinum cap.14. Hieronymum contra Luciferianos. Ambrosium epist. 32. Rufflnum lib. 10. cap. 21. Socratem lib. 2. cap. 29. Basilium epistol. 52. ad Athanasium.

Quartum est Ephesinum II. tempore Theodosii junioris anno 449. in quo, factione Dioscori, occisus est s. Flavianus episcopus constantinopolitanus; et legati romani pontificis Leonis fugati, ac demum haeresis eutychiana confirmata. Reprobata est haec synodus a Leone in epistola ad clerum et populum constantinopolitanum; Item ad Theodosium; Item ad Pulcheriam, quae sunt 22. 23. 24. 25. et Vide breviarium Liberati cap 12. et Evagrium lib. 1. cap. 9. et 10.

Quintum est concilium constantinopolitanum sub Leone Isauro contra sacras imagines anno 730, qui fuit tertiusdecimus imperii ejusdem. Concilium est reprobatum: Nam non interfuit ullus patriarcharum, excepto s. Germano, qui tamen non consensit, et ideo a sua sede constantinopolitana dejectus est.

Sextum est concilium constantinopolitanum sub Constantino Copronymo, et anno 755. Convenerunt autem episcopi 338. sed nullus adfuit patriarcharum, excepto pseudoepiscopo constantinopolitano. Definitum est in concilio, abolendas esse Christi et sanctorum imagines. Reprobatum est hoc concilium in VII. synodo act. 6. Vide de his duobus conciliis constantinopolitanis Paulum diaconum lib.21. et 22.rerum romanarum, et Zonaram in annalibus.

Illud etiam observabis, hanc synodum falso a nonnullis vocari tertiam ephesinam. ut ab auctore summae conciliorum in principio VII. synodi, et a Sixto senensi lib. 5. bibliothecae sanctae annotat. 247. Nam omnes antiqui eam vocant constantinopolitanam, et id ipsum clarissime patet ex isto ipso concilio, quod insertum legitur in VII. synodo act. 6. Caussa erroris videtur fuisse, quia isti profanae synodo praesedit Theodosius episcopus Ephesinus.

Septimum est concilium pisanum anno 1311. congregatum ab imperatore et rege Galliae, et aliquot cardinalib. contra Julium II. et reprobatum paulo post in concilio lateranensi sub Julio II. sess. 2. et 3.

Octavum numerari potest concilium wittembergense, quod Lutherani generale vocant 300. pastorum praeside Luthero anno 1536. Vide Cochlaeum in actis Lutheri, et Surium in commentario rerum in orbe gestarum anno 1536.

#### CAPUT VII.

Concilia partim confirmata, partim reprobata.

Primum generale partim confirmatum, partim reprobatum est sardicense concilium, episcoporum 376. anno Domini 331. tempore Constantii et Julii I.



ex quibus 300. episcopi eccidentales fidem catholicam confirmarunt, quam exponit Hilarius in lib. de synodis, reliqui 76. episcopi orientales fidem Arianam scripserunt. Vide Socratem lib.2. cap. 16. Sozomenum lib. 3. hist. cap. 10. et 11. et Theodoretum lib. 2. cap. 7. et 8.

Secundum est concilium syrmiense, quod celebratum est annis quinque post sardicense, hoc est, anno Domini 356. Liberio summo pontifice, et constantio imperatore. In hoc enim concilio duae formulae fidei dissentientes inter se editae sunt. Unam composuit graece Marcus Arethusius, qui postea sub Juliano illustre martyrium pertulit, quae quidem ea esse videtur, quam Hilarius in lib. de synodis prope extremum, ut catholicam explicat. Alteram alii composuerunt latine plenam aperta blasphemia, quam Hilarius reprehendit in lib. de synodis, non procul ab initio. In eodem etiam concilio Photini haeresis damnata est, quam damnationem omnes Ecclesiae probaverunt. Vide Socratem lib. 1. cap. 24. et seq. et Sozomenum lib. 4. cap. 5. et 6. vide etiam Epiphanium haeresi 71. qui tamen in eo lapsus videtur, quod Sardicam pro Syrmio acceperit.

Tertium est concilium Quinisextum, in quo continentur canones Trullani. Sciendum est enim ex Tharasio disputante in septima synodo action. 4. sextam synodum, quae tempore Constantini IV. celebrata est, nullos canones edidisse, sed post annos aliquot tempore Justiniani episcopos rediisse Constantinopolim, et in palatio, quod dicitur Trullum 102. canones edidisse, qui dicuntur Trullani, et a Balsamone vocatur concilium Quinisextum, quia non est haec synodus quinta nec sexta, sed canones addidit quintae et sextae synodo.

Quo tempore hace synodus habita sit, non est adeo certum. Nam Theophanes quidam historicus, quem citat Franciscus Turrianus in libro de VI. synodo, docet celebratam hanc synodum anno 27. a verae sextae synodi dissolutione, nimirum anno seeundo imperii Justiniani instaurati. At Tharasius in VII. synodo act. 4. et Epiphanius in eadem synodo act. 6. tomo 1. dicunt post quinque annos a dissolutione concilii hos canones editos: quod certe probabilius mihi videtur, nam alioqui non video. quae fuerit illa erratica synodus Constantinopoli a Justiniano habita, tempore Sergii papae, et quam idem papa reprobavit, teste Beda libro de sex aetatibus; Paulo diacono lib. 6. cap. 4. Othone frisingensi lib. 5. cap. 13. Rheginone lib. 1. et Adone viennensi in Chronico: nam in anno 27. a dissolutione concilii sexti, non sedebat Sergius, sed Constantinus papa. Et certe Beda, et Tharasius antiquiores Theophane sunt. Quin etiam Beda ipso tempore vixit, quo Sergius papa sedebat.

Hos ergo canones dicimus partim reprobatos, quia non interfuit summus pontifex, nec per se, nec per legatos, dum isti canones flerent. Et aperte Sergius papa, qui tunc sedebat reprobavit erraticam istam synodum, ut ait Beda in lib. de sex aetatibus in Justiniano. Partim autem approbatos, quia etsi canones illi ex se nullam vim habeant, tamen aliqui postea probati sunt a pontifice, aut aliis legitimis conciliis, qualis est can, 82. de pingen-

dis imaginibus, receptus ab Adriano papa, et VII. synodo, ut patet ex ipsa septima synodo act. 2. et 4. Vide quae disseruimus adversus hanc synodum quinisextam lib. 2. de summo pontifice cap. 18.

Quartum est concilium francfordiense, quod celebratum est anno 794. juxta Rheginonem lib. 2. Adriano I. pontifice, et Carolo Magno rege Francorum. Quod concilium ab Adriano confirmatum fuit, quantum ad eam partem, in qua definitur Christum non esse Filium Dei adoptivum, et ab eodem reprobatur, quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnatur septima synodus. Vide quae nos diximus in 2. lib. de conciliis cap. 9.

Quintum est concilium constantiense Patrum fere mille, ex quibus episcopi amplius 300. anno 1414. inchoatum sub Joanne XXIII. et anno 1418. finitum sub Martino V. et Sigismundo imperatore. Plat. Palmerius dicit, quod hoc concilium quantum ad primas sessiones, ubi definit concilium esse supra papam, reprobatum est in concilio florentino, et lateranensi ultimo: quantum ad ultimas sessiones, et ea omnia quae probavit Martinus V. ab omnibus catholicis recipitur.

Sextum est concilium basileense inchoatum anno 1431.et continuatum Basileae, ac deinde Lausannae usque ad annum 1449.quo tempore cessit Nicolao V. pontifici, tam concilium, quam papa Felix V. in schismate ab ipso concilio creatus. Vide acta concilii, et bullam annexam Nicolai V. pontificis. Hujus concilii nihil est ratum et probatum, nisi quaedam dispositiones circa beneficia ecclesiastica, quae a concilio factae fuerant, quas (pacis et unitatis gratia) Nicolaus praedictus approbavit. Concilium vero ipsum reprobatur in concilio lateranensi ultimo, sess. 11.

#### CAPUT VIII.

## De concilio nec manifeste probato, nec manifeste reprobato.

Generale nec approbatum, nec reprobatum, videtur esse concilium pisanum, quod anno 1409.deposuit Gregorium XII. et Benedictum XIII. et elegit Alexandrum V. Siquidem s. Antonipus 3. par. tit. 22. cap. 5. § 2. et 3. summae historialis, asserit, conciliabulum illegitimum, non verum Ecclesiae concilium suisse, et eventus idem ostendisse videtur. Coactum enim concilium fuit ad schisma tollendum, et tamen illud non sustulit, sed auxit. Si autem sine dubio fuisset reprobatum, etiam sine dubio Alexander VI. se non sextum, sed quintum appellasset. Adde, quod est ferme communis opinio, Alexandrum, et qui ei successit, Joannem fuisse veros pontifices. At certe ex tribus, qui tum se pro pontificibus gerebant, isti maxime ut veri pontifices colebantur. Haec de generalibus.

De conciliis particularibus vide tomos conciliorum, et Gratiani decretum dist. 16. canon. sexta synodus, et dist. 20. canon. de libellis. Item Chronicon Onuphrii, et secundum librum Chronographiae Genebrardi.

#### CAPUT IX.

De utilitate vel etiam necessitate celebrandorum conciliorum.

His igitur praemissis, explicanda sunt ea, quibus legitima concilia constant. La vero ad quatuor causas reduci possunt, ad linem, efficientem, materiam et formam conciliorum. Ac ut a fine, quae prima caussarum est, incipiamus, Primum exponendae breviter erunt caussae, ob quas concilia celebrari solent; deinde ex iis judicandum erit, utrum conciliorum congregatio sit necessaria, an solum utilis. Porro caussae praecipuae, ob quas concilia celebrantur, sex numerari solent.

Prima caussa est haeresis nova, idest, numquam antea judicata, propter quam caussam coacta sunt prima septem generalia concilia. Semper enim Ecclesia tanti fecit periculum novarum haeresum, ut non putaverit aliter posse resisti, quam sì omnes aut certe permulti principes Ecclesiarum conjunctis viribus, et quasi agmine facto irruerent in ho-

stes fidei.

Secunda est schisma inter romanos pontifices. Haec enim de caussa celebratum est concilium tempore Cornelii, Item aliud tempore Damasi, et rursum alia temporibus Symmachi, Innocentii II. et Alexandri III.et Pisanum, atque constantiense temporibus Gregorii XII. et Benedicti XIII. nullum enim est potentius remedium, concilio, ut saepissime probatum est.

Terlia est, resistentia communi hosti tolius Ecclesiae. Hoc modo coacta sunt concilia ab Urbano II. Callixto II. Eugenio III. aliisque pontificibus pro bello contra Saracenos. Item ad deponendum imperatorem celebrata sunt concilia a Gregorio III.contra Leonem III. iconomachum;a Gregorio VII.contra Henricum IV. ab Innocentio IV. contra Frideri-

cum II.

Quarta causa est suspicio haeresis in romano pontifice, si forte accideret, vel etiam tyrannis incorrigibilis; tunc enim deberet congregari generale concilium, vel ad deponendum pontificem, si inveniretur haereticus, vel certe ad admonendum, si in moribus videretar incorrigibilis: nam ut dicitur in VIII. synodo, act. ultim. can. 21. debent generalia concilia cognoscere controversias circa romanum pontificem exortas, non tamen audacter in eum sententiam ferre. Ob istam caussam legimus celebratum concilium sinuessanum in caussa s. Marcellini, et romana concilia in caussa Damasi, Sixti III. et Symmachi, et Leonis III. et IV. quorum nullus a concilio damnatus fuit, sed Marcellinus sibi ipse coram concilio poenitentiam injunxit, reliqui se purgaverunt. Vide Platinam, et tomos conciliorum.

Quinta caussa est, dubitatio de electione romani pontificis. Si enim cardinales non possent, aut non vellent pontificem creare, aut certe omnes simul perfrent; aut aliunde sieret vere dubium, ad quos pertineret ejusmodi electio, ad concilium generale spectaret decernere de electione futuri pontificis, quamquam non est verisimile id aliquando even-

turum.

Sexto est reformatio generalis abusuum et vitiorum, quae in Ecclesiam irrepunt; tamelsi enim solus pontifex potest leges toti Ecclesiae praescribere, tamen longe suavius res agitur cum approbante concilio generali summus pontifex ejusmodi leges praescribit.Hine videmus omnia fere generalia concilla canones edidisse de reformatione. Vide Joan. de Turrecremata lib. 3. cap. 9. et 10.

## CAPUT X.

Concilia generalia utilia esse, et suo quodam modo necessaria, non tamen absolute, et simpli-

Ex his caussis, ob quae concilia congregari diximus, facile erit judicare, sintne modo utilia, an etiam plane necessaria concilia ad Ecclesiae conservationem. Et quidem de generalibus conciliis ita statuo, ejusmodi conciliorum convocationes utilissimas et suo quodam modo necessarias, non tamen absolute, et simpliciter necessarias esse. Id quod mihi facile persuadeo, Primum ex eo, quod primis 300. annis caruit Ecclesia conciliis generalibus nec tainen periit. Quemadmodum enim annis illis 300. Ecclesia sine conciliis generalibus incolumis mansit, sic etiam potuisset sine dubio aliis 300.et rursum aliis 600.atque aliis mille permanere; nam non defuerunt illo etiam tempore multae haereses, multa schismata, multa vitia, atque abusus, quae tamen omnia Ecclesiam catholicam, tametsi conciliorum generalium praesidio destitutam, opprimere non potuerunt.

Denique accedit etiam illud, quod nulla ex enumeratis caussis generale concilium absolute necessarium esse convincit. Nam primum emendatio vitiorum et abusuum (ut a postrema caussa incipiamus), fieri potest satis commode, tum per leges summi pontificis, tum per conciliorum provincialium decreta, licet suavius id fiat, ut diximus, per

concilia generalia.

Illa autem caussa de electione summi poptificis fieri non potest, si moraliter, non metaphysice loquimur, ut unquam usu veniat. Quis enim credat futurum aliquando, ut cardinales, aut non velint, aut non possint creare pontificem? Quod si etiam id accideret, vix dubium esse posset, ad quos pertineret electio. Nam cum romanus episcopatus evectus sit ad summum Ecclesiae pontificatum, eorum sine dubio est, summum pontificem eligere, quorum est romanum episcopum eligere. Quorum autem sit romanum episcopum eligere, non magis dubium esse posset remotis pontificum constitutionibus, quam ad quos pertineat aliarum, civitatum episcopos eligere. Sed de hac re alibi dicendum

Illud constat, propter ejusmedi caussam nullum hactenus concilium generale convocatum esse. Quod idem de quarta caussa dici potest. Nam propter suspiciones de doctrina, et viía pontificum, nunquam convenerunt, nisi provincialia, aut nationalia concilia. Nec sane videtur majori concilio opus esse; nam dum est vere pontifex, non potest ab ullo concilio judicari, nisi forte tribuat ipse concilio potestatem examinandi caussam suam, et sententiam discretivam, non tamen coactivam ferendi. Hanc autem potestatem acque potest papa tribuere concilio particulari, atque universali.

Jam vero tertia caussa duplici nomine non exigit necessario generale concilium; primum, quia non est absolute necessarium, ut communi hosti, qualis est turca, resistatur. Si enim Ecclesta conservari potuit sub immanissimis persequationibus Neronis, Domitiani, Decii, Diocletiani, eur non posset etiam sub persequatione Turcaram? Deinde quis non videt etiam sine generali concilio posse bellum indi-

ci communi hosti, quemadmodom sacpe factum

Denique nec primam, aut secundam caussam necessario postulare concilii generalis convocationem, testantur praeterita tempora. Nam si ad extinguendas septem hacreses celebrata sunt septem concilia generalia; plusquam centum hacreses extirctae sunt a sola apostolica sede, cooperantibus conciliis particularibus et si unum schisma sublatum est per generale concilium constantiense, schismata supra quinque et viginti sine concilio generali sublata sunt.

At s. Augustinus lib. 4.contra duas epistolas Polagianorum, cap. 12. affirmat, paucas quasdam hacreses fuisse, ad quas superandas necessarium fuerit concilium plenarium occidentis et orientis. Sanctus quoque Leo in epist. 43.ad Martianum, laudat Martianum Augustum, quod synodum generalem a se postulatam etiam ipse necessariam judicaverit.

S. Isidorus in praefatione conciliorum scribit, ante Constantini tempora, christianam Ecclesiam in varias haereses divisam fuisse, quod propter imperatorum persequationes non liceret episcopis concilia celebrare: ubi sine dubio de generalibus conciliis loquitur. Constat enim ante tempora Constantini, multa concilia particularia octobrata fuisse. Quare velle videtur Isidorus, concilia generalia simpliciter esse necessaria ad haereses extirpandas.

Item s. Eugenius episcopus carthaginensis, ut Victor testis est, lib. secundo de persequutione Wandalica, cum urgereter a rege Hunerico, ut de fide cum arianis episcopis conferret, respondit, caussam fidei communem esse toti catholicae Ecclesiae, proinde convocandos esse episcopos ex omnibus Ecclesiae partibus, ac praecipue significandam rem totam esse Ecclesiae romanae, quae caput est omnium Ecclesiarum. Qua responsione significavif Eugenius, ad explicandas quaestiones fidei concilium generale omnino necessarium esse.

Denique, antiqua illa quaestio, essentne rebaptizandi ab haereticis baptizati? numquam finiri potuit, donec accessit sententia concilii generalis, etiamsi multae praecessissent conciliorum particularium, et sedis apostolicae definitiones. Videtur igitur ad controversios fidei terminandas simpliciter necessaria synodus generalis. De qua re sic loquitur s. Augustinus lib. 1. de baptis. contra Donatistas, cap. 7. Quaestionis, inquit, hujus obscuritas prioribus Ecclesiae temporibus ante schisma Donati magnos viros, et magna charitate praedites Patres, episcopos ita inter se compulit, salva pa-

BELLARMINI. Vol. II.

ce, disceptare et fluctuare, ut diu concitiorum in suis quibusque regionibus diversa statuta mutaverint, donec plenario totius orbis emcilio.quod saluberrime sentiebatur, etiam remotis dubitario. nibus firmaretur. Et cap. 18. Hoc. inquit, de baplismo pie credamus quod universa Ecclesia a sacritegio schismatis remota custodit. In qua tannen, si aliud ații, et aliud alii . adhuc de ista quaestione, salva pace sentirent, donec universali concilio unum aliquid eliquatum sincerumque plaevisset, humanae infirmitatis errorem excusaret charitas unitatis. Et lib. 2. cap. 4. Nec nos inquit, tale aliquid auderemus asserere, visi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati, cui et ipse sine dubio cederet, si jam illo tempore quaestionis hujus veritatis eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur. Haec Augu-

Sed ad primum lestimonium Augustini, non est difficile respondere; nec enim docet Angustinus; concilia generalia ullo unquam tempore fuisse simpliciter necessaria, sed solum necessaria quodummodo, hoc est, nt suavius, et maturius pax Ecclesiis redderetur. Si quidem Augustinus quo in loco scripsit, ad haeresim quandam, hoe est, Arlanam comprimendam, necessarium fulsse concilium generale, in codem scripsit, bacresim Pelagianam, aliasque plurimas sine concilio generali comprimi potuisse. Si autem quaeras, quare magis eguerit generali concilio caussa Arianorum, quam Pelagianotum, non respondebit Augustinus, quia obscurior fuerit quaestio ab Arianis in Ecclesiam introducta, quam a Pelagianis; id enim non videtur esse verum, cum multo plura et clariora sint in Scripturis testimonia pro divinitate Christi adversus Arianos, quam pro peccato originali adversus Pelagianos: sed quia Pelagianorum haeresis, Deo sic volente ao disponente, bruvi damnata fuit ab universa Ecclesia, com summa pace et consensione id ipsum decreverint apostolica sedes Romas, concilia orientalium in Palaestina, et occidentalium in Africa. Haeresis autem Ariana multos episcopos patronos ab ipso suo exordio habere coapit, qui non videbantar socile quieturi, nisi summa totius Ecclesiae auctoritate obruerentur. Itaque ad haeresim Pelagianam extinguendam non fuit necessarium generale concilium, necessarium autem fuit ad extinguendam hacresim erianam; quoniam illa commode et facile ab apostolica sede, cooperantibus conciliis provincialibus variorum locorum, compressa est; haec autem etsi tandem ab eadem apostolica sede., et provincialibus conciliis comprimi potoisset, non tamen aeque commode ac facile.

Idem ad testimonium s. Leonis responderi potest. Judicavit enim s. Leo, necessarium concilium generale chalcedonouse, ut ejus auctoritate destrui posset id, quod perperam egerat concilium generale ephesinum secundum. At henc non faisse absolutam necessitatem, sed aliqualem duntaxat, perspicuum est ex concilii ariminensis irritatione. Fuit enim ariminense concilium generale, et frequentissimum, ac longe celebrius Ephesino secundo, et tamen a pontifice Damaso sine ullius generalis concilii praesidio irritatum fuit. De qua re vide episto-

lam Damasi ad episcopos Illyrici, et epist.52.Basilii ad Athanasium.

Eodem modo exponere cogimur testimonium Isidori; nam quod ipse ait, ante-Constantini imperium Ecclesiam divisam fuisse in varias haereses, quia non dabatur episcopis facultas congregandorum conciliorum, et eo modo plebium docendarum: si absolute intelligatur, apertissime falsum est. Nam et ante tempora Constantini plurimae haereses sunt a conciliis episcoporum penitus sublatae, et extinclae, et post tempora Constantini, non desuerunt haereses novae, quae Ecclesiam longissimo tempore vexaverunt. Certe nestorianae et eutychianae haereses numquam penitus eradicari potuerunt, et tamen post Constantini tempora exortae sunt, et in iis extirpandis concilia generalia sacpius laborarunt. Id igitur solum Isidorus significare voluit, tempore Constantini concilia generalia celebrari coepisse, alque cam rem ad comprimendas hacreses utilissimam exstitisse.

Jam vero quid s. Eugenius sibi voluerit, explicat ibidem Victor uticensis. Scribit enim Eugenium mentionem fecisse concilii generalis, et transmarinarum. Ecclesiarum, cum vocaretur ad conferendum de side eum Arianis; non quod non essent in Africa viri dectissimi, qui tuto possent committi cum episcopis Arianis, sed quod existimabat transmarinos doctores, si in Africam venissent, liberius acturos caussam fidei, cum non essent subjecti regi Wandalorum, cui africani episcopi subjecti erant. Nec tamen mentitus est Eugenius, cum ait, caussam fidei esse communem, et se non posse sine transmarinis episcopis caussam illam suscipere; nam etsi absolute licebat ei conserre eum Arianis de fide, ut saepe alias in eadem regione contulerant catholici cum Donatistis, tamen non expediebat eo tempore, et proinde nec licebat sine manifesto periculo. Itaque vere non poterat Eugenius sine transmarinis collegis provinciam illam suscipere, non quia deerat auctoritas, sed quia deerat opportunitas; nec iniquitas, sed prudentia fuit, tyranni illius petitionem sententiae ambiguitate eludere.

Restat ultima illa objectio, de baptismo haereticorum, quae solvitur duobus modis. Primum enim fortasse non est verum, quod Augustinus pulabat, quaestionem illam non potuisse finiri ante concitii generalis sententiam. Nam concilium generale primum fuit nicaenum tempore Constantini celebratum. Scribit autem s. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, illos ipsos episcopos, qui cum Cypriano decreverant haereticos esse rebaptizandes, postea contrarium protulisse decretum. Ex quo colligitur, eos episcopos tandem sententiae Stephani romani pontificis acquievisse, qui tamen omnes mortui sunt ante tempora nicaeni concilii.

Idem quoque Hieronymus in libro de scriptoribus ecclesiasticis, scribit Dionysium alexandrinum in sententiam Cypriani de rebaptizatione concessisse; quod etiam indicat Eusebius lib. 7. hist. cap. 4. et tamen constat eundem Dionysium paulo post mutasse sententiam, nee fuisse ausum rebaptizare quendam hominem, quem certo constabat ab haereticis baptizalum, ut idem refert Eusebius lib. 7. hist. eap. 8. Quid, quod ipse eliam Augustinus in

epistola 48. ad Vincentium suspicatur Cyprianum retractasse sententiam suam? Itaque probabile est. etiam ante nicaenum concilium, ac auctoritate se-dis apostolicae, quaestionem illam apud omnes catholicos fuisse finitam. Sed etiamsi quaestio finita non fuisset usque ad concilii plenarii determinationem, ut Augustinus dicit, non tamen inde colligere oporteret, non potuisse finiri; nam licet apostolicae sedi cooperantibus conciliis controversiam illam finiendi auctoritas non deesset, maluerunt tamen sancti illi pontifices differre in tempus aliud magis opportunum absolutam determinationem ejus quaestionis, quam tot mágnos viros ab Ecclesia separare. Quia vero temporis opportunitas non ante se obtulit, quam cum nicaenum concilium celebraretur; idcirco Augustinus toties repetit, in concilio plenario orbis terrae, quaestionem illam tandem esse finitam.

At, inquies, Stephanus papa, congregato concilio quodam particulari, jussit non rebaptizari, et excommunicandos censuit eos, qui rebaptizarent, ut scribit Dionysius alexandrinus. Eusebio teste lib. 7. hist. cap. 4. et Augustinus lib. de unico baptismo, cap. 14. Igitur quaestionem papa cum particulari suo concilio finire voluit, nec potuit. Proinde necessaria videntur omnino concilia generalia.

Respondeo, ut lib. 4. de pontifice, cap. 7. jam ante respondi: Stephanum quidem jussisse, ne ii rebaptizarentur, qui essent ab haereticis baptizati, ac censuisse etiam rebaptizatores esse excommunicandos, non tamen re ipsa illos excommunicasse, id quod manifeste colligitur ex multis antiquis auctoribus. Nam ipse in primis Cyprianus in epistola ad Pompejum non ait, Stephanum excommunicasse. sed excommunicandos putasse, qui contra facerent: Sacerdotes, inquit, Dei veritatem, Christi et Ecclesiae unitatem tuentes abstinendos putat. Et in epistola ad Jubajanum dicit, se cum collegis suis contrarium sentientibus pacem habere: quod certe non diceret, si aut ab illis ipse excommunicatus fuisset, aut ipse eos excommunicasset: Nos, inquit, quantum in nobis est, propter haereticos, cum collegis et coepiscopis nostris non contendimus. cum quibus divinam concordiam, et dominicam pacem tenemus.

Hieronymus in dialogo contra Luciferianos de Cypriano sic loquitur: In communione corum permansit, qui sententiae suae contraierant. Augustinus lib. 1. de baptismo, cap. 7. dicit magnos viros, et Ecclesiae Patres atque episcopos, hoc est, Stephanum, et Cyprianum, salva pace et charitate dissensisse. Pacianus epist. 2. ad Sympronianum: Cyprianus, inquit, in concordia omnium, in pace communi, in confessorum grege pussus est. Vincentius Lyrinensis in suo libello: O rerum, inquit, mira conversio, auctores ejusdem opinionis, catholici; consectatores vero, haeretici judicantur. Absolvuntur magistri, condemnantur discipuli, conscriptores librorum filis regni erunt: assertores vero gehenna suscipiet. Nam quis illud sanctorum omnium, et episcoporum, et martyrum lumen beatissimum Cyprianum, cum caeteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum esse cum Ehristo? aul quis contra tam sarrilegus, qui Donalistas el cacleras pestes, quae illius auctoritale concilii rebaptizare se jactitant, in sempilernum neget arsuros esse cum diabolo?

#### CAPUT XI.

## Concilia episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria.

Quantis autem generalia concilia, non sint absolute necessaria, tamen concilia aliqua, sive generalia, sive particularia sint, omnino necessaria esse ad bonam Ecclesiae gubernationem, vix in quaestionem revocari posse dubito: Nam si necesse est, ut veniant scandala, ut ait Dominus, Matth. 18. et oportet haeres esse, ut apostolus ait, 1. Cor. 11. certe necesse est etiam, ut in Ecclesia sit certum aliquod judicium, quo et scandala tolli, et haereses damnari possint, alioqui brevi tempore Ecclesia universa in partes scinderetur et periret; Nam omne regnum in seipsum divisum desolabitur, Matth. 12.

Etsi vero sumus pontifex judex est, vice Christi, omnium controversiarum, eique obtemperare debet fraternitas universa, ut Cyprianus loquitur lib. 1. epist. 3. et nos in libris de pontifice multis argumenterum generibus demonstravimus; tamen non debet pontifex in controversiis fidei dijudicandis, aut solo suo judicio fidere, aut expectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, et ordinaria media; et tum demum expectare assistentiam Spiritus sancti, et directionem divinauf.

Porro medium ordinarium, ac proinde necessarium esse concilium, magnum, aut parvum, unum vel plura, prout ipse judicaverit, facile probari po-

Primum ex divina illa premissione, Matth. 18. Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Hunc enim locum de conciliis intelligit synodus chalcedonensis in epist. ad Leonem, et aliae synodi, quas in sequenti libro adferemus.

Secundo, ex facto apostolorum, qui cum possent etiam seorsim singuli definire controversias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, et a Christo ipso demonstratum, non sine concilio controversiam de legalibus Antiochiae exortam definire voluerunt, Act. 15.

Tertio, ex consuctudine totius Ecclesiae, atque omnium saeculorum. Semper enim fuit in Ecclesia ista consuctudo, ut ad res dubias explicandas concilia episcoporum haberentur. Et ipsi etiam romani pontifices nullam unquam haeresim novam sine novo concilio damnaverunt, ut cognoscere poterit, qui vel tomos conciliorum, vel historias Ecclesiasticas evolvere voluerit. Quod autem semper, et ab omnibus factum est, quis negare audebit, ordinarium dici posse, et revera esse?

Sed accedat confirmatio ex Patribus. Cyprianus lib. 2. epist. 1. ad Stephanum: Necesse, inquit, habuimus convenientibus in unum pluribus sacerdotibus cogere, et celebrare concilium. Gela-

sius in tom. de vinc. analhem. Si praecessil, inquit, consensus pontificis, doceatur a quibus, et ubi ille sit gestus, si sceundum Ecclesiae regulam celebratus, si paterna traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus, ubi procul dubie requirendum est, si synodali congregatione celebratus, quod in receptione damnati, et depulsione catholici, quia nova est caussa, fieri certissimum est.

Denique, concilium toletanum XI: in ipsa praefatione multis verbis demonstrat conciliorum in Ecclesia necessitatem. Sed illa summa est, si concilia desint, necesse esse, ut omnia vitiis et erroribus continuo repleantur. Itaque etsi posset Deus per absolutam potentiam suam Ecclesiam sine conciliis conservare: tamen secundum ordinariam providentiam ejus, necessaria concilia sunt ad bonam Ecclesiae gubernationem.

#### CAPUT XII.

#### Cujus sit congregare concilia.

Exposuimus de fine, nunc de caussa efficiente explicemus, oportet. Igitur convenit inter nos, et adversarios concilia dioecesana ab episcopo; provincialia ab archiepiscopo; nationalia a patriarcha, vel primate convocari debere. Id enim cum Augustino epist. 247. ad Victorinum, catholici omnes verum esse fatentur. Item fatetur Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. § 8. et Illyricus Cent. 4. cap. 7. col. 534.

At de concilio generali maxima controversia est; si quidem catholici, munus convocandi concilia generalia ad romanum pontificem proprie pertinere volunt, sic tamen, ut possit etiam alius, pontifice consentiente, concilium indicere, quin etiam satis sit, si indictionem factam, ipse postea ratam habeat et confirmet. At si nec ipse indicat concilium, nec aliquis alius de ejus mandato, vel consensu, nec ipse saltem approbet indictionem, illud non concilium, sed conciliabulum fore.

Haeretici autem hujus temporis eam auctoritatem imperatori attribuunt. Ita diserte Lusherus lib. de concisis pag. 58. ubi etiam dioit, ideo vocari concisia universalia, quia ab universali omnium domino imperatore cogebantur. Carolus Molinaeus in consilio de concisio tridentino non recipiendo § 6. inde probat non esse recipiendum tridentinum concisium, quia non ab imperatore, sed a pontisce indictum suit. Item libellus Protestantium, quo rationem reddunt, cur ad concisium tridentinum non venerint. Idem docent Calvinus et Magdeburgenses loco notato: necnon Brentius in prolegomenis contra Petrum a Soto, et ante hos omnes Nilus in lib. de primatu papae.

Esse autem revera pontificis, non imperatoris congregare synodum generalem, primo demonstrari potest ex divinis literis; nam concilium Ecclesiae non est legitimum: nisi congregetur in nomine Christi, ut dicitur Matth. 18. et Galvinus admittit

lib, 4. Instit. eap. 9. § 1. et 2. congregori autem in nomine Christi, nihil videtur esse aliud, quam congregari auctoritate Christi, hoc est., ab eo, qui a Christo habeat congregandi auctoritatem. Nam quod Calvinus dicit, congregari in nomine Christi, esse ila congregari, ut solus Christus praesideat, et nullum collegam habeat, sed omnes subjectos nec est secundum Scripturas, nec est nota sufficiens ad discernenda legitima concilia: non est inquam, secundum Scripturas; nam in Scripturis, illud. In nomine, ubique fere accipitur pro eo, quod est ex auctoritate, ut Marci ult. In nomine meo daemonia ejicient. Joan. 5. Ego veni in nomine tuo proplietavimus? Actor 4. In qua virtute, aut in quo nomine hoc fecistis? Nec ullus fortasse occurret locus, ubi aliquid facere in nomine Christi significet Christum babere praesidem sine collega. Sed quidquid de boc sit, illud est certum, non posse hac nota discerni legitima concilia; nam verum quidem est in legitimo concilio oportere Christum ita praesidere, ut nullus sit ei collega, sed omnes subjecti; At quis judicabit? Quis discernet, an Christus ita praesideat cum cogitur concilium, an non? Nec enim Christus visibili forma in conciliis praesidet.

Respondet Calvinus: Facile id posse discerni; tunc enim Christum sine collega praesidere, cum totum confessum verbo, et spiritu suo moderatur; hoc est, cum nihil de suo capite, sed omnia secundum Scripturae regulam episcopi definiunt.

At hoo ipsum est ambiguum, et obscurum, nam et adversarii in suis conciliis, et catholici in suis affirmant, so nihil ex proprio capite comminisci, sed omnia ex divinis literis depromere. Quis igitur judicabit, utri verum concilium faciant? Quare si congregari in nomine Christi, est Christum pracsidem habere, ut Calvinus exponit, fieri non potest, ut legitima concilia a non legitimis ulla ratione discornamus. Maneat igitur quod diximus, congregari in nomine Christi, nihil aliud esse, quam ab eo congregari, qui habet a Christo auctoritatem congregandi.

Porro, Christus cum in coelum ascendit, ac visibilem, suam praesentiam Ecclesiae abstulit, non commisit Ecclesiam gubernandam, ac proinde etiam congregandam Tyberio qui tunc imperabat, sed Petro apostolo, cui dixit: Pasce oves meas. Igitur qui congregantur ab eo, qui Petro succedit, in nomine Christi congregantur, non autem ii, qui ab eo congregantur, qui succedit Tyberio. Ad haec, Petrus et qui Petro legitime succedit, pastor est omnium Christi ovium, proinde etiam regum, imperatorum, sacerdotum; omnes enim comprehendit, qui nihil excepit, cum ait: Simon Joannis, pasce oves meas. Unde s. Leo serm. 3. anniversario suae assumptionis: De toto, inquit, mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus apostolis, cunctis Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes-sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. At quis non videt ovi ne conveniat congregare pastores, an Pastori congregare oves? Igitur cum pontifex pastor sit, imperator ovis, non ad imperatorem, sed ad pontificem spectabit munus concilia episcopalia convocandi.

Secundo, concilium generale ab eo indici debet ex auctoritate, qui potest omnes cogere; at nullus unquam imperatorum totam Ecclesiam subjectam habuit, etiam quoad actiones civiles, ut eam habet pontifex quoad actiones spirituales: nam imperatores latissime dominabantur tempore b. Leonis, et b. Prosperi, et tamen tunc major erat orbis christianus subjectus papae, quam orbis romanus subjectus imperatori. Sic enim loquitur s. Leo serm. 1. de ss. Petro et Paulo Per sacram b. Petri sedem caput orbis effecta (Roma) latius praesides religione divina, quam dominatione terrena. Et Prosper libro de ingratis ita canit:

Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris, Facta caput mundo, quidquid non possidel armis, Religione tenet.

Nunc autem imperator, vix unius provinciae episcopos ad concilium eogere posset, nec enim Itali, Hispani, Galli imperatori subjiciuntur, sed habent suos proprios reges, vel principes temporales. Quid si nullus esset imperator, immo etiam nullus princeps christianus, num ideo concilia fieri non possent?

Tertio, concilia provincialia indicuntur a metropolitano et nationalia a primate vel patriarcha, ut supra ostendimus, etiam testimonio adversariorum, igitur concilia generalia non ab imperatore, sed a summo pontifice indicenda sunt. Nam si imperator indicere deberet generalia concilia, deberet rex, aut dux, aut magistratus civilis indicere concilia provincialia, vel nationalia. Ut enim se habet imperator orbis terrarum ad concilium generale, ita se habet rex aut dux unius provinciae ad concilium illius provinciae, vel nationis: quemadmodum igitur fatentur concilia provincialia non convocari a principe illius provinciae politico, sed ab ecclesiastico, cur non eadem ratione fatentur, concilia generalia non debere cogi a principe totius orbis terrae politico, sed ab ecclesiastico? Esse autem papam romanum totius orbis christiani ecclesiasticum principem, paulo ante ex magno Leone audivimus, et nos in libris de pontifice fusissime demonstravimus.

Adde, quod etiam si non esset romanus pontifex, verus princeps et monarcha ecclesiasticus, ut nos docemus, sed esset solum primae sedis episcopus, seu primus inter primarios patriarchas, ut Nilus existimat; adhuc ad eum pertineret jus indicendi concilia generalia. Primates enim non imperant proprie aliis episcopis, et tamen quia primum locum inter episcopos nationis suae tenent, jure suo concilia nationalia indicere possunt. Nam ideo metropolitanus indicit synodum provincialem, quia toti provinciae praeest, at summus pontifex toti orbi praeest, ut patet ex Leone serm. 3. de anniversario die assumptionis suae ad pontificatum, et epist. 84. ad Anastasium in fine.

Quarto probatur, ex illo antiquissimo canone, quo statuitur praeter sententiam romani pontificis non posse concilia celebrari: hunc enim canonem apostolicum esse scribit b. Marcellus papa in epistola ad episcopos antiocheme provinciae. Eundem renovavit concilium nicaenum l. ut testatur synodus alexandrina in epistola ad Felicem, et Julius I. in epist. ad episcopos orientales, cujus meminerunt Socrates lib. 2. cap. 43. Sozomenus lib. 3. cap. 9. et Nicephorus lib. 9. cap. 5. Si ergo sine romani pontificis consensu non licet concilia celebrare, sequitur ejus potissimum esse illa convocare.

Calvinus respondet loco notato, ex illo canone id solum effici, debuisse vocari ad synodum etiam romanum pontificem, quia erat unus ex praecipuis patriarchis. At si ila esset, tunc etiam potuisset fieri canon, ne praeter consensum episcopi alexandrini, vel antiocheni cogeretur concilium; nam isti etiam erant praecipui patriarchae, et romano pontifici aequales, vel majores secundum Calvinum.

Magdeburgenses Centur. 4. cap. 7. col. 533. aliam excogitarunt solutionem. Dicunt enim verba Socratis non significare, praeter romani pontificis sententiam non debere celebrari concilia, sed non debere Ecclesias dedicari. Sic enim in graeco habetur. Μή δείν παρά γνώμαν τοῦ ἐπισχόπου ρώμης κανονίζειν τὰς Εκκλησίας. At falluntur Magdeburgenses, nam κανονίζεν τὰς Εκκλησίας, non potest significare, dedicare templa, sed canonicum coetum convocare, sive concilium indicere, quomodo loquuntur Marcellus et Julius pontifices, qui latine videntur scripsisse, et quomodo in Socrate et Sozomeno latine vertit Cassiodorus in historia tripartita lib. 4. cap. 9. et 19. quomodo etiam intellexit Nicephorus lib. 9. cap. 5.

Sed clarissime res tota ex epistola Julii, quam Socrates adducit, demonstrari potest: siquidem in ea epistola Julius reprehendit orientales, quod sine suo consensu concilium Antiochiae celebrassent. Rationem autem reddere volens, cur merito cos reprehenderet, istum canonem in medium adducit. Vel igitur canon de concilii celebratione intelligi debet, vel stultum sane fuisse Julium necesse est: utrum autem horum sit verius, quis non videt? Adde, quod nullus veterum meminit ejasmodi canonis, quo prohibentur Ecclesiae dedicari praeter sententiam romani pontificis; immo nec fuit unquam, nec est nunc usus in Ecclesia istius canonis.

Quinto probatur, ex concilio chalcedonensi act.

1. ubi Dioscorus alexandrinus jubetur non sedere inter episcopos, eo quod synodum facere ausus fuisset sine auctoritate apostolicae sedis: Quod, inquit, nunquam licuit, nunquam factum est. Simile quid habemus in concilio VII. generali, act.

6. ubi irritum judicatum est concilium quoddam constantinopolitanum, quia sine consensu romani pontificis coactum fuisset ab imperatore.

Sexto probatur, ex concilio romano IV. sub Symmacho, in quo cum rex Theodoricus diceret se synodum convocasse, ut judicaretur caussa Symmachi papae: responderunt episcopi omnes, a papa, non a rege debuisse vocari synodum, etiamsi papa accusaretur. Rex vero ait, se ex voluntate, et consensu pontificis synodum convocasse; episcopi vero non prius acquieverunt, quam rex literas pontificis proferret, et pontifex ipse praesens testaretur ita esse.

Septimo probatur, testimonio antiquorum pontificum. B. Leo epistola ad Turbium, quae est 93. c. 17. Dedimus, inquit, literas ad fratres, et coepiscopos nostros, eisque concilium synodi generalis indiximus. Pelagius II. in epist. 1. ad orientales: Generalium synodorum convocandi auctoritas apostolicae sedi b. Petri singulari privilegio tradita est. Sixtus III. qui et Pelagium, et Leonom praecessit, in epistola ad orientales: Valentinianus, inquit, Augustus nostra auctoritate synodum convocavit. Adrianus II. in epistola ad Basilium imperatorem quae lecta est in VIII. synodo, act. 1. Volumus, inquit, per tuae pietatis industriam Gonstantinopoli numerosum convocariconcilium.

His accedat Valentinianus imperator, qui cum ab episcopis rogaretur, ut permitteret eis concilium celebrare, respondit, ut refert Sozomenus lib. 6. cap. 7. Miki, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari, sacerdotes, quibus ista curae sunt, quocunque voluerint loco conveniant. Accedant ultimo multi alii canones, qui habentur dist. 17. et plurimae rationes, quas facit Joannes de Turrecremata lib. 3. cap. 6. et concilium lateranense ultimum sub Leone X. sess. 11. ubi asseritur, romani pontificis esse, generalia cencilia indicere: quod decretum factum est uno anno, antequam Lutherana haeresis nasceretur.

#### CAPUT XIII.

#### Solvuntur argumenta adversariorum.

Superest argumenta solvere, ex quibus etiam magis confirmabitur veritas. Argumenta Calvini, et Magdeburgensium sumuntar ex indictionibus primorum generalium conciliorum, quae ab imperatoribus, non a pontificibus indicta fuere. de nicaeno I. ait Ruffinus lib. 10. hist. cap. 1. Tum Constantinus apud urbem nicaenam episcopale concilium convocat. Constantinopolitanum 1. testatur Theodoretus lib. 5. histor. cap. 9. a Theodosio seniore indictum fuisse. Ephesinum I. testatur Evagrius lib. 1. cap. 2. hist. nutu Theodosii junioris convenisse. Chalcedonense, testatur b. Leo epist. 43. et aliis nonnullis, a Martiano imperatore imperatum. Sardicense quoque ab imperatore Constantio indictum, testatur Theodoretus lib. 2. cap. 4.

Confirmatur hoc argumentum a Nilo testimonio s. Leonis I. Is enim in epist. 42. ad Theodosium Augustum supplicat imperatori; ut jubeat intra Italiam provinciale convocari concilium. Confirmant idem argumentum Magdeburgenses testimonio Liberii papae, qui apud Theodoretum lib. 2. cap. 16. concessit, in imperatoris potestate esse convocare concilia. Confirmat rursum Carolus Molinaeus in consilio de non recipiendis decretis concilii tridentini, § 6. testimonio s. Hieronymi lib. 2. Apologiae contra Ruffinum, ubi loquens de synodo quadam, sic Hieronymus ait: Dic, quis imperator hanc synodum jusserit convocari? Addamus quartam confirmationem, ex eo, quod simul coeperunt esso imperatores christiani, et cogi generalia concilia; si enim absque imperatoribus celebrari possunt, cur primis trecentis annis nulla celebrate fuerunt? Ad haec respondeo primo: Ista argumenta posse a nobis merito contemni, nam adversarii nostri nolunt argumenta peti efficacia ex traditionibus, aut consuetudine Ecclesiae, sed solum ex divinis literis; ista autem argumenta omnia petita sunt ex mera traditione, et praxi ecclesiastica sine ullo Scripturae testimonio. Secundo dico, posse nos opponere consuetudinem consuetudini; si enim quatuor aut quinque concilia imperatores indixerunt, plura quam duodecim indixerunt pontifices, ut adversarii etiam fatentur. Tertio dico, nullum esse concilium generale catholicum a solo imperatore indictum, idest, sine consensu et auctoritate romani pontificis; id quod breviter de illis quinque singillatim estendo.

Ac primum de nicaeno I. legimus in sexta synodo, act. 18. Constantinum et Sylvestrum magnam synodum apud Nicaeam congregasse. Damasus quoque in pontificali soribit, cum Sylvestri consensu habitum esse in Nicaea concilium. Et Ruffinus lib. 10. histor. cap. 1. dicit Constantinum ex sententia sacerdotum concilium indixisse. Ex quibus non solum habemus quod volumus, sed etiam obiter colligimus falsum esse, quod ait Pighius lib. 6.cap. 1. de ecclesiastica hierarchia, conciliorum generalium convocationem esse inventum magni Constantini; non enim hoc ipse per se exoogitavit, sed sacerdotum sententiam sequutus est.

sacerdotum sententiam sequutus est.

De constantinopolitano I. Theodoretus refert,
Theodosium non tam illud indixisse, quam literas
pontificis Damasi, quibus concilium indicebatur,
ad episcopos misisse. Sic enim scribunt episcopi
congregati in illo concilio ad Damasum pontificem
apud Theodoretum lib. 5. hist. cap. 9. Mandato,
inquiunt, literarum superiore anno a vestra reverentia ad sanctissimum imperatorem Theodosium missarum, ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos praeparavimus.

Licet ergo Theodosius indixerat concilium, tamen indixit ex mandato apostolicarum literarum. Quare in VI. synodo act. 18. Patres dícunt, Theodosium et Damasum obstitisse Macedonio per secundam synodum, sicut paulo ante dixerat, Constantinum et Sylvestrum coegisse primam synodum ut obsisterent Ario.

De ephesino I. Prosper in Chronico indicat synodum ephesinam factam esse Cyrilli industria, et Coelestini auctoritate. Constat etiam ex Evagrio lib. 1.cap. 4. et ex epistola Coelestini ad Cyrillum, quae habetur inter opera Cyrilli, et ex Photio in lib. de septem synodis, Cyrillum profectum esse ad concilium tanquam legatum apostolicae sedis, quod est argumentum certum eam synodum non sine consensu pontificis coactam esse.

De chalcedonensi patet ex epist. Martiani imperatoris ad Leonem papam, quae habetur ante concilium chalcadonense: in qua imperator indicturus concilium, rogat pontificem, ut ipse veniat, et concilium faciat, vel si nolit venire, per literas significet, quid agi velit: et in fine concludit, se scripturum ad omnes episcopos, ut ad certum locum conveniant: Et quae Christianorum, inquit, religioni, cique catholicae fidei prosint, sicut sanctitas tua secundum ecclesiasticas regulas definivit, sua dis-

positione declarent. Extat etlam inter epistolas ad chalcedonense concilium pertinentes, quaedam epist. episcoporum secundae Mesiae ad Leonem imperatorem, ubi sic ajunt: In Chalcedonensium civitate multi sancti episcopi convenerunt per jussionem Leonis romani pontificis, qui vere caput est episcoporum.

Denique Gelasius in epistola ad episcopos Dardaniae, dicit, solam apostolicam sedem, ut synodus chalcedonensis fieret, sua auctoritate decrevisse. Ubi Magdeburgensium lapsus notandus est, qui Centur. 5. cap. 7. col. 786. non intelligentes quid illud (sola) excluderet, putaverant Gelasium esse impudenter mentitum. Sed Gelasius per (sola) non excludi imperatorem, sed alias sedes episcopales. Non enim sedes alexandrina, vel antiochena, vel hierosolymitana, aut etiam constantinopolitana, sed sola romana sedes eam synodum fieri voluit, et re ipsa effecit, quanquam non sine ope pii imperatoris Martiani.

De sardicensi cencilio, quod a Julio papa indictum fuerit, potest intelligi ex Socrate lib. 2. cap. 16. ubi dicit, orientales episcopos culpam absentiae suae a sardicensi concilio in Julium episcopum romanum contulisse, eo quod nimis angustum tempus praescriptum esset. Ex quo apparet, non ab imperatore solo, sed etiam a Julio pontifice, et ab eo potissimum concilium indictum.

Habemus ergo prima illa concilia ab imperatoribus indicta fuisse, sed ex pontificum sententia, et consensu. Cur autem tunc non solus pontifex indixerit, ut postea factum est, ratio non erat, quia sine auctoritate imperatoris concilium coactum, non esset futurum ratum apud Christianos, ut somniant adversarii, cum aperte dicat Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes: Quando unquam judicium Ecclesiae ab imperatore auctoritatem habuit? Sed propter multas alias justissimas caussas; quarum prima erat, quia tunc adhuc vigebat lex illa imperialis antiqua, quae prohibebat omnia collegia, et frequentes hominum conventus sine imperatoris auctoritate, eo quod metuerent imperatores, ne seditio aliqua fieret. Vide l. 1. ff.de collegiis illicitis, et l. conventicula, C. de episcopis et clericis.

Secunda, quia etiam si lex illa non fuisset, cum imperatores eo tempore in magna pace orbis terrae imperarent, non poterat fleri concilium nisi in aliqua urbe imperiali, nulla autem ratio sinit, ut in aliquo loco ex toto orbe conventus flat sine licentia domini illius loci, sicut etiam modo, si concilium non fleret in terris pontificis, sed in Gallia, Hispania, vel Germania, sine dubio peteretur consensus ejus, cujus est illa civitas, vel provincia.

Tertia, quia eo tempore concilia generalia flebant sumptibus publicis, praesertim quoad transvectiones episcoporum ad locum concilii; vehebantur enim equis, aut vehiculis civitatum, sine dispendio Ecclesiarum, ut constat ex lib. 3.de vita Constantini. Ubi etiam Eusebius addit, toto tempore concilii imperatoris sumptibus omnes episcopos vixisse. Idem etiam patet ex Theodoreto lib. 2. cap. 16. ubi cum Liberius peteret generale-concilium, respondit quidam, non sufficere censum publicum subve-

ctioni episcoporum. Item ex epist. Constantini IV. ad pontificem romanum, quae habetur initio sextae

synodi, idem patet.

Quarta ratio est, quia eo tempore pontifex etsi in spiritualibus esset caput omnium etiam imperatorum tamen in temporalibus subjiciebat se imperatoribus, et ideo non poterat invito imperatore aliquid agere; et cum tantum debuisset petere ab imperatore auxilium ad convocandam synodum, vel ut permitteret synodum convocari, tamen quia dominum suum temporalem eum de facto agnoscebat, supplicabat, ut juberet convocari synodum. At post illa tempora istae omnes caussae mutatae sunt nam nec illa lex nunc viget, nec imperatores in toto orbe dominantur, nec sumptibus publicis flunt concilia, nec sunt gentiles, qui impedire possint, et pontifex, qui est caput in spiritualibus, non est subjectus in temporalibus, cum etiam ipse in suis provinciis sit princeps supremus temporalis, sicut sunt reges et principes alii, id quod divina providentia factum est, ut pontifex libere munus suum exequi

Ad primam confirmationem ex Nilo,cujus librum in latinam linguam Illyricus vertit, respondeo, duas fraudes in eo testimonio s. Leonis, quod ipsi proferunt, inesse; unam Nili, alteram Illyrici. Nam s. Leo in epist. 24.et 25.ad Theodosium disertis verbis petit generale concilium: Generalem, inquit, synodum jubeatis intra Italiam celebrari. Nilus autem banc sententiam graece referens, pro generalem posuit iduxiv, idest, propriam seu specialem, cum dicere debuisset ὁιχουμενικήν. Et quia verbum illud Nili iduxy potuisset in bonum sensum exponi, ut significaret synodum specialem, idest, speciali de caussa congregatam, Illyricus ad tollendam omnem ambiguitatem , illud Nili ίδικην vertit provincialem, ut necessario cogeremur intelligere synodum non generalem, sed particularem, a s.Leo-

ne postulatam ab imperatore.

At refellitur ista fraus, tum ex verbis Leonis jam citatis, tum etiam ex epistola Valentiniani ad eundem Theodosium, quae habetur inter praeambulas ad concilium chalcedohense, ubi Valentinianus de eodem cuncilio loquens dicit, s. Leonem voluisse intra Italiam ex toto orbe episcopos convenire. Denique illa ipsa epistola Leonis ad Theodosium, qua concilium intra Italiam postulatur, nomine synodi provincialis Romae jam convocatae scripta est: sic enim habet inscriptio: Leo episcopus, et sancta synodus, quae in urbe Romae convenit Theodosio semper Augusto. Si ergo Leo synodum provincialem jam intra Italiam convocaverut, cur id ab imperatore postularetur? Cur autem generalem synodum ab imperatore peteret, jam dictum est.

Ad alteram confirmationem dico, mentiri Magdeburgenses, cum dicunt, Liberium concessisse imperatori potestatem convocandi synodum, idest, agnovisse illam potestatem propriam esse imperatoris. ut ipsi intelligunt. Nam in toto illo dialogo Liberii cum imperatore, nulla mentio fit hujus quaestionis: cujus sit convocare synodum; sed tantum Liberius petit ab imperatore potentissimo, et Ariano, ac proinde sibi infesto, ut fieret synodus, quia sciebat invito imperatore fieri non posse.

Ad tertiam confirmationem dico, Hieronymum illud dicere, quia revera tune ob caussas dictas imperatores synodes convocabant, licet non sine consensu pontificum.

Ad quartam confirmationem dico, ante Constantinum non esse facta ulla generalia concilia, non quia deesset auctoritas, sed quia deerat opportunitas; nec enim Christianis licebat ex multis provinciis in unum locum convenire propter assiduas persequationes, ut adnotavit Isidorus lib.6. Etymolog. 229. 16.

#### CAPUT XIV.

#### Explicantur dubitationes quaedam.

Praeter haec argumenta haereticorum solent catholici quaedam dubia proponere. Unum, an non liceat concilium indici ab alio, quam a papa, quando sit necessarium Ecclesiae, ettamen papa nolit illud indicere. Alterum, an non liceat concilium indici ab alio quam a papa, quando papa non debeat illud indicere, eo quod sit haereticus vel schismaticus. Tertium dubium, an non liceat concilium indici ab alio, quam a papa, quando papa non posset illud indicere, eo quod esset captivus apud infideles, vel mortuus, vel insanus effectus, aut renunciasset.

Ad primum respondet Turrecremata lib. 3. cap. 8. vix esse possibilem eum casum; non enim credibile est, ullum pontificem fore tam malum, qui non velit concilium celebrari, si aperte constet id esse necessarium Ecclesiae conservationi. Quod si eliam ipse ex se talis esset, tamen Deus, qui Ecclesiam conservat, sine dubio, vel ejus mentem mutaret, vel etim de medio tolleret. Dicit secundo, si nibil horum fieret, posse eum haberi tanquam suspectum de haeresi; nam ut dicitur dist. 83. can. Error, et aliis sequentibus, qui errori manifesto nou resistit, cum possit et debeat, eum approbare censetur.

Ad secundum et tertium respondêo: In nullo casusine pontificis auctoritate posset convocari verum et persectum concilium, de quali hic nos disputamus, quod videlicet auctoritatem habet definiendi quaestiones fidei. Praecipua enim auctoritas est in capite, sive in Petro, cui imperatum est. ut confirmet fratres suos, et ideo etiam pro eo Dominus oravit, ne desiceret sides ejus, Luc. 22. Poterit tamen in illis duobus casibus congregari concilium imperfectum, quod sufficiet ad providendum Ecclesiae de capite. Ecclesia enim sine dubio habet auctoritatem providendi sibi de capite, quamvis non possit sine capite statuere de multis, de quibus potest cum capite, ut recte docet Cajetanus in opusculo de potestate papae c. 15. et 16.et multo ante presbyteri romanae Ecclesiae in epistola ad Cyprianum, quae est 7. lib. 2.in operibus Cypriani. Porro concilium istud imperfectum, fieri poterit, si vel indicatur a collegio cardinalium, vel ipsi per se episcopi in locum unum conveniant.

#### CAPUT XV.

#### Quoniam sint ad concilium convocandi.

Disseruimus hactenus de caussa finali et efficiente conciliorum; nanc de his, ex quibus concilia praecipue constant, quia quasi materia dici possunt, differendum est. Sunt autem initio annotanda duo. Unum est, Ecclesiam universam qualuor contineri hominum generibus; sunt enim aliqui clerici, aliqui laici, et rursum ex clericis, alii praelati, alii non praelati, item ex laicis alii principes, alii privati: Haec distinctio, tametsi ex parte ab hacreticis hujus temporis non recipiatur, tamen ex parte etiam recipitur; nam illi etiam fatentur esse quosdam certos homines dedicatos ministerio Verbi, quíbus ex officio convenit docere, et pascere populum, quos ipsi ministros vocant, et rursum inter eos alios esse majores, quos vocant superintendentes, alios minores, quos tantum ministros appellant.

Alterum est, in conciliis multis de caussis aliquos interesse posse: alii enim intersunt, ut judices, qui dicuntur habere suffragium decisivum, alii ut disputando examinent difficultates, qui dicuntur habere suffragium consultivum: alii ut ministrent, quales sunt notarii, custodes et alii, ut defendant concilium et dent operam, ut intus et extra omnia sint pacata. Quaestio igitur est, qui sint ex illis quatuor hominum generibus vocandi ad concilium, et qua

de caussa.

Adversarii nostri duo dicunt. Primum, ex omni genere hominum debere interesse cos, qui eruditi sunt, et omnes debere esse judices, atque habere suffragium decisivum, quidquid sit de aliis muneribus. Ita diserte scribit Lutherus in lib.de conciliis par. 2. pag. 264. ubi vult ex omnibus locis debere congregari ad 300. homines doctos in sacra Scriptura. Idem scribunt Protestantes in eo libro, quem inscripserunt; Caussa cur electores, et caeteri Confessioni Augustanae addicti, ad concilium tridentinum non accedant. Postquam enim dixerant, primam caussam esse, quia concilium fuerat indicium a pontifice, ponunt secundam caussam, quia in eo non habuerant suffragium nisi cardinales, episcopi. abbates et generales ordinum, cum debuissent omnes viri docti etiam laici suffragium habere decisivum. Idem prorsus docet Carolus Molinaeus in suo consilio de concil. trident. non recipiendo, § 28. Idem Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 9. col. 548. ubi explicant historiam concilii apostolorum, de quo Actor. 15. et dicunt in eo concilio, postquam dictae sunt sententiae.a tota Ecclesia collata fuisse suffragia, et omnium judicio definitum, hominem justificari sola fide sine operibus.

Secundo dicunt, concilium Ecclesiae non constare nisi ex vere, piis et electis, id quod aperte docet Brentius in Confessione Wirtenbergensi, capite de conciliis, ubi postquam dixerat concilia debere cedere Scripturis, reddit rationem, quia de Scripturis certi sumus, quaenam sint, et quod sint infallibilis veritatis; at de conciliis non item, quia non quilibet coctus hominum est vera Ecclesia, cum non omnium sit fides, neque omnes sint electi. Idem enam tenentur dicere Confessionistae et Calvinistae, qui, ut infra videbimus, solos efectos et sanctos ad Ecclesiam pertinere volunt, et certe concilium Ecclesiae nonnisi ex hominibus Ecclesiae constat.

At catholicorum sententia est, solos praelatos majores eosque omnes, idest, episcopos in conciliis generalibus et provincialibus habere jus suffragii decisivi ordinarie, ex privilegio autem et consuetudine, etiam cardinales, abbates et generales ordinum, licet episcopi non sint; Ex presbyteris autem et aliis clericis minoribus tantum vocari aliquos viros doctos, qui juvent in disputando, vel aliis ministeriis; principes autem vocari, tum ut concilium defendant, tum ut testes et conscii decretorum concilii, postea transgressores et contumaces peenis corporalibus puniant. Denique, ex privatis laicis tantum vocari aliquos, qui videantur utiles, vel necessarii ad aliquod ministerium concilii. Hanc sententiam esse catholicorum, patet, tum ex personis, quae interfuerunt concilio tridentino, tum ex Joanne de Turrecremata lib. 3. cap. 12. et 15. et aliis catholicis auctoribus.

Nunc ad probationem accedamus sententiae nostrae et refutationem contrariae. Ac primum sententia illa posterior non eget refutatione, tum quod refutanda sit in quaestione de Ecclesiae definitione, tum etiam, quod tam falsa sit, ut seipsam destruat; nam quod dicit, concilium constare ex electis et sanctis, affirmat aliquod esse concilium, et nullum esse concilium; nam ponit esse concilium, dum explicat, ex quibus hominibus constet; Immo Brentius adeo praesupponit esse, ut dicat, magnam esse auctoritatem conciliorum; et tamen cum dicit ex electis constare, cogitar dicere, nullum esse concilium. Concilium enim facere, est homines inter se conjungi et coire in unum, electi autem in hoc mundo non possunt inter se conjungi, cum nemo sciat, quinam sint electi. Quod si qui adversariorum non requirunt in veris Ecclesiae membris electionem, requirunt tamen internam fidem ac pietatem, ac proinde non poterunt unquam ostendere ullum concilium, quod certo dici possit christia-num concilium, cum internam fidem ac pietatem in aliis nemo videat.

Prior autem sententia refellenda nunc est. ac primo, ratione desumpta ex Scriptura sancia. Definire in conciliis ea, quae sunt credenda, vel agenda, proprium est munus pastorum; id enim proprie est pascere; est'enim docere, et docere ita, ut ieneantur alii credere. Porro docere, esse pascere. patet Hierem.3. Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Item ad Ephes. 4 Alios autem pastores et doctores. Ubi notat Hieronymus in hunc locum, et Augustinus epist. 59. ad Paulinum, conjunctum esse nomen pastoris cum nomine doctoris, quia proprium est pastorum docere: At non sunt pastores laici, nec ecclesiastici quicunque, sed soli episcopi; sic enim legimus Actor. 20. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ec; clesiam Dei. Et Joan. ult. Petro dicitur: Pasce oves

Si quis autem contendat, omnes Christianos esse

episcopos, et auod dictum, est Petro, omnibus Christianis esse dictum; is demonstrare debebit, quinam sint illi, qui in Ecclesia dicuntur oves. Si enim omnes sint pastures, ubi oves? Quod si quidam sunt pastores, idest, episcopi, et quidam oves, idest laici, et soli pastores in conciliis convenire debent, ut definiant, quae sint bona pascua, quae vero noxia; certe sequitur, non laicorum, sed sacerdotum esse concilia. Adde, quod Philippus in Locis. cap. de numero sacramentorum, et Calvinus lib. 4. Institut. cap. 14. § 20. ponunt ordinationem pastorum, qui dedicantur ad pascendum, idest, docendum populum, inter sacramenta Ecolesiae. Et aperte dicit Calvinus, hoc sacramentum non esse commune toti Ecclesiae, sed tantum quibusdam, qui per illud initiantur. Proinde ex corum confessione, laici non ordinati non sunt pastores, sed oves tantum; ergo non convenit eis docere, praesertim ea auctoritate, ut sit in conciliis.

Probatur secundo, testimoniis veterum. Prima concilia in Ecclesia celebrata fuerunt tempore Victoris papae, super quaestione paschatis; de iis sic loquitur Eusebius lib. 5. hist. cap. 23. Ob quam caussam, inquit.conventus episcoporum, et concilia per singulas quasque provincias convocantur. Haec ille. Qui non quorumvis eruditorum, sed episcoporum dicit congregata esse concilia. Quod idem docent Cyprianus in initio epistolae ad Jubajan. Hilarius lib. de synodis, Ambrosius epist. 32. Hieronymus lib. 2. Apologiae contra Ruffinum, Augustinus epist. 119. Leo epist. 16. et seq. Ruffinus lib. 10. hist. cap. 1. Athanasius in epist. ad solitarium vitam agentes, aliique Patres, qui passim asserunt, concilia episcoporum esse.

Proeterea Theodosius junior in epist, ad ephesinam synodum, quae exstat in 1.tomo ejus concilii c. 32. Illicitum est, inquit, eum, qui non sit in ordine sanctissimorum episcoporum, ecclestasticis immisceri tractatibus. Pulcheria quoque imperatrix in epist. ad Strategum Bithyoiae, quae habetur ante concilium chalcedonense, jussit, ut clerici, monachi et laici eliam vi repellerentur a concilio, exceptis paucis illis, quos episcopi secum duxerunt. In concilio chalcedonensi, act. 1. eum ad Martinum archimandritam mitteretor, ut subscriberet, respondit, non esse saum, sed episcoporam tantum subscribere. Et in eodem concilio cum pro Dioscoro monachi et laici ingressi essent, saepius Patres clamarunt: Mitte forus superfluos, concilium episcoporum est.

Tertio probatur ex conciliis hactenus celebratis: nam omnium conciliorum decreta ab episcopis solis facta esse, patet ex subscriptionibus, ubique enim inveniuntur soli episcopi subscripsisse, exceptis paucis generalibus, quibus imperator etiam subscripsit, sed alia forma, quam episcopi. Episcopi enim definiendo ut judices, imperatores consentiendo subscripserunt; et quibusdam etiam paucissimis, ut florentino, lateranensi et tridentino, quibus subscripserunt abbates et generales ordinum. Caeteri, quamvis optimi et doctissimi essent, numquam sunt admissi, nisi ad consultandum, excepto concilio basileensi, ubi presbyteri admissi sunt ad suffragium decisivum, sed perperam et contra mo-

BELLARMINI. Vol. II.

rem omnis antiquitatis. Nee illud concilium fuit legitimum, ut supra diximus.

Quarto probatur rationibus; nam in primis negotia ecclesiastica et publica, a personis ecclesiasticis et publicis tractanda sunt, ut notum est ; tales autem soli sunt episcopi. Deinde, si omnes homines docti admitti deberent, vel nomquam essent concilla generalia, quia vix possent omnes dooli totius Ecclesiae convocari; vel si tandem congregarentur, esset impossibile regere tale concilium, propter nimiam multitudinem. Praeterea tanc sine dubio plures essent in concilio inferiores, quam superiores; et proinde tunc vere vinceret major sententia meliorum, et in Ecolesia regerentur superiores ab inferioribus, non e contrario, quod absurdissimum est. Item si ita esset, tunc facile posset unus princeps, in cujus regione sit concilium, definire quidquid vellet; posset enim facillime colligere omnes presbyteros et doctos homines suae provinciae, et concilium introducere id, quad non possent alii principes, qui longe abessont. Denique, nulla est respublica, quae ratione naturali docente, non habeat aliquem ordinem in comitiis, ita ut non quicumque de plebe, sed tantom princi-pes et capita caeterorum, locum et suffragium habeant.

# CAPUT XVI.

#### Solvantur objectiones adversariorum.

At objicitur primo a protestantibus in libello, qui inscribitur, Caussa etc. testimonium Lucae, Act. 15. ubi s. Lucas loquens de primo concilio apostolorum, ait: Convenerum apostoli et seniores videre de verbo hoc. Et infra: Tunc placuit apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia; abi videmus, non solum apostolos, sad etiam presbyteros et laicos in primo concilio adfuisse.

Respondeo: In isto concilio interfoisse apostolos. tanguam judices, ad definiendum, presbyteros autem ad consultandum; plebem autem non esse vocatam, sed tamen adfuisse et consensisse, non quidem definiendo, vel disputando, sed tantum audiendo, et non reclamando; quod ita esse probatur dupliciter. Primum, ex consuetudine Ecclesiae. quae est optima Scripturarum interpres; nam cum in omnibus conciliis, quae post apostolica tempora sunt celebrata, hunc ordinem observatum esse constet, ut soli episcopi fuerint judices,licet praesen• tes adfuerint multi alfi, vel clerici, vel laici, idem omnino in spostolico concilio servatum esse credere debemus. Nec enim Ecclesia universa, ao pruesertim primis illis temporibus, ab apostolorum exemplo et traditione discessisset.

Deinde, hoc idem ex ipso contextu demonstrari potest: nam quod apostoli et presbyteri tantum rocati sint, patet ex eo, quod ibi dicitur: Convenerunt apostoli et seniores videre de verbo hoe; ubi nulla mentio sit plebis. Deinde, quod tam apostoli, quam seniores loquuti sint, donec discutiebatur controversia, colligitur ex verbis illis: Et cum magna disquisitio fieret; quod vero post disputationem, in qua apostoli et presbyteri loquuti erent, soli apostoli sententias definitivas dixerint, patet ex eo, quod soli Petrus, Paulus, Barnabas et Jacobus introducuntur a Luca loquentes. Et quod nulli alii sententias dixerint, patet ex continuatione textus; nam post Petri sententiam, mox subditur: Tacuit autem omnis multitudo, et audiebat Paulum et Barnabam. Deinde subditur: Et postquam tacuerunt, nimirum Paulus et Barnabas, respondit Jacobus dicens, et mox finita Jacobi oratione subjungitur: Tunc placuit apostolis etc.

Itaque mendacium est, quod Magdeburgenses dicunt, omnes qui ibi erant, sententiam suam dixisse, quod autem sequitur: Placuit apostolis et senioribus cum omni Ecclesia, intelligitur de consensu tacito, qui debet dari ab omnibus, qui sunt in concilio. Vide concilium carthaginense in operibus Cypriani; nam etiam in eo concilio adfuerunt cum episcopis etiam presbyteri, diaconi et laici, permutti, et tamen soli episcopi sententias dixe-

rant.

Secundo, objiciunt iidem ibidem: Concilium generale universam Ecclesiam repraesentat, ergo debent esse ibi homines ex omni genere, idest episcopi, presbyteri, principes, privati, clerici, laici, etc.

Respondeo: Multis modis posse aliquid repraesentari, sed optimum modum esse, quo per principes repraesentantur popull. Sicut enim in comitiis generalibus multorum statuum congregari solent consules vel domini civitatum, sic in comitiis Ecclesiae generalibus congregantur omnes episcopi: nam quilibet episcopus personam gerit suae Ecclesiae, ut patet ex Cypriano lib. 4.epist. 9. ubi dicit, Ecclesiam esse in episcopo. Quare Eusebius lib.3. de vita Constantini, concilium episcoporum 318. vocat conventum orbis terrarum. Et Augustinus lib. 1. de baptismo, cap. 18. ejusdem concilii episcoporum consensum, vocat totius Ecclesiae consensum.

Terio, objiciunt iidem ibidem; communis caussa communibus votis et viribus juvanda est, sed caussa fidei est communis omnibus Christianis; nec enim minus fides ad laicos, quam ad clericos pertinet; igitur ad concilia etiam laici convocandi sunt. Respondeo: Caussam fidei ad omnes pertinere, sed diverso modo; nam ad praelatos pertinet, at doctores; ad eaeteros, ut discipulos; sicut in bello caussa victoriae ad totum exercitum pertinet; tamen ducum est praeciperé et ducere exercitum, caeterorum pugnare.

Si quis objiciat illa verba Nicolai I.in epistola ad Michäelem, quae habentur etiam dist. 96. can. Ubinum: Ubinam, inquit, legistis, imperatores antecessores vestros synodalibus conventibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est, qua universalis est, quae commum communis, quae non solum ad clerisos, verum etiam ad laicos, et omnes omnino pertinet Christianos? Responderi potest, Nicolaum ex eo, quod fides communis est omnibus, recte collegisse, imperatorem debere interesse, non quidem

ut judicem, sed ut eum, cui incumbit defendere communem fidem edictis ac legibus; et si 'oporteat, etiam gladio.

Quarto, objiciunt iidem, et Carolus Molinaeus locis notatis, necnon Brentius in Gonfessione Wirtembergica, cap. de conciliis, et Hermannus Hamelmannus lib. 3. prolegomenorum, cap. 6. saepe unius honninis etiam laici sententia praeposita est sententiae totius concilii, quia Scripturae auctoritate magis munita erat, et sine dubio etiam deinceps praeponenda est; Ergo debent ad concilium

vocari etiam laici, et quicumque alii.

Antecedens probant, primo ex Gratiano 36.q. 2. ean. ult. ubi legimus Hieronymi auctoritalem. Scriptura sacra munitam, toti concilio generali praejudicasse. Secundo, ex Panormitano in cap. Significasti, de electione, et ex Joanne Gersone par. 1. de examinatione doctrinarum: quorum ille dicit, unius privati sententiam praeponendam esse sententiae papae, si ille privatus moveatur melioribus auctoritatibus Testamenti veteris et novi; iste autem docet, quemenque hominem doctum posse et debere toti concilio resistere, si videat illud ex malitia, vel ignorantia errare.

Confirmatur hoc argumentum, quia ratio, cur episcopi praecipue vocentur, est, quia existimantur esse doctiores caeteris; si ergo multi laici inveniantur doctiores episcopis, vel aeque docti, cur

non vocabuntur ad concilium?

Respondeo ad primum:Sententiam unius privali posse anteponi sententiae concilii generalis ante definitionem, dum caussa discutitur; in discussione enim eruditio, non auctoritas personae primas tenet; praeterea etiam post definitionem, quando constat, concilium fuisse illegitimum: at nullo mo-

do post definitionem concilii legitimi.

Ad illud ex Gratiano, dico primo, mentiri Hermannum, cum ait, secundum Gratianum anteponi Hieronymum concilio generali; non enim de generali, sed de particulati loquitur Gratianus. Secundo dico, illa verba, quae Gratianus Hieronymo tribuit, nusquam inveniri in operibus Hieronymi, nec videri ejus verba. Tertio dico, Gratianum eo loco lapsum esse. Non enim pugnant Hieronymus, et concilium, ut Gratianus putavit. Hieronymus enim tantum dixit, secundum legem veterem licuisse raptori ducere in uxorem mulferem a se raptam, si pater ejus consentiat; concilium autem statuit, ut non obstante lege illa veteri, quae judicialis est, et Christianos non obligat, non liceat raptori in uxorem ducere eam, quam rapuit.

Ad illud ex Panormiano et Gersone, dico primo, eos loqui conditionaliter, sicut apostolus, cum ait ad Galat. 1. Si nos, aut angelus de coelo evange-lizet etc. Sicut ergo ex conditionali sententia apostoli non licet colligere, ergo apostoli et angeli poterant evangelizare aliquid contrarium evangelio Christi, ita quoque ex eo, quod Panormitanus et Gerson diount, licere unicuique resistere concilio, aut papae, si eos errare videat; non licere colligere, ergo absolute concilia et pontifices errare possunt, et ideo privati homines ad concilia vocandi sunt. Dico secundo, eos loqui de resistentia, quae potest fieri concilio vel papae, tempore discussio-

nis ante decisionem, vel etiam postea, quando concilium est illegitimum.

Ad confirmationem dico, episcopos quidem debere eligi quam doctissimos et optimos, tamen eos auctoritatem judicandi habere, non quia docti sunt, sed quia sunt personae publicae, idest, principes habentes ecclesiasticam jurisdictionem; quemadmodum etiam in principibus et judicibus saecularibus, requiritur quidem jurisprudentia et probitas, tamen non propterea licebit privato homini meliori, et doctiori deturbare principem, aut judicem de

sua sede, et cam occupare.

Quarto, objicit Hermannus Hamelmannus lib. 3. prolegomenor. cap. 10. multa veterum testimonia. qued coram populo tanguam judice caussae fidei disputatae sint. Sic enim disputarant apostolus Petrus et Simon magús, apud Clementem lib, 1. et 2. Recognitionem; Archelaus episcopus et Manichaeus, apud Epiphadium haeresi 56. Sylvester papa et Judaei, apud Zonaram in vita Constantini; Athanasius et Arius, apud Vigilium episcopum tridentinum; Augustinus et Maximinus, apud Augustinum lib. 1. cap. 1. cont. Maximin. Quod eliam in micaeno concilio multi fuerint laici docti et eloquentes. patet ex Nicephoro lib. 8. cap. 14. Denique, quod populus sit judex, diserte habet Ambrosius in epist. 32. ubi sic loquitur: Caussam fidei, inquit, in Ecclesia agendam quis abnual? Si quis considit, huc veniat. Et paulo post: Iste populus judicat, cujus in corde lex divina est, non humana: Lex non atramento scripta, sed Spiritu Dei vivi. Et infra: Sed Auxentius, inquit, certus non ignaros vos esse fidei, vestram refugit examen.

Pro solutione duo notanda sunt. Primo, duplex esse judicium, publicum et privatum. Publicum est, quod profertur a publico judice cum auctoritate, ita ut teneantur caeteri illi judicio acquiescere. Privatum est, ea sententia, quam quisque eligitut veram, sed neminem obligat; quomodo in disputationibus theologorum et philosophorum, auditores sunt judices; audita enim utraque parte eligunt quod volunt, sed neminem cogere possunt, ut similiter

sentiat.

Nota secundo, judicium publicum in caussa fidef numquam esse tributum populo, judicium autem privatum aliquando esse tributum etiam a piis et sanelis hominibus; sed tunc solum, cum oliud fieri non potait: tenentur enim populi sequi judicium pastorum suorum; tamen quando haeretici impune versantur cum catholicis, et multos seducunt, expedit quandoque publicas disputationes coram populo cum eis inire, et relinquere judicium populo, ut sequatur, quos viderit melioribus rationibus niti: quomodo fecit Helias lib. 3. Reg. cap. 18.qui cum non posset aliter revocare populum a cultu Baal, instituit certamen cum prophetis Baal, praesente populo, et sit: Qui exaudierit per ignem, ille sit Deus. Si Dominus est Deus, sequimini illum, si Raal est Deus, sequimini cum.

His nolatis, dico ad illa omnia loca, in illis disputationibus datum esse populo judicium privatum, nen publicum, et hoc quia non poterat aliter seri. Id quod ex illa epist. 32. Ambrosii intelligi potest. Sic enim ait: Veniant plane si qui sunt, ad Eccle-

siam, audiant cum populo, non ut quisquam judex resident; séd unusquisque de suo affectu habeat examen, et eligat quem sequatur. Ubi vides negari populo judicium publicum, tribui privatum. Cur autem tribueretur privatum, caussa erat, quia tunc Mediolani imperator Arianis favebat, nec poterat aliud obtineri. Hoc in genere ad illa omnia loca dici potest. In particulari autem, ad illud de nicaeno concilio, sciendum est, laices non esse vocatos, nec interfuisse actis concilii; sed per se vénisse, ut extra concilium disputarent cum episcopis, quos audierant ex toto orbe eo convenisse. Vide Ruffinum lib. 10. cap. 3.

#### CAPUT XVII.

Quot episcopi requirantur ad generale concilium.

Praeter hace argumenta hacreticorum, movent catholici unum dubium de his, qui interesse debent in concilio; nam vel ad generale concilium faciendum requiruntur omnes episcopi totius orbis, vel aliqui tantum; si omnes, nullum fuit ergo hactenus concilium generale, neque etiam videtur deinceps futurum; si aliqui tantum, quinam illi sunt? non enim videtur major ratio de uno, quam de alio.

Respondeo: Non posse istam quaestionem solvi melius, quam ex consueludine Ecclesiae, et ex iis conciliis, quae omnium consensu generalia fuerunt, qualia sunt quatuor prima. Ex consueludine autem Ecclesiae colligimus quatuor conditiones et sufficere et requiri ad generale concilium. Prima est, ut evocatio sit generalis, ita ut innotescat omnibus majoribus Christianis provinciis. Id enim constat semper fuisse servatum, adeo ut septima synedus, act. 6. ideo judicaverit concilium constantinopolitanum contra imagines, non fuisse generale, quia non exiit sonus ejus in omnem terram.

-Secunda, ut ex episcopis nullus excludatur, undecumque veniat, modo constet eum esse episco-

pum et non excommunicatum.

Tertia, ut adsint per se, vel per alios, quatuor praecipui patriarchae, praeter summum pontificem, videlicet constantinopolitanus, alexandrinus, entiochenus, hierosolymitanus, quia istis suberant omnes alii episcopi.Id patet tum ex usu,tum ex VII. synodo, act. 6. ubi censetur, constantinopolitánum contra imagines, non fuisse generale conoilium, quia non habuit patriarchas:et in VIII. synoco:act. 9. recipitur onm gaudio vicarius patriarchae alexandrini, tanquam sine illo aliquid defuisset synodi plenitudini. Porro haec tertia non emnino necessaria, sed tantum act bene esse judicabatur; nam synodus tertia sine patriarcha antiocheno damnavit Nestorium constantinopolitanum; et synodus chalcedonensis, sine patriarcha alexandrino omnia fere conclusit; et nunc non sunt necessarii isti patriarchae, quia haeretici vel certe schismatici sunt.

Quarta, ut saltem ex majori parte christianarum provinciarum aliqui adveniant, et si quidem concilium fit in oriente, semper visum est sufficere, si ex provinciis emnibus orientis episcopi conveniant multi; ex toto autem occidente mittantar anqui a

summo pontifice, qui suppleant aliorum locum. Et e contrario, si celebretur in occidente, conveniant, ex omnibus provinciis occidentis multi; ex oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum. Sic in concilio nicaeno I.ex occidente solum fuerunt duo presbyteri missi ex Italia, unus episcopus ex Gallia, unus ex Hispania, unus ex Africa. In concilio II.et III.nulli fuerunt ex occidente, sed tamen pontifices Damasus et Coelestinus concilia illa confirmarunt, nomine suo, et alforum episcoporum occidentis, quos ipsi Romae collegerant. In concilio IV. solum fuerunt legati Leonis, et praeterea misit ipse consensum aliorum episcoporum Hispaniae, Galliae et Italiae, qui in suis provinciis celebratis conciliis ad Leonem scripserant, se in omnibus sententiam ejus sequi. Vide tomos conciliorum.

E contrario vero ad concilia occidentis, ut lateranense sub Innocentio III. lugdunense, sub Gregorio X. viennense, sub Clemente V. ac nuper tridentinum venerunt episcopi frequentes ex toto occidente, ex oriente vero pauci quidam dumtaxat. Ex quo sequitur, posse interdum concilia nationalia esse multo majora generalibus, quoad numerum episcoporum, et tamen minora quoad auctoritatem; nam concilium II. tantum habuit 150. episcopos ex variis provinciis, et nationibus, et concilium carthaginense nationale ex sola Africa, tempore b. Augustini, habuit episcopos 217. ut refert Prosper in Chronico anni 420.

CAPUT XVIII.

Episcopos in conciliis non consiliarios, sed judices esse.

Sequitur postrema quaestio de forma conciliorum, quae tamen bipartita erit. Primo namque explicandum occurrit, an concilia habeant formam judicii, an tantum inquisitionis. Secundo, hoc definito, quod habeant formam judicii, quis debeat esse ordo inter judices; at enim in corpore forma dicitur figura, sive ordo omnium membrerum suo loco positorum, ita in coetu hominum forma dicitur ordo quidam, quo praeest, qui debet praeesse, subest, qui debet subesse. Est ergo prima pars quaestionis: An concilium sit verum judicium, et episcopi veri judices, ita ut standum sit eorum sententiae, quia ipsi sic statuerunt, quomodo statur sententiae praetoris in caussis politicis: an vero tantum sit inquisitio quaedam, et tantum valeat decretum concilii, quantum valeat ejus ratio:quomodo loquimur de decisionibus doctorum, quas vel in scholis, vel in suis commentariis faciunt.

Haeretici hujus temporis in hoc fere omnes conveniunt, quod concilium non sit, nisi inquisitio, et quod solus Christus, et verbum ejus scriptum habeat suffragium decisivum, et ideo dicunt, non esse attendendum numerum suffragiorum, et saepe magis sequendum unum, qui pro se Scripturam adferat; quam totum reliquum concilium. Et inde etiam

deducunt, licere unicuique examinare decreta concilii, et recipere, vel non recipere, ut voluerit. Ita Lutherus docet in assertione artic. 29. et apud Cochlaeum in quingentis articulis art. 113. Idem vult Calvinus lib. 4. cap. 9. § 8. Institut. Idem scribit Brentius in Confessione Wirtembergica, c.de Scriptura, et cap. de conciliis. Kemnitius quoque in Examine 4. sess. concilii tridentini, passim catholicos reprehendit, quod tribuant episcopis praetoriam auctoritatem judicandi de controversiis.

Denique, libellus Protestantium, ubi explicant caussas cur ad concilium non venerint, diserte docet, non debere in concilio conveniri, ut votis et suffragiis quaestiones definiantur, sed ut inter tam multos aliquis reperiatur, qui ex Scriptura ostendat, quid sequendum sit, et, aliquem talem praeponendum concilio numerosissimo, etiamsi arenarum numerum vinceret. Hac sententia ostendunt hacretici, quam parvi faciant concilia, et quod vere nihil aliud cupiant, quam quaestiones nunquam finiri. Vide plura in hoc eodem lib. cap.20.

Nos ergo dicimus, consessum episcoporum in conciliis legitimis esse verum judicum consessum, et eorum decreta et leges necessario sequendas. Probatur primo tribus Scripturis. Prima est Deuter. 17. ubi jubentur, qui dubia habent, recurrere ad sacerdolum concilia, et: Qui non obedierit eorum sententiae. morte condemnetur. Secunda Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus. Hic enim locus, etsi varias explicationes admittat, tamen cum concilium legitimum omnium consensu maxime proprie dici possit Ecclesia, non potest ullo modo rejici haec explicatio, qua asserimus; Dominum jussisse ut sententiae legitimi concilii obediamus. Tertia Act. 15.et 16.ubi Paulus pertransiens civitates varias, praecipiebat eis custodire dogmata, quae erant decreta ab apostolis in concilio hierosolymitano. De quo concilio tria notanda sunt.

Primum est, in eo concilio non ex Scripturis, sed ad suffragia apostolorum definitam esse quaestionem. Non enim quaestio erat, ut adversarii fingunt, an sola fides justificet, sed an circumcisio, et caeterae legales caeremoniae essent necessariae Christianis. Id quod manifeste colligitur tum ex occasione synodi, de qua sic loquitur s. Lucas, Act. 15. Surrexerunt quidam de haeresi pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos praecipere quoque servare legem Moysi. Conveneruntque apostoli et seniores videre de verbo hac etc. Tum ex epistola concilii, in qua nihil mandatur, nisi abstinentia a sanguine, suffocato et immolatitiis, et liberantur gentes ab omnibus aliis judaicis caeremoniis. Certe autem nihil horum in Scripturis habebatur; ubi enim, quaeso, scriptum erat, ut gentes non servarent legalia, excepto, mandato de abstinentia a sanguine, suffocato et immolatitiis?

Alterum est notandum, epostolorum sententiam non fuisse permissam examini discipulorum, sed simpliciter imperatum fuisse, ut obedirent, ut clarissime eonstat ex locis citatis Act. 13, et 16, qua-



readversarii, qui conciliorum sententiam examinari volunt ab unoquoque homine privato, cum Scri-

pura manifestissime pugnant.

Tertium est, concilii apostolici definitionem, veram legem fuisse obligantem in conscientia. De qua re supra disseruimus in quarto libro de pontitice. Et sane id satis Lucas ostendit cum modo praecepta, modo decreta et dogmata appellat.

Secundo, probatur ex ipsis conciliis; nam concilia emnia dicunt anathema non obtemperantibus; vocat sua decreta canones, sive leges ecclesiasticas, cum subscribunt, episcopi dicunt: Ego N. definiens subscripsi. Praeterea in concilio chalcedonensi, act. 4. cum decem episcopi aegyptii nollent acquiescere, judicio majoris partis, pro haereticis habebantur. Quae omnia sunt apertissima argumen-

ta, quod concilia sint vera judicia.

Probatur tertio; nam si non esset in conciliis agendum suffragiis, sed disputationibus tantum, perperam fleret, ut soli episcopi sententiam ferrent, cum munus disputandi sit hominum eruditorum, sive sint episcopi, sive non. Cujus contrarium jam sæpra ostendimus.Frustra etiam vocarentur episcopi aliqui rudes et simplices, quales aliquos fuisse in concilio nicaeno scribit Rustinus lib. 10. hist.cap. 3. Adde, quod Protestantes in ille suo libello aperle secum pugnant; nam in eo libello docent, debere eliam laicos cum episcopis habere suffragium decisivum; et ibidem paulo post dicunt, non debere in conciliis aliquid definiri ex multitudine suffragiorum, sed tantum ex testimoniis Scripturarum. Mulla alia adferemus postea cum disputabimus, an concilia possint errare?

At objiciunt exemplum Psphnutil, qui spud Socralem lib. 1. cap. 8. et Sozomenum lib.1.cap. 22. toti concilio necteno voienti prohibere sacerdotibus usum uxorum, solus libere restitit, et praevaluit. Lutherus artic. 115. ex quingentis, apud Cochlaeum in septicipite. cap. 34. Res, inquit, est insana, quod concilia concludere et statuere volunt, quid credendum sit; cum saepe nullus vir ibi sit, qui divinum Spiritum, vel modicum offecerit, sicut contigit in concilio nicaeno, ubi tractabant et volebant leges condere super statu ecclesiastico, ne essent in matrimonio. Ibi jam omnes erant falsi; tunc procedebat unus tantum homo Paphnutius, et refutavit hoc totum, dixit: Non ita, hoc non est christianum, tunc totum concilium oportuit ab

ista conclusione desistere.

Respondeo Primo: Incertam esse hanc narrationem, cam ejus non meminerint antiquiores, Eusebius, Athanasius, Epiphanius, Ruffinus etc. Secundo, si vera sit narratio, Paphnutium ante definitionem concilii restitisse, ut ipsimet auctores testantur, proinde hoc exemplum non esse ad propositum. Tertio dico, Paphnutium non allegasse Scripluram, sed solum auctoritate sua contendisse, et ideireo, judicio adversariorum, non debuisse audiri. Quarto addo, Paphnutium solum cupivisse, non interdici usum uxorum iis, qui eas habebant; tamen hortatum esse synodum, ut severe interdiceret sacerdotibus et monachis, ne post sacram ordinationem, vel professionem uxores ducerent, ut ibidem Socrates et Sozomenus testantur. Ex quo mirum est,

si non confundantur Lutherani, qui contra Paphautii sententiam uxores ducunt, etiamsi monachi et sacerdotes fuerint.

Addo postremo, concilium statuisse plane contrarium ejus, quod isti ex Paphnutio referunt. Nam
statuit can, 3.ne in domibus sacerdotum sint ullae
foeminae, praeter matrem, sororem vel amitam. Unde Epiphanius hueresi 59. dicit, esse contra canones ut sacerdos, aut diaconus, vel subdiaconus liberos gignat. Quocirca Lutherus more suo secum
pugnans, in lib. de conciliis parte prima, aperte
dicit: concilium nicaenum prohibuisse sacerdotibus usum uxorum, ac se non intelligere Spiritum
sanctum in eo concilio, cum, et castrationem prohibeat, et contubermium foeminarum.

Objiciunt secundo aliqui catholici: Si omnes episcopi essent judices, tenoretur pontifex, qui concilio praesidet, in decretis faciendis sequi majorem partem episcoporum; at falsum est, cum Damasus irritaverit acta concilii ariminensis, quibus major pars episcoporum consensarat, ut patet ex epist. Damasi ad episcopos Illyrici, et Leo irritaverit quoddam decretum concilii chalcedonensis, cui etia m major pars concilii assenserat, ut ipse Leo testatur

epist. 53. 54. et 55.

Respondeo primo: Nunquam fortasse adhuc accidisse, ut pontifex sequerctur minorem partem in concilio, quando remota fraude et dolo, sententias dixerunt. Quod dico propter concilia ariminenso et chalcedonense, quae fraude non caruerunt; nam in ariminensi deceptos fuisse catholicos verbi Graeci obscuritate, testatur Ruffinus 'lib. 10. c. 21. in chalcedonensi autem fuisse fraudem, patet ex act, 16. ejus concilii, ubi vicarir romani pontificis conqueruntur, quod se absentibus fraudulenter factum esset illud decretum.

Dico secundo: Praesidem concilii, ut praesidem. debere segui in decreto formando majorem partem suffragiorum, tamen pontificem, non at praesidem, sed ut principem Ecclesiae summum posse retractare illud judicium; et consequenter, si ipse sit praeses concilii, posse, non ut praesidem, sed ut principem summum, non sequi majorem partem, quemadmodum in temporalibus judiciis debet praeses a rege constitutus, sequi majorem partem judicum, tamen.rex, tanquam superior potest totum judicium irrilare. Et hoc maxime locum, habet in pontifice, cujus est confirmare, et dirigere fratres suos, et ad hoc habet assistentiam Spiritus sancti, ne erret, juxta illud Lucae 22. Rogavi pro te etc. Vide Joannem de Turrecremata lib. 3. cap. 63. et 64. et Canum lib, 5, cap. 5. quaest. 2.,

# CAPUT XIX.

Cujus sil generali concilio praesidere.

Altera pars quaestionis est; An debeat aliquis praesidere, et quis ille sit. Haeretici nostri temporis docent, ordinarium praesidem conciliorum debere esse imperatorem, vel aliquem ab eo missum

vel si nullum ipse mittat, debere ab ipsa synodo constitui. Et re ipsa, dicunt, in conciliis generalibus antiquis non praefuisse fere unquam romanum pontificem, sed vel imperatorem, aut ejus legatos, vel antiquiorem patriarcham, aut episcopum ejus loci, ubi fiebat concilium: ita docent Magdeburgenses Cent. 4. cap. 7. col. 536. Calvinus lib. 4. Instit. c. 7. § 1. et 2. Carolus Molinaeus in consilio de concilio trident. non recipiendo, § 4. ubi aperte mentitur, cum ait, legatos pontificis postomnes episcopos in conciliis semper sedisse, eum in nullo concilio inveniantur ultimo loco sedisse. Hermannus Hamelmannus lib. 3. prolegomen.cap. 8. et Brentius in prolegom. contra Petrum a Soto.

Catholici omnes id munus proprium esse docent summi pontificis, ut per se vel per legatos synodo praesideat, et tanquam supremus judex omnia moderetur. Dicimus autem, per se vel per legatos, quia summus pontifex numquam interfuit conciliis orientalibus per se, neque id factum est casu, sed certa ratione, ut patet ex epistola Leonis 17. ad Theodosium, et 47. ad concilium chalcedonense, ubi dicit, se non venire ad synodum, quoniam id non patitur consuetudo, nec ulla praedecessorum habet de hac re exempla.

Adde, quod Vigilius papa erat Constantinopoli, cum fleret in ea civitate concilium V. generale, et tamen noluit interesse; sed per libelium confirmavit acta concilii, ut scribit Photius in lib. de septem synodis. Ipsi etiam imperatores cum indicebant concilia, alios ommes episcopos per edictum praecipiendo vocabant, romanum autem invitabant, ut dignaretur venire, si ei placeret, ut patet ex epistola Martiani imperatoris ad Leonem papam, quae habetur ante concilium chalcedonense. Quae autem sit ratio hujus rei, incertum est. Joannes de Turrecremata lib. 3. cap. 11. ponit aliquot rationes, quae mini non multum probantur.

Ego suspicor, has duas fuisse caussas inter alias unam, quia non videbatur convenire, ut caput sequeretur membra, cum potius membra sequi debeant caput; itaque propterea interfuit papa conciliis romanis, et quibusdam aliis, quae ipse convocavit ad se, idest, ad locum, ubi ipse erat, non autem voluit, neque debuit ire ad concilia alibi congregata.

Altera ratio est, quia in conciliis orientalibus semper interfuit imperator, aut aliquis ejus legatus: et quamvis nec imperator, nec legatus ejus praesideret concilio proprie ul judex, tamen praesidebat saltem quoad locum materialem; et etiamsi summus pontifex ibi fuisset, adhuc voluissent illi eo modo praesidere, ut patet ex concilio florentino, in initio, ubi Graeci omnino contendebant, ut in summo loco sederet eorum imperator; et summum pontificem praecederet. At quamvis utcumque tolerabile sit, ut principes saeculares in concilio sedeant ante alios episcopos, tamen nullo modo convenit, ut ante ipsum summum pontificem. Ne ergo vel hoc tolerandum esset, vel tumultus excitaretur, non ibat ad ea concilia, sed legatos tantum mittebat.

Sed his omissis, ad summum pontificem jure pertinere praesidentiam in conciliis generalibus.

probatur. Primo, ratione ex Scriptura petita. Summus pontifex est pastor et pater Ecclesiae universae, adeo ut etiam episcopi et principes omnes. respectu sammi pontificis, oves et filii dicantur.ut notum est ex illo Joannis ultimo Pasce oves meas. Et confirmatur ex eo, quod concilia vocant pontificem patrem, et ipse vocant episcopos in conciliis congregatos, aliquando filios, ut patet ex Theodoreto lib. 5. hist. cap. 10. ubi Damasus respondens episcopis concilii secundi generalis, sic incipit; Quod, inquit, apostolicae sedi debitam reverentiam exhibetis, vobis ipsis magno honori est filii honoratissimi. Item ex epistola concilii untiocheni ad Julium, quae sic incipit: Domino beatissima et honorabili patri Julio etc. Et Stephanus archiepiscopus carthaginensis cum tribus conciliis ita scribunt: Domino beatissimo et sancto patri patrum Damaso etc. Et concilium chalcedonense in epistola ad Leonem: Rogamus, inquiunt, twis decretis, nostrum honora judicium, ut firmitas tua, fitiis, quod decet, adimpleat. At quis, quaeso, ambigere potest, utrum patres filiis, et pastores ovibus praesidere debeant, an filii patribus, et oves pasto-

Secundo, probatur ex concilio apostolico, act. 15. in quo Petrum praesedisse affirmat Hieronymus in epistola ad Augustinum, quae est 11. inter epistolas Augustini; et idem ex eo colligitur, quod Petrus primus surgit, primus toquitur, primus quaestionem definit, et omnes, ut Hieronymus dixit, sententiam ejus sequuntur.

Probatur tertio, ex actis octo generalium conciliorum; nam quod in aliis romanus pontifex praefuerit, etiam adversarii fatentur. Primum generale fuit nicaenum: de praeside hujus concilii, quatuor sunt opiniones. Aliqni volunt praesedisse imperatorem; ita Brentius. Alii Eustathium antiochenum; ita Magdeburgenses loco notato, et Lutherus in lib. de conciliis par. 2. Alii Athanasium; ita Calvinus loco etiam notato. Alii Hosium episcopum, et Vitum ac Vincentium presbyteros legatos romani pontificis.

Prima opinio falsissima est. Nam in primis Constantinus post omnes episcopos subscripsit, ut testatur Basilius imperator in fine VIII. synodi:at praeses primo loco subscripsit. Deinde Constantinus non ausus est sedere, nisi in sede humiliori, quam essent episcoporum, et annuentibns episcopis, ut colligitur ex Theodoreto lib. 1. cap. 7. hist. et Eusebio lib. 3.de-vita Constantini. Praeterea; Constantinus in ipso concilio professus est, se debere ab episcopis judicari, eisque subjectum esse, non praepositum, ut scribit Ruffinus lib. 10. cap. 2. Quomodo igitur non secum ipse pugnasset, si in episcopali judicio praesidere voluisset?

Ad haec Ambrosius epist. 32.dicit, Constantinum in concilio nicaeno, non se fecisse judicem, sed liberum reliquisse judicium sacerdotibus. Item Athanasius in secunda apologia dicit, non posse haberi synodum, in qua non episcopus, sed comes aliquis praesederit. Et in epistola ad solitariam vitam agentes, arguit vehementer Constantium, quod in conciliis primas partes tenere vellet: Si, inquit.judicium episcoporum est, quid cum eo commune

habet imperator? Et in praecedentibus refert Hosium scripsisse eidem Constantio: Ne, inquit, nobis in hoc genere praecipe, sed ea potius a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis ea, quae sunt Ecclesiae, concredidit. Et non procul a fine: Quis enim, inquit, videns eum in decernendo principem se facere episcoporum, el praesidere judiciis ecclesiasticis, non merito dicat,illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quae a Daniele praedicta est? Ubi aperte vocat Constantium 'Antichristum', quia ausus est praesidere in judicio ecclesiastico. Scribit quoque Svidas in vita Leontii, quod cum Leontius Constantium in concilio praesidentem et loquentem videret, dixit ad eum, mirari se quod ille propriorum negligens, idest, bellorum , aliorumque civilium negotiorum, se in alienis, idest, ecclesiasticis, tam curiosum praeberet. At certe nec Athanasius, nec Hosius, nec Leontius reprehendissent in Constantio, quod synodis praesidere voluisset, si antea pater ejus Constantinus in concilio nicaeno praesedisset.

Quod Eustathius non fuerit praeses, probatur primo, quia in subscriptione Eustathius non invenitur primus, nec secundus, nec tertius, sed inter alios inferius positus. Secundo, quia cum esset in concilio Alexander, alexandrinus episcopus, antiocheno major et dignior, nulla ratio sinebat, ut ipse

praecederét.

At inquiunt Magdeburgenses, apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini, legimus eum, qui primus sedebat a dextris imperatoris, orationem habuisse de laudibus imperatoris: Eum autem, qui orationem habuit, constat, fuisse Eustathium, ex Theodoreto lib. 1. hist. cap. 7. Respondeo: Eustathium fuisse primum dextri ordinis episcoporum, ut Eusebius dicit, non tamen primum immediate post imperatorem. Constat enim ex Athanasio in epistola ad solitarium vitam agentes, Hosium fuisse principem ejus concilii, et proinde ante Eustathium sedisse.

Itaque (si conjectare licet) tres ordines sedium erant in concilio; unus a dextris, aliter a sinistris, et tertius in capite aulae totius, et quidem in hoc tertio sedebat medius impérator inter episcopos, Hosium legatum pontificis, et Alexandrum episcopum alexandrinum, necnon Vitum et Vincentium legatos item apostolicos. Deinde primus ordinis ejus, qui erat a dextris, sedebat Eustathius episcopus antiochenus. Alterius autem ordinis, qui erat a sinistris, sedebat primus Macharius episcopus Hierosolymae; atque hao ratione servabatur ordo dignitatis inter primarios patriarchas; quem certe valde probabile est servatum fuisse in ea synodo, vel certe, si id placet, respondere possumus, Eustathio datum esse locum digniorem ob antiquitatis et sanctitatis ejus meritum, sed non propterea eum concilio praesedisse. Nam alioquin imperator praesedisset in concilio IV. et VI. qui in summo loco sedebat. Itaque non tam ex loco, quam ex subscriptione colligendam est praesidentia; saepe enim honoris gratia ille sedet primus, qui revera primum locum non tenet.

Quod vero Athanasius non fuerit praeses, vix eget probatione, solus enim Calvinus, et sine ulla ratione id asserit; et praeterea constat, Athanasjum tunc fuisse diaconum, et ivisse ad concilium cum episcopo suo Alexandro, et nec sedisse, nec subscripsisse. Vide Ruffinum lib. 10. hist. cap. 14. et Sulpitium lib.2.sacrae historiae, Gregorium nazianzenum oratione in Athanasium, et ipsum Athanasium in secunda Apologia. Porro diaconum sedere, nedum praesidere in synodo episcoporum, nisi locum teneat episcopi sui, est omnino inauditum. Non autem tenebat locum episcopi Athanasius, cum episcopus ipse Alexander adesset praesens. Denique inter subscriptiones invenitur quidem subscriptio alexandrini episcopi Alexandri, proxime posta post subscriptionem romanorum presbyterorum, at subscriptio Athanasii unusquam reperitur.

Quod ergo praesides fuerint legati pontificis episcopus Hosius, Vitus et Vincentius presbyteri, probatur primo, ex subscriptionibus. Hi enim tres primi omnium subscripserunt. Secundo, ex Cedreno in compendio historiarum, et Photio in libro de septem synodis, qui dicunt Sylvestrum per suos legatos concilio nicaeno anctoritatem contulisse, Tertio, ex Athanasio in epistola ad solitariam vitam agentes, ubi dicit, Hosium principem fuisse in eo concilio, et ipsum esse, qui composuit symbolum, quod dicitur nicaenum. Cum autem Hosius fuerit simplex episcopus, et proinde inferior omnibus patriarchis, qui erant in eo concilio, sine dubio nunquam habuisset primum locum, nisi vicem gessisset romani pontificis. Itaque in praefatione quadam concilii sardicensis, quae habetur in primo tomo conciliorum, et fortasse est Dionysii Exigui, viri doctissimi, disertis verbis habetur, Hosium Cordubensem in nicaeno cencilio legatum egisse romani pontificis; quod etiam ex codice graeco intelligi potest, qui in vaticana bibliotheca babetur; cujus testimonium vide in lib. 2. de concilio nicaeno, edito ab Alphonso Pisano, societatis Jesu, Coloniae anno 1581..

Secundum, concilium generale fuit constantinopolitanum I. in quo constat non praesedisse imperatorem, sed tantum misisse ad episcopos literas romani pontificis, quibus ad concilium vocabantur, ut patet ex epistola concilii ad Damasum, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. Constat etiam non praesedisse romanum pontificem, sed Nectarium episcopum constantinopolitanum: cujus rei caussa est, quia romanus pontifex non interfuit, nec per se, nec per legatos. Pontifex enim Damasus convocaverat quidem episcopos orientis Constantinopolim, sed ex eo loco postea volebat eos Romam venire, ubi ipse cöegerat synodum episcoporum occidentalium, ut Romae fleret plenissimum concilium. Caeterum orientales excusaverunt se justas ob caussas, et conjunxerunt se animis, et sententiis cum occidentalibus, non autem praesentia corporali. Vide epistolas Damasi ad concilium constantinopolitanum, et coneilii ad Damasum, apud Theodorelum lib. 5. cap. 9. et 10. Quod autem, si Domasus adfuisset, sine dubio praesedisset, patet ex eisdem epistolis, ubi illi Damasum, ut caput suuni agnoscunt, et ipse filios eos vocat.

Tertium concilium fait Ephesinum I.in quo cer-

tum est, non praesedisse imperatorem, sed romanum pontificem per legatos suos. Quod non imperator, nec aliquis nomine ejus, patet ex epistola ipsius, videlicet Theodosii Junioris ad synodum ephesinam, quae habetur tomo 1. ejus concilii cap. 32. ubi dicit, se misisse Candidianum comitem, ad concilium, non ut misceret se quaestionibus ecclesiasticis, sed ad synodi defensionem. Vide epistolam Nicolai I. ad Michäelem imperatorem. Quod romanus pontifex Coelestinus praesederit per legatum suum s. Cyrillum, testantur omnes historici; Evagrius lib. 1. cap. 4. Photius in libro de septem synodis, Prosper in Chronico, Nicephorus lib. 14. cap. 34. et Liberatus abbas in breviario cap. 15. Denique Justianus in edicto, et Nicolaus I. in epistola ad Michäelem, et ipse Coelestiuus in epistola ad Cyrillum quae exstat in hac sinodo tom. 1. cap. 16. et inter opera Cyrilli.

At Calvinus respondét, Coelestinum aliquo artificio quaesivisse saltem nomen praesidentiae, cum rem habere non posset, et ideo cum mitteret illuc suos, Cyrillo, qui alioqui praefuturus erat, vices suas delegasse, ut saltem per illum praesidere videntium.

At figmentum istud Calvini, quod sine ulla ratione profert, facile refellitur. Primum, ex Prospero, qui dicit, Nestorio praecipue restitisse Cyrilli industriam et Coelestini auctoritatem. Secundo, ex epistola Coelestini, qua videmus mandari Cyrillo vices romani pontificis, multo ante, quam legati caeteri mitterentur. Tertio, ex Nicaephoro loco notato, qui dicit, adeo magni fecisse orientales hoc privilegium, datum Cyrillo a Coelestino, ut deinceps Cyrillus mitram et nomen papae, atque ut judex orbis universi appellaretur, acceperit, et haec ornamenta etiam ad successores transmiserit. Quarto, ex epistola Cyrilli ad Constantinopolitanos, in qua dicit, quod si Nestorius intra terminum a sancto Coelestino papa praescriptum, non resipuerit, communione Ecclesiae privabitur. Quinto, ex ipsa synodo, quae ut refert Evagrius lib. 1. cap. 4. ct ex ipsa sententia, quae habetur tomo 2. cap. 10. hujus synodi, cum damnationem in Nestorium pronunciare vellet, praemisit se cum aliis Ecclesiae canonibus, tum praecipue literis papae Coelestini, necessario compulsum ad tam severam sententiam. Denique, extat epistola synodi ad. Coelestinum, in qua reservant judicio ipsius Coelestini caussam Joannis episcopi antiocheni, ut ipse in eum sententiam ferat. Quae omnia sunt certa argumenta, quod Coelestinus re ipsa fuerit praeses et princeps in eo concilio.

Quartum concilium est chalcedonense. in quo initio, idest, in prima actione, imperator Martianus interfuit, et sedit primo loco, non tamen praesedit, ut judex, ut ipsemet testatus est in gratione ad synodum, quae exstat act. 1. ubi ait, se venisse ad confirmandam fidem, sicut olim fecerat Constantinus Magnus, idest, non venisse ad explicandam fidem, et controversias judicandas, sed ad hoc, ut fides a concilio explicata, firma, ac tuta consisteret, defensa videlicet imperatoris ope et auctoritate. Interfuerunt denique nomine imperatoris in aliis actionibus quidam judices saeculares, qui non erant

judices controversiarum fidei, sed tantum, an omnia flerent legitime, sine vi, et fraude, et tumultibus. Quia enim in concilio epbesino II. Dioscorus episcopus militibus introductis, vi coegerat episcopos ad subscribendum:In hoc concilio interfuerunt vel imperator, vel vicarii ejus ad impediendam violentiam.Id quod ex toto concilio apparet; nunquam enim sententiam ferunt, nunquam subscribunt, et in omnibus sententiis episcoporum acquiescunt; et quamvis in finé primae actionis videantur judices saeculares ferre sententiam in Dioscorum, et alios episcopos: tamen in tertia actione declaratur. illam sententiam fuisse conditionalam, nimirum si id placeret sanctissimo, episcopis, quibus, ut ibidem asseritur, id a Domino Deo creditum est. Itaque judices illi non tam sententiam judiciariam tulerunt, quam exposuerunt quid sibi videretur. Nam sancia synodus post illam judicum sententiam tertio admonuit Dioscorum, et tandem legati papae sententiam in Dioscorum tulerunt, tamquam veri concilii praesides, quam omnes episcopi probave-

Praefuerunt autem revera ut judices ecclesiastici, legati Leonis, papae. Ipsi enim in omnibus actionibus primi nominantur, primi sedent, primi loquuntur, primi subscribunt, ipsi sententiam definitivam in Dioscorum proferunt, nomine papae et totius concilii action. 3. his verbis: Sanctissimus ac beatissimus papa caput universalis Ecclesiae Leo per nos legalos suos, sancta synodo consentiente, Petri apostoli praeditus dignitate, qui Ecclesiae fundamentum, et petra fidei et coelestis regni janitor nuncupatur, episcopali dignitate. Dioscorum nudavit et ab omni sacerdotali opere fecit extorrem. Denique b. Leo et concilium totum id fatentur. Lee epist. 47. ad concilium chalcedonen. se, sic ait: In his, inquit, fratribus Paschasino et Lucentio episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab apostolica sede directi sunt, me synodo vestra fraternilas existimet praesidere. Goncilium chalcedonense in epistola ad Leonem, quae habetur act. 3. in quibusdam exemplarib. in aliis post sinem concilii: Quibus, episcopis concilii, tu quidem sicul membris caput praecras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam praeferens, imperatores vero ad ornandum decentissime praesidebant etc.

Calvinus respondet.in hoc quidem concilio praesedisse legatos pontificis romani; séd ex privilegie imperatoris, quod extorserat Leo papa: Cum enim fieret concilium eph esinum secundum, inquit Calvinus, non est ausus Leo petere primam sedem in concilio, sed misit legatos, et passus est cos subesse Dioscoro alexandrino episcopo praesidi. Quia vero res male cessit, et Dioscorus non rècte navim gubernavit, Leo, illa occasione accepta. petiit ab imperatore, ut permitteret aliud concilium fieri, cui legati sui praeessent. Imperator, quia videbat, non esse in oriente ullos idoneos episcopos tanto oneri, ex defectu personarum, permisit romanis legatis praesidentiam.

Haec historia, quam Calvinus sine ulla probatione recitat, plena est mendaciis; nam in primis, quod Leo non sit ausus petere primam sedem in concilio

shesino, mendacium est. Scribit enim Liberatus in breviario cap. 12. Legatos romani pontificis nomisse in concilio sedere, cum vidissent praesidere Diescorum, et non datam sanctae sedi romanae praesessionem. Porro Dioscorum extorsisse contra as ab imperatore praesidentiam illam scribuat Zomeras in vita Theodosii, et Evagrius lib.1. cap. 10. Unde etiam Leo epist. 24. 25. et 26. ad Theodosium et Pulcheriam, frequenter repetit, Dioscorum in ea synodo sibi vendicasse principatum. Ubi etiam testatur, Flavianum episcopum constantinopolitanum appellasse a concilio illo ad apostolicam sedem, et libellum appellationis tradidisse legatis romanis: Quomodo ergo non auderet Leo in eo concilio praesidentiam petere, a quo ad se, tanquam ad majorem, appellabatur? Deinde, quod Leo petierit ab imperatore, ut sui fegati pracessent in synodo chalcedonensi, et quod imperator id concesscrit defectu personarum orientalium, mendacia impadentissima sunt; nihil enim tale ab ullo narrat. Immo videmus Leonem legatos misisse absolute, ut praesiderent, nullius. consensu petito, nedum venia vel permissione.

Quintum concilium suit constantinopolitanum II. in eo praesedit non Menas ( ut falso Calvinus docet), concilium enim a Mena celebratum, non generale, sed particulare fuit, ut supra. demonstravimus; sed Eulychius, Menae successor, qui tamen agnovit, et professus est, praesidentiam debitam fuisse romano pontifici, si is interesse concilio vohisset. Unde Zonaras in vita Justiani: Sub hoc, inquit, quintum concilium est coactum centum sezaginta quinque episcoporum, quorum princeps fui Vigilius papa romanus. Et ipse Eutychius patriarcha in epistola ad Vigilium, quae habetur in fine primae collationis quintae synodi; Petimus ; inquit, praesidente nobis vestra beatitudine de tribus capitulis quaeri et conferri. Quae verba patriarchae Eutychii non solum mendacium Calvini refellunt, qui scripsit Menam in eo concilio praesedisse, sed etiam alterum Illyrici, qui Centur. 6. cap. 9. colum. 509. asseruit, Vigilium papam noluisse synodo interesse, ne cogéretur secundus Eutychio assidere. At qui hoc timere potuit, cum ipse

Eutychius praesidentiam illi offerret?

Sextum concilium fuit constantinopolitanum III. in eo praesides fuerunt legati Agathonis romani pontificis, Petrus et Georgius presbyteri, ac Joannes diaconus.ld enim affirmat Zonaras in vita Constantini IV. et praeterea ex ipsa synodo patet, ubi in singulis actionibus isti primi omnium nominantur, Joquantur, subscribunt. Interfuit in hac synodo etiam imperator Constantinus, cum nonnullis viris illustribus, et praesedit, idest, primo loco sedit, sed non fuit ullo modo judex, aut formaliter praeses, nam nullam sententiam tulit, et ultimus omnium subscripsit, non definiens sed consentiers

Septimum concilium est nicaenum II. in quo sine controversia praesides tuerunt legati papae Adriani I. Petrus archipresbyter, et Petrus abbas sancti Sabae. Isti enim primi nominantur, et primi subscribunt. Imperator nihil in hac synodo egisse legitor.

BELLARMINI. Vol. II.

Octavum concilium est constantinopolitanum IV. in quo etiem sine controversia legati Adriani II. praesederunt, videlicet Donatus et Stephanus episcopi, et Marinus diaconus, qui primi nominantur, et subscribunt, et in ipsa prima actione rogati a concilio, ut ostenderent literas papae, quibus daretur eis praesidentia, mox exhibuerunt literas Adriani. Denique, ad finem concilii ita subscribit primus: Ego Donatus Dei gratia episcopus hostiensis, locum obtinens domini mei Adriani universalis papae, huic sanctae et universali synado praesidens, omnia, quae superius leguntur, promulgavi, et manu propria subscripsi. Imperator autem Basilius adfuit quidem, sed in fine concilii aperte testatus est longa oratione, non esse suum, nec ullius hominis laici, miscere se ecclesiasticis judiciis. Et tandem subscripsit post omnes patriarchas non definiens, sed suscipiens, el consentiens, praesatus etiam antea se debuisse subscribere post omnes episcopos, ut olim fecerunt Constantinus, Theodosius et Martianus; tamen se subscripsisse immediate post patriarchas, quia tali eum honore episcopi afficere volue-

Si ergo his addamus reliqua generalia concilia, in quibus omnibus sine controversia pontifex romanus praesedit, habebimus ex continua Ecclesiae consuetudine, proprie ad romanum pontificem pertinere munus in conciliis generalibus praesidendi. De caeteris, quae ad formam pertinent conciliorum, nt de ordine, quo caeteri sedere debent, de vestibus episcoporum in synodo; de modo procedendi, etc. vide Joannem de Turrecremata lib. 3. cap.26. et 27. et concilium toletanum IV. cap. 3. toletanum XI. eap. 1. et initium conciliorum constantiensis et basileensis.

#### CAPUT XX.

# Solvuntur argumenta adversariorum.

Argumenta Calvini sumuntur a praxi Ecclesiae. Proponit enim quinque concilia, in quibus pontifex romanus non praefuit. Videlicet nicaenum, cui praefuit Athanasius; Quintum generale, cui praefuit Menas; ephesinum secundum, cui praefuit Dioscorus; carthaginense sextum, cui praefuit Aurelius, etiam si adessent legati pontificis; et aquilejense, cui non Damasus, sed Ambrosius praesedit. Sed ad prima tria jam est responsum.

Ad quartum dico, solum in general concilio debere necessario romanum pontificem praesidere; in provincialibus enim, vel nationalibus, qualia sunt omnia carthaginensia, non negamus deberi praesidentiam archiepiscopo, vel primati ejus loci. Porro legati romani pontificis non fuerunt ad illud concilium missi, ut praesiderent, sed ut quaedam tractarent cum eo concilio nomine romanae Eccle-

Ad quintum dico, argumentum conflari ex duobus mendaciis Calvini, quae sunt major et minor, propositio; ex quibus quid potest colligi, nisi mendacium? Primum mendacium est, quod aquilejense concilium fuerit generale; nam primo, si fuisset generale, fuisset secundum, et proinde constantinopolitanum, quod postea sequutum est, non fuisset secundum, sed tertium. Deinde vix interfuerunt episcopi 30. qui certe non sufficient ad generalem synodum faciendam. Denique, in epistola hujus concilii ad imperatorem, dicunt Patres, non fuisse opus congregare concilium generale, sed abunde satis fuisse ad id, pro quo vocati erant, paucos illos episcopos, praesertim cum essent ex variis provinciis occidentis. Ilaque concilium fuit provinciale, sed adjutum etanum.

Secundum mendacium est, quod Ambrosius praesederit: nam primus nominatur Yalerianus episcopus aquilejensis, secundus Ambrosius mediolanensis: quod est argumentum, Valeriano datum esse primum locum. Neque his repugnat, quod Ambrosius in eo concilio fere solus disputat cum haereticis; munus enim disputandi non praesidi, sed episcopo doctissimo demandari solet.

Brentius argumenta petit ex Testamento veteri, in quo constat praecipuos judices, etiam in rebus spiritualibus, fuisse principes, sive reges, ut patet de Moyse, Josue, Davide, Salomone, Ezechia, Josia. Accedit, quod Deus commisit principibus custodiam legis divinae, ut dicitur Roman. 13. Si male egeris, time; non enim sine caussa gladium portat. Ergo principum est judicare de lege Dei. quomodo sit servanda, et punire transgressores. Sed hoc argumentum jam est a nobis solutum in lib. 3. de verbo Dei, et in lib. 1. de pontifice. Quia tamen non piguit adversarios eadem argumenta saepius repetere, nec nos p gebit solutiones quoque saepius repetere.

Respondeo igitur primo: Moysem non solum principem, sed etiam summom sacerdotem fuisse, ut patet ex psalm. 98. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus: Josue autem, Davidem, Salomonem, et aliquos alios non solum reges, sed etiam prophetas fuisse, quibus Deus quaedam extraordinarie committebat, quae ad sacerdotes alloquin ex officio spectabant: Hoc modo Salomon rex amovit Abiathar a sacerdotio, et constituit Sadoc pro eo, 3. Reg. 2. id enim fecit, non ut rex, sed ut propheta ex divina inspiratione; Unde subjungitur ibidem caussa. Ut impleretur sermo Domini, quem loquutus est super domum Heli, in Silo. Sed non propter ista extraordinaria, delenda est ex Deut. cap. 17. lex illa generalis, qua jubenter omnes in dubiis circa legem recurrere ad sacerdotes : neque illa Malachiae 2. Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.

Dico secundo, alios reges synagogae, qui boni fuerunt, nunquam se miscuisse in negotiis sacerdotalibus ejus, et si quando se miscucrunt, punitos fuisse, ut patet de rege Josaphat optimo, qui 2. Paralipom. 19. aperte distinguit officio, et dicit: Amarias sacerdos et pontifex in omnibus, quae ad Deum pertinent, praesidebit: Porro Zabadias, qui est dux in domo Juda, super ea opera

erit, quae ad regis officium pertinent. E contrario autem Ozias rex, 2. Paralip. 26.cum sacerdotis officium usurpare voluisset, mox a Deo percussus, leprosus factus est, et permansit usque ad mortem.

Ad confirmationem dico, reges esse custodes legis divinae, sed non interpretes, et proinde ad eorum officium pertinere, ut legibus et edictis suis jubeant eam fidem teneri, quam sacerdotes tenendam docent, et haereticos ab Ecclesia judicatos coerceant poenis temporalibus, ut Augustinus docet in epist. 48. 50.et 166.Et pii imperatores Constantinus, Theodosius, Martianus, aliique id saepe fecerunt, ut patet ex 1. Cunctos populos, C.de summa Trinitate et fide catholica, et ex toto titulo de haereticis in eodem codice.

Argumenta Hermanni sumuntur et variis exemplis veterum. Primum est ex disputatione Athanasii cum Ario, praesidente Probo judice, homine laico, et nondum Christiano, quem imperator Constantius deputaverat, quae quidem exstat imperfecta in operibus Athanasii, sed perfecta in operibus Vigilii episcopi tridentini, qui floruit circa annum Domini 500.

Respondeo: Nunquam fuisse talem disputationem re ipsa habitam : sed Vigilium eam composuisse per modum dialogi: ut eo modo scriberet contra Arianos, ut ipsemet fatetur lib. 5.contra Eutychen, non procul ab initio; Et praeterea res ipsa clamat; nam disputatio habetur inter quatuor homines, Sabellium, Arium, Photinum et Athanasium tunc 6piscopum, ut patet ex epistola imperatoris, quae initio disputationis fingitur missa ad Probum: At Sabellius obiit antequam ullus ex aliis tribus orbi innotesceret, ut patet ex Eusebio lib. 7. histor.cap. 5. Arius quoque obiit tempore Constantini, antequam Constantius regnare inciperet, ut patet ex Socrat. lib. 1. cap. 25. ergo non potuit cum Athanasio congredi; tempore Constantii, ut hic fingitur. Quod vero quidam dicunt, duos fuisse Arios, et cum posteriore tamen disputasse Athanasium, refellitur ex ipsomet Vigilio qui initio hujus disputationis aperte testatur . se loqui de illo Ario , qui Arianam haeresim primus excogitavit.

Sed dices, etiamsi dialogus sic fictus, tamen apparet, non esse visum absurdum Vigilio, si judex laicus praeesset disputationi de religione. Respondeo, Vigilium ita dialogum composuisse, ut ostenderet tantam esse vim catholicae veritatis, ut etiam sub judice non christiano vincere possit.

Secundum exemplum est desumptum ex Zonara in vita Constantini, ubi legimus, ad petitionem Helenae, quae conabatur pertrahere Constantinum filium a fide Christi ad Judaismum, disputasse Sylvestrum cum Judaeis coram quibusdam senatoribus, tanquam judicibus, ex mandato Constantini

Respondeo: Videri incertam istam narrationem, omnes enim veteres Helenam laudant ut foeminam christianissimam. Et non solum catholici, sed etiam Magdeburgenses Cent. 4. col. 694. rident hanc narrationem, ut fabulosam; et ex Chronico Eusebii colligitur anno 325. lignum crucis Dominicae ab Helena inventum, et Marianus Scotus sub

annum 327. scribit illam disputationem incidisse opera Helenae, tunc Christum persequentis, quae nullo modo cohaerent.

Tertium exemplum sumitur ex Optato milevitano, et Augustino qui multis in locis scribunt, Denatistas in caussa Caeciliani ah imperatore judice postulasse; imperatorem autem dedisse eis Romanum episcopum cum aliis quibusdam episcopis, sed eos appellasse, et ab imperatore accepisse alios judices in Gallia, quos rursum appellantes imperator ipse judicavit. Ergo summus judex in caus-

sis episcoporum est imperator.

Respondeo:Bene habet quod haeretici argumentantur ex gestis haereticorum majorum suorum; nam quod male fecerint recurrendo ad imperatorem tanquam judicem, et quod pejus fecerint rursum ad eum appellando, Optatas, Augustinus et imperator ipse testes sunt. Augustinus epist. 48. dicit, hinc merito reprehendit Donatistas, quod apud imperatorem accusaverint Caecilianum, cum potius, eum apud episcopos transmarinos convincere debuissent. Et ibidem addit, imperatorem ordinatius egisse, qui Donatistas, ad se venientes, remisit ad judicium Milthiadis romani episcopi.

Optatus lib. 1. contra Parmen. refert, imperatorem sic exclamasse: O rabida furoris audacia, sicut in caussis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. Item Augustinus in epistol. 162. Qua in re, inquit, quemadmodum detestetur illos Constantinus audivistis. Atque utinam, ut eis ipse cessit, ut de illa caussa post episcopos judicaret, a sanctis antistitibus veniam postea petilurus, sic et illi aliquando cederent veritati. Ubi vides Constantinum negre tulisse ad se appellari, et judicasse post episcopos coactum, ut vel sic frangeret furorem Donatistarum, cum viderent se ab omnibus condemnari : et praeterea intellexisse Constantinum, se non posse jure suo judicare, sed tantum ea spe, quod postea episcopi veniam illi darent, a quibus eam pertiturus erai. Quae outem fuerit mens Constantini extra hos articulos necessitatis, patet ex Ruffino lib. 10. hist. cap. 2. ubi asseruit se debere judicari ab episcopis, non eos

Quartum exemplum est sumptum ex Breviculo collationum circa principium, ubi sic Augustinus loquitur: Cum catholici episcopi et partis Donali, jussu imperatoris disputando inter se gestis apud tribusum et notarium Marcellinum cognitorem habitis, contulissent etc. Et in fine Breviculi asserit, Marcellinum, ut judicem, sententiam tulis-

se pro catholicis contra Donatistas.

Quintum exemplum sumitur ex Sozomeno lib.4. cap. 5. et ex Epiphanio hacresi 17, qui scribunt Photinum petiisse et impetrasse ab imperatore judices, coram quibus caussam suam ageret.

Respondeo ad quartum exemplum, ex doctrina ipsius Augustini, collationem illam cum Donatistis extraordinariam, et quadem necessitate susceptam fuisse: Nam ut scribit idem Augustinus lib.3. contra Julianum, cap. 1. cum Pelagiani vellent opera imperatoris cogere catholicos ad collationem eb modo, quo antea catholici cöegerant Donatistas:

Augustinus respondit, catholicos eam collationem modo extraordinario cum Donatistis necessario habuisse, eo quod illi totam Africam infestarent, nec possent aliter reprimi, vel ad concilium cogi, nisi per temporales potestates, ut tunc factum est.

Digo praeterea illud judicium non fuisse tale. quale est de quo nos agimus. Non enim ita judicavit Marcellinus, ut ejus sententia totam Ecclesiam obligaverit, sed tantum ut represserit audaciam Donatistarum: sententia enim Marcellini fuit Donatistas ita a catholicis confutatos, ut non habuerint quod respondere possent. Sicut etiam cum Augustinus disputavit cum Pascentio Ariano, arbitro Laurentio, ut patet ex epist. Augustini 174.et 178. sententia Laurentii non faciebat rem de fide., sed tantum valebat ad confusionem. Pascentii, qui victus pronunciabatur; et idem dicendum est de disputatione Photini haeretici, et de similibus disputationibus. Nunguam enim in Ecclesia babitae sunt pro legitimis definitionibus, qualia sunt decreta conciliorum.

Sextum exemplum sumptum est ex Socrafe lib. 5. cap. 10. et Sozomeno lib. 7. cap. 12. ubi legimus, imperatorem Theodosium jussisse, ut singuli principes variarum religionum, idest, Catholici, Ariani, Eunomiani adferrent ad se scriptam formulam fidei suae. Quod cum factum esset, imperatorem impense Deum orasse, ut animum summ dirigeret in vera fide eligenda, et tum demum lectis omnibus confessionibus solam catholicam approbasse, et eam servari jussisse.

Respondeo: Theodosium non suscepisse aliquem novam controversiam definiendam, neque se judicem ullo modo fecisse in caussa fidei. Quod patet primo, quia illa quaestio jam definita erat in concilio nicaeno, cujus ipse adeo stronuus sectator erat, ut noluerit baptizari ab episcopo thessalonicensi, nisi prius intelligeret eum esse fidei Nieaenae; ut est apud Socratem lib. 5. cap. 6. non ergo dubitare potuit, an esset verior fides Ariana, an fides Catholica. Secundo, quia Ambrosius in ep. 32. dicit, non esse imperatorum in caussa fidei iudicare; et hoc probat testimonio Constantini, Valentiniani senioris, et Theodosii. Item in concilio aquilejensi, idem Ambrosius dicit, imperatorem Theodosium liberum reliquisse judicium sacerdotibus. Theodosius igiturnibil judicavit in caussa fidei, sed tantum legit sectariorum confessiones, ut eis acquiesceret, eisque satisfaceret, ne videretur eos inauditos sine ratione damnare.

Quod autem scribit Socrates, Theodosium a Deoper orationes postulasse, ut se dirigeret in eligenda fide, falsum esse arbitror: Nam cum oraverit secreto, ut idem Socrates affirmat, quis potest soire, quid oraverit? Et praeterea certum est eum non sie orasse, quia sie orando peccasset peccato infidelitatis, dubítando de fide, quam semel acceperat; Et tamen eum in hoc facto nihil peccasse, sed laudabiliter egisse, omnes fatentur. Oravit igitur, non ut dirigeretur in eligenda fide, sed ut dirigeretur in eo negotio, ne aliquid imprudenter ageret, et fortasse a Deo veniam petiit, quod alienum ejus occupare videretur; et simul oravit,

ne deciperetur legendo confessiones tot haereti-corum.

Septimum exemplum sumitur ex Theodoreto lib. 5. cap. 23.ubi legimus, quod cum romani pontifices nollent Flavianum esse episcopum antiochenum, tamen Theodosius imperator aliter judicavit, et jussit Flavianum Antiochiae esse episcopum.

Respondeo: Hanc historiam mirifice ostendere romani pontificis primatum, et nihil plane obesse praesenti caussae. Dico igitur, pontificem jure noluisse, ut Flavianus esset episcopus, imperatorem autem, quod fecit, ex potentia. non ex justitia fecisse. Id quod probo, quia ut Socrates refert lib.5. c. 5. cum esset schisma in Ecclesia antiochena, et simul sederent Meletius et Paulinus, placuit tandem omnibus, ut simul sederent; sed cum alter moreretur, alter solus episcopus esset, nemine succedente episcopo mortuo; idque jurejurando confirmaverunt. At nihilominus mortuo Meletio in ejus locum Flavianus successit, vivente adhuc Paulino, quod contra juramentum, et proinde illicitum fuisse, omnibus notum erat. Quid ergo mirum, si id romano pontifici Damaso displicebat?

Quocirca s. Ambrosius in epist. 78. ad Theophilum alexandrinum de hac re loquens, sic ait; Scribit sanctitas tua, Flavianum ad imperialium rescriptorum suffragia remeavisse. Früstra ergo tantorum sacerdotum fusus labor; iterum ad hujus saeculi judicia revertendum. Et infra: Sane referendam arbitramur ad sanctum fratrem nostrum romanae sacerdolem Ecclesiae. Praeterea Chrysostomus quoque Antiochiae non a Flaviano, sed ab Evagrio, Paulini successore, presbyter ordinatus est, ut est apud Socratem lib. 6. cap. 3. quod ille nunquam passus esset, si Flavianum pro vero episcopo habuisset. Item Theophilus alexandrinus episcopus, ut refert Socrates lib. 5. cap. 15. romanum pontificem per legatum suum rogavit. ut Flaviano peccatum, quod admiserat, dimitteret. Et similem operam apud pontificem postea navasse Chrysostomum, patet ex Sozomeno lib. 8. cap. 3. Ex quibus clarissimum est, Flavianum peccasse, et judicem ejus ac superiorem fuisse romanum pontificem. Item Hieronymus in epist. ad Damasum, de nomine hypostasis, loquens de eodem schismate, petit a pontifice, cuinam eorum episcoporum communicare debeat; et asserit se ei communicalurum, qui cum romano pontifice conjunctus

Praeterea tres optimi et sanctissimi pontifices, Damasus, Syricius, Anastasius, ut scribit Theodoretus lib. 5. cap. 23. liberrime in ea caussa imperatorem increparunt, ac dixerunt, eum quidem satis diligenter opprimere tyrannos, qui contra se insurgunt; at iis, qui contra Dei legem tyrannidem exercent, impunitatem concedere. Quam objurgationem, tam atrocem, nunquam certe pontifices tam sancti adhibuissent, nisi imperatorem graviter errare vidissent. Quid, quod imperator ea objurgatione permotus, ut ibidem Theodoretus refert, non succensuit romanis pontificibus, sed Flavianum bis Romam navigare jussit, ut coram pontifice se purgaret?

Denique, ut ibidem Theodoretus refert, etiam si imperator de potentia, ut diximus, non de justitia, Flavianum episcopum esse volebat, tamen nunquam finita est caussa illa, neque episcopi occidentis, et Aegypti Flaviano communicare voluerunt, donec Evagrio jam mortuo pontifex romanos Flaviano delictum condonavit; et legatos ejus se admissurum promisit, et ipse episcopos illustrissimos, et presbyteros ac diaconos antiochenos, legatos Romam misit.

Habemus ergo quid requiratur ad legitimum concilium. Nunc breviter appendicis loco annectemus, quale concilium requirant Protestantes in eo libro, quem inscribunt? Caussae our electores, principes, aliique addicti Confessioni Augustanae ad concilium tridentinum non accedant.

## CAPUT XXI.

Refutantur conditiones, quas Lutherani requirunt in concilio celebrando.

Lutherani, qui se Protestantes vocant, octo conditiones proponunt concilii celebrandi; de quibus quoniam satis plene disseruit Gaspar Willajpandaeus, nos eas brevissime refellemus.

Primo ergo requirunt, ut antéquam fiat synodus, irritentur omnia acta concilii tridentini. Secundo, ut concilium flat in Germania; est enim canon ecclesiasticus apud Cyprianum lib. 1. epist. 3. ut illic lites judicentur, ubi exortae sunt. Tertio, ut pontifex romanus non indicat concilium, nec ei praesit, sed sit altera pars litigantium, quandoquidem ipse est qui accusatur, et nemo debet simul esse judex et pars. Quarto, ut ex sola Scriptura divina sententiae ferantur, non ex tra-ditionibus, vet canonibus. Quinto, ut decisio non Bat penes suffragiorum pluralitatem, sed ut juxta normam verbi divini pronuncietur. Sexto, ut romanus pontifex absolvat omnes praelatos a juramento fidelitatis, quo ei obstricti sunt. Septimo, ut theologi principum, ac statuum Confessionis Augustanae, non minus, quam episcopi in concilio sententias, ac voces decisivas proferro permittantur. Octavo, ut detur salvus conductus ab imperatore, non solum personis, sed etiam ipsi caussae principali, idest, ut nec personae possunt puniri, si nolint concilio assentiri, nec fides, et Confessio Lutheranorum possint damnari, etiamsi theologi lutherani eam desendere non potuerint. Cum his conditionibus dicunt, se concilium toto pectore optare, et hoc vera pium et liberum concilium se vocare.

Prima conditio est iniqua; quia nihil debet irritum haberi, nisi legitimo judicio damnatum. Concilium autem tridentinum est quidem accusatum ab haereticis, sed non damnatum in ullo legitimo judicio. Sicut ergo concilium ephesinum II. damnatum est in concilio chalcedonensi, et constantinopolitanum contra imagines damnatum est in septima synodo: ita concilium tridentinum si da-

mnandum esset, deberet in alia synodo examinari. et judicari, non autem ante synodi judicium irritari.

Secunda conditio est etiam iniqua; ut enim Lutherani jure sibi videntur petere, ut concilium non flat in Italia, ubi praevalent catholici, ita catholici jure postulare possunt, ut non flat in Germania, ubi praevalent Lutherani, et sane non poterat locus eligi melior atque aptior, quam Tridentum, quod est in finibus Germaniae et Italiae, etiamsi ethnici hominis judicio quaestio ista relinqueretur.

Ad canonem autem qui est apud Cyprianum dieo, intelligi eum canonem de particularibus caussis. idest, de criminibus particularium'hominum, quae debent judicari ubi sunt commissa, quia ibi facilius testes inveniri possunt. At de caussis fidei, quae ad totam Ecclesiam pertinent, alia ratio est. Unde quaestio exorta Antiochiae de legalium cessatione; Hierosolymae in concilio apostolorum terminata est, Actor. 15. et haeresis Ariana exorta Alexandriae in Aegypto, judicata est Nicaeae in Bithynia: haeresis Nestorii exorta Constantinopoli, damnata est Ephesi: haeresis Eutychetis nata Constantinopoli, damnata Chalcedone: haereses Origenista-rum, Didymi et Evagrii, in V. synodo judicatae sunt apud Constantinopolim, ubi minime natae fuerant; haeresis Monothelitarum, quae nata erat Alexandriae, Cyro auctore, damnata est primum Romae in concilio s. Martini papae; deinde Constantinopoli in VI. synodo. Denique haeresis Iconocla-/ starum, quae Constantinopoli vel exorta, vel mi-rifice aucta et confirmata fuerat, apud Nicaeam Bithyniae, et antea etiam Romae in concilio judicata et damnata est. Adde, quod habuerunt etiam Lutherani in media Germania concilia provincialia non pauca, ut coloniense, moguntinum, et alia, in quibus damnati sunt. Neque objicere debent adversarii, ista concilia Papistarum fuisse; idem enim omnes haeretici objicere potuissent. Semper enim in Ecclesia id servatum est, ut controversias judicarent episcopi, qui tunc erant, et non propter novas quaestiones novi erearentur episcopi.

Tertia conditio iniqua est; quia romanus pontifex non potest privari jure suo indicendi concilia, et eis praesidendi, in cujus possessione jam fuit per 1500. annos, nisi prius in legitimo judicio convincatur, non esse summus pontifex. Quod vero dicunt, non deberg eundem esse judicem, et partem; dico habere locum in privatis hominibus, non in principe supremo. Princeps enim supremus donec non declaratur, vel judicatur legitime excidisse a principatu, semper est summus judex, etiamsi cum ipso liligetur.

Itaque solent privati, qui cum principe suo litigant, interdum appellare ab ipso principe male informato, ad eundem melius informandum. Et confirmatur hoc ex antiquis historiis; nam cum Marcellinus peccasset, et propler ipsum, concilium congregatum fuisset, episcopi omnes dixerunt, eum non posse ab ullo damnari, sed ipsum debere esse judicem et reum, ut refert Nicolaus I. in epistola ad Michäelem. Item Sixtus III. cum accusaretur de

adulterio, concilium congregavit imperator, pontifice consentiente, sed in eo concilio nemo ausus est pontificis caussam discutere, nisi prius ipse dixisset, velle se ut caussa discuteretur, etsi in suo arbitrio esset judicari, vel non judicari. Id patet tum ex actis concilii, tum ex epistola ejusdem Sixti

ad episcopos orientis.

Denique in concilio IV. romano sub Symmacho legimus, episcopos omnes dixisse, concilium non potuisse jure indici, nisi a pontifice, etiamsi ipse esset, qui accusabatur. Adhaec, nonne Arius cum Alexandro de fide litigabat? et tamen in concilio Nicaeno sedit Alexander, quia episcopus erat, ut judex. Item in tertia synodo praesedit judicio episcopali Cyrillus, qui tamen altera pars litigantium a Nestorianis dicebatur. Ita quoque in IV. synodo, praesederunt legati Leonis, cum tamen tota caussa inter Leonem et Dioscorum versaretur. Accedit, quod pontifex in concilio non est solus judex, sed habet multos collegas, idest, omnes episcopos, qui si eum convincere possent de haeresi, possent etiam eum judicare et deponere, licet invitum. Nihil ergo habent haeretici, cur conquerantur, si romanus pontifex concilio praesedit antequam damnatus esset.

Quarta conditio iniqua est, quia non debent semel definita in dubium iterum revocari, juxta legem Martiani imperatoris, I. Nemo, C. de summa Trinitate, et fide catholica. Constat autem in VII. synodo generali definitum esse, traditiones non scriptas esse recipiendas. Quamvis autem ista conditio sit iníqua; posset tamen admitti. donec iterum in synodo legitime non esset definitum, eas esse recipiendas pro verbo Dei: Hinc enim est, quod tridentinum concilium, antequam ad alia progrederetur, definivit scripturas, et traditiones apo-

stolicas pro verbo Dei recipiendas.

Quinta conditio tollit penitus formam conciliorum, ut supra ostendimus, et propterea non potest fieri, ut aliquando ad finem controversiarum deveniatur, nisi detur locus majori parti suffragiorum; cum enim utraque pars proferat Scripturarum testimonia, quomodo potest cognosci, quae sit concilii sententia, nisi colligantur suffragia, et plurium sententia valeat?

Sexta conditio est iniqua et impertinens: Iniqua quia non debent inferiores liberari ad obedientia superiorum, nisi prius ille legitime deponatur, vel declaretur non esse superior. Quemadmodum iniguum esset, ut quoliescumque fiunt comitia imperialia, imperator deberet liberare a juramento fidelitatis omnes principes sibi subjectos: Quod autem non sit novum, episcopos juramentum obedientiae praestare pontifici, patet ex b. Gregorio lib. 10. epist. 31. et ex cap. Significasti, extra de electione. Item ex concilio toletano XI.cap.10. Impertinens autem, quia istud juramentum non tellit episcoporum libertatem, quae in conciliis necessaria est, jurant enim se fore obedientes summo pontifici, quod intelligitur, donec pontifex est, et dum jubet ea, quae secundum Deum, et sacros canones jubere potest: sed non jurant, se non dicturos, quod sentiunt in concilio, vel se non deposituros eum, si haereticum esse convincant.

Septima conditio, si intelligatur de voce proprie decisiva in forma judicii, repugnat quintae conditioni, et est contra formam omnium conciliorum, ut supra ostendimus; si intelligatur improprie, et vocetur vox decisiva, Scriptura divina in testimonium alicujus sententiae in medium allata, conditio est aequissima, et nunquam negata Protestantibus, immo eis ter oblata in concilio tridentino, nimirum sess. 13. 15. et 18.

Ultima conditio pro prima parte, idest, quod

attinet ad salvum conductum personarum, oblata est Protestantibus, ut patet ex iisdem locis concilii tridentini, idest, sess. 13. 15. et 18. pro secunda parte est prorsus inepta et ridicula; Est enim ac si aperte dixissent, volumus vexari episcopos, totius christiani orbis, et sumptus facere, ac labores maximos pati, ut ad concilium veniant, et tamen cum venerint, nolumus quidquam statul, neque lites unquam finiri.

#### DE

# CONCILIORUM AUCTORITATE

#### CAPUT PRIMUM

# Argumentum et partitio hujus libri.

De concilii definitione et caussis hucusque, pro instituti operis brevitate disputatum est: restat auctoritas. Et quoniam tum ex ipsis conciliis, quae exstant, tum ex lib. 4. de pontifice constat, posse concilia episcopalia judicare controversias, tum fidei, tum morum, quae in ecclesia pro tempore oriuntur, hac omissa quaestione, illud solum explicandum suscipiemus; Sintne certa, et infallibilia conciliorum judicia?

Brit autem haec de auctoritate concilierum disputatio bipartita. Primum enim consideranda erit auctoritas conciliorum absolute; deinde comperata cum aliis similibus principiis fidei, idest, cum Scriptura, pontificisque decretis.

De auctoritate absolute considerata duae sunt quaestiones. Una, an concilia a summo pontifice confirmata possint errare. Altera, an concilia a pontifice nondum confirmata, sed alioquin omnino legitima, errare possint. Nam de conciliis reprobatis, vel partim probatis, partim reprobatis, nihil est quod dicamus, cum illa sine dubio erraverint, de istis autem idem sit judicium, quod de aliis, quae vel confirmata sunt, vel reprobata.

# CAPUT II.

Concilia generalia a pontifice confirmata, errare non posse, et Scripturis demonstratur.

Ac ut a prima quaestione principium faciamus, herelici hujus temporis nullum concilium esse volunt, quod errare non possit. Ita Lutherus asserit, att. 28. et 29. et in lib. de conciliis. Brentius

in Confessione Wirtembergensi, cap. de conciliis Calvinus lib. 4. Instit. cap. 9. § 8. et in minori institutione, cap. 8. § 163. et seq. catholici vero omnes constanter docent, concilia generalia à summo pontifice confirmata errare non posse, nec in fide explicanda, nec in tradendis morum praeceptis toti Ecclesiae communibus. De conciliis vero particularibus videtur esse aliqua dissentio inter catholicos; cum enim istorum conciliorum firmilas tota fere pendeat ex firmitate pontificis, ii qui dicunt pontificem errare posse, consequenter dicere debent, etiam ejusmodi concilia errare posse; quae ut facilius, et clarius explicentur, duas propositiones constituemus.

Sit igitur prima propositio: Fide catholica tenendum est, concilia generalia a summo pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide,nec in moribus. Probatur primo, testimoniis divinae Scripturae, quae ad quatuor classes reduci possunt. In prima, erunt testimonia propria; in secunda, illa quae probant Ecclesiam non posse errare; in tertia, illa quae probant papam non posse errare; in quarta, illa quae probant episcopos omnes, et doctores ecclesiae non posse errare.

Testimonia propria sunt tria. Primum est Matth. 18. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Calvinus non adeo magni facit hoc testimonium, propterea quod ex eo videatur probari posse, etiam concilium duorum hominum non posse errere. Sed is hoc testimonium non contemnet, qui observarit, argumentum sumi non simpliciter ex his verbis, sed ex his verbis continuatis cum superioribus, et propterea addita argumentatione a minori ad majus. Dixerat enim antea Dominus de homine incorrigibili: Dic Ecclesia, et si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus. At ne quis Ecclesiam, si-

ve congregationem praelatorum contemnendam putaret, adjunxit continuo: Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo etc.

Et ne quis dubitaret de assistentia Dei, quando episcopi congregati aliquem damnant, vel absolvunt, subjungit: Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi ego in medio illorum sum. Quorum verborum haec sententia est; Si duo vel tres congregati in nomine meo, obtinent semper quod petunt a Deo, nimirum sapientiam, et lumen quod sufficit eis ad cognoscenda ea, quae ipsis necessaria sunt, quanto magis episcopi omnes congregati in nomine meo, semper obtinebunt, quod juste petunt, idest, sapientiam, et lumen ad judicanda ea, quae ad totam Ecclesiam dirigendam perlinent?

Itaque sive pauci, sive multi, sive privati, sive episcopi congregentur in nomine Christi, omnes habent Christum praesentem et adjuvantem, et obtinent quod eis convenit obtinere. Sed in congregatione paucorum et privatorum adest Christus, ut cos adjuvet in rebus parvis et privatis; in congregatione autem episcoporum adest, ut eos adjuvet in rebus magnis et publicis. Ita hunc locum exponit, et hoc argumento utitur concilium chalcedonense in epist. ad Leonem, quae est post finem tertiae actionis ejusdem concilii. Item sexta synodus, act. 17. toletanum III. non procul ab initio. Item Innocentius papa apud Gratian. dist. 20. can. de quibus. Coelestinus in epist. ad ephesinum concilium I. et Cyrillus in expositione symboli nicaeni circa principium.

Alter locus est Joan. 16. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Et ne putemus hoc dici solis apostolis, et non etiam successoribus, cap. 14. aperte Dominus testatur Spiritum sanctum mansurum cum apostolis in aeternum, idest, cum eis, et cum successoribus perpetuo. At episcopos seorsim existentes non docet Spiritus sanctus omnem veritatem, ergo saltem episcopos omnes in unum congregatos docebit omnem veritatem. Et sane cum non sit in Ecclesia major aliqua cathedra, per quam Deus nos doceat, quam summi pontificis cathedra, adjuncto consensu generalis concilii, si haec etiam calhedra falli potest cum universam Ecclesiam docet, nescio, quomodo vera sit illa promissio: Docebit vos omnem veritatem.

Tertius locus est Act. 15. ubi primum concilium confidenter ait: Visum est Spiritui sancto.et nobis. Si autem illud concilium, ex quo formam acceperunt omnia alia concilia, asserit decreta sua, esse, decreta Spiritus sancti, certe idem asserere possunt caetera legitima concilia, quae universae Ecclesiae regulas oredendi, et operandi praescribunt. Illi enim concilio adfuit Spiritus sanctus, quia id necesse erat pro Ecclesiae conservatione; at non minus aliis temporibus novis haeresibus exorientibus id necessarium fuit, atque etiam erit.

Secunda classis testimoniorum continet omnia illa loca, quibus probatur Ecclesiam non posse errare, neque in credendo, neque in docendo; qualia sunt illa: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, el portae inferi non praevalebunt

adversus eam Matth.16. Ego vobisoum sum usque ad consummationem saeculi Matthaei ultimo. Ecclesia Dei vivi est columna et firmamentum veritatis 1. Tim. 3. et similia.

Ex his enim locis manifeste colligitur, concilia generalia probata non posse errare, idque duobus modis. Primo, quia tota auctoritas Ecclesiae, formaliter non est nisi in praelatis, sicut visus totius corporis formaliter est tantum in capite; ergo idem est Ecclesiam non posse errare in definiendis rebus fidei, et episcopos non posse errare. Atqui, ut diximus, singuli seorsum errare possunt, igitur congregati in unum errare non poterunt.

Secundo: Concilium generale repraesentet Ecclesiam universam, et proinde consensum habet Ecclesiae universalis; quare si Ecclesia non potest errare, neque concilium oecumenicum legitimum, et approbatum potest errare. Porro a concilio generali universam Ecclesiam repraesentari, Calvinus negat, sed facile demonstrari potest. Nam in primis 3. Regum cap.8. aperte vocatur tota Ecclesia Israel, coetus principum, qui cum Salomone convenerant; nam nec fieri poterat, ut omnis Israel, qui superabat numerum mille millium hominum, esset in eo templo simul; et initio capitis legimus convenisse ad regem sacerdotes, et capita singularum tribuum.

Praeterea Athanasius in epist.de synodis Arimin. et Seleuciae, et in epistol. ad episcopos africanos. Epiphanius in fine Ancoratus. Eusebius lib. 3. de vita Constantini. Augustinus lib. 1. contra Donatistas cap. 18. et lib. 2. cap. 4. et lib. 4. cap. 6. Gelasius in epist. ad episcopos Dardaniae. Gregorius lib. 1. epistol. 24. ad Joannem Eulogium, aliosque patriarchas. Denique octava synodus act. 5. vocant concilium generale, conventum orbis terrae, vel consensum totius Ecclesiae. Praeterea Martinus V. in fine concilii constantiensis jubet interrogari suspectos de haeresi; An non credant, concilium generale universam Ecclesiam repraesentare. Item b. Cyprianus lib. 4. epistol. 9. cum ait, Ecclesiam esse in episcopo, sine dubio intelligit in omnibus episcopis esse omnes Ecclesias. Denique, si in quolibet regno sive republica, id quod senatus, sive comitia statuunt, totius regni vel reipublicae dicitur, cur non idem dicatur de ecclesiasticis decretis, quae flunt consensu omnium episcoporum?

Tertia classis testimoniorum continet illa loca omnia, quae probant romanum pontificem non posse errare in fide; quale est illud Lucae 22. Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et si quae sunt alia; quae alibi explicata sunt; ex his enim colligitur evidenter concilium a papa confirmatum errare uon posse. Etsi enim sunt aliqui catholici, qui existimant pontificem errare posse, illi tamen dicunt tunc solum posse errare, quando non adhibet omnem diligentiam: at cum generale concilium convocatur, sine dubio adhibet omnem diligentiam in re illa investiganda. Quid enim amplius facere potest? Ergo saltem tuno omnium consensu non errabit

Quarta classis testimoniorum continet illa loca, quae docent episcopos habendos esse, ut pastores; audiendos, ut magistros; sequendos, ut duces;

qualia sunt Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Et Hebr. 13. Obedite praepositis vestris, et subjacete es lien illa, ubi dicuntur rectores, vel pastores M. 20. et Ephes. 4. cum enim illi jubentur pascere, nos jubemur eos sequi ad pascua: praesertim com ad eum tinem dicantur ab apostolo constituti in Ecclesia pastores, ut non circumferamur omni vente doctrinae. Item illa, quibus vocantur doctores Malthaei ultimo: Docete omnes gentes. El 1. Timoth. 3. et ad Tit. 1. siguidem non praecepto illi jubentur docere, eodem nos jubemur audire. Item illa ubi dicuntur speculatores : Speculatorem domui Israel dedi te, Ezechielis 33. quem locum de episcopis exponunt Hieronymus, et Gregorius in Exechielem. Quare non immerito etiam dicuntur eculi episcopi in concilio toletano VIII. cap. 4. et ab Ambrosio lib. de dignitate sacerdotali cap. 6.Et profecto si jubentur episcopi tanquam speculatores et ocult nobis viam ostendere, et nos jubemur per eam viam incedere, quam illi nobis ostenderint. Denique illa, ubi episcopi dicuntur patres, et caeteri dicuntur filii, ut Galat. 4. et 1. Joan. 2.

Ex quibus omnibus locis ita possumus ratiocinari; si nos jubemur a Deo audire et sequi episcopos, ut praepositos, pastores, doctores, speculatores, patres, certe vel illi nos fallere non poterunt, vel nos peterimus culpam in Deum rejicero. At sine dubio singuli episcopi errare possunt, et aliquando errant, et inter se quandoque dissentiunt, ut nesciamus, quisnam eorum sequendus sit; ergo saltem omnes simul, praesertim in nomine Domini congregati, quando uno ore nos docent, errare non poterunt.

CAPUT III.

Idem probatur ex Patribus.

Accedat secundo testimonium, et traditio velerum Patrum. Ecclesia et Patres multa de conciliis passim scribunt; unde constat, eos sensisse, concilia generalia errare non posse, Affirmant primum, concilii generalis sententiam esse in caussa fidei ultimum Ecclesiae judicium, a quo appellari non possit, quedque multo modo irritari, vel retractari queat. Hinc autem apertissime sequitur, ejusmodi concilia non errare; nam alioquin iniquissimum esset cogere Christianos, ut non appellent ab eo ju-

dicio, quod erroneum esse poluit.

Porro haec prima sententia frequentissima est apud veteres. Athanasius in epistola ad Epictelum, quam etiam recitat Epiphanius hacresi 77. miratur quomodo illi audeant quaestionem movere de rebus in nicaeno concilio definitis, cum non possint decreta ejusmodi conoiliorum mutari, nisi errando. Augustidus in epist. 162. dicit ultimum judicium Ecclesiae esse generale concilium. Leo epist. 50. ad Martianum, petit, ut semel definita in conciliis generalibus non retractentur. Id quod lege sua sanxit idem Martianus I. Nemo, C. de summa Trinitate. et Bde catholica. Idem docet idem Leo epistel. 61. ad concilium chalcedonense, et epist. 62. ad Maxi-

Bellarmini. Vol. II.

mum antiochenum. Item Gelasius in epistola ad episcopos Dardaniae. Item statuitur in concilio ephesino circa finem, et in concilio chalcedonensi act. 5. can. ult.

Secundo docent Patres et concilia, esse haereticos, et excommunicandos omnes, qui non acquiescunt conciliis plenariis. Ex quo manifeste sequitur, eos putasse concilia non posse errare. Atque
in primis omnia concilia generalia dicitur anathema contradicentibus, ut Athanasius testatur de nicaeno in epistola ad episcopos Africae, et de aliis

patet in aclis corum.

Gregorius nazianzenus in epistola priore ad Clidonium; cum Apollinaristae negarent se esse haereticos, et dicerent in concilio quodam catholico receptos, sic ait: Ostendant, inquit, hoc, et nos acquiescemus, perspicuum enim erit vos rectae doctrinae assentiri, nec enim se aliter res habere potest, si id consequuti sunt. B. Leo opist. 78. ad Leonem Augustum, docet, non posse inter catholicos imputari eos, qui resistunt nicaeno, vel chalcedonensi concilio: et idem Leo epist. 77. ad Anatolium, jubet quendam Atticum presbyterum. aut acquiescere chalcedonensi concilio aut excommunicari. Basilius epist. 78.in qua explicat fidem, docent suspectis de haeresi proponenda esse decreta nicaeni concilii, inde enim apparebit baeretici ne illi sint, an catholici. Praeterea Augustinus lib. 1. de baptismo cap. 18. hac tantum ratione excusat de haeresi Cyprianum, quod adhuc eo tempore non extiterit generale concilium, que definiri potuisset quaestio illa de baptismo haereticorum. Item Gregorius lib. 1. epist. 24. dicit anathema non recipientibus generalia concilia quinque, quae solà illo tempore celebrata erant.

Tertio Patres docent, esse divina et a Spiritu sancto edita decreta legitimorum generalium conciliorum. Ex quo sequitur, ut non possint esse obnoxia errori. Ita Constantinus in epist. ad Ecclesias apud Eusebium lib. 3 de vita Constantini vocat coelestia mandata concilii nicaeni decreta. Athanasius in epist. ad episcopos africanos: Verbum, inquit, Domini per oecumenicam Nicaeae syno-

dum manel in aeternum.

Gregorius nazianzenus Orat. in Athanasium, dicit ad concilium generale nicaenum episcopos a sancto Spiritu congregatos. Cyrillus lib, 1. de Trinit. vocat decretum concilii generalis nicaeni divinum et sanctissimum oraculum. Leo epist. 53. ad Anatolium, et 54. ad Martianum imperatorem affirmat, nicaeni concilii canones per sanctum Spiritum ordinatos. Et epist. 37. ad Leonem Augustum asserit, chalcedonense concilium per Spiritum sanctum congregatum fuisse. Gregorius lib. 1. epist. 24. affirmat, se venerari quatuor prima concilia, sicut quatuor evangelia. Nicolaus I. in epist. ad Michäelem, decreta conciliorum vocat divinius inspiratas sententias. Denique concilia ipsa affirmant, se in Spiritu sancto congregata.

Quarto docent, potius esse moriendum, quam recedendum a decretis generalium conciliorum: ita Ambrosius epist. 32. Sequor, inquit, tractatum nicaeni concilii, a quo me nec mors.nec gladius poterit separare. Hilarius autem re ipsa eximum

passus est propter nicaenam fidem, ut ipse testatur in fine libri de synodis; et Victor africanus in libris tribus de wandalica persequutione describit plurima celeberrima martyria sanctorum, qui pro fide in concilio generali explicata mortui sunt. Hieronymus lib. cont. Luciferianos loquens de Athanasio, Hilario, Eusebio, aliisque sanctis confessoribus: Quomodo poterant, inquit, adversum synodum nicaenam facere, propter quam exilia sustinuerunt?

# CAPUT IV.

Idem ostenditur argumentis a ratione ductis.

Accedat postremo etiam naturalis ratio. Primum, si concilia generalia possent errare, nullum esset in Ecclesia firmum judicium, quo controversiae componi, et unitas in Ecclesia servari posset; nihil enim est majus generali concilio, legitimo et approbato.

Secundo, si non esset infallibile judicium ejusmodi conciliorum, possent merito revocari in dubium omnes daminatae hacreses. Diceret enim Arius errasse nicaenum concilium; Macedonius, constantinopolitanum; Nestorios, ephesinum; Euthyches, chalcedonense.

Tertio, nnlla esset certitudo de multis sacrae Scripturae libris; nam de epistola ad Hebraeos 2. Petri 2, at 3. Joannis, Jacobi et Judae, et de Apocalypsi, quos libros etiam Calvinistae recipiunt, tamdiu est dubitatum, donec a concilio res declarata est.

Quarto, si omnia concilia possent errare, illud certe sequitur, ut omnia intolerabilem errorem admiserint, ac proinde nullo honore digna sint. Nam error intolerabilis est, proponere aliquid credendum, tanquam articulum fidei, de quo non constet, an sit verum, vel falsum; at concilia praecipua, ut nicaenum, constantinopolitanum, ephesinum, chalcedonense, ediderunt nova symbola fidei, aut certe novas sententias, quas volucrunt haberi tanquam articulos fidei; quis autem dicere audebit, illa concilia quatuor intolerabilem errorem continere, nulloque honore digna esse, cum ea videamus etiam ab adversariis cum honore suscipi, et non raro in testimonium verae doctrinae adduci? Restat igitur, ut firma et infallibilia esse credamus corum judicia.

# CAPUT V.

Concilia particularia . a pontifice approbata, errare non posse.

Altera propositio: Concilia particularia, a summo pontifice confirmata in fide et moribus errare non possunt. Hace propositio non est aeque recepta, ac prior: illam nemo catholicorum negat, hanc vero, non desunt, qui negent. Itaque en solum de caussa non affirmamus, hanc propositionem fide catholica esse tenendam, quod auctores, qui contrarium sentiunt, nondum videamus ab Ecclesia

damnatos pro haereticis. Constat eliam ex Eusebio lib. 7. histor. cap. 2. 3. et 4. Cornelium papam cum nationali concilio omnium episcoporum Italiae statuisse, non debere haereticos rebaptizari, et eamdem sententiam postea approbasse etiam Stephanum papam, et jussisse, ut haeretici non rebaptizarentur: Et simul constat ex eodem Eusebio ibidem, Cyprianum contrarium sensisse, et mordicus defendisse, id quod etiam ipse fatetur in epistola ad Pompejum, ubi arguit Stephanum papam erroris, et tamen Cyprianus semper est habitus in numero catholicorum.

Sed quidquid de hoc sit, de quo alibi diximus, cum ageremus de pontifice, certe temerarium, erroneum et proximum haeresi est, existimare, concilia particularia a pontifice confirmata posse errare. Id quod primum probatur argumentis illis, quibus supra demonstravimus, summum pontificem in judicandis iis rebus quae ad fidem, vel bonos mores pertinent, non posse errare. Si enim summus pontifex errare non potest, certe nec concilium, quamvis exiguum, ab illo comprobatum.

Secundo idem probatur ex eo, quod si rjusmodi concilia errare possent, plurimae haereses, quae damnatae sunt a solis conciliis particularibus, iterum revocari possent in dubium, ut Pelagianorum, Priscillianistarum, Joviniani, et aliorum.

Tertio. hactenus non est inventum aliquod concilium ejusmodi, quod erraverit.

Quarto, in VII. synodo act. 3. et VIII. synodo act. ult. can. 1. dicunt Patres se venerari, et recipere etiam localium conciliorum decreta. Immo in eadem septima synodo vocantur ejusmodi decreta divinitus inspirata. Superest, ut argumenta adversariorum proponamus, et diluamus.

## CAPUT VI.

Solvuntur argumenta ex Scripturis deprompta.

Adversarii quatuor argumentorum genera nobis objiciunt. Unum ex Scripturis petunt. Alterum ex testimoniis Patrum. Tertium ex ipsis conciliis, quae vel cum aliis conciliis, vel cum Scripturis non raro pugnare videntur. Quartum ex naturali ratione. Sed primum nullas fere habet vires, ideo brevissime refutabitur.

Objicit igitur Calvinus lib. 4. instit. cap. 9. § 3. illa loca Testamenti veteris, in quibus omnes pastores et sacerdotes, atque prophetae reprehenduntur non solum improbitatis, sed etiam ignorantiae et erroris. Quale est illud Isa. 56. Speculatores ejus caeci omnes, neque quidquam noverunt. Omnes canes muti, nec valent latrare, jacentes dormiunt, et amant dormitionem, et pastores ipsi nikil sciunt. nec intelligunt. Item illud Oseae 9. Speculator Ephraim cum Deo. laqueus aucupis, odium in domo Dei. Et illud Hier. 6. A propheta usque ad sacerdotem, quisque sectatur mendacium. Et cap. 14. Prophetae mendacium prophe-

stant in nomine meo Deniquo illud Ezech. 22. Conjuratio prophetarum in medio ejus sicut leo rugiens. et qui rapit praedam. Sucerdotes ejus violarunt legem meam, et-prophanaverunt sancta mea.

Sed haec omnia tribús modis solvuntur.Primum enim frequentissimum est in sacris literis, ut propter aliquos malos reprehendantur omnes, propter aliquos bonos laudentur omnes, quo videlicet vehementior sit tum vituperatio, tum commendatio. Annelavit id s. Augustinus lib. de unitate Ecclesiae c. 12. et multa ex divinis literis exempla peti pussent, sed unum hoc loco sufficiet. Scribit apostolus ad Philip. c. 2. Omnes quaerunt quae sua sunt, non quae Jesu Christi. Et tamen c. 1. Jam dixerat quosdam ex contentione, quosdam ex charitate Christum annunciare. Et c. 3. ait: Imilatores mei estole, et observate cos, qui ita ambulant, sicul habelis formam nostram. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam voliis. nunc autem et fluens dico, inimicos crucis Christi. El quae sequuntur. Si igitur quidam ex charitate Christum annunciabant, et ambulabant secundum apostoli formam, jla ut eliam digni-essent, quos Philippenses imitarentur et observarent; non igitur omnes quaerebant, quae sua sunt, et lamen suo quodam modo, idest, per figuram intellectionis, omnes quaerebant, quae sua sunt, ut apostolus loquitur. Non igitur allata Scripturae testimonia cogunt, ut intelligamus pastores, et sacerdotes, et prophetas Testamenti veteris aliquo tempore omnes simul mendaces, et sceleratos fuisse, sed tantum aliquos.

Deinde cum nihil horum dicatur in concilium sacerdotum, sed in pastores et prophetas, qui separatim populum decipichant, non videntur ea testimonia ad rem nostram facere. Alia enim ratio est pastorum in concilio congregatorum publica auctoritate, et qui Dei nomine invocato quaestiones diligenter excutiunt; alia vero dispersorum, et qui dum in locis quisque suis sedent, proprio judicio indulgent. Quare eadem Scriptura, quae tam frequenter in pastores malos invehitur, et a falsis prophetis cavendum esse monet, eadem tanen eos, qui de aliqua re dubitant, ad concilium sacerdotum mittit, ac praecipit, ut id observent, quod dixerint ii, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus Deut. 17.

Denique etiamsi nihil horum haberemus, tamen non continuo liceret omnia, quae dicuntur in Scripturis adversus prophetas et sacerdotes Testamenti veteris, illa omnia transferre ad sacerdotes Testamenti novi, praesertim in concilio congregatos; certiores enim, et majores promissiones Dei habet Ecclesia, quam synagoga, Nec enim de synagoga usquam legimus, quod de Ecclesia Christus dicit, Matth. 16. Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Nec id quod apostolus ait 1. Timoth. 3. Eam esse columnam et firmamentum veritatie. Neque de Caipha scriptum est, sed de Petro: Rogavi pro te, ut non deficial fides tua Lucae 22.

Objicit secundo idem Calvinus ibidem § 4. hace loca Testamenti novi 2. Pet. 2. quemad nodum fue-

runt in populo veteri pseudoprophetae, sic et inter vos erunt falsi doctores. sectas perditionis insinuantes. Act. 20. Scio quod post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi, et ex vobis ipsis erunt, qui loquentur perversa, ut abducant discipulos post se. Matth. 24. Et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos.

At sane mirum est, si Calvinus dum haec proponeret, non ad se ipse oculos reflectebat, ac dicebat: Quid si ego ipse unus sim de numero horum infelicium pseudoprophetarum? Clarissimo enim Christus, Petrus ac Paulus describunt haereticos sub nomine falsorum prophetarum, qui repugnantes doctrinae, quae per episcopos, ordinaria successione in Ecclesia praesidentes, conservantur, sectas non metaunt introducere, ut abducant discipulos post se, et faciant sibi nomen in terra,ut alii Lutherani, alii Calvinistae nominerentur. Tantum vero abest, ut de conciliis episcoporum intelligi debeant ea loca, quae monent, ut a falsis prophetis caveamus, ut potius ea de caussa ordinaria concilia fiant, ut falsi prophetae detegantur, et confutentur, et tanquam lupi rapaces ab ovili Christi procul arceahlur.

## CAPUT VII.

Solvuntur argumenta petita ex testimoniis veterum Patrum.

Proferunt secundo loco Patrum lestimonia. Ac primum Calvinus adducit in medium s. Gregorium nazianzenum, qui in epistola ad Procopium ita loquitur: Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia episcoporum conciliu fugiam; quoniam nullius concilii finem laetum, faustumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem et incrementum habiterit

Respondeo: Non negat Nazianzenus legitima concilia certam fidem facere, sed queritur suo tempore nullum concilium fleri potuisse omni ex parte legitimum; id quod verissimum est. Nam Gregorii aetas incidit in tempus medium inter concilium primum et secundum generale, que tempore plurima facta sunt concilia, quae propter multitudinem episcoporum, haereticis faventium, infaustum exitum habuerunt; qualia fuerunt seleuciense, tirense, ariminense, mediolanense, syrmiense etc. Cum ergo suo tempore tot vidisset inala concilia, et nullum bonum, et tamen vocaretur a Procopio nomine imperatoris ad concilium quoddam, duas excusationes adhibuit: unam, quod desperaret se legitimum concilium eo tempore visurum: alteram, eamque praecipuam, quod morbo gravissimo detineretur, ut quotidie putaret se moriturum. Confirmatur haec solutio ex Basilio, qui eodem tempore floruit, idest, post primum concilium, et ante secundum. Et scribens in epist. 52. ad Athanasium, dicit videri sivi impossibile, ut eo tempore fieret leg timum concilium, et ideo oportere scribi ad

romanum pontificem, ut ipse sua auctoritate irritaret acta concilii ariminensis.

Denique, quid senserit Gregorius de legitimis conciliis, perspicuum est, tum ex ejus sententiis supra citatis, tum etiam ex eo quo adeo strenuus praedicator fuit nicaeni concilii, ut templum, in qua ipse Constantinopoli concionabatur, àvastacia idest. resurrectio vocatum sit, quia ibi resurrexerit opera Gregorii fides nicaena, per Arianos antea quodammodo extincta, ut refert historia Tripartita lib. 9. cap. 9. tum denique, quia postea interfuit ipse concilio secundo generali, ut patet ex subscriptione, et ex oratione, quam habuit ad 150. Patres.

Alterum testimonium est Augustini, qui lib. 3. contra Maximinum cap. 14. ait: Nec ego nicaenum, nec tu debes ariminense, tanquam praefudicaturus, proferre concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris etc.

Respondeo: Augustinum non velle dicere, non teneri ullo modo Maximinum auctoritale concilii nicaeni, sed non teneri in illa disputatione, quia Augustinus id permittebat. Quia enim Maximinus objiciebat nicaeno cóncilio concilium ariminense, et Augustino non videbatur operae pretium tunc tempus consumere in ostendendo concilium nicaenom fuisse legitimum, et ariminense illegitimum, cum haberet meliora argumenta ex Scripturis, ait; nunc nec ego hujus, nec tu illius auctoritate teneris, idest, nolo nunc teneamur conciliorum auctoritatibus. Omittamus concilia, ad Scripturas veniamus. Quod autem Augustinus alioqui pulaverit, concilium nicaenum summae fuisse auctoritatis, et oportuisse omnes illi acquiescere; patet ex verbis praecedentibus, ubi sic ait: Hoc est illud homousion quod in concilio nicacno adversus haereticos arianos a catholicis Patribus veritalis auctoritate. et auctoritatis veritate firmatum est etc.Quid enim est veritas auctoritatis, nisi vera et certa auctoritas?

Aliud testimonium proferunt ex fib. 2. de bapismo cap. 3, ubi Augustinus dicit, concilia plenaria priora a posterioribus emendari. Nec dici potest. eum loqui de plenariis improprie, idest, nationalibus; nam paulo ante dixerat, concilia regionalia et provincialia debere cedere plenariis, et tunc subdit, inter ipsa plenaria, priora a posterioribus emendari. Hic exultat Hermannus lib. 3. cap. 16. prolegom. Si enim, inquit, priora illa antiquissima, emendatione indigent, quot erroribus scatebunt ista recentiora?

Respondeo primo: Forte loqui Augustinum de conciliis illegitimis, quae per posteriora legitima emendatur, ut accidit concilio ephesino II. quod in chalcedonensi emendatum est. Secundo dico, si de legitimis loquatur, agere eum de quaestionibus facti, non juris. In qualibus quaestionibus non dubium est, concilium errare posse. Et certe Augustinus videtur de ejusmodi quaestionibus agere. Nam praecipua quaestio catholicorum cum Donatistis erat de Caeciliano, libros ne sacros tradidisset hos ibus fidei, an non? Potest etiam tertio dici, si contendant adversarii eum loqui de universalibus quaestionibus, concilia priora emendari per posteriora, quoad praecepta morum, non quoad

dogmata fidei; praecepta enim mutantur juxta temporum, locorum et personarum mutationes, et illae mutationes dicuntur emendationes, non quod res mala esset eo tempore, quo est instituta, sed quod mala esse coeperit mutatis circumstantiis. Utraque solutio satis confirmatur ex verbis Augustini, qui dicit tunc emendari concilia; quando experimento aliquo aperitur, quod clausum erat. Experimento enim aperiuntur quaestiones de facto, vel de moribus, non quaestiones juris universales.

Tertio, profert Calvinus Leonem, qui epist. 53. ad Anatolium et ad Martianum, et 54. ad Pulcheriam, agnoscit chalcedonensem synodum legitimam fuisse, et tamen non dubitat ei attribuere ambitionem et inconsultam temeritatem; ergo putabat le-

gitimum concilium posse errare.

Respondeo: Concilium legitimum posse errare in his quae non legitime agit, et de facto errasse, quando ab apostolica sede reprobatur. Tale est id, de quo reprehenditur concilium chalcedonenso a Leone. Ut enim patet ex ultima actione ejusdem concilii. et ex epist. 61. ejusdem Leonis, quae est ad concilium chalcedonense, decretum illud, quo anteponitur episcopus constantinopolitanus alexandrino et antiocheno, factum est absentibus legatis romanae sedis, non sine fraude, et a Leone improbatum fuit, quia contrarium erat nicaeni concilii constitutioni.

Ad hace addit Hermannus lib. 3. cap. 13. prolegomenorum, Isidorum, qui apud Gratian dist. 50. can. Domino sancto, asserit, cum concilia inter se dissentiunt, standum esse antiquioribus, magisque probatis; quae regula contraria est regulae b. Augustini, qui posteriora concilia anteponebat prioribus, et praeterea ex ea colligitur, concilia inter se aliquando pugnare, et proinde aliqua eorum errare. Respondeo: Isidorus loquitur de conciliis, quorum non est certa auctoritas, quae videlicet non sunt a pontifice expresse confirmata, quae concilia inter se pugnare posse et errare, non negamus. Neque pugnat Isidorus cum Augustino, nam Isidorus loquitur de fidèi doctrina, Augustinus de quaestionibus facti, vel morum praeceptis.

Lutherus in lib. de conciliis pag. 54. probat concilia inter se pugnare. Ex titulo decreti Gratiani, concordantia discordantiarum. Respondeo: Loquitur de discordantiis apparentibus, non veris; nam

si verae essent, concordari non possent.

Addunt quidam alii ultimo Gratianum, qui d. 18. can. 1. dicit, concilia episcopalia esse invalida ad definiendum et constituendum, non autem ad corrigendum. Respondeo: Vocat episcopalia concilia Gratianus, non quaelibet concilia, sed tantum provincialia. Illa enim proprie sunt episcopalia, in quibus soli episcopi, non archiepiscopi aut patriarchae conveniunt: Ista autem concilia ordinarie non instituuntur ad dogmata fidei constituenda; id enim proprium est generalium conciliorum, sed tantum ad restituendam disciplinam ecclesiasticam et mores corrigendos. Itaque ex se, et ordinarie invalida sunt ad constituenda dogmata fidei. Si tamen aliqua urgente necessitate definiant aliquid de fide, et eorum decretum a sede apostolica approbetur, nihil obstat, quo minus valida esse possint.

# CAPUT VIII.

Solvuntur argumenta ex conciliorum erratis.

Enumerant denique adversarii errores conciliorum, et praecipue Hermannus lib. 3. cap. 45. et 16. prolegomen., et lib. Protestantium, qui inscribitur: Caussa cur electores etc. Sed e maximo numero errorum, solum tertia pars eget aliqua discussione. Trium enim generum errores in conciliis adversarii observarunt. Quosdam errores veros et crassos, sed conciliorum illegitimorum et a pontificibus reprobatorum, ut ariminensis, seleuciensis, ephesini II. quos frustra enumerant, cum nihil faciant contra nos. Vide quae diximus de conciliis reprobatis, lib. 1. cap. 7. et 8.

Alios deinde errores non veros, sed fictos conciliorum legitimorum et probatorum: Omnia enim quae ipsi non probant, vocant errores. Hoc modo dicunt errasse concilium chalcedonense, in quo sanctimoniales prohibenter votum continentiae violare, et concilium carthaginense V. in quo statuitur, ne altaria erigantur sine reliquiis martyrum. Sed dum haec dicunt, assumunt quod probandum

erat.

Alios denique errores observant in veris, legitimisque conciliis, qui revera speciem aliquam erroris habere videntur, idest, ejusmodi sententias videntur continere, quae et nostro et illorum consensu judicantur erroneae, atque hos dumtaxat

examinare, et diluere debemus.

Primo loco Calvinus adducit concilium 400. prophetarum, qui omnes errarunt, ipso Deo potestante se misisse spiritum mendacem in ore ipsorum, 3. Regum 22. Sed quale, quaeso, concilium illud fuit? Primum non erant illi prophetae Domini; nam c ım 400. illi prophetae sententias suas dixissent, legimus quaesivisse regem Josaphat a rege Achab, an non esset aliquis propheta Domini, per quem Dominus interrogari posset? Achab autem respondisse: Remansit unus, sed ego odi illum. Deinde concilia, non prophetarum, sed sacerdotum esse debent. Denique concilium illud, ab Achab rege non a summo pontifice coactum fuit, proinde nihil mirum, si erravit.

Proponunt secundo Calvinus et Brentius concilium Judaeorum, praeside summo pontifice Caiplia, in quo excommunicati sunt, qui confitebantur Jesum esse Christum, Joan. 9. et postea Christus reus mortis judicatus est, Joan. 11. et Marc. 14.

Respondeo: Quidam ajunt, quaestionem fuisse de facto, non de jure, quam concilium illud judicavit, videlicet, num Jesus necandus esset; ln ejusmodi autem judiciis concilia errare posse, non dubium est. Al quaestio illa etiam si de facto esset, tamen involvebat quaestionem de fide gravissimam, nimirum an Jesus esset verus Messias, et Dei Filius, atque adeo Deus verus. Quocirca erravit in fide perniciosissime Caiphas cum universo concilio, cum judicavit Jesum blasphemasse, qui se Dei Filium appellaverat.

Alii dicunt, pontificem et concilium errasse, quantum ad errorem propriae mentis, non tamen

errasse in sententia, quem protulit. Vere enim Jesus erat reus mortis, quia peccata nostra in seipso purganda susceperat, et vere expediebat, eum mori pro populo. Quare Joan. cap. 11. dicit Caipham prophetasse, At licet verba Caiphae bonum sensum recipiant, non tamen omnia, cum enim ait de Christo: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Certe tunc non prophetavit, sed blasphemavit.

Alii dicunt, concilium illud errasse, quia non processit secundum morem legitimi judicii: sed tumultuaria conspiratione, subornatis falsis testibus, Christum damnavit Id quod adeo notum erat omnibus, ut etiam Pilatus sciret per invidiam eum fuisse traditum sibi a pontificibus, ut habemus Matth. 27. Atque bacc quidem responsio probabilis est. Quia tamen non est inferiorum judicare, an superiores legitime procedant, necne, nisi manifestissime constet intolerabilem errorem committi; et credibile est, Deum non permissurum, ut concilia, quibus summus pontifex praesidet, non legitime procedant: Ideo respondemus, pontifices et concilia Judaeorum non potuisse errare antequam Christus veniret, sed eo praesente potuisse, immo fuisse praedictum erraturos Judaeos, et Christum negaturos, Isai. 6. Daviel. 9. et alibi. Sicut enim non est necessarium, ut vicarius papae non possit errare, cum ipse papa regat Ecclesiam, et ab errore defendat; Sic etiam non fuit necessarium, ut pontifices Judaeorum non possent errare, quando Christus, summus totius Ecclesiae pontifex praesens aderat, et Ecclesiam per se administrabat.

Tertio videtur Lutherus reprehendere concilium apostolorum, de quo Act. 45. dicit enim in assert. art. 29. Jacohum mutasse Petri sententiam. Constat autem sententiam Petri, qui judicaverat, non debere gentes cogi ad legalia, fuisse bonam et veram; nam eam tuetur Paulus in tota epist. ad Galatas, ergo sententia Jacobi, quam synodus tota sequuta est, fuit mala et falsa, quae nimirum jussit gentes abstinere a sanguine, et suffocato, quod nihil aliud est, quam judaizare. Item Lutherus in lib. de conciliis, parte prima, multa dicit de hac lege apostolorum, et quamvis non audet asserere fuisse malam, tamen inde probat, concilium nihil prodesse, quia non potest defendi ista lex, nisi dicamus concilium non obligare.

Respondeo: Non desunt veteres, qui negent concilium apostolorum, quidquam praecepisse de abstinentia ab esu sanguinis, et suffocatorum animalium.

Irenaeus enim lib. 3. cap. 12. hunc locum bis adducens; semper omittit suffocatum, et nomine sanguinis videtur intelligere homicidium. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum circa finem aperte dicit, apostolos tantum praecepisse, ut abstinerent ab idololatria, fornicatione et sanguinis effusione. Chrysostomus et Oecumenius in hunc locum, intelligunt per suffocatum homicidium. Nibilominus tamen in omnibus codicibus graecis et latinis invenimus sanguinem, et suffocatum, et constatex Tertull. in Apologetico, cap. 9. et ex concilio gangrensi, can. 2. per multos annos servatum in Ecclesia hoc praeceptum, ita, ut non vescerentur Christiani sanguine, nec suffocatis animalibus. Et praeterea

nulla erat ratio, cur apostoli prohiberent homicidium; solum enim voluerunt prohibere quaedam, de quibus gentiles dubitabant, an essent peccata, homicidium autem esse peccatum apud omnes semper in confesso fuit.

Respondenus igitur: Apostolos in primis prohibuisse fornicationem, quia illa non videbatur peccalum gentilibus, cum nullis legibus puniretur; Deinde imperasse abstinentiam ab immolatis simulacrorum, sanguine, et suffocato, non ut legis veteris observantiam, sed ut sua, idest, apostolica praecepta, idque in eum finem, ut facilius Ecclesia, ex Judueis et gentibus coalesceret. Non enim potuissent in illis initiis Judaei ferre gentilium societatem, si eos vidissent vesci carnibus immolatitiis, aut sanguine, aut suffocato, a quibus illi valde abhorrebant. Postea vero quam Ecclesia crevit, et finis ille legis cessavit, lex etiam per se cessavit. De qua re sic loquitur s. Augustinus lib. 32. contra Faustum cap. 13. Si hoc tune apostoli praeceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne praefocatis carnibus vescerentur elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, et nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam gentes propter angularem illum lapidem.duos parietes in se condentem, aliquid communiter observarent. Et infra: Transacto vero illo tempore, quo illo duo parietes, unus ex circumcisione.alter ex praeputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant: et ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est.aut leporem non edal si manu in cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a caeteris irridentur. Haec ille.

Itaque, neque concilium erravit neque Jacobus Petri sententiam mutavit, sed antequam res definiretur, putavit addendum sententiae Petri hoc praeceptum positivum, et temporale, et postea ex communi sententia res definita est. Vide Hieronymum in epistola ad Augustinum, quae est 11. inter epistolas Augustini, ubi dicit, Jacobum, et omnes alios Petri sententiae acquievisse:

Quarto, proferent concilium neocaesariense, confirmatum a Leone IV. dist. 20. can. De libellis, et receptum in concitio nicaeno I.ut dicitur in concilio florentino sess. 7. Nam in hoc concilio can. 7. invenitur exploratus error, quo prohibentur secundae nuptiae: Presbyterum (inquit concilium) convivio secundarum nuptiarum interesse non debere maxime cum praecipiatur secundis nuptiis poenitentiam tribuere. Quis erit ergo presbyter, qui, propter convivium.illis consential nuptiis.quas tamen Paulus concedit 1. Cor. 7. Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino?

Respondeo: Concilium loqui de eo, qui duas simul uxores habet, ut exponit recte Glossà 31. quaest.

1. can. De his qui frequenter. Vel secundo dici potest, non prohiberi secundum matrimonium, sed

solemnitatem secundi matrimonii, cui solemnitate proprie convenit nomen nuptiarum. Celebritas enim nuptiarum tantum semel in Ecclesia fleri consuevit, nimirum quando virgines conjunguntur, ut Isidorus testatur lib. 2. de officiis cap. 19. ubi dicit, solum in primis nuptiis dari annulum, et velum quoddam, partim album, partim rubeum, quod flammeum dicebatur; a quo velo nuptias dictas, quia nimirum co velo obnubuntur capita novarum nuptarum, testatur Ambrosius lib.1. de Abraham cap. 9. Canon igitur ille prohibet, ne presbyter celebritati secundi matrimonii intersit, quin potius poenitentiam injungat iis, qui contra morem Ecclesiae in secundo matrimonio ejusmodi celebritatem adhibuerint.

Quinto, proferunt nicaenum concilium primum, de quo Lutherus in libro de conciliis part. 1. dicit, se non intelligere Spiritum sanctum in isto concilio; nam in uno canone dicit, non esse idoneos ad sacerdotium eos, qui se castravèrunt; in altero prohibet, ne sacerdotes habeant uxores, et tandem ita concludit pag. 92. An vero nihil aliud est negotii Spiritui sancto in conciliis. quam ut impossibilibus, periculosis, non necessariis legibus suos ministros obstringat et oneret? Ibidem Lutherus refert canonem erroneum nicaeni concilii de rebaptizandis Paulianis, et similem concilii Iconii ex lib. 7. histor. Eusebii cap. 6. Item Lutherus ibidem , Brentius et Hermannus, damnatam esse militiam asserunt in eodem concilio, quam tamen constat ex approbatione Joannis Baptislae Luc. 3. esse licitam. Sic autem habet canon 11. concilii: Qui vere per Dei gratiam vocati primo quidem ostenderunt fidem suam, deposito militiae cingulo, post haec autem ad proprium vomitum reversi sunt, ut et pecunias darent, et ambirent redire rursum ad militiam; isti decem annis sint inter poenitentes, postquam triennio fuerint inter audientes, idest, catechumenos.

Respondeo: Concilium nicaenum tantae semper apud omnes Patres fuisse auctoritatis, ut mirum sit, Luthero in mentem venire potulsse, ut aliquid adversum hoc concilium scriberet. Sed nimirum ita oportuit haereticos prodi, dum ea vituperant, quae omnis catholica Ecclesia semper probavit. Sed ad rem. Displicet Luthero injunctam ecclesiasticis viris legem continentiae, ideoque concilium errasse clamat. At nobis Lutherus errat, et verbo, et facto, non concilium; de qua re propria instituetur suo loco disputatio.

Quod autem reprehendit canonem de rebaptizandis Paulianis, ignorantiam suam prodit. Pauliani enim, cum purum hominem Christum crederent, et Trinitatem aperte negarent, non baptizabant in nomine Trinitatis; proinde nec vere baptizabant.Porro concilium Iconii particulare fuit, et improbatum a summo pontifice, sicut concilium carthaginense sub Cypriano celebratum, qualia concilia nos minime defendimus.

Jam quod altinet ad militiam, nicaena synodus non prohibet militiam, nisi quatenus aliquando signum est idololatriae. Sciendum enim est, olim cingulum militiae fuisse rem magni honoris, et etiam commodi, propter magna privilegia concessa militibus: et propterea antiquos illos imperatores ethnicos, tempore persequutionis consuevisse auferre cingulum militiae, et exauthorare cos, qui Christiani inveniebantur, et fidem negare nolebant. Quod patet ex Eusebio lib. 8. hist. cap. 4. ubi dicit, initium persequutionis Diocletiani coepisse a Christianis, quibus militia negabatur, nisi immolarent idolis. Et lib. 9. cap. 10.dicit, Licinium quoque initio suae persequutionis, Christianos de palatio, et de omni militia expulisse. Item ex Ruffino, qui lib. 10. hist. cap. 32. ubi de Juliano ait, militiae cingulum non dari, nisi immolantibus, jubet; et lib. 11. c. 2. dicit, Valentinianum a Deo recepisse imperium, quia pro ejus fide, tempore Juliani, militiae cingulum spreverat.

Quoniam ergo tunc quidam Christiani milites ardore fidei cingulum abjiciebant, malentes potius sine honore, quam sine fide vivere; deinde autem seducti a diabolo, iterum ambiebant cingulum, parati sidem negare: ideo concilium in hos lam severam poenitentiam constituit. Haec ita esse patet; Primo, ex Theodoro Balsamone et Zonara, qui ita exposuerunt in commentariis horum canonum. Secundo, ex Russino, qui lib. 10. hist.cap. 6. enumerans canones nicaeni concilii. hune ita ponit: Qui propter confessionem militiam abjecerant etc. Tertio ex ipso canone; nam toto canone agitur de lapsis; et primum quidem de iis, qui ob metum vitae, aut opum amittendarum lapsi fuerant, negando tidem injungit concilium poenitentiam decem annorum; deinde iis, qui militiam ambierant, quam pro tide contempserant, injungit tredecim annorum poenitentiam, quia nimirum isti gravius lapsi erant; priores enim simpliciter negaverant, isti autem post gratiam confessionis negaverant, in quo major ingratitudo erga Deum invenitur.

Sexto, profert Hermannus concilium arelatense II.in cujus secundo canone sic dicitur: Assumi aliquem ad sacerdotium, in vinculo conjugii constitutum, nisi fuerit promissa conversio, non oportet. Hie duos errores notat Hermannus Hamelmannus. Unum, quod non liceat sacerdotibus uti suis uxoribus, cum id sit contra concilium gangrense, in cujus can. 4. excommunicantur ii, qui nolunt interesse sacrificio, quod offertur a presbytero conjugato. Est autem gangreuse concilium receptum a Leune IV. dist. 20. canon. De libellis. Immo etiam contra concilium nicaenum, in quo approbata est sententia Paphnutii, qui censuerai, non debere prohiberi ecclesiasticos a consuetudine cum propriis uxoribus, ut patet ex Socrate lib.1. cap. 8. ex quo sequilur, necessario errare concilium arelatense, vel concilium gangrense, et nicaenum alterum errorem notat in illa voce Conversio, non enim convertimur, nisi a malo ; qui ergo jubet conjugatum converti, conjugium damnat, quae est haeresis damnata in eodem gangrensi concilio can. 1.

Respondeo: Illa concilia non pugnare inter se, nec ullum eorum errasse; nam concilium gangrense edidit canones contra eos, qui putabant, nuplias, et esum carnium absolute esse mala, et a diabolo; quae fuit haeresis Manichaei, et postea Eustathii Sebasteni, contra quem gangrense concilium celebratum est. Quia ergo haeretici isti ita horre-

bant nuplias, ut etiam presbyleros, qui uxores habucrant, etiamsi jam eas non haberent (saltem quasi uxores) ferre non possent; ideo concilium etiam istum canonem addendum putavit. Unde in ipso canone sic habemus: Quicumque discernit, a presbytero, qui uxorem habuit, quod non oportet, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit. Ubi vides agi de eo, qui habuit uxorem, non qui habet.

Ad illud de concilio nicaeno supra respondimus, non fideliter narratam esse historiam a Socrate. Ac, ut alia nunc argumenta praetermittamus, id satis colligitur ex isto concilio arclatensi. Hoc enim concilium celebratum est mox finito nicaeno concilio, et in eo recepti sunt canones nicaeni, ut patet ex eo, quod fere omnes in hoc concilio repetuntur. Cum ergo etiam istum hic inveniamus, sine dubio, vel hic etiam fuit in concilio nicaeno, vel saltem non est ei contrarius; nulli enim unquam catholici repugnaverunt nicaeno concilio.

Ad ultimum dico, conversionem non solum dici a statu malo ad bonum, sed etiam a bono ad meliorem, quare Gregorius lib. 2. epist. 100. vocat conversionem, professionem monachatus, et exstat titulus in jure canonico de conversione conjugatorum.

Septimo, profert Hermannus Hamelmannus sirmiense concilium, quod videtur receptum, quia damnata est in co haeresis Photini, et tamen aperte in eo concilio confirmata est haeresis ariana. Idem dici potest de sardicensi, quod receptum est a Leone IV. dist. 20. can. De libellis. Et tamen b. Augustinus lib. 3. contra Cresconium cap. 34. dicit: Disce, inquit, quod nescis, sardicense concilium Arianorum fuit etc.

Respondeo: Hacc argumenta procedere ex ignorantia historiarum; multae siquidem confessiones editae sunt in concilio sirmiensi, praeter Photini damnationem, aliae catholicae, aliae haereticae, ut nos supra docuimus, et perspicuum est ex Hilario in lib. de synodis. Sardicense autem mox in duas partes divisum fuit, et quidem una pars, quae erat occidentalium 300. episcoporum, cum quibus etiam erant legati Julii papae, pro fide catholica et Athanasio restituendo fuit; ut patet ex Ililario lib. de synodis, et ex Athanasio in Apologia secunda, atque hanc partem confirmavit Leo IV. Altera pars fuit orientalium 70. episcoporum, qui seorsim convenientes fidem catholicam, et Athanasium damnaverunt. Et de hac loquitur Augustinus, qui etiam non videtur legisse aliud ex concilio sardicensi. quam id, quod orientales miserant ad Africam, ut unirent sibi Donatistas.

Octavo, profert idem Hermannus Hamelmannus concilium laodicaenum, in cujus primo capite statuitur, ut secundum indulgentiam reddatur communio iis, qui secundis nuptiis juncti sunt: Ex quo videtur, concilium antea abstulisse communionem iis, qui secundo uxorem duxerant, et postea illam eis reddere condonando peccatum; id enim siguificat; secundum indulgentiam.

Respondeo primo: Fortasse loquitur concilium de iis, qui in secundo matrimonio adhibent solemnitatem, ut diximus de concilio neocaesariensi. Secundo dico, concilium non errasse, etiamsi loquatur de secundo matrimonio, sed errorem potius correxisse; apparet enim ex hoc loco, aliquos episcopos particulares, ex zelo, non secundum scientiam, negasse communionem bigamis, quorum errorem concilium corrigit, et jubet bigamis communionem restitui; nam etiam ideo initio canonis vocat nuptias bigamorum liberas et legitimas. Illud vero, Secundum indulgentiam, sumptum est ex Paulo 1. Corinth. 7. qui ait, Usum conjugii se non imperare, sed indulgere. Ut ergo Paulus cum ait, se indulgere usum conjugii, non vult dicere, se ignoscere peccatum, sed se concedere minus bonum, quamvis optaret majus bonum ab illis teneri; ita concilium hoc dicit, se indulgere secundas nuptias, idest concedere, ut minus bonum, quamvis cuperet magis eligi viduitatem, quae est bonum quoddam excellentius conjugio.

Nono, profert Hermannus Hamelmannus, concilium secundum generale, in cujus can. 5. duo inveniuntur errores, pugnantes cum aliorum conciliorum decretis, Unus est, quod primatus ecclesiasticus sit romani pontificis: Alter, quod post romanum pontificem debeat esse immediate episcopus constantinopolitanus; quae duo iterum renovata sunt in concilio chalcedonensi act. ult. Primus error pugnat cum concilio nicaeno, in cujus can. 7. tribuitur primatus episcopo hierosolymitano; et cum concilio III. carthaginensi cap. 26.ubi decernitur, neminem debere vocari principem sacerdotum, aut summum sacerdotem. Secundus error pugnat cum concilio nicaeno can. 6. ubi tribuitur secundus locus alexandrino, tertius antiocheno episcopo, quem canonem frequenter citat Leo I. in epist. 53. 54.

Respondeo: Primum non esse errorem, nec pugnare cum ullo concilio. Quod autem adducit Hermannus ex can. 7. concilii nicaeni, nihil valet. Ibi enim tribuitur hierosolymitano episcopo aliquis honor, non tamen primatus in omnem Ecclesiam. Immo aperte subjicitur in eo concilio sedes hierosolymitana, non solum sedi romanae, alexandrinae et antiochenae, sed etiam caesariensi, quae Palaestinae metropolitana sedes erat, ut patet tum ex can. 6. et 7. ipsius concilii, tum ex Leone locis notatis, et ex s. Hieronymo in epist. ad Pammachium de erroribus Joannis hierosolymitani. Quod vero addit ex concilio carthaginensi, adhuc magis est impertinens; nam concilium illud nationale fuit, nec ferebat leges universae Ecclesiae, sed tantum episcopis Africae. Itaque non prohibuit, nec potuit prohibere, ne romanus pentifex diceretur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, sed tantum ne ita appellaretur ullus metropolitanus Africae.

Secundus error non proprie potest dici error, decretum enim illud de honore sedium, sicut a concilio nicaeno factum fuerat, ita poterat ab alio simili concilio matari. Tamen quia sine justa ratione mutabatur a concilio constantinopolitano, et postea a chalcedonensi pontifices romani Damasus et Leo illud probare noluerunt, naque eorum pontificum temporibus decretum illud exequationi mandatum est, ut petet ex Leone epist. 53. ad Anatolium, ubi loquens de decreto concilii constantino-

politani: Frustra, inquit, quorundam episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negavit effectum. Et in epist. 55. ad Pulcheriam, loquens de decreto concilii chalcedonensis: Consensiones, inquit, episcoporum canonum apud Nicaeam conditorum, regulis repugnantes, in irritum millimus, et per auctoritatem b. Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus.

Decimo, profert Hermanus Hamelmannus concilium carthaginense III. can. 47. ubi humerantur in canone Scripturarum aliquot libri apocryphi. ut Tobias, Judith, Baruch, Sapientia, Ecclesiasticus et Machabaei, contra auctoritatem concilii laodiceni cap. ultimo, ubi isti omues libri rejiciuntur a canone.

Respondeo in primis: Concilium carthaginense esse majoris auctoritatis, quam laodicenum; tum quia posterius, tum etiam quia nationale fuit, episcoporum 44. et praeterea confirmatum a Leone IV. dist. 20. can. De libellis: Laodicenum autem fuit provinciale episcoporum 22. et non confirmatum a pontifice. Itaque hic posset habere locum, quod ait Augustinus, concilia priora emendari a posterioribus. Dico tamen secundo, neutrum concilium errasse. Nam concilium laodicenum posuit in canone eos libros, de quibus episcopi ejus concilii certi erant, alios autem omisit, non quidem negans, eos esse canonicos, sed nolens rem dubiam definire; concilium autem carthaginense re magis discussa definivit id, quod prius concilium reliquerat sub dubio.

Undecimo, profert concilium toletanum I. in cujus can. 17. scribitur, posse admitti ad communionem eum, qui concubinam habet, modo non sit uxoratus, et est hoc concilium jussu Leonis I. celebratum, ut patet ex cap. 21. Respondeo: Hoc loco concubinam vocari uxorem ductam sine dote, et externa solemnitate, ut recte a Gratiano notatum est dist. 34. canon. Omnibus; quod est conforme juri civili, ut patet ex Novella 18. Justiniani. Quomodo Genesis 25. Agar et Cethura dicuntur concubinae Abrahae, quae tamen verae uxores erant, ut patet ex Gen. 16. de Agar, et Gen. 25. de Cethura.

At objicies, quia beatus Leo, qui hoc concilium sieri jussil, et probavit in epist. 92. ad Rusticum narbonensem cap. 4. loquens de uxore et concubina, dicit: Concubinam non esse vere uxorem, neque conjunctionem cum ea esse sacramentum, vel matrimonium; et propterea eam mulierem, quae nubit viro habenti concubinam, non peccare quasi nubat homini conjugato, quia vir habeas concubinam, non potest vocari conjugatus. Respondeo: Leonem aliter accipere nomen concubinae, quam Patres ejus concilii acceperint; ipse enim vocat concubinam eam, quae assumitur ad consortium thori, sine mutuo consensu perpetuo vivendi. Concilium autem vocat concubinam eam, quae ducitur cum ee consensu, sed privatim expresso, non per publica instrumenta.

At, inquies, si Leo fuit auctor hujus concilii, quomodo absolute negavit, concubinam dici posse uxorem? Respondeo: Leonem non fuisse auctorem totius concilii, sed tantum ultimi canonis. Initio enim concilii, dicitur, concilium hoc congregatum

tempore Honorii et Arcadii imperatorum, quo tempore nondum crat pontifex Leo; ipse enim creatus est tempore Theodosii junioris, triginta tribus aunis post mortem Arcadii, ut patet ex Chronico Prosperi. Deinde in ultime capite ponitur quaedam explicatio fidei, quae dicitur facta jussu Leonis papae. Quae non possunt cohaerere, nisi dicamus concilium toletanum habitum fuisse ante tempora Leonis; sed postea, tempore Leonis, factam fuisse illam explicationem fidei, et annexam eidem concilio, quia iidem episcopi huic explicationi subscripserunt, qui antea in concilio fuerant. Et certe magna conjectura hujus rei esse potest, quod videamus, ante illam explicationem fidei poni episcoporum subscriptiones, quibus finitur concilium; et deinde rursum alias eorundem subscriptiones post illam explicationem fidei. Itaque s. Leo non confirmavit, nisi ultimum illum canonem suo tempore factum.

Duodecimo, profert Hermannus Hamelmannus concilium wormatiense, in cujus canone tertio invenitur exploratus error: Jubentur enim fures occulti explorari per sacrae eucharistiae perceptionem. Quem esse errorem decet beatus Thomas part. 3. quaest. 80. art. 6. ad 3. Respondeo: Concilium fuisse provinciale, non confirmatum, immo potius reprobatum, quoad illum canonem, a summis pontificibus, ut ibidem b. Thomas ostendit.

Decimotertio, proferunt alii canones VI, synodi. ·Illi enim canones videntur recepti; nam Adranus I. in epistola ad Tharasium, quae est in secund. act. VII. synodi, dicit, hos canones divine et legaliter praedicatos. Item Nicolaus I. epist. ad Michäelem et Innocentius III. cap. A multis, extra de'aetale ordinandorum, et VII. synodus act. 2. 3. 4. 5. et 6. his canonibus utuntur. At inveniuntur in his canonibus magni errores. Nam can. 2. recipitur concilium sub Cypriano de rebaptizandis haereticis: quod erroneum fuisse probat Augustinus passim in libris septem de baptismo. Item can. 72. judicantur irrita, et solvenda conjugia catholicorum cum haereticis, qui est expressus error; Etsi enim peccat catholicus ducens haereticam uxorem, et contra; tamen matrimonium est sacramentum propter characterem baptismi, quem haereticus retinet, et ideo tale conjugium solvi non potest.

Respondeo: Non solum hos duos, sed etiam multos alios canones esse erroneos in istis canonibus, sed non sunt editi isti canones ab ulle legitimo et probato concilio. Constat enim ex Tharasio in VII. synodo act. 4. hos canones non esse editos a VI. synodo, quae fuit tempore Agathonis et Constantini, sed post multos annos tempore Justiniani II. imperatoris, cui concilio non adfuit romanus pontifex, nec per se, nec per legatos, neque postea concilium confirmavit, sed aperte reprobavit, ut testatur Beda in lib. de sex actatibus in Justiniano, et Paulus diaconus in vita ejusdem Justiniani, et Platina in vita Sergii.

Ad verba Adriani respondeo: Illum solum recitare sententiam Tharasii, nec refellere, quia ille can. 82. de picturis, utilis erat eo tempore ad quaestionem de qua agebatur. Ad Nicolaum respondeo: Verba ejus esse pro nobis; dicit enim, se citare il-

BELLARMINI. Vol. H.

lum canonem Graecorum, quomodo Paulus citavit verba ethnicorum poetarum. Ad Innocentium dico: Eum nihil ibi definire de his canonibus, sed tantum citare unum canonem ex istis. Quod autem citaverit nomine VI. synodi, factum est, vel quia sic vocantur communiter, licet vere non sint; vel quia Innocentius ex Gratiano dist. 32. can. Si quis, hunc canonem accepit; Gratianus autem saepe in hac parte erravit, tribuens opera iis, quorum non sunt. Ad VII. synodum dico, semper citari hos canones a privatis hominibus in ea synodo inter disputandum, non tamen aliquid definiri a tota synodo. Nam definitio concilii habetur act. 7. tantum; ibi autem nulla sit mentio horum canonum. Vide Franciscum Turrianum in libro de VI. synodo, et ea quae nos disseruimus de his canonibus tom. 1. lib. 2. de pontif. cap. 14.

Proferunt decimoquarto Hermanus Hamelmannus lib. 3. prolegom. cap. ult. Calvinus lib. 4. instit. cap. 11. § 14. et sequent. et lib. 4. cap. 9. § 9. necnon Magdeburgenses Cent. 8. cap. 9. syndoum VII. nicaenam II. quamdicunt pugnare cum duebus conciliis: uno priore, idest, constantinopolitano, sub Constantino Copronymo; altero posteriore, francofordiensi, sub Carolo Magno; ita et sive sit sequenda regula beati Augustini lib. 2. de baptismo cap. 3. qui vult priora concilia a posterioribus emendari, sive regula sancti Isidori apud Gratianum distinct. 50. canone, Domino sancte, qui docet, antiquiora concilia recentioribus anteponenda; necessarium sit hoc nicaenum esse rejiciendum.

Quod pugnet nicaenum secundum cum antiquiore constantinopolitano, patet ex ipso nicaeno II. act. 6. ubi fatentur Patres tempore superioris imperatoris definitum fuisse in concilio constantinopolitano, imagines non esse ullo modo colendas; quod vero pugnet cum concilio francofordiensi posteriore, in quo etiam legati romani pontificis fuerunt, probant adversarii. Primum ex Adone, Aimonio, Abbate urspergensi, Platina, aliisque historicis, qui ubi loquuntur de temporibus Caroli et Adriani, dicunt, in synodo francofordiensi damnatam VII. synodum Graecorum, secundo, probant ex libris quatuor Caroli Magni; qui nuper prodierunt, idest, anno 1549. iis enim libris Carolus Magnus totis viribus contra imagines et VII. synodum pugnat, et ibidem legimus, hos ipsos libros in francofordiensi synodo approbatos.

Respondeo! Nicaenam synodum cum nullo legitimo concilio pugnare. Ac primum, quod allinet ad constantinopolitanum sub imperatore Constantino Copronymo, constat illud non fuisse generale. nec legitimum ullo modo, cum in eo non interfuerit romanus pontifex, nec per se, nec per legatos: ut Joannes, Zonaras et Cedrenus referent in vita Constantini Copronymi, et idem fatentur Magde, hurgenses Cent. 8. cap. 9. colum. 551. Sine pontifice autem romano non posse accumenica concilia celebrari, patet ex regula nicaeni concilii, quae est apud Socratem lib. 2. cap. 13. Quid, quod nec adfuerunt tres alii praecipui patriarchae, alexandrinus, antiochenus, hierosolymianus, ut ex eisdem Zonara. Cedreno et Mandeburgensibus patet.

Quomodo ergo generale concilium dici potest, cui neque oriens, neque occidens, neque meridies consensit, sed pauci duntaxat.episcopi ex aquilone? Denique, quotquot exstant historici, tum Graeci ut Zonaras, Psellus, Photius, Nicetas; Cedrenus; tum Latini. ut Rhegino, Sigebertus, Ado, Paulus diaconus, Urspergensis, aliique permulti; omnes concilium hoc vel aperte reprehendunt, vel inter concilia Ecclesiae non numerant.

De concilio autem francofordiensi, quo praecipue nituntur adversarii, dico tria. Primo, quidquid illud concilium definierit, non esse magni faciendum; nam sine dubio illi anteponendum est concilium nicaenum II. quod certum est fuisse universalius, antiquius, et sine controversia a summo pontifice approbatum. Nam constat ex ipso concilio, adfuisse legatos papae Adriani, et rursum approbatum a Leone III. patet ex Ivone 4. part. cap. 147.

Dico secundo, si verum est quod dicunt Centuriatores Cent. 8. cap. 9. col. 639. nihil nobis eam synodum obesse; nam ipsi dicunt, synodo francofordiensi non consensisse, sed repugnasse Adrianum et legatos ejus. At certum est, synodum, cui repugnat rom. pontifex, nullius esse auctoritatis, ut patet, tum ex Gelasio, in tomo de vinculo anathem. tum experientia. Nulla enim synodus unquom habita est legitima, cui rom. puntifex repugnaverit. Quid, quod ipsa synodus francofordiens. hoc ipsom docet, nam ut ex Carolinis libris patet, synodus francofordiens. decrevit, judicium ultimum controversiarum ad romanum pontificem pertinere, et hoc praecipuo argumento refellit synodum septimam, quia existimavit sine auctoritate romani pontificis celebratam; Ergo synodus francofordiensis testimonio Magdeburgensium seipsam destruit.

Praeterea ibidem Magdeburgenses dicunt, synodum nicaenam ab Adriano confirmatam, concilium autem francofordiense reprobat synodum factam sine papae auctoritate; ergo judicio Magdeburgensium, non est Nicaena nostra, sed aliqua alia, quae reprobatur in concil. francofordiensi. Denique, ibidem docent Magdeburgenses, in synodo francofordiensi non esse definitum, ut imagines tollantur e templis, sed ut in templis quidem maneant, at non adorentur. Cur ergo ipsi e templis imagines tollunt? cur frangunt? cur non servant francofordiense decretum? Ex quo etiam refellitur mendacium apologiae Anglorum, quae docet, in concilio francofordiensi decretum, ut imagines delerentur. At e contrario synodus francofordiensis, testimonio librorum Carolinorum, Hincmari, et ipsorum Magdeburgensium, anathema dixit iis, qui imagines delere volunt. Praeterea, res ipsa idem ostendit; nam si ea synodus id statuisset, cur non esset factum? Quis enim resisteret in occidentali Ecclesia decreto episcoporum omnium, et regis potentissimi? Non esse autem factum, corto certius est; nulli enim historici id referunt. Immo Jonas Aurelianensis, tanquam rem novam, et sacrilegam refert, quod Claudius taurinensis in sua divecesi imagines delere voluerit.

Tertio dico, rem esse incertissimam, quid statutum sit de imaginibus in synodo francofordiensi: nam antiqui auctores non sibi constant. Nam in primis ipsum decretum francofordiense, quod citatur praefatiope librorum Carolinorum, testatur in synodo francofordiensi damnatam synodum, quae Constantinopoli convenerat, etimagines adorari jusserat. Ubi cum nominat Constantinopolim, videtur loqui de synodo haereticorum contra imagines. At cum dicit, ibi deeretum, ut imagines adorentur; videtur loqui de synodo catholicorum.

Pari ratione libri ipsi Carolini dicunt, in synodo francofordiensi damnatam synodum, quae faeta fuerat Constantinopoli in Bithynia sine auctoritate papae, pro imaginibus adorandis, ubi cum nominat Constantinopolim, et dicit, a synodo abfuisse papae auctoritatem, videtur loqui de synodo haereticorum; cum autem dicit in Bithynia, et pro imaginibus synodum celebratam, videtur loqui de nostra Niçaena Nam Nicaea est metropolis Bithyniae, Constantinopolis autem in Thracia est.

Jam vero Hinemarus Remensis cap. 20. libri contra Hinemarum Laudunensem, qui ipso fere tem-pore floruerat, dicit, in synodo francofordiensi damnatam synodum, quae Nicacae convenerat sine papae auctoritate, ubi etiám duo contraria conjungit. ut patet. Aimonius lib. 4. cap. 85. de gestis Francorum et Abbas urspergensis in Chronico anni 793. scribunt, in synodo francofordiensi damnatam sentimam synodum Graecorum, quae convenerat Constantinopoli sub Constantino et Irene. Ubi etiam ipsi contraria jungunt inter se. Multi autem histo. rici recentiores dicunt, in synodo francofordiensi damnatam synodum de tollendis imaginibus.quam Graeci septimam generalem dicebant. Ita Platina in vita Adriani, Blondus decadis 2. lib. 1. Sabellicus lib. 8. Enneadis 8. Paulus Aemilius lib. 2. de gestis Francorum.

Propter hanc confusionem Alanus Copus Dialogo 4. et 5. docet, in synodo francofordiensi solum damnatam synodum constantinopolitanam haereticam, nicuenam autem non solum non damnatam, sed etiam confirmatam, quam sententiam optarem esse veram, sed tamen suspicor esse falsam.

Primo, quia libri illi Carolini licet falso inscribantur Carolo, ut dicemus, tamen sine dubio scripti sunt tempore Caroli, ut patet ex refutatione eorundem librorum, quam edidit Adrianus I.et scripti videntur in concilio francofordiensi, et acta continere synodi francofordiensis. Id enim asserit Hincmarus ejus temporis auctor, et ipsi libri hoc prae se ferunt. Quod autem synodus, quae in his libris refutatur, sit vere nicaena II. dubituri non potest, si legantur vel ipsi libri, vel Adriani responsio.

Secundo, quia auctores antiqui omnes conveniunt in hoc, quod in concilio francofordiensi sit reprobata synodus VII. quae decreverat, imagines adorandas. Ita Hincmarus, Aimonius, Rhegino, Ado. et alii passim docent. Dicere autem hos omnes mentiri, vel libros eorum esse corruptos, ut Copus dicit, videtur mihi paulo durius.

Tertio, quia si isti auctores loquerentur de falsa VII. synodo, idest, de synodo constantinopolitana contra imagines, cerle meminissent etiam in suis historiis synodi nicaenae vere VII.At non meminerunt ullius concilii VII. nisi istius, quod reproba tum dicunt. Neque obstat, qued libri Carolini, ut Abbas urspergensis et Aimonius dicunt, reprobant synodum Constantinopoli habita; Nam Abbas sequutus est libros Carolinos, ut etiam Aimonius:auctor autem corum librorum vel lapsu memoriae, vel ex imperitia posuit Constantinopoli pro Nicaena. Nam alioqui cum dicat, synodum celebratam in provincia Bythiniae, ubi Nicaea est, non Constantinopolis, satis indicat, se de Nicaea loqui, et similiter Abbas, et Aimonius cum dicant, synodum celebratam sub Constantino et Irene, clare demonstrant se loqui de nicaena synodo, etiamsi per errorem nominent Constantinopolim.

Neque ctiam obstat, quod Hincmarus et libri Carolini dicant, synodum reprobatam in concilio francofordiensi, fuisse coactam sine auctoritate papae, quod est falsum de nicaena, et verum de constantinopolitana. Nam Hincmarus sequutus est libros Carolinos, ut ipse indicat; auctor autem eorum librorum hoc mendacium finxit, cum aliis multis, ut imponeret synodo francofordiensi, ut mox dicemus.

Neque obstat ultimo, quod Platina, Blondus, Sabellicus' et Paulus Aemitius dicant, reprobatam synodum de tollendis imaginibus. Nam in primis isti omnes recentiores sunt. Deinde, quod ipsi dicunt, non pugnat cum antiquorum historicorum dictis; Nam in synodo francofordiensi duae synodi reprobatae fuerunt, nimirum constantinopolitana contra imagines et nicaena pro imaginibus, ut patet ex libris Carolinis et ex Hinemaro, et fortasse hace est caussa, cur antiquorum historicorum aliqui nominent Nicaeam, aliqui Constantinopolim, cum dicunt, synodum Graecorum reprobatam in concilio francofordiensi.

Videtur igitur mihi, in synodo francofordiensi vere reprobatam nicaenam II. synodum, sed per errorem et materialiter, eo medo prorsus, quo olim synodus ariminensis damnavit homousion. Nam adctor librorum Carolinorum imposuit synodo; duoque mendacia 'ilii obtrusit. Unum mendacium fuit, in synodo nicaena, definitum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriae. Alterum, decretum illud factum a Graecis sine consensu papae romani. His duobus mendaciis pro veritate habitis, synodus francofordiensis reprobavit, et merito, nicaenam synodum, tanquam profanam et illegitimam.

Quod illa duo fuerint persuasa concilio, patet ex ipsis libris Carolinis; nam in praefatione diserte habetur hoc modo: Allata est in medium (scilicet in synodo francofordiensi) quaestio de nova Graecorum synodo.quam de adorandis imaginibus Constantinopoli secerunt, in qua scriptum habebatur, ul qui imaginibus sanctorum, ita ut deificae-Trinilati, servitium, aut adorationem non impenderet, anathema judicaretur. Qui supra "sanctissimi Patres nostri omnimodis orationem, et servitulem eis impendere renuentes, contempserunt, utque consentientes, condemnarunt. Haec ibi. In ipso etiam opere introducitur Constantinus episcopas Cypri, in concilio nicaeno anathema dicensiis, qui non adorant imagines eo cultu, quo ndoratur sauctissima Trinitas. En clare primum menda-

Idem auctor clare docet, ad summum pontificem

pertinere judicium controversiarum Adei, et ideo synodum illam pro adorandis imaginibus nihil valere, quod pontificis auctoritate careat.

Praeterea auctores illi antiqui, qui dicunt, rebrobatam esse falsam synodum, quae decreverat, imagines esse adorandas, sine dubio per illud Adorandas, intelligunt adorandas cultu latriae; nam ipsi quoque docent, imagines esse venerandas, et tamen execrantur illam synodum, quae jubet imagines adorari. Ado in Chronico anni 696. dicit. Romae in die exaltationis Crucis, a toto populo Crucem oseulari, et adorari solitam, et etiain in Chronico anni 717. vocat imaginem venerandam, quam everterat Philippicus haereticus, et restituerat Theodosius cetholicus imperator. Rhegino lib. 1, Chronici, sub finem, agnoscit Crucis adorationem; et deturbationem imaginum per Leonem iconomachum factam, scelus appellat. Joannes Aventinus lib. 4. annalium, dicit, Carolo Magno imperatore designato, imaginem ejus in templo ab omni populo veneratam, ipso praesente. Abbas urspergensis in Chronico, invehitur in Leonem Isaurum, et Constantinum Copronymum, propter imaginum dejectionem, cosque vocat impios, et Antichristi praecursores; et e contrario Gregorium papam laudat', et sanetum virum fuisse dicit, qui propter imagines Christi et sanctorum imperatorem excommunicavit.

Quod autem vere mendacia sint, quod synodus nicaena carucrit papae auctoritate, et quod decreverit imagines adorandas cultu latriae, certissimum est; nam in ipso concilio nicaeno II. act. 2. recitantur epistolae papae Adriani pro imaginibus, et in omnibus actionibus semper primi subscribunt legati romani; deinde quod ad cultum attinet, in 1. act. Basilius Ancyranus, qui antea fuerat haereticus, cum resipisceret, et confessionem catholicam ederet, toto concilio audiente et probante, dixit se imagines quidem colere, non tamen latria, cum ea soli debeatur Deo. Similiter Constantinus episcopus Constantiae Cypri in VII. synodo act. 3. loquutus est. Similiter loquuntur etiam caeteri act. 4.

Neque mirum videri debet, quod auctor librorum Carolinorum tam manifesta mendacia obtruserit synodo francofordiensi de nicaena synodo paulo ante habita; nam si nunc Magdeburgenses et Calvinus scribere audent, nos colere imagines divinis honoriuus plane, ut Deos, cum tot libri catholicorum, et ipsum generale concilium latinum, et in Germaniae finibus Tridenti celebratum, diserte clament contrarium; quid mirum, si idem confictum sit de synodo graeca, quam paucissimi legere poterant, et quae in eriente celebrata fuerat?

Si dicas, ergo saltem concilium francofordiense, quod frequentissimum fuit et legitimum, errare potuit. Respondeo: Potuit errare, et erravit non in juris, sed in facti quaestione, et praeterea non mirum si errare potuit; nam non consenserunt legati romani, ut Magdeburgenses dicunt. Papa autem non solum non consensit, sed etiam refutavit francofordiense decretum, ut patet ex libro Adriani de imaginibus ad Carolum, ubi refutantur omnia mendacia illerum librorum Carolinorum.

Quod autem ex libris Caroli adferunt, in quibus

praecipuum firmamentum causae suae constituunt; Dico, eos libros, neque esse Caroli,neque ejusmo-

di, quibus ulla fides haberi possit.

Quod Caroli non sint, probatur primo, quia exstat liber Adriani papae I. ad Carolum in quo libri isti accurate refelluntur, ex quo Adriani libro perspicue intelligitur, libros istos ab aliquo haeretico compositos, et a Carolo ad pontificem missos, ut eis responderet. Esse autem Adriani hunc librum, qui exstat in 3. tom. conciliorum, tum aliunde.tum etiam ex Ivone intelligi potest, qui multa ex hoc libro nomine Adriani in quartam partem sui decreti transtulit.

Secundo. constat ex historiis Graecorum et Latinorum, ut Zonarae et Cedreni in vita Leonis Isauri, necnon Pauli diaconi in vita ejusdem, romanos pontifices Gregorium III. Adrianum I. et Leonem III. defecisse a graeeis imperatoribus, eos excommunicasse, vecligalia eis tribui ex Italia prohibuisse, seque in tutelam Francorum contulisse, atque in eos tandem imperium transtulisse, ea de caussa praecipue, quod graeci imperatores haeresi iconomachorum patrocinarentur; cum e contrario Francoruin reges in fide antiqua constantes essent. Quomodo ergo verisimile est, Carolum imperatorem eadem haeresi luborasse, et pro errore Graecorum contra romantim pontificem scripsisse? Sed verba Zonarae audiamus: Igitur, inquit, papa Gregorius deserta imperatoris obedientia ob perversam illius opinionem , pacem cum Francis fecit ,`cum prius saepe dedisset operam, ut Leonem per literas.ab odio Dei revocaret,atque ad cultum sacrarum imaginum reduceret. Et infra in vita Irenes: Adriano veteris Romae papa mortuo, Leo suffectus est, vir reverendus et honorabilis, qui cum se ad Carolum Francorum regem contulisset, ab eo tempore Roma Franci politi sunt , Carolo a Leone coronato, el Romanorum imperatore appellato. Nam papa Gregorius nihil sibi rei esse voluit cum impiis Ecclesiae constantinopolitanae gubernatoribus et pacem cum Francis fecit.

Tertio, scribit Jonas Aurelianensis lib. 1.de Cultu imaginum (floruit autem Jonas tempore Ludovici Pii Caroli filii) Claudium taurinensem ejus haeresis patronum toto tempore, quo vixit Carolus, nunquam fuisse ausum mutire. Idemque ibidem, virum piissimum, ac sanctae memoriae Carolum Augustum appellat. Si ergo Iconomachi, vivente Carolo, non audebant haeresim suam praedicare; si defensores imaginum Carolum ut pium ac sanctum venerabantur, quanta impudentia est, libros contra

imagines Caróló attribuere?

Quarto, scribit Paulus Aemilias Ib. 2.hist.Francorum, necnon Rhegino in Chronico, in concilio quodam Gentiliaci coacto, Pipinum regem, Garoli Magni patrem, Graecorum errorem contra sacras imagines imperatoris graeci legatis praesentibus, confutasse; ex eodem quoque Paulo constat, non diu postea ad concilium, quod Romae Stephanus papa celebravit contra eundem Graecorum errorem, misisse Carolum Magnum episcopos duodecim, ex praecipuis regni. Qua ergo audacia adversarii christianissimum principem in Iconoclastam transformare nituntur?praesertim cum Paulo Aemi-

lio in hac parte assentiantur Magdeburgenses Cent. 8. cap. 9. col. 570.

Quinto, constat ex historicis omnibus, et ex ipsius Garoli epistolis, et carminibus; imo ex ipsis rebus gestis, Carolum et Adrianum semper conjunctissimos fuisse. Exstat adhuc Adriani epitaphium ab imperatore Carolo non minus eleganter, quam pie descriptum, apud Onuphrium in additione ad Platinam, cujus hoc est initium.

Hic pater Ecclesiae, Romde decus, inclytus auctor Adrianus requiem papa beatus habet. Vir, cui vita, Deus, pietas, lex, gloria Christus: Pastor apostolicus promptus ad omne bonum,

#### Et infra:

Post patrem Carolus lachrymans haec carmina scripsit, Tu mihi dulcis amor, te modo plungo pater. Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper. Cum Christo teneas regna beala poli.

Num credibile est igitur, Carolum alterius religionis ac fidei fuisse, quam Adrianum?et in ipsum Adrianum tam acriter scripsisse, cum eum tantopere

coluerit, et post obitum laudarit?

Denique certum est, Carolum hominem graece et latine peritum, prudentem et ingeniosum fuisse, libri autem isti hominis babari, imperiti, levis, ac pene stulti esse videntur. Nam Constantinopolim urbem notissimam in Bithynia esse dicit, cum nemo nesciat esse in Thracia, nisi forte quia frequentes ibi terraemotus fiunt, solum mutaverit. Deinde. concilium pro cultu imaginum Constantinopoli celebratum asserit, cum tamen Nicaeae celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit. Et quod gravius est, per calumniam et mendacium multa tribuunt isti libri nicaenis Patribus, quae nunquam dixerunt, et interdum quae adversarii dixerant: quale est illud, quod eucharistia sit imago corporis Christi, quod non solum Patres Nicaeni non defendunt. ut iste auctor somniat, sed etiam ex professo refellunt. Unde accepit Calvinus alterius mendacii occasionem. Quia enim Iconomachi dixerant, unam solum imaginem adorandam, idest, eucharistiam, atque hoc dictum Pseudo-Carolus nicaenae synodo tribuerat; Calvino placuit, ila rem totam immutare, ac dicere: Caeterum ne suo solemni, plaudite, fabula careat, additur clausula ( nimirum a concilio nicaeno). Gaudeant et exultent, qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi offerunt. Quod est mandacium impudentissimum. Concilium enim nicaenum tantum abest, ut voluerit imaginibus sacrificium offerri, ut diserte in act. 7. declaraverit, non veram latriam, sed honorariam tantum adorationem imaginibus deferri.

Accedat postremo, quod liber iste tanquam alter Melchisedech, est sine patre, sine matre, sine genealogia. Prodiit enim repente in lucem nec scitur quando, aut ibi, aut quomodo, aut a quo repertus, nec habet nomen auctoris, nec Impressoris, nec loci, ubi impressus est. Quae sunt omnia argumenta atque indicia fraudum. Sed esto, sit liber Caroli Magni, quid tandem adversarii obtinebunt? prorsus nihil. Auctor enim hujus libri diser-

te oppugnat omnia fere dogmata Catvinistarum; aperte enim docet, ad romanum pontificem pertinere ultimum judicium de controversiis fidei, et
eum non a conciliis, sed a Deo ipso primatum habere. Idem vult exorcismum adhiberi in baptismo,
templa dedicari certo ritu, orandum esse pro defunctis, sanctos invocandos, reliquias venerandas,
chrismatis, aquae salisque benedicti usum in Ecclesia retinendum; in eucharistia vere esse corpus
Christi, idque adorandum, et tanquam verum ac
proprium sacrificium offerendum, quae sunt omnes
exploratae haereses apud adversarios.

Si ergo volunt nos eredere huic auctori, cum docet nicaenam synodum errasse, credant eidem ipsi, cum asserit tam multa, quae jam enumeravimus. Quod si etiam constaret, Carolum ipsum hunc librum scripsisse, et in omnibus cum Calvinistis convenire, quid haberent aliud, quam testimonium unius hominis laici, et militis? quod opponere velle concilio generali episcoporum, stultita est manifesta. Nam ut recte ait Damascenus orat, 2:de imaginibus, Christus non commisit Ecclesiam regibus et imperatoribus, sed episcopis et pastoribus.

Decimoquinto, proferunt concilia duo inter se contraria, quibus tamen praefuerunt romani pontifices. Nam concilium remanum sub Stephano VII. irritavit omnia acta Formosi papae praedecessoris sui; deinde concilium ravennense sub Joanne IX. irritavit acta concilii sub Stephano, et approbavit acta Formosi. Vide Sigebertum in Chronico anni 903. Matth. Palmerium in Chronico anni 899: et Platinam in vitis horum pontificum. Respondeo r Quaestionem fuisse de facto, idest, an Formosus fuisset verus et legitimus papa; et quia Stephanus male informatus, censuit eum non fuisse papam, acta ejus irritavit. Quia vero Joannes postea re melius investigata, invenit contrarium, correxit errorem concilii prioris, juxta regulam Augustini, qui dicit, concilia priora aliquando emendari a posterioribus, nimirum in hujusmodi casibus particula-

Decimosexio, proferunt concilium romanum sub Nicolao II. in quo definitum est, non solum sacramentum corporis Christi, sed, et ipsum verum Christi corpus tractari, et frangi manibus sacerdotum, et fidelium dentibus atteri, ut patet ex can. Ego Berengarius, de consec. dist. 2. At hic est error manifestus contra resurrectionem gloriosam Christi, de qua dicit apostolus: Christus resurgens a mortuis, jam non moritur. Rom. 6. Si enim corpus Christi verum frangitur, et teritur, certe corrumpitur et moritur.

Respondeo: Numquam fulsse quaestionem, an Christi corpus vere, ut est in se, frangeretur manibus, et dentibus tereretur; certum enim est et semper fuit, Christi corpus incorruptibile nunc existens, non posse frangi et teri, nisi in signo sive sacramento, ita ut dicatur frangi ac teri, cum signum ejus, idest species panis frangitur et teritur. At quaestio fuit, an signum, quod frangitur et teritur, sit nudum signum, an vero contineat Christi corpus revera, et quia Berengarius docuerat esse nudum signum, ideo concilium constituens for-

mam abjerationis hujus erroris, voloit eum dicere, non solum sacramentum, sed etiam verum Christi corpus frangi et teri; quorum verborum hic est sensus: non teritur et frangitur nudum signum, sed etiam verum Christi corpus, idest, sed signum habens realiter conjunctum Christi corpus: sive, sed etiam verum Christi corpus ibi praesens existens, frangitur et teritur, non tamen in se, sed in signo. Quomodo etiam intelligimus, cum Chrysostomus homilia 83. in Matthaeum, ait: 0 quot, inquit, décunt, vellem ejus formam, ejus calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis.

Decimoseptimo, profert Hermannus concilium laleranense sub Innocentio III. in quo definitum est, habendum esse pro articulo fidei panem et vinum in sacramento transubstantiari in corpus et sanguinem Christi; At in concilio ephesino dicitur anathema omnibus proferentibus aliud symbolum

Respondeo primo: Lateranense concilium non composuisse ultum symbolum, sed tantum defluivisse unam quaestionem de fide, sicut fecerunt multa concilia post ephesinum. Secundo dico concilium ephesinum dixisse anathema proferentibus aliud symbolum, idest contrarium nicaeno, non autem aliud, idest, novum et explicatius. Tertio dico: Concilium ephesinum prohibuisse novi symboli compositionem episcopis, et conciliis particularibus, non autem summo pontifici, aut concilio generali; nemo enim in parem, vel majorem, habet praecipiendi auctoritatem.

Decimooctavo, proferunt concilium constantiense et basileense, nam illud sess. 13. excommunicavit omnes communicantes sub utraque specie, istud autem concessit utramque speciem Boemis. Respondeo: Quidquid sit de horum conciliorum auctoritate, dico en pon pugnare inter se; nam constantiense excommunicat eos, qui communicant sub utraque specie sine licentia Ecclesiae. Sic enim intelliguntur praecepta majorum; non enim qui praecipit, privat se auctoritate dispensandi concilium autem basileense dispensavit cum Boemis, eisque licentiam dedit communicandi sub utraque specie.

Ultimo, proferunt eadem concilia constantiense et basileense, quae statuunt concilium esse supra papam. cujus contrarium habetur in concilio lateranensi sess. 11. sed de hac re infra dicemus in fine hujus libri.

# CAPUT IX.

Solvitur objectio, ducta ex ratione.

Objiciunt postremo eam rationem. In omni coetu multitudinis saepe accidit, ut major pars vincat meliorem, igitur in conciliis Ecclesiae, ubi definiuntur omnia ad plura suffragia, facile fieri poterit, ut contingat error. Deinde esto, concilia legitima non possint errare, tamen quis novit, an ullum

fuerit unquam legitimum concilium? Nee enim est concilium legitimum, nisi episcoporum fidelium; quis autem scire potest, an qui iu concilio conveniunt, habeant veram fidem, et veram ordinationem? Denique in antiquis conciliis convenisse episcopos ex multis provinciis, quaestionem propositam diligenter examinasse, subscripsisse deinde sponte sua, non aliqua vi externa coactos; et alia, ejusdem generis fecisse, quae requiruntur ad legitima concilia, unde novimus, nisi ex fide historicorum? At historici (divinis exceptis) non raro mentiuntur, et certe non firmam et infallibilem fidem faciunt. Restat igitur, ut concidiorum decreta sint omnia dubia.

Respondemus: In coetibus humanis aliquando id accidere, ut major pars vincat meliorem: in concilio autem Ecclesiae, ubi Spiritus sanctus praesidet: et ubi Christus est in medio eorum, qui in nomine ipsius congregati sunt, et ubi ille adest, cui dictum est ab ipsa veritate: Rogavi pro te. ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos; non est quod tale aliquid timeatur. Nam etiamsi major pars resistat meliori; ut factum est in concilio ariminensi et ephesino II. tamen nunquam vincit; mox enim irritantur ejusmodi conciliorum acta ab eo, cui convenit ex officio fratres confirmare, quemadmodum in praedictis conciliis ariminensi et ephesino II. factum videmus.

Ad alteram objectionem responded, non esse necossarium, ut sciamus episcopos, qui ad concilium conveniunt, habere veram fidem, et veram ordinationem, sed satis esse, si non constet contrarium. Nam etiam si summus pontifex, quod fieri non posse credimus, et omnes episcopi, qui ad aliquod generale concilium a summo pontifice convocantur, essent corde haeretici, et solà externa professione catholici, nec vere accepissent sacri ordinis invisibilem characterem.sed nudam impositionem manuum; tamen certi sumus, Deum nunquam permissurum, ut ejusmodi concilium in decretis suis formandis erraret: Assistit enim concilio Spiritus sanctus, non tam propter ipsum concilium, quam propter Ecclesiam universam, quae divino praecepto tenetur, episcoporum sententiam non discutere, sed venerari. Itaque ne erraret Ecclesia universa, divina providentia faceret, ut etiam concilium illud episcoporum fictorum, vellet, nollet, verissimam fidem Ecclesiae sequendam proponeret. Proinde, ut conventus aliquis episcoporum legitimus sit, et dicatur; id solum requiritur, ut episcopi illi conveniant, qui in Ecclesia ordinarie praesident, et episcopi veri, alque catholici palam ab omnibus habeantur, quidquid sit de iis, quae in cordibus eorum latent.

Quia tamen non solum scimus Deo curae esse salutem Ecclesiae snae, sed etiam ex Scripturis didicimus, Dei providentiam suaviter omnia disponere: propterea certe credimus, Deum non permissurum, ut in concilio, quod ab Ecclesia legitimum creditur, conveniant episcopi, aut omnes. aut promajori parte non legitimi, aut non catholici. Esset enim vehementer durum ac violentum (etsi non mpossibile Deo, qui etiam per jumentum aliquan-

do corripuit prophetae insipientiam) ut concilium totum haereticorum, repugnante voluntate ac sententia, decretum catholicum conderet.

Ad postremam objectionem quidam respondent, ut Vega in conc. trid. lib. 3. cap. 39. concilium esse legitimum, fide catholica teneri a fidelibus, non quia id historici testantur, sed quia ipsum concilium hoc definivit; solent enim concilia initio-actorum definire, suum conventum esse legitimum, et in Spiritu sancto congregatum.

At profecto non videtur haec solida responsio: primum, quia vetera concilia non solebant initio testari, suum conventum esse legitime, et in Spiritu sancto congregatum; concilia vero quaedam posteriora, ut constantiense, basileense, lateranense tridentinum et alia, id quidem testantur, sed non tanquam decretum aliquod forment de fide. Nusquam enim invenitur inter canones proprie dictos. aliquius concilii aliquis canon, quo definiatur illud ipsum concilium esse legitimum, a quo canones illi conditi sunt. Secundo, aut constat nobis aliunde concilium aliquod fuisse legitimum, dum definire vellet, se esse legitimum, aut non constat. Si constat, frustra conditur tale decretum; si non constat, jam de ipso decrete dubitare incipiemus; si enim ambigo, an fuerit legitimum concilium antequam definirét se esse legitimum, ambigo etiam, an non erraverit in eo ipso decreto, quo se legitimum esse pronunciavit.

Alii igitur respondent: Concilium aliquod esse legitimum, iis, qui tunc adsunt praesentes, evidens esse posse sine alia probatione. Vident cnim convenisse in unum episcopos, qui habentur ab omnibus veri episcopi, et conveniese ex variis provinciis, et vocatos ab eo, qui habet auctoritatem, et si quid aliquid requiratur ad legitimum concilium, id étiam videre possunt, nihil enim invisibile, ut supra diximus, requiritur. Posteris autem, vel absentibus, id ipsum est notum ex humana fide.sed certissima. et quae evidentiae naturali aliquo modo comparari possit. Nam exempli gratia, nicaenum concilium fuisse legitimum, non solum unus aut alter historicus testatur, sed multi et varii scriptores ejus temporia, et temporum consequentium, et Ecclesia, quae nunc est, idipsum asserit, nec est, aut fuit, qui contrarium sentiat, aut senserit.

Quare, quemadmodum fuisse quondam consulem Ciceronem, Julium Caesarem dictatorem, Octavianum eum Antonio praelio navali decertasse, et alia id genus, etsi ex fide humana pendeat, tamen adeo certa sunt, ut evidentiam quandam habere videantur: Sic etiam concilia Ecclesiae, quae nos legitima fuisse dicimus, tot habent testimonia omnium aetatum, ut nihil dubitationis in animis nostris relinquant, quo minus credamus, talia fuisse, qualia dicuntur.

Quare cum ex fide catholica habeamus, concilia legitima a summo pontifice confirmata, non posse errare, et ex naturali evidentia, aut ex fide humana certissima sciamus, concilium nicaenum, constantinopolitanum, ephesinum I. et alia ejusmodi legitima, et a summo pontifice approbata fuisse, id certe sequitur, ut hujusmodi conciliorum decreta certa fide credamus. Vide, si placet, de bac re Methiorem Canum lib. 6. de locis, cap. ult. in solatione decimi argumenti.

# CAPUT X.

6oncilia particularia, non probata a summo pontifice, non omnino certam fidem facere.

Sequitur jam altera quaestio, num videlicet concilia a summo pontifice non confirmata, certam fidem faciant, quae non est controversa inter catholicos et haereticos, et vix etiam inter catholicos; ideo rem totam breviter explicabimus, ac primum de conciliis particularibus, deinde de generalibus agemus

De provincialibus igitur duo ex communi sententia catholicorum asserimus, posse ejusmodi concilia absolute errare, tamen magnae esse auctoritatis, ita ut temerarium sit, eis non acquiescere. Quod ejusmodi concilia possint errare, testis est carthaginense concilium sub Cypriano, quod fuit nationale, celebertimum, legitimum, episcoporum 85. quorum plerique martyres, aut confessores erant, ut patet ex epistola Cypriani ad Jubajanum, el tamen erravit. Secundo, testis est quinta synodus romana suib Symmacho, ubi legimus, concilia provincialia, quia praesentiam papae non habent, valetadinem perdidisse. Tertio, Prosper in Chronico anni 420. dicit, haeresim Pelagianam a concilio africano 217. episcoporum damnatam non prius ab Ecclesia totius orbis damnatam, quam Zozimus papa decretà concilii illius probasset. Unde etiam Augustinus lib. 2. retract. cup. 50. non dicit; haeresim Pelagia mam a conciliis africanis, quae particularia erant, damnatam, sed a pontificibus Innocentio, Zozimo, cooperantibus africanis conciliis. Querio, cur concilia generalia errare non possint, duplex est caussa praecipua. Prima, quia concilium generale totam Ecclesiam repraesentat, et ideo ipso errante tota Ecclesia erraret. Secunda, quia concilium generale non sit sine summo pontifice, pro quo Christus oravit, ut non deficeret fides ejus: at nulla harmm caussarum locum habet in concilio particulari.

Sed contra objicies: nam cap. Ad abolendam extra de haereticis, excommunicantur omnes illi, qui judicantur haeretici ab Ecclesia romana, vel a concilio provinciali, aut dioecesano. Concilia igitur provincialia et dioecesana faciunt dogmuta de fide, alioqui non esset haereticus, qui ea negaret.

Respondeo: Duobus modis posse judicari de haeresi. Uno modo, de ipsa haeresi secundum se, et quasi in abstracto, ut cum quaeritur, an sit haereticum, hoc aut illud dicere. Altero modo, in ordine ad hominem haereticum, ut cum quaeritur, an hic inciderit in haeresim ab Ecclesia damnatam. Quamvis igitur concilia provincialia, vel dioecesana, non possint dogmata fidei constituere, tamen possunt judicare, an aliquis inciderit in haeresim manifestam, sicut etiam judicant inquisitores. Ad hunc finem collectum fuit concilium aquilejense tempore Ambrosii; nihil enim ibi definitum est, nisi Palladium quemdam verum esse Arii discipulum, et

de hoc videtar praecipue agere caput illud, Ad abolendam. de haereticis. Etsi enim hoc judicium non sit infallibile, tamen sufficit ad excommunicandum.

Praeterea secundo dico, posse etiam concilia particularia censere de haeresi secundum se, quando res est facilis, et in qua omnes fere doctores conveniunt; quomodo concilium antiochenum olim judicavit de haeresi Pauli Samosateni apud Eusebium lib. 7. histor. cap. 24. convenerunt enim undique episcopi, non tamquam ad rem dubiam, sed tamquam ad manifestum lupum de ovili Christi ejiciendum. Etsi enim hoc judicium non sit prorsus infallibile, tamen débent privati homines acquiescere ejusmodi judicio, etsi secus egerint, merito excommunicantur, denec non judicaverit aliter apostolica sedes, vel concilium universale.

Denique tertio dico, posse etiam concilia particularia definire dogmata vere dubia, et eorum decreta esse firma, si id faciant ex commissione apostolicae sedis ut fecerant Patres concilii arausicani It'et toletani I. tempore Leonis I. et synodi complutensis, tempore Sixti IV. de quo vide summam conciliorum. Vel saltem si decisionem suam mittant ad romanum pontificem; et ab eo confirmationem accipiant: quomodo constat factum esse in conciliis milevitano et carthaginensi, ex Augustino epist. 90. 91. 92. 93. Immo credibile est, nullum concilium particulare definivisse aliquid de fide. sine approbatione apostolicae sedis. De his omnibus intelligi potest illud-cap. Ad abolendam.

Quod autem concilium particulare non expresse confirmatum, faciat argumentum adeo probabile, ut temerarium sit ei non acquiescere, planum est. Primo, quia in VII. synodo, act. act. uli. can. 1. honorantur synodi locales, et suscipiuntur, nec fit mentio ibi confirmatorum, vel non. Secundo, quia plurima horum conciliorum. ut toletana, bracarentia, arelatensia, hispalensia etc. videntur, ipso usu Ecclesiae quodammodo probata. Tertio, quia si aliquot sancti Patres casu in eamdem sententiam convenientes, faciunt argumentum probabile, quanto magis 40. aut 50. episcopi simul convenientes, et invocalo Spiritu sancto, aliquid communi consensu statuentes?

# CAPUT XI.

Concilia generalia, ante confirmationem summi pontificis, errare posse, nisi Patres in definiendo sequantur pontificis instructionem.

Jam vero de conciliis universalibus variae sunt opiniones. Parisienses enim quidam, et illi omnes. qui docent, concilium esse supra papam, et aliqui praeterea alii existimant, concilia generalia legitima non posse errare, etiam ante confirmationem pontificis. Contrarium docent ulii, ut Cajetanus in Apolog. par. 2. cap. 21. Turrecremata lib. 3. cap. 32. 33. 34. et 38.

Nota duo primo: Legatos aliquando mitti ad concilium cum instructione sedis apostolicae, sicut legimus factum in concilio IV. VI. et VII. aliquando

sine instructione, ut facture est in concilio tridentino; cujus ratio est, quia in illis primis conciliis una tantum quaestio tractabatur, et ideo facile poterat pontifex explicare legatis, quae esset sententia sua de illa quaestione. At in concilio tridentino, tot quaestiones, et tam variae tractandae erant, ut non posset commode ejusmodi instructio haberi.

Secundo nota, posse qualuor modis contingere, ut fiat generalis concilii definitio. Primo, ut Patres consentiant et definiant, dissentientibus legatis apostolicae sedis. Secundo, ut definiant consentientibus legatis, sed contra instructionem pontificis agentibus. Tertio, consentientibus omnibus etiam legatis, sed qui non habuerunt certam instructionem. Quarto, consentientibus omnibus cum legatis habentibus et sequentibus papae instructionem.

Ac de primo et secundo modo nulla est difficultas. Constat enim talia concilia errare posse; nam in primis de facto erravit concilium ephesinum II. quod repugnantibus legatis papae Leonis definire voluit, ut patet ex epist. b. Leonis 24. et 23. etc. Item concilium constantinopolitanum tempore Nicolai I. erravit, cum legați Nicolai contra instructionem papae egerint, ut patet ex epist. Nicolai ad patriarchas, et caeteros episcopos orientis, et ex Zonara in vita Michäelis imperatoris. Secundo, ejusmodi concilia, non solum non confirmata, sed etiam reprobata dici debent; idem enim est sive pontifex expresse concilium reprobet, sive concilium agat contra pontificis sententiam. Constat autem concilia reprobata a pontifice nullam habere auctoritatem, ut multis exemplis ostendit Gelasius in tomo de Anathémate, et in epist, ad episcopos Dardaniac. Tertio, non possunt dici legitima concilia, quae pugnant cum suo capite; et similiter quando consentiunt legatis agentibus contra informationem, quia tunc legati non agunt ut legati, cum non agant nomine pontificis; diserte enim d. Leo in epist. 45. ad Pulcheriam; et Agatho in epist. ad imperatorem, quae lecta est in VI. synodo, act. 4. affirmant se non dare auctoritatem legatis, nisi agant secundum sibi traditas regulas.

De tertio modo res est sub opinione. Ego tamen existimo tale concilium posse errare, neque esse infallibile ejus judicium ante confirmationem pontificis. Primo, quia sententia ejus concilii non est ultimum judicium Ecclesiae, et tamen si non posset errare, esset ultimum et irretractabile judicium. Non esse autem ultimum judicium horum conciliorum, planum est: nam ejusmodi concilia ad pentificem mittuntur, et pontifex concilium approbare potest, vel reprobare, ul patet ex Gelasio in epist. ad Michäelem, et ex praxi conciliorum petentium confirmationem; ac nominatim ex Bulla Pii IV. in qua confirmat tridentinum concilium, de qua re Turrecremata lib. 3. cap. 34.

Praeterea secundo: Firmitas concilii nascitur ex consensione et conjunctione corporis cum capite. At caput nondum aperuit sententiam suam; etsi enim legati praesunt nomine pontificis, tamen non sunt revera pontifices, nec, sciunt, quae sit mens pontificis, nec habent illud privilegium non errandi quod habet pontifex.

Tertio: Concilium basileense, sess. 2. una cum legato pontificis communi consensu statuit, concilium esse supra papam, quod certe nunc judicatur erroneum.

Quarto: Potest errare concilium, quod aliquid definit contra instructionem pontificis, ut de facto erravit concilium constantinopolitanum consentientibus etiam errori legatis Nicolai I. Ergo potest etiam errare, quando nulla habetur instructio; nam non tenentur episcopi in concilio sequi illam instructionem, alioqui non essent judices, neque essent

libera suffragia.

At objiciunt, eiusmodi concilium est generale legitimum, et universalem Ecclesiam repraesentans. ergo errare non potest. Respondet Canus, concilium non posse errare eo modo, quo Ecclesia non potest errare, idest, sicut Ecclesia non potest errare in iis, in quibus omnes de Ecclesia conventunt, sic etiam concilium non potest errare in iis, in quibus omnes de concilio conveniunt. At contra; nam Roclesia non potest errare quoad fidem personalem. et ideo in eo solum non potest errare, in quo omnes conveniunt. At concilium non potest errare, in judicio de fide, idest, in decreto formando. Est autem verum decretum concilii, quod fit a majori parte, alioqui nullum esset legitimum concilii decretum, cum semper aliqui dissentiant. Ergo concilium absolute dicitur errare, quando errat major pars, quae format decretum. Quare alia ratione solvendam esse objectionem existimo.

Dico igitur: Concilium illud non posse errare. quod absolute est generale, et Ecclesiam universalem perfecte repraesentat, ejusmodi autem concilium non est, antequam adsit sententia summi pontificis. Nam episcopi caeleri repraesentant quidem corpus Ecclesiae, et quod illi faciunt, corpus Ecclesiae facere censetur: at legati papae non ita repraesentat caput Ecclesiae, idest, ipsum papam,ut quod losi faciunt, absolute censeatur fecisse papa. alioqui nulla requireretur confirmatio; sed solum repraesentant pontificem, tamquam vicarii et internuncii ipsius, qui ad ipsum referre debeant, cum oriuntur dubia, et sententiam ejus expectare, et exequi. Itaque tale concilium cum non repraesentet absolute auctoritatem capitis, non nisi imperfecte totam Ecclesiam repraesentat.

Quod si quis omnino velit ejusmodi concilium absolute totam Ecclesiam repraesentare, is respondere poterit, concilium generale non censeri prorsus absolutum, nisi post confirmationem pontificis; cum autem dicitur concilium generale non posse errare, et ejus decreta certam fidem facere, id esse intelligendum, quando absolutum fuerit penitus, et

ab omnibus obsignatum.

Objiciunt secundo, quod concilia dicunt anathema contrarium sentientibus, antequam confirmentur. Respondeo: Illa quidem dicere anathema, sed intelligere illud vim babiturum, si fuerit a pontifice confirmatum, sicut quando judex, a quo appellari potest, fert sententiam mortis in aliquem, intelligitur illum debere mori, nisi princeps sententiam retractet.

De quarto modo vix dubium esse potest, videtur enim esse certum, tale concilium non posse erra-

të. Primum enim in tali concilio invenitur expressus consensus capitis et membrorum, ac proinde totius Ecclesiae, quae sine dubio errare non potest. Neque obest, quod instructio illa a pontifice data non videatur definitiva sententia apostolione sedisa nam quando concilium consentit cum pontificis sententia, formaturque decretum a legatis nomine pontificis, tunc incipit esse sententia definitiva el ultima, non solum concilii, sed etiam pontificis, neque potest pontifex eam retractare; nam certo intelligit, sententiam suam fuisse a Deo, quando a concilio approbatur, ut dicit b. Leo in epist. 63. ad Theodoretum: Quae, inquit, Dominus nostro prius ministerio definierat, universae fraternitalis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodire ostenderel, quod prius a prima omnium sede formatum, totius christiant orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordeni etc.

Quod ut melius intelligatur, sciendum est, pontificem mittere solere legatos instructos de sententia apostolicae sedis cum ea conditione, ut si concilium consentiat judicio apostolicae sedis, formetur decretum, sin minus, differatur decreti formatio, donec romanus pontifex consultus respondeat. Id quod patet ex concilio chalcedonensi, nam act. 3. cum concilium consensisset judicio pentificis circa depositionem Dioscori, mox legati his verbis formaverunt decretum: Sanctissimus ao beatissimus papa, caput universalis Ecclesiae, Leo. per nos legatos suos, sancta synodo consentiente. Petri apostoli praeditus dignitate, qui Ecclesiac fundamentum, ac petra fidei, et coelestis regni janitor nuncupatur, episcopali dignitate Dioscorum nudavit, et ab omni sacerdotali opere fecil extor-

Deinde actione 16.cum concilium aliquid statuere vellet contra instructionem pontificis, legati dizerunt, debere prius id significari apostolicae sedi.
Quando ergo concilium definit aliquid, sequens expressam sententiam pontificis, idem est, ac si contirmatum esset.

Accedit ad haec, good concilium chalcedonesse in epist. ad Leonem, quae habetur act. 3. dum petit confirmationem decretorum, aperte dicit, se scribere pontifici, et petere confirmationem, quoniam praeter decretum de side contra Dioscorum. alia etiam quaedam statuerunt sine expressa pontificis sententia. Itaque solum petunt confirmationem eorum, quae definierant practer pontificis sententiam. Ipse etiam Leo in epist, 61. ad concilium chalcedonense, qua illud confirmat, indicat non fuisse opus sua confirmatione, nisi quia dubitabant aliqui, ap revera cum ejus consensu factum fuisset decretum concilii.qua etiam ratione confirmavit pontifex multa alia similia concilia, non quia errare potuerant, sed ut omnibus certius constaret, quae legati cgerant, vere ex mandato, expresso pontificis e-

Denique in ejusmodi conciliis, non expectata alia confirmatione pontificis, mox sit exequatio, idest, damnantur, qui contrarium sentiunt, ut manifesti haeretici, et deponuntur ab episcopatu, vel sacerdotio. Ita in nicaeno concilio damnati sunt et

BELLIEBERT. Vol. II.

in exilium acti sex episcopi una cum Ario, ut scribit Ruffinus lib. 10. hist. cap. 5. in ephesino concilio damnatus, et depositus est Nestorius, ut Evagrius testatur lib. 1. cap. 4. In chalcedonensi, act. 3. depositus est Dioscorus, et act. 4. decem episcopi Aegyptii judicantur haeretici, quia nolebant acquiescere decreto prolato, act. 3. in concilio VI. actione 8. et 12. damnatur et deponitur, et in exilium ejicitur Macharius patriarcha antiochenus cum aliquot suis discipulis, et act. 15. damnatur et deponitur Polychronius presbyter. At si concilia ista ante confirmationem pontificis errare petuissent, non fuissent illi manifesti haeretici, qui ante confirmationem resistebant.

# CAPUT XII.

An sil major arictorilas concilii, quam. Scripturae.

Diximus de auctoritate conciliorum absolute considerata; nunc de eadem dicendum est per comparationem ad alia fidei principia, idest, ad verbum Dei scriptum (nam de traditionibus eadem est ratio), et ad pontisicem. Et quidem haeretici hujus temporis passim clamant, nos subjicere Scripturam conciliis. Calvinus lib. 4. instit. cap. 9. § 14. Subjicere in eum modum, inquit, Dei oracula hominum censurae, ut ideo rata sint, quia placuerint hominibus, blasphemia est indigna, quae commemoretur. Similia apud alios passim inveniuntur. Caeterum haec non nostra blasphemia. sed ipsorum impostura est. Catholici enim Soripturam sacram non subjictions, sed anteponunt conciliis; neque in boc ulla controversia est. Quod si interdum catholici allqui dicunt, Scripturam pendere ab Ecclesia, sive a concilio, non intelligunt quoad auctoritatem, et secundum se, sed quoad explicationem, et quoad nos.

Observandum est igitur, multiplex esse discrimen inter Scripturam sacram, et conciliorum decereta; ex quibus intelligitur Scripturam praeponi conciliis. Primum est, quod Scriptura est verbum Dei immediate revelatum, et scriptum quodammodo Deo dictante, juxta illud 2. Pet. 1. Spiritu sancto inspirante loquuti sunt sancti Dei homines. Et 2. Timot. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata. Quod tamen non sic intelligendum est, quasi semper scriptores sacri novas revelationes habuerint et scripserint ea, quae antea ignorabant: constat enim evangelistas Matthaeum et Josanem scripsisse ea, quae viderunt; Marcum et Lucam ea, quae audierunt, ut Lucas ipse fatetur initio evangelii: Sicut tradiderunt, inquit, nobis, qui ab initio ipsi viderunt.

Dicuntur igitur Scriptores sacri habuisse immediatam revelationem, et scripsisse ipsius Dei verba, quia vel nova quaedam et antea incognita eis revelabantur a Dee, juxta illud psalm. 50. Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti miki; vel Deus immediate inspirabat, et movebat scriptores

Digitized by Google

ad scribenda ea, quae viderant vel audierant et eos dirigebat, ne aliquo modo errarent. Ut enim dicitur vere epistola principis, quae a principe dictatur, etiamsi is, qui eam scripsit, antea sciebat, quae scripturus erat; ita dicitur, et est immediatum Dei verbum, quod scriptum est ab evangelistis, Deo inspirante et dirigente, licet scripserint ea, quae viderant vel audierant. At concilia non habent, neque scribunt immediatas revelationes, aut verba Dei, sed tantum declarant, quodnam sit verbum Dei scriptum vel traditum, et quomodo intelligi debeat, et praeterea ex eo per ratiocinationem deducunt conclusiones. Itaque concilia cum definiunt, qui sint libri canonici et divini, non faciunt eos esse infallibilis veritatis, sed declarant solum esse tales.

Sie etiam concilium tridentinum, sess. 13. cap. 1. cum definit, verba illa: Hoc est corpus meum, intelligi proprie, non figurate, non edit, sed declarat verbum Dei. Et cum nicaenum concilium definivit Christum esse homousion Patri, deduxit conclusionem ex Scripturis, in quibus diserte continetur unum esse Deum, et Patrem esse Deum, ac Filium esse Deum; ex quibus sequitur necessario Patrem, et Filium ejusdem esse substantiae et divinitatis. Et similiter concilium sextum, cum definivit, in Christo duas esse voluntates, divinam et humanam, deduxit conclusionem ex Scriptura, in qua habetur, Christum esse perfectum Deum et perfectum hominem.

Alterum discrimen ex hoc primo oritur, et est, quia scriptores sacri non debuerunt multum laborare in suis libris edendis; satis enim erat, sì laborarent scribendo, vel dictando, si edebant vaticinia; vel ad summum revocando ad memoriam, quae viderant, vel audierant, et cogitarent verba, quibus ea scriberent, si scribebant historias, vel epistolas, vel'aliquid simile. At Patres in conciliis debent rem ipsam quaerere, idest, conclusiones investigare, disputando, legendo, cogitando. Unde Actor. 45. legimus in primo concilio magnam conquisitioneta fuisse factam. Idem testatur de nicaeno concilio Ruffinus lib. 10. cap. 5. hist. ecclesiasticae, quocirca Actor. 15. dicunt Patres concilii: Visum est Spiritui sancto et nobis, idest, Spiritu sancto nostram industriam et diligentiam adjuvante. At scriptores sacri soli Deo tribuunt ea, quae scribunt, ac proplerea tam saepe repetebant prophetue illud: Dicit Dominus.

Tertium est, quod in Scriptura nullus potest esse error, sive agatur de fide, sive de moribus, et sive affirmetur aliquid generale, et tott Ecclesiae commune, sive aliquid particulare, et ad quum tantum hominem pertinens; tam enim est certum et de fide, sine gratia Spiritus sancti neminem salvari, quam Petrom, Paulum, Stephanum, et quosdam alios vere Spiritum sanctum habuisse et salvos esse; utrumque enim eadem Scriptura verissima testatur: at concilia in judiciis particularibus errare possunt.

Quartum est, quod in Scriptura non solum sententia, sed etiam verba omnia, et singula ad fidem pertinent. Credimus enim nullum esse verbum in Scriptura frustra, aut non recte positum. At in con-

ciliis maxima pars actorum ad fidem non pertinet. Non enim sunt de fide disputationes quae praemittuntur, neque, rationes quae adduntur, neque ea quae ad explicandum et illustrandum adferuntur. sed lantum ipsa nuda decreta, et ea non omnia, sed tantum quae proponuntur tanquam de side. Interdum enim concilia aliquid definiunt, non ut certum, sed ut probabile, ut concilium viennense, quod decrevit, tenendum ut probabilius, infantibus in baptismo infundi gratiam et virtutes, ut habetur Clement. unic. de summ: Trinit. et side catholica. Quando autem decretum proponitur, tamquam de fide; facile cognosciturex verbis concilii; semper enim dicere solent, se explicare fidem catholicam: vel haereticos habendos, qui contrarium sentiunt: vel quod est communissimum, dicunt anathema, et ab Ecclesia excludunt eos, qui contrarium sentiunt. Quando autem nihil horum dicuut, non est certum rem esse de fide.

Denique, in ipsis decretis de fide, non verba, sed sensus tantum ad fidem pertinet. Non enim est haereticum dicere, in canonibus conciliorum aliquad verbum esse supervacaneum, aut non recte positum, nisi forte de ipso verbo sit decretum formatum, ut cum in concilio nicaeno decreverunt recipiendam vocem δμούσιον; et in ephesino vocem θεοτόκον.

Quintum est, quod Scriptura non eget approbatione pontificis ut sit authentica, sed tantum ut innotescat ejus auctoritas. At concilia etiam legitima, et generalia non sunt rata nisi a pontifice confirmentur, ut ostendimus quaestione superiori.

Sed objiciunt quidam, Gratianus d. 19. can. In canonicis, affirmat epistolas pontificum decretales numerari debere inter Scripturas canonicas; et d. 20. can. Decretales, dicit conciliorum canones ejusdem esse auctoritatis cum epistolis decretatibus; ergo etiam canones conciliorum numerantur inter canonicas. Scripturas. Non ergo Scripturae praeponuntur conciliis. Praeterea s. Gregorius lib. 1. epist. 24. dicit se venerari quatuor prima concilia, ul quatuor libros evangeliorum.

Respondeo ad Gratianum dupliciter. Primo, eum esse deceptum ex dépravato codice, quem ipse habuit b. Augustini; tribuit enim illum canonem Augustino lib. 2. doctr: Ghrist. cap. 8. Codices autem veri, et emendati b. Augustini, non habeut, ut Gratianus refert, sed longe aliter. Non enim Augustinus dicit epistolas eas esse Scripturam canonicam. ques apostolica sedes dare, vel accipere solet, ut Gratianus legit. sed judicium de Scripturis sanctis pertinere ad Ecclesias, atque ad eas potissimum, quae apostolicas sedes, vel epistolas accipere meruerunt, quales sunt Roma, in qua sedit Petrus, et ad quam scripsit Paulus; Ephesus, in qua sedit Joannes, et ad quam scripsit idem Paulus, et aliae quaedam.

Dico secundo, Gratianum, etiam hoc errore posito, non voluisse dicère, decreta pontificum esse proprie Scripturas sacras et canonicas, ut sunt evangelia, vel psalmi, sed esse Seripturas sacras ut distinguantur a profanis et canonicas, ut distinguantur a scriptis sacris Patrum, quae non sunt regulae, nec habent auctoritatem obligandi. Licet e-

nim canones pontificum et conciliorum distinguantur, et postponantur Scripturae divinae, tamen suo modo sunt, et dici possunt scripta sacra et canonica, quomodo septima synodus, act. 3. vocat decreta conciliorum divinitus inspiratas constitutiones. Immo Innocentius, cap. Cum Marthae, extra de celebratione missarum, vocat Scripturam sacram sententiam illa Augustini: Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre, serm. 17. de verbis apostoli. Quod autem Gratianus senserit conciliorum decreta non esse acquanda divinis Scripturis proprie dictis, patet ex 36. caussa, q. 2. can. Placuit, ubi Hieronymi sententiam, quia munita erat testimonio divinae Scripturae, anteponit concilii decreto.

Ad Gregorium respondeo: Illud sicut, sanare similitudinem, non aequalitatem, ut illud Matth. 3. Estote perfecti sicut Pater vester coelestis perfectus est. Vel si aequalitatem sonet, dicendum erit, non comparari a Gregorio concilia cum evangeliis in omnibus, sed tantum in ipsa certitudine eorum, quae in Scripturis dicuntur, et in conciliis definiuntur. Cum enim utraque sint infallibilis veritatis, aeque certa dici possunt. Sed jam quandoquidem concilia non sunt majoris auctoritatis, quam Scripturae, restat ut illud explicemos, utrum saltem majoris sit, concilii oecumenici, quam summi pontificis auctoritas.

# CAPUT XIII.

# An concilium sit supra pontificem.

Quaestio hace exorta est tempore concilii pisani, quia cum duo pontifices, qui simul sedebant in schismate; Gregorius XII. et denedictus XIII. non viderentur serio cogitare de tollendo schismate per spontaneam abdicationem, quemadmodum ante pontificatum uterque voverat et juraverat, cardinales utriusque patris secesserunt Pisam, et tractare coeperunt, an sibi liceret invitis pontificibus illis concilium generale convocare, et eos pontifices deponere. Meminit Antoninus hujus disputationis, quae Florentiae habita est, 3.par.sum.hist. tit. 22. cap. 5. § 2.

Deinde, cum paulo post sieret concilium constantiense, et Joannes XXIII. qui solus ad concilium accesseral, a concilio clam discessisset, alque ita concilium sine capite remansisset, tractare Patres coeperunt, an concilium posset, invitum pontificem judicare el deponere. Sed maxime controversia crevit tempore concilii. basileensis. Quia enim Eugenius papa IV. concilium basileense inchoatum dissolvere volebat, et impedire, ne ulterius progrederetur, coeperunt Patres quaerere, an tenerentur obedire pontifici, an pontifex potius teneretur obedire ipsis, idest, generali concilio; et quoniam paulo ante viderant duos pontifices Joannem XXIII, et Benedictum XIII. depositos suisse per concilium constantiense, et sic impositum finem maximo schismati; coeperunt metuere, ne si pontifex non tenea. tur obedire concilio, iterum schisma renovaretur,

et sine ullo remedio Ecclesia remaneret. Itaque hac occasione tunc plurimi in eam sententiam ivorunt, ut concilium esset supra pontificem. Sed dum voluerunt schismatibus viam praecludere, ipsi novum schisma fecerunt, creato pseudo-papa Felice V. qui postea cognito errore, abdicavit se pontificatu; et quamvis postea in concilio florentino, et lateranensi ultimo videatur quaestio definita, tamen quia florentinum concilium, non ita expresse hoc definivit, et de concilio lateranensi, quod expressissime rem definivit, nonnulli dubitant, an fuerit vere generale; ideo usque ad hanc diem quaestio superest, etiam inter catholicos.

Observandum est autem, duobus modis posse comparari papam cum concilio: Uno modo, ut sumatur ab una parte solus papa verus et indubitatus, ab altera concilium generale, cui praesit papa per se, vel per legatos, ita ut nihil definiatur sine consensu ipsius: Altero modo, ut sumatur ab una parte solus papa, ab altera concilium generale, cui papa, nec per se, nec per suos legatos praesit. Intelligo autem non praesidere per suos legatos, etiam quando legatus quidem ab eo missus praeest concilio, sed agit contra ipsius pontificis voluntatem; tunc enim non est vere ejus legatus, licet protali se gerat.

Quaestio praesens, licet nonnullis videatur praecipue versari circa priorem comparationem, quippe qui existimant concilium sine papa non esse verum concilium, et proinde sine dubio papam esse majorem tali concilio; tamen revera quaestio praecipua est de posteriore comparatione. Quod patet primo, quia ista quaestio introducta est propter pontificum depositionem, idest, ad inquirendum, an papa etiam invitus a concitio judicari, damnari et deponi posset. Ad hunc autem finem supervacanea est illa quaestio, an concilium cum papa, sit majus solo papa; nam sive sit majus, sive minus, numquam judicabit, neque damnabit, neque deponet invitum papam. Quomodo enim hoc illud concilium faceret, quod nihil agit sine consensu papae?Num papa seipse invitum volet judicari et dampari?

Secundo, idem patet ex concilio basileensi; nam basileenses Patres, qui definierunt concilium esse supra papam, suum concilium basileense asserebant esse supra Eugenium papam, eo tempore, quo in concilio neque papa, neque ejus legatus aderat. Quin etiam papam omnibus modis repugnantem deponere aggressi sunt.

Hace ergo est praecipua quaestio, et sola tractaada, nam ex hujus explicatione palebit etiam quid sit dicendum de priori. Qui enim docent, papam esse supra concilium sine ipso celebratum, idem docent parem esse auctoritatem in solo papa, et in concilio cum papa intensive, licet extensive sit major in concilio: et proinde non posse a tali concilio papam judicari, vel damnari, nec ejusmodi concilii decretis eum obligari coactive, sed tantum directive, et posse in eis dispensare, exceptis decretis de fide, quae immutabilia sunt. Ratio horum est, quia par in parem non habet potestatem. Qui vero docent, concilium sine papa esse supra papam, docent etiam consequenter, concilium cum papa esse supra papam, et obligare papam, tametsi

ipsi fidem fatentur, posse papam tamquam ministrum Ecclesiae dispensare in praeceptis concilii generalis, sed si male dispensaverit, posse corrigi et puniri postea a concilio generali. Hac ergo prima comparatione omissa, sola secunda tractanda est,

#### CAPUT XIV.

# $Explicantur\ opiniones\ diversac.$

Porro de proposita quaestione tres invenio doctorum sententias. Prima est, concilium esse supra pontificem, id quod asserunt in primis omnes haeretici hujus temporis, et nominatim Hermannus Hamelmannus id probare conatur multis argumentis lib. 3. cap. 13. prolegomenor. Idem asserit cardinalis Cameracensis, Joannes Gerson, Jacobus Almainus, et alii nonnulli in suis tractatibus de potestate Ecclesiae. Item Nicolaus Cusanus in tractatu de concordantia canonica lib. 2, cap. ult. Panormitanus in cap. Significasti, extra de elect. et ibidem Magister ejus cardinalis florentinus; item Abulensis in cap. 18. Matthaei, quaest. 108. et in defensorio trium conclusionum, et quidam alii.

Ut autem frace sententia intelligatur, nolandum eat, duo esse fundamenta hujus opinionis. Primum est, papam non esse proprie caput Ecclesiae universae simul congregatae. Id quod non eodem modo intelligunt haeretici, et alii auctores. Haeretici enim volunt, papam nullo modo esse caput Ecclesiae totius, sed tantum episcopum suae Ecclesiae particularis; et ad summum, patriarcham occidentis.

At alii auctorés citati docent, papam esse caput et pastorem singulorum Christianorum, et singularum Ecclesiarum, si seorsim sumantur, non autem totius Ecclesiae simul congregatae in concilio generali. Tunc enim Ecclesia accipit quasi formam quamdam corporis; et tota potestas quae erat sparsa in variis membris, ibi unitur, ita ut comparare papam cum caeteris Christianis seorsum sumptis, sit comparare membrum nobilissimum cum minus nobili: At comparare papam cum concilio, sit comparare partem cum suo toto, et proinde minus cum majore.

Et ne dicamus, concilium sine papa non esse totum perfectum, sed corpus sine capite, addunt secundum fundamentum, quod est, supremam ecclesiasticam potestatem esse tam in concilio, quam in
papa, sed in concilio principalius, immédiatius et
immobilius. Dicunt enim. Christum immediate omnem potestatem solvendi et ligandi tribuisse Ecclesiae, et cum Ecclesia semper duret, immobiliter in ea semper manere hanc potestatem: quia tamen non potest Ecclesia semper congregata manere, et exercere per se hanc potestatem, instituit
Christus summum pontificem, tamquam instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiae, et in eo
positit hanc potestatem summam, ut eam exerceat
nomine Ecclesiae.

Different inter se hi auctores, quod aliqui ponunt

hanc potestatem formaliter, et subjective in solo pontifice, in Ecclesia autem ponunt eam ut in fine, quia est propter Ecclesiam, et ut in regulante, quia Ecclesiae est regulare, et dirigere papam, cum ipsa non possit errare, papa autem possit; ac denique ut in supplente, quia deficiente papa propter mortem naturalem aut civilem, Ecclesia supplet e-jus officium.

Alii vero volunt esse formaliter et subjective principaliter in Ecclesia, instrumentaliter in pontifice. Conveniunt tamen in eo omnes, ut doceant esse hanc potestatem immediate in Ecclesia, et proinde mortuo papa, vel deposito, vel nolente adesse concilio, concilium non propterea esse corpus imperfectum, sed perfectum, et habere potestatem papalem definiendi de fide, sanoiendi leges, dandi indulgentias etc. Ex quibus deducunt, concilium esse supra papam, et posse ipsum judicare, et punire, et idem esse quaerere, an papa sit major concilio, at si quaereretur, an pars sit major suo toto.

Denique, volunt papam esse in Ecclesia id, quod est dux Venetiarum in republica veneta, vel magister generalis in aliqua religione. Constat enim ducem venetum esse supra singulos magistratus, et supra singulos senatores, et civitates venetas, non tamen supra totum senatum simul collectum. Et quando moritur dux certum est totam auctoritatem ctiam ducalem esse in senatu. Quomodo etiam magister generalis, est supra singulos religiosos, etiam priores et provinciales, lamen non est supra congregationem generalem, cum ei parere debeat, non imperare.

Secunda opinio est aliquorum canonistarum, qui volunt papam quidem esse supra concilium, et a nemine judicari posse invitum, tamen posse ipsum sese subjicere concilio, et dare illi supra se potestatem; et si hoc fecerit, acquiescere debere sententiae concilii, etiam si de ipsius depositione ageretur. Ita docet gloss, in can. Nos si incompetenter, 2. qu. 7. et in can, in synodo, d. 63.

Ultima sententia est fere communis, quod videlicet papa adeo sit supra concilium, ut non possit etiam se subjicere ejus sententiae, si proprie de sententia coactiva agatur. Haec sententia videtur esse omnium scholasticorum veterum, ut Alberti, b. Thom. b. Bonavent. Richardi, Paludani, et aliorum in 4. dist. 19. ubi de clavihus agitur, tametsi ex professo ipsi de hac re non disputarunt. Expresse autem hoc decent s. Antoninus 3. par. tit. 22. cap. 10. § 4. summae historialis, et 2. par. tit. 3. esp. 11. summae theologicae, Joan. de Turrecremata lib. 2. cap. 93. et 104. summae de Ecclesia; et in responsione ad oratores basileenses de summi pontificis et concilii generalis auctorit. Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiae, lib. 1. art. 6. Dominicus Jacobatius lib. 10. de concil. art. 7. in quo fusissime quaestionem disputat, et solvit sexaginta tria argumenta adversariorum. Cardinalis Cajetanus in tractatu de comparatione papae et concilior. et in Apolog, pro tractatu praedicto. Albertus Pighius lib. 6. de hierarchia Ecclesiae. Franciscus Ferrariensis in lib. 4. cont. gentes, cap. 76. Augustinus de Ancona in tractatu de petest. Ecclesiae,

et Petrus de Monte in lib. de potestate papae et concilii. Franciscus Turrianus in tribus libris, quos de hae quaestione scripsit; et canonistae fere omnes in cap. Significasti, de electione; et can. Si papa, dist. 40. Joannes Antonius Delphius lib. 2. de Ecclesia. cap. ult. Thomas Campegius in tractatu de potest. romani pontificis, cap. 22. et seq. Ricolaus Sanderus lib. 7. de visibil. monarchia, ubi agit de concilio constantiensi, pag. 540.

# CAPUT XV,

# Summum pontificem caput esse totius Ecclesiae.

Jam vero, ut rei veritas declatetur, adferemus ac demonstrabimus aliquot propositiones, quarum hace sit prima. Romanus pontifex est pastor, et caput non solum omnium Ecclesiarum particularium, sed etiam tottus universalis Ecclesiae simul congregatae, a Christo immediate constitutus. Hace est contra primum fundamentum adversariorum, quae tametsi probata est fusissime in libris de pontifice, tamen etiam hoc loco breviter

probanda'est.

Igitur probatur primo ex Scriptura. Petrus est fundamentum Ecclesiae, a Christo positum, juxta illud: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, Matth. 16. proinde caput, ac pastor. Nam quod est in domo fundamentum est in corpore caput, et in grege pastor. Ut enim fundamentum non pendet a domo, sed domus a fundamento; ita etiam caput non pendet a corpore, sed corpus a capite, et pastor non pendet a grege, sed grex a pastore. Quod autem per Ecclesiam eo loco intelligatur Ecclesia universalis, etiam congregata, ut est generale concilium, probatur ex cap. Matth. 18. abi de eadem sua Ecclesia Christus dicit. Si ces non audierit, dic Ecclesiae. Quo loco per Ecclesiam intelligunt adversarii generale concilium.

Praeterea Ecclesia congregata, sive concilium propriissime est Ecclesia Christi, ut etiam adversarii concedunt:nam Ecclesia est congregatio fidelium, ergo quo magis fideles sunt congregati et uniti, eo magis proprie sunt Ecclesia; at stultum est, cum aliquid de alio absolute pronunciatur, excipere id; quod própriissime per illud significatur. Ergo cum Christus dicit: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, stulte excipitur Ecclesia universalis congregata, oum ea propriissime sit

Ecclesia.

Denique, Ecclesia Christi semper est congregata formaliter, quia est unum regnum, una familia, unus grex, licet dispersa videatur quantum ad locum. Igitur, si pontifex est pastor et caput Ecclesiae, non certe dispersae, quae nulla est, sed congregatae Ecclesiae est pastor et caput. Idem habetur ex illo Joan, ult. Pasce oves meas. Nam etsi adversarii dicunt, Dominum dixisse: Pasce oves meas; non Ecclesiam meam, tamen Ecclesia in Orat, de pontifice sic explicat: Deus omnium fidelium pastor et rector, qui famulum tuum N. Ecclesiae tuae praesse voluisti. Et praeterea, vel

Ecclesia congregata, sive concilium generale pertinet ad oves Christi, vel non; si pertinet, ergo Ecclesiae congregatae, et concilii generalis pastor est Petrus; si non pertinet, ergo Christiani per congregationem desinunt esse oves Christi, quod est absurdissimum.

Secundo probatur ex conciliis; nam concilium chalcedoneuse in epist. ad Leonem disertis verbis fatetur, s. Leonem caput fuísse totius illius concilii, quod fuit omnium maximum, et in quo tota Ecclesia congregata conspiciebatur: Quibus, inquit; tu quidem ut caput praeeras. Item concilium lugdunense, ut habetur cap. Ubi periculum, de elect. in 6. vocat pontificem rectorem universalis Ecclesiae, non igitur solum particularium Ecclesiarum est rector. Similiter in concil. florentino definitum est, pontificem esse totius Ecclesiae caput, et accepisse a Domino plenissimam potestatem universalem Ecclesiam regendi. Concilium constantiense sess. 15. damnavit haeresim Joan. Huss dicentis,

non esse papam caput Ecclesiae.

Probatur tertio rationibus, Primo, papa est unum caput, ergo unius corporis caput, at Ecclesiae particulares seorsum sumptae non sunt unum corpus; ergo papa est caput Ecclesiae universulis. Secundo, Ecclesia universalis est unum corpus visibile, ergo habere debet unum caput visibile, alioquin videbitur monstrum. At non est fingere aliud quam papam, ergo papa caput est totius Ecclesiae simul. Tertio, papa est immediatus vicarius Christi, ut habetur in concilio lugdunensi et florentino citatis, neenon in concílio constantiensi, sess. 8. ubí damnatur haeresis Wiclesi dicentis, papam non esse immedialum Christi vicarium. Neque id adversarii negant; ergo praeest iis omnibus loco Christi, quibus Christus ipse invisibiliter praeest, et quibus etiam pracesset visibiliter, si visibiliter adesset: Christus autem praeest; et praeesset visibiliter, si adesset visibiliter, non solum Ecclesiis particularibus, sed etiam toti Ecclesine universali, et generalibus conciliis ; igitur etiam papa pracest Ecclesiae universali.

# CAPUT XVI.

Non esse in concilio summam polestatem.

Sit jam altera propositio: Summa potestas ecclesiastica non est in Ecclesia, vel concilio. remoto papa, aut formaliter, aut suppletive. Haec est contra alterum fundamentum adversariorum; et quidem non esse formaliter in Ecclesia, vel in concilio summam potestatem, qualis est in papa, ex Scripturis aperte colligitur. Nam secundum Scripturas Ecclesia non est democratia, vel aristocratia, sed monarchia, sive regnum Christi, juxta illud psalm. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Et Lucae 1. Regni ejus non erit finis. Et Joan. 18. non dixit Christus cum interrogarctur: Ergo rex és tu? non sum rex, aut, regnum meum non est in hoc mun-

de, sed ait; Regnum meum non est de hoc mundo; idest, est quidem in hoc mundo, sed, non est tale régnum, quale tu putas, quale est Herodis et similium regum. Denique, Scriptura passim vocat Christum regem, et Ecclesiam regnum ejus, ex quo sequitur, ut ab uno regi debeat, non a multis ipsa Ecclesia, quemadmodum gubernantur omnia

regna.

Quod autem non sit suppletive haec auctoritas in Ecclesia, ostenditur hae ratione. Non habet Ecclesia hanc auctoritatem a seipsa, nec ab alio; igitur nullo modo habet. Quod a seipsa non habeat . manifeste probat discrimen, quod est inter regnum Christi et regna caetera; non enim est Ecclesia tale regnum, qualia sunt regna hujus mundi, in quibus summa potestas est in rege, sed a populo profecta et derivata, et proinde radicaliter et suppletive eadem potestas est in regno. Nam in regno Christi summa potestas est in Christo, et non derivata ullo modo a populo. In regnis enim hominum, potestas regis est a populo, quia populus facit regem, qui alioqui esset homo privatus, sicut caeteri; omnes enim homines naturaliter sunt liberi et aequales, nec posset unus oueteris imperare, nisi illi se ei subjicerent, et super se potestatem ei concederent.

At Christus est Deus et homo, et quatenus Deus, est naturaliter Dominus, et rex omnium éreaturarum; qualenus homo habet a Deo omnem potestatem, nec ipse ab Ecclesia factus est rex, sed ipse potius fecit Ecclesiam esse suum regnum. Apoc. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum. Hinc est, quod in Scriptura, regnum Christi, quod est Ecclesia. ne putaretur tale. qualia sunt caetera, comparatur et iam familiae, Matth. 24. Quis est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Et Hebr. 3. Moyses erat fidelis in tota domo Dei tamquam servus. Christus autem erat sidelis in tota domo sua tamanam Dominus. Constat enim patremfamilias non habere a familia ullam auctoritatem, sed ex se; quia non ipse a familia constituitur pater, sed ipse facit sibi familiam gignendo filios, emendo servos. Unde paterfamilias, etiamsi pessimus sit, numquam potest a familia judicari, vel expelli, sicut potest rex quando degenerat in tyrannum. Comparatur etiam ovili, Joan. 10. Item corpori et sponsae, Ephes. 4. et 5. ut intelligamus, quod sicut non accipit auctoritatem pastor ab ovibus, nec caput a corpore, nec vir ab uxore, ila neque Christus ab Ecclesia.

Ex his habemus Ecclesiam ex se nullam habere auctoritatem, sed omnem esse in Christo, et iis, quibus Christus eam communicavit. Quod autem non habeat ab alio, nimirum a Christo, probatur. Nam Christus legitur quidem dedisse Petro claves regni coelorum, Matthaei 16. et eumdem praefecisse ovili suo, Joan. ult. Dedit etiam apostolis caeteris potestatem praedicandi, baptizandi, peccata dimittendi, et alia quaedam faciendi, quae ad munus episcopale spectant, sed hanc, potestatem Christus singulis dedit ita ut potuerit quisque eorum illa omnia exercere sine congregatione aliorum, ut netum est: At quod ipsi Ecclesiae, idest, fidelium universitati in se, idest, ratione suae tota-

litatis aliquid potestatis tribuerit, nusquam legitur; immo e contrario legimus, praecipi populis, ut obediant, et subjaceant pastoribus suis, Hebr. 43. et alibi. Quod si Ecclesiae universitati non est data ulla auctoritas, ergo neque concilio generali, quatenus Ecclesiam universalem repraesentat. Ergo in concilio non est auctoritas summa, sive papalis, sed tantum episcopalis, seu archiepiscopalis, prout sunt personae, quie ibi conveniunt. Siquidem summa, seu papalis auctoritas non ponitur in concilio ab adversariis, nisi quatenus concilium gerit vicem Ecclesiae universae. Si ergo Ecclesia universa, secluso papa, non habet papalem auctoritatem, ergo multo minus concilium habet.

Probatur secundo: Nam si concilium generale sine persona papae haberet papalem auctoritatem formaliter, vel suppletive, non indigeret confirmatione papae. Id autem est falsum. Constat epim omnia generalia concilia catholica confirmationem

petiisse.

Tertio: Concilium sine papa potest errare etiam in sidei decretis, ut patet in concilio sirmiensi, cui subscripsit Hosius; item mediolanensi, arminensi, ephesino II. constantinopolitano sub Justiniano II. constantinopolitano sub Leone Isauto, et alio sub constantino Copronymo. At concilium cum papa non potest errare:ergo non potest sine papa omnia illa, quae potest cum papa. Neque potest responderi, errasse illa concilia, quod non fuerint legitima, nam plerisque nihil defuil, nisi pontificis assensus. Immo ephesinum II. fuit omnino simile basileensi, utrumque enim fuit indictum a pontifice, in utroque adfuit legatus pontificis circa initium, ab utroque recessit paulo post legatos pontificis, in utroque fuit pontifex excommunicatus, quae omnia de basileensi patent ex gestis ejus ab Aenea Sylvio descriptis. De ephesino autem patet ex epist. Leonis 12. 13. 15. 21.22.et ex concilio chalcedonensi, act. 3. et nihilominus errasse concilium ephesinum adversarii negare non possunt.

Quarto, si in Ecclesia esset summa potestas principaliter, in papa instrumentaliter, ut in ministro Ecclesiae, ut ipsi dicunt, sequeretur papam non esse immediatum Christi vicarium, sed mediatum; immediate enim vicaria Christi esset Ecclesia, papa autem esset immediatus vicarius Ecclesiae, quod est expresse contra concilium constantionse, sess. 8. ubi dampatur haeresis Wiclefi. dicentis, non esse pontificem immediatum Christi

vicarium.

# CAPUT XVII.

Summum pontificem absolute esse supra concilium.

Tertia propositio. Summus pontifex simpliciter et absolute est supra Ecclesiam universam, et supra concilium generale, ita ut nullum in terris supra se judicium agnoscat. Hace etiam est fere de fide; et probptur primo ex duabus praecedeptibus: nam si papa est caput Ecclesiae universae, etiam simul congregatae, et Ecclesia universa etiam

simul congregata non habet ullam potestatem ratione suae totalitatis; sequitur papam supra concilium esse, et supra Ecclesiam, non contra.

Secundo probatur ratione, in Scripturis fundata; nam omnia nomina, quae in Scripturis tribuuntur Christo, unde constat eum esse supra Ecclesiam. eadem omnia tribuuntur pontifici. Ac primam, Christus est patersamilias in domo sua, quae est Ecclesia, pontisex in eadem est summus oeconomus, idest, paterfamilias loco Christi. Lucae 12. Quis est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam etc. Hic enim per dispensatorem, sive oeconomum, ut graece habetur, intelligunt episcopum. Ambrosius in hunc locum, et Hilarius, et Hieronymus in cap.24. Matth. ubi similis habetur sententia. Et quamvis Patres non loquantur expresse de episcopo romano, tamen sine dubio sententia Scripturae illa est; ut episcopi particulares sunt summi oeconomi in suis Ecclesiis, ita esse episcopum romanum, in Ecclesia universa. Unde Ambrosius in illud 1. Tim. 3. Ut scias quomodo te operteat conversari in domo Dei etc. Domus Dei. inquil, Ecclesia dicitur, cujus hodie rector est Damasus. Et Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio circa initium, hunc ipsum locum: Quis est fidelis servus etc. de Petro exponit.

Quod autem oeconomus summus sit supra familiam, et ab ea judicari, ac puniri non possit, patet ex hoc codem loco, Dominus enim ait: Quem constituit Dominus super familiam suam. Et ibidem: Quod si dixerit servus ille in corde suo, moram facil Dominus meus venire et coeperit percutere servos, et ancillas, edere, et bibere, et inebriari, veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat. et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. Ubi vides Dominum servare suo judicio servum illum, et non committere judicio familiae. Idem eliam docet usus omnium familiarum : nulla enim familia est, in qua liceat inferioribus famulis etiam simul congregatis punire, vel expellere oeconomum, etiamsi pessimus sit. id enim ad solum Dominum totius familiae pertinet.

Alterum nomen Christi est pastor. Joannis 10. Ego sum pastor bonus etc. Idem communicat Petro, Joan. ult. Pasce oves meas. Constat autem pastorem ita praeesse ovibus, ut nullo modo ab eis judicari possit.

Tertium est: Caput corporis Ecclesiae, Ephes. 4. idem communicat Petro, ut habemus in concilio chalcedonensi, act. 3. ubi legati sententiam pronunciant in Dioscorum, et in epist. concilii ad Leonem. Porro caput a membris regi, et non ea potius regere, contra naturani est, sicut etiam est contra naturam, quod membra sibi caput praecidant, cum forte graviter aegrotat.

Quartum est: Vir. seu sponsus, Ephes. 5. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit scipsum pro ea etc. Idem convenit Petro, nam in concilio generali lugdunensi, ut habetur cap. Ubi periculum, de elect. in 6. loquens concilium de electione romani pontificis: Acceleret, inquit, utilis per necessaria totius mundi provisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiae spon-

so dato. Est autem contra apostolum Ephes. 5. et contra naturae ordinem, ut sponsa praesit sponso, et non potius subsit.

Probatur secundo ex verbis expressis conciliorum et pontificum. Cam enim controversia isla sit
de potestate conciliorum et pontificum, si inter se
concilia et pontifices conveniunt, quid opus est,
ut nos litigemus? Primum ergo exstat concilium
sinuessanum sub Marceltino, in cujus fine legimus: Prima sedes a nemine judicabitur. Paulo
post exstitit concilium romanum sub Sylvestro,
in cujus ult. can. similiter legimus: Nemo judicabit primam sedem.

Praeterea ex concilic chalcedonensi colligitur pontificem esse majorem concilio; nam act. 3. recitantur multae epistolae scriptae ex variis locis ad concilium, quae omnes ita incipiuni: Sanctissimo el beatissimo universati patriarchae magnae Romae Leoni, et sancto universali concilio congregato in chalcedonensi civitate etc. Nemo autem in toto concilio fuit, qui reclamarit, ac dixerit, non debere auteponi pontificem toti concilio. Immo in fine rilius actionis exstat epistola concilii ad eumdem Leonem, in qua eum, et caput, et patrem suum agnoscunt. Praeterea in eadem actione damnatus est Dioscorus cum tota synodo ephesina II. tum obalias caussas:, tum praecipue quia judicare, et damnare ausus fuerat romanum pontificem Leonem. Ut enim Nicolaus I. ait in epistola ad Michäelem, non tam ob haeresim damnatus est Dioscorus, quam ob horrendam praesumptionem, qua in summum pontificem sententiam dictare ausus fuerat. Ubi notandum, quod si Dioscorus, qui erat patriarcha alexandrinus, idest, primus post romanum, cum generali concilio non potuit jure judicare romanum pontificem, certe sequitur evidenter, concilium non esse supra pontificem. Cur enim non potuit pontificem judicare, si erat supra ipsum, immo ejus judex, ut adversarii volunt?

Item concilium romanum V. sub Symmacho recepit, et approbavit tamquam sua decreta, librum Ennodii diaconi, in quo sic legimus: Altorum hominum causas Deus voluit per homines terminari. Sedis istius praesulem suo sine quaestione reservavit arbitrio, voluit Petri apostoli successores coelo tantum debere innocentiam. In VIII.synodo generali action. 7. legimus, romanum pontificem de omnium Ecclesiarum praesulibus judicasse; de eo vero neminem unquam judicasse; intellige, legitime, ita ut fuerit receptum ab Ecclesia ejusmodi judicium. Scribant Platina in vita Leonis III. Paulus Aemilius lib. 3. historiae Francorum, cum Carolus Magnus Romam venisset ad cognoscendam caussam Leonis pontificis, oui multa crimipa objecta fuerant, et simul convenisset ingens concilium episcoporum, omnes episcopos una voce clamasse, non licere ulli hominum judicare summum pontificem, tum vero Carolum destitisse a munere illo iudicandi, et Leonem juramento seipsum purgasse.

Praeterea concil. lateranense sub Alexandro III. ut habetur cap. Licet, extra de electione: In romana Ecclesia, inquit, aliquid specialiter constituitur, quia non poterit ad superiorem haberi recursus. Ubi concilium doset, majori cautelu

debere eligi romanum pontificem, quam alios episcopos, quia si eligatur malus episcopus, potest
ille corrigi, et deponi per romanum pontificem;
si autem eligatur malus pontifex summus, non est
remedium ullum, non enim habet superiorem, a
quo deponi possit. Item in constantiensi concilio
edita est Bulla Martini V. ipso approbante concilio,
in qua jubentur suspecti de haeresi interrogari, an
non credant romanum pontificem habere in Ecclesia Dei supremam potestatem. At certe suprema est, qua nulla est major, et cui nulla aequalis.

Denique lateranense ultimum sub Leone X. sess. 11. diserte et ex professo docuit, pontificem esse supra omnia concilia, et reprobavit contrarium decretum, editum in concilio basileensi: Solum, inquit, romanum pontificem, tamquam super omnia concilia auctoritatem habentem, conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio, dictis sanctorum Patrum ac aliorum romanorum pontificum, sed propria etiam corumdem conciliorum confessione, manifeste constat.

Ad hunc locum nihil potest responderi, nisi velnon foisse concilium generale, vel non fuisse ab Ecclesia receptum, vel non definivisse hoc, tamquam de side. Sed son fuisse generale, vix dici potest; nam etsi fuerunt episcopi paucissimi, nam ad centum non pervenerunt; tamen concilium omnibus patebat, et omnes vocati fuerant, et in eo summus pontifex verus et indubitatus pracsidebat. Quod autem non fuerit receptum . saltem ab omnibus, parum refert, nam decreta concitiorum non indigent approbatione populi, cum ab eo non accipiant auctoritatem.. Verum est quidem, decreta de moribus, si non recipiantur, et pontifex connivest, landem consuctudine abrogari: sed hoc non accidit ex eo quod indigeant populi approbatione, sed quia decreta mutabilia sunt; et cum pontifex videt longo tempore ea non servari, et tacet, censetur ipse abrogare. At decreta de side immutabilia sunt, nec possunt ullo modo abrogari, posteaquam semel statuta sunt; tale autem est boc, de quo agimus. Quod vero concilium hoc rem istam non definierit, proprie, ut decretum side catholica tenendum, dubium est, et ideo non sunt proprie haeretici, qui contrarium sentiuut, sed a temefitate magna excusari non possunt.

Accedant jam tertio pontifices. Leo epist. 84. ad Anastasium, in fine: Magna, inquit, Dei dispositione provisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberelur prima sententia, et rursum quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos, ad unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura conflueret, ut nihil unquam a suo capite dissideret. Jam si cura universalis Ecclesiae ad Petrum pertinet, certe etiam concilii, quod universa-

lis Ecclesiae vicem gerit.

Gelasius in epist. ad episcopos Dardaniae, Cuncta, inquit, per mundum novit Ecclesia quod sacrosancta romana sedes fas de omnibus habeat judicandi, nec cuique liceat de ejus judicare judicio.

Nicolaus I. in epist. ad Michäelem, idem repetit: Patet, inquit, profecto sedis apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium, a nemine fore retractandum.

Gregorius lib. 9. epist. 39. ad Theolistam patritiam: Si, inquit, b. Petrus, cum a fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat: ut pastorem suum oves reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, doctor mansueludinis non fuisset: humili ergo eos ratione placavit.

Paschalis papa, ut habetur cap. Significasti, extra de electione: Ajunt, inquit, in conciliis statutum non inveniri, quasi romanae Ecclesiae legem concilia ulla praefixerint, cum omnia concilia per romanae Ecclesiae auctoritatem et fucta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis, romani pontificis patenter excipiatur auctoritas.

Innocentius III. serm. 2. de consecratione pontificis: In tantum, inquit, mihi fides necessaria est, ut cum de caeteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committiur possem ab Ecclesia judicari.

Bonifacius VIII. in extrăvaganti, Viam sanctam. titulo de majoritate, et obedientia: Si deviat, inquit, terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali, Si deviat spiritualis, minor a majori. Si vero suprema, a Deo solo, non ab homine poterit judicari. Accedat testimonium s. Bonifacii episcopi moguntini, qui etiam si summus pontifex non fuerit, fuit tamen summae auctoritatis. Is ergo, ut habetur dist. 40. can. Si papa: Cunctos, inquit, judicaturus, a nêmine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius.

Probatur quarto ex appellationibus a concilio ad papam; sine controversia enim semper a minore ad majorem appellatur. Appellari autem a concilio ad papam, non contra, perspicuum est, ex Gelasio in epist. ad episcopos Dardaniae: Ad sedem, inquit, apostolicam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est ap-

pellare permissus.

Et ne putemus eum loqui de appellatione ab aliquo episcopo, non a concilio: subdit, saepe romanos pontifices solvisse eos, quos inique concilia ligaverant; cujus rei exstant exempla clarissima. Nam Athanasius episcopus alexandrinus, et Paulus episcopus constantinopolitanus, a concilio depositi, ad Julium papam appellaverunt, et ab ee in suas sedes restituti sunt, ut auctor est Sozomenus lib. 3. hist. cap. 7. similiter Flavianus episcopus constantinopolitanus appellavit a concilio ephesino II. generali, ad Leonem papam, ut testatur Leo epist. 25. ad Theodosium Augustum. Item Theodorelus episcopus Cyri appellavit a concilio eodem ephesino II. ad eumdem Leonem, ut patet ex Liberato in Breviario, cap. 12. et ex ipsa epistola Theodoreti, quae exstat ad finem operum Leonis. Denique Joannes Chrysostomus a concilio depositus appellavit ad Innocentium papam, ut testatur Gelasius, ubi supra, et idem colligitur ex epi-

stolis Chrysostomi ad Innocentium.

Probatur quinto, ex approbatione et reprobatione conciliorum; Nam omnia revocantur tandem ad examen romani pontificis, et quae ille probat, recipiuntur, quae improbat rejiciuntur, ut testatur Gelasius in eadem epistola ad episcopos Dardaniae. Et quidem quod ad petitionem conciliorum approbaverit pontifex multa concilia, patet ex gestis ipais conciliorum, praecipue I. II. III. IV. et VI.

Quod autem pontifices aliquando conciliorum decreta reprobaverint, quod est apertum signum superioritatis, ex Basilio patet, qui in epistola ad Athanasium, quae est 52. scribit, videri sibi bonum, ut rogetur romanus episcopus, ut mittat aliquos in Graeciam, qui ejus nomine irritent concilium arimin ense. Iose etiam Damasus in epistola ad episcopos Illyrii reprobat concilium illud. Similiter Leo in epist. 55. ad Pulcheriam: Consensiones, inquit, episcoporum, canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, et per auctoritatem b. Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus. B. Gregorius lib. 4. epist. 34. Cuneta, inquit, acta illius synodi, sede contradicente apostolica, soluta sunt.

#### CAPUT XVIII.

Pontificem non posse subjicere seipsum sententiae coactivae conciliorum.

Quarta propositio. Summus pontifex non potest committere, neque concilio, neque ulli homini suppa se judicium coastivum, sed tantum discretivum. Neta, in judiclo perfecto duo quaedam reperiri. Primo, potestatem discutiendi caussam, et discernendi ac judicandi quid agendum sit. Secundo, potestatem cogendi eum, qui cecidit caussa, ad obtemperandum sententiae contra se latae. Utrumque invenitur in judice proprie dicto, qualis est princeps, vel praetor a principe constitutus. Primum autem solum reperitur in arbitris, quorum sententiae etiam si teneantur homines stare ex jure naturae, quia tenemur servare premissa; non tamea ex vi sententiae, quia non possunt arbitri cogere.

Jam ergo summus pontifex non potest judicem proprie dictum supra se constituere, sed tantum quodammodo arbitros, quorum sententiae si non obtemperaverit, faciet quod non debet; non autem

quod non potest.

BELLARMINI. Vol. II.

Prima pars probatur. Primo, quia potestas papae super omnes, est de jure divino, ut patet. At non potest papa dispensare in jure divino. Secundo, quia non potest inferior committere alicui judicium reservatum superiori. Non enim potest episcopus committere suo poenitentiario, ut absolvat in casibus reservatis papae. At judicium in caussa pontificis est reservatum Deo, ut supra docuimus. Tertio, quia sequeretur papam esse superiorem, et non superiorem, respectu ejusdem, quae est implicatio contradictionis. Id autem sequi, has ratione ostenditur, summus pontifex, cum se ac suam caussam judicio alicujus committit, non definit esse papa, ergo nec definit esse superior quocumque Christiano. At nihilominus non est superior, sed inferior, si cogi potest: erit igitur simul superior et non superior.

Secunda pars patet ex Sixto III. Leone III. Symmacho, Leone IV. et aliis, qui cum accusarentur, caussas suas in concilio episcoporum discuti voluerunt, ut patet ex can. Mandastis, et can. Auditum, 2. quaest. 5. et ex concilio IV. sub Symmacho; quos tamen episcopi judicare ausi non sunt. Unde in concilio IV. sub Symmacho, omnes episcopi cum subscribunt, affirmant, se totum judicium Deo relinquere.

#### CAPUT XIX.

Solvuntur argumenta adversariorunt.

Superest argumenta solvere. Ac primum Hermannus lib. 3. cap. 12. prolegomenorum objicit aliquotexempla yeterum. Secundo argumenta quaedam ex Gersone. Tertio aliud quoddam ex concilio hasileensi.

Primum exemplum est Marcellini, qui in concilio sinuessano ab episcopis damnatus, et depositus fuit. Respondeo primo: Marcellinum fuisse accusatum de actu infidelitatis, in quo casu potest concilium disentere caussam pontificis, et si inveniat, revera esse infidelem, potest declarare eum esse extra Ecclesiam, et sic damnare. Secundo dico: Episcopos quidem damnasse Marcellinum, sed postea quam ipse primus se ipse damnaverat, idest, abdicaverat se pontificatu, nam antea saepe clamaverant: Prima sedes a nemine judicabitur, tu reus, ta judea, noli a nobis judicari etc. Vide Nicolaum I. in epist. ad Michäelem.

Secundum exemplum est Melchiadis papae, post cujus sententiam judicavit eandem caussam episcopus arelatensis, ut testatur Augustinus in epist. 162. ad Glorium et Eleusium, ubi etiam addit Augustinus: Ecce, inquit, putemus illos episcopos, qui Romae judicaverunt, non bonos judices fuisse. Restabat adhuc plenarium Ecclesiae universae concilium, ubi etiam eum ipsis judicase consicti a passet agitari. Ut si male judicase convicti

essent, corum sententiae solverentur.

Respondeo: Ad illud de episcopo arelatensi ex eodem Augustino ibidem, eam caussam iterum judicatam fuisse, non quia oporteret, sed quia voluit imperator acquiescere Donatistis, petentibus aliud judicium, si forte in duobus judiciis condemnati sanarentur. Ad illud de generali concilio dico, Augustinum nón conferre papam sine concilio, cum concilio sine papa, ut nos modo conferimus, sed conferre concilium particulare, cui praesit papa, cum concilio generali, cui etiam praesit papa. Potest autem sine dubio caussa judicata a pontifice in concilio particulari, iterum ab eodem judicari in concilio generali, praesertim in quaestionem facti, quae pendet ex informationibus, et in qua errare

potest Ecclesia, qualis erat quaestio, de qua tune agebatur. Immo etiam erdinarie, indicto concilio generali, olim flebant concilia particularia prius in singulis provinciis, et etiam Romae, et deinde res definitae in illis conciliis particularibus iterum tractabantur in concilio generali, et tunc dabatur ultima et definitiva sententia a pontifice, concilio assentiente.

Tertium est Liberii, quem imperator deposuit, et postea restituit in suam sedem, jubens, ut simul cum Felice Romae Ecclesiam regeret, quod idem jussit concilium syrmiense literis datis ad Felicem, ut refert Sozomenus li. 4. c. 14. Respondeo: Imperatorem arianum id fecisse injuste et tyrannice, quomodo etiam Nero Petrum et Paulum interfecit. Concilium autem syrmiense non jussit, sed tantum literas exhortatorias misit ad Felicem, ut pateretur secum simul sedere Liberium. Adde, quod concilium illud praecipue Arianorum fuit, et nullius momenti.

Quartum est s. Leonis, cujus epistolam in concilio chalcedonensi multi episcopi examinarunt, ut refert Evagrius lib. 2. cap. 18. et îpse etiam Leo epistol. 63. gloriatur epistolam suam a concilio approbatam fuisse. Respondeo. Hinc non sequi concilium esse supra papam; nam Leo epistolam suam miserat ad concilium, non ut continentem ultimam et definitivam sententiam, sed ut instructionem tantum, qua adjuti episcopi melius judicarent. Posteaquam autem omnes consenserunt epistolae Leonis, tum demum edita est definitio ultima nomine pontificis et concilii. Hace de exemplis.

Secundo, proponit argumenta Gersonis, ac primum est illud, Matth. 18. dicitur: Si peccaverit in te frater tuus etc. dic Ecclesiae. Sed papa est eliam frater noster, cum sit Christianus, et dicere debeat, Pater noster qui es in coelis; potest igitur papa ad judicium Ecclesiae vocari, proinde ab Ecclesia judicari ac puniri potest. Non autem quidquam agit Ecclesia, nisi per praelatos suos, igitur a praelatorum concilie, papa judicari potest.

Respondeo: Nomine Ecclesiae, vel intelligi episcopum, ut exponit hoe loco Chrysostomus, et innocentius III. cap. Novit, extra, de judiciis et praxis Ecclesiae demonstrat; quotidie enim episcopo denunciantur ii, de quibus Dominus ait Bic Ecclestae; vel certe fidelium coetum cum suo capite. Nam ut Cyprianus ait in epistola ad Florentium. quae est nona lib. 4. Ecclesia est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens. Quare in quocumque episcopalu deferendi sunt peccalores ad Ecclesiam, et episcopum ejus loci, sed si is episcopus peccet, non potest deferri ad eam Ecclesiam, nisi debeat deferri ad seipsum, cum ipse sit caput ejusdem Ecclesiae, sed descrendus est ad Eeclesiam aliquam altiorem, cui pracest archiepiscopus vel patriarcha: Si vero peccet patriarcha, deferri non potest ad Ecclesiam suam, sed ad majorem, idést, ad romanam Ecclesiam, vel generale concilium, cui summus pontifex praesidet: Quod si ipse summus pontifex peccet, judicio Dei reservandus est, non enim est ulla Ecclesia, ad quam deferri possit, eum sine ipso non inveniatur Ecclesia com enpite.

Sed iterum instant. Haec verba, Dic Ecclesiae, dicta sunt Petro, ergo etiam Petrus, et ejus successor debet deferre peccatores aliquando ad Ecclesiam, debet igitur agnoscere tribunal Ecclesiae quoddam suo majus.

Respondeo: Quando haec dicta sunt Petro, non fuisse eum adhuc pontificem, sed hominem privatum, proinde illud ei dictum, quod iis convenit, qui superiorem aliquem agnoscent. Addo praeterea, suo quodam modo posse pontificem hoc praeceptum implere; Primum enim debet eum, qui peccavit, corripere privatim; deinde adhibere testes; postremo dicere Ecclesiae, idest, sibi ipsi, ut praesidi et Ecclesiae, cui ipse praeest, idest, publice eum excommunicare. Quomodo intellexit hunc locum b. Gregorius lib. 1. epist. 38. ad Joannem constantinopolitanum episcopum.

Argumentum secundum: Papa est membrum Ecclesiae, ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia, et potest, et debet amputari, si inficiat Ecclesiam, quia de jure naturae est ut membra inficientia totum corpus abscindantur.

Respondeo: Ad primam consequentiam, vel accipitur Ecclesia cum papa, vel sine papa, quando colligitur, ergo papa ut membrum est minor Ecclesia, quae est totum. Si accipiatur Ecclesia sine papa, falsum est illam esse tolum, non enim est totum, sed pars, et quidem major, quam caput, magnitudine molis, minor autem magnitudine virtutis. sive auctoritatis, ut patet in quolibet corpore. Quod autem adversarii dicunt, auctoritatem capitis manere in Ecclesia suppletive, jam est reluta-tum antea. Si autem accipiatur Ecclesia cum papa. tunc, ut alias diximus, major est auctoritas Ecclesiae extensive, quam papae solius: intensive autem aequalis. Sicut eos ut comprehendit Deum et ereaturas, non est majus bonum, quam sit solus Deus intensive, tametsi extensive est majus, quia sunt plura bona: Sicut etiam Christus, ut homo, est caput homogeneum Ecclesiae. et proinde pars ejus, et tamen non est major Ecclesia tota, quam Christus solus.

At contra instat: Semper potentia agendi principalius est in toto, quam in partibus, quae suni instrumenta totius; principalius enim dicitur hemo videre, quam oculus. Quare cum Ecclesia incluso etiam papa, sit quoddam totum, et papa sit pars quaedam, et instrumentum hujus totius, sequitur, principalius convenire ipsi Ecclesiae summam potestatem Ecclesiaeticam, quam papae.

Respondeo: Aliud esse judicium de corpore Ecclesiae, et de corporibus naturalibus; Nam in corporibus naturalibus virtus procedit ab essentia ad potentias, ideo principalius dicitur totum agere, quam ulla pars, seu petentia. At in corpore Ecclesiae virtus non procedit ab essentia ad potentias, seu partes, extrinseco. Papa enim, qui est caput Ecclesiae, non habeat ab Ecclesia, sed a Deo auctoritatem et ideo principale agens non est Ecclesia, sed Deus. Secundo dici potest, principale agens in quolibet corpore semper esse ipsum suppositum, quod suctentat et mevet omnia membra. Porro suppositum corporis Ecclesiae est Christus. Ut enim cum dicimus, hoc est corpus Petri vel Pauli, il-

lud Petri vel Pauli, sonat suppositum; Ita cum dicimus Ecolesia est corpus Christi, illud Christi sonat suppositum. Neque obstat quod Christus sit etiam caput Ecclesiae; nam Christus, ut influens in omnia membra, dicitur caput, ut autem sustentat et movet omnia, dici potest suppositum, et hoc modo concedimus, papam esse instrumentum corporis Ecclesiae, et quoddam minus ipso toto, ut nimirum in toto Christum ipsum, ut suppositum, includimus.

Ad alteram consequentiam posset dici. Primo, de jure naturae esse, ut abscindantur membra putrida, sed excepto capite. Melius enim est habere caput putridum, quam nullum. Sed haec solutio parum valet; nam in corporibus naturalibus debet excipi caput, quia eo amputato, totum corpus moritur. At corpus Ecclesiae non moritur meriente papa; unde etiam videmus in rebuspublicis temporalibus, si rex degeneret in tyrannum, licet sit caput regni, tamen a populo deponi, et eligi alium. Dico ergo secundo, in corpore naturali et rebuspublicis temporalibus posse abscindimembra inficientia totum corpus, quia ab ipso corpore pendent, et vim habent : At non eadem ratio est corporis Ecclesiae, cujus caput non a corpore, sed a Deo auctoritatem accepit, sicut etiam non licet fainiliae deponere summum oeconomum, licet pessimum, quia non a familia, sed a Domino institu-

At, inquiunt, ergo sola Ecclesia sine remedio manet, si habet malum pontificem, et poterit pontifex impune omnes vexare, et perdere, et nemo resistere poterit.

Respondeo: Non mirum, si manet Ecclesia sine rimedio humano efficaci, quandoquidem non nititur salus ejus praecipue humana industria, sed divina protectione, cum ejus rex Deus sit. Itaque etiamsi Ecclesia non possit deponere pontificem, tamen potest ac debet Domino supplicare, ut ipse remedium adhibeat: et certum est Deo fore curae ejus salutem, qui talem pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam Ecclesiam destruat. Nec tamen huic sequitur, non licere resistere pontifici Ecclesiam destruenti; licet enim eum servata reverentia admonere, et modeste corripere, repugnare etiam vi et armis, si Ecclesiam destruere velit. Ad resistendum enim, et vim vi repellendam, non requiritur ulla auctoritas. Vide de hac re Joannem de Turrecremata, lib. 2. cap. 106.

Tertium argumentum Gersonis ab Hermanno relatum, sumitur ex concilio constantiensi. Concilium constantiense sess. 4. definivit, concilium
generale habere a Christo immediatam auctoritatem, cui onnes obedire tenentur, etiamsi papalis
dignitatis existat. Vel hoc concilium est approbatum, vel non: si est approbatum, ergo verum
est, et recipiendum, quod definivit: si non, ergo
perperam deposuit Joannem XXIII. Gregorium XIII.
et Benedictum XIII. et elegit Martinum V. cui postea omnes alii pontifices successerunt. Adde,
quod Martinus V. papa in ult. sess. confirmavit ounia decreta circa fidem hujus concilii constantiensis: hoc autem decretum ad fidem pertinere videtur.

Responde dupliciter. Primo, concilium constantiense esse legitimum et approbatum, sed non pugnare cum iis, quae diximus. Non enim definivit absolute, concilia generalia habere a Christo potestatem supra pontifices, sed tantum in casu, idest, tempore schismatis, quando nescitur, quis sit verus papa. Nam dubius papa habetur pro non papa, et proinde habere super illum potestatem, non est habere potestatem in papam. Ita Turrecremata, Campegius et Sanderus locis potatis

Secundo, responderi potest: Non fuisse concilium constantiense, cum id asseruit hujusmodi, ut quaestiones de fide definire posset; nam inprimis non erat tunc generale concilium, cum tantum adesset tertia pars Ecclesiae, idest, ii tantum praelati, qui obediebant Joanni; nam qui obediebant Gregorio et Benedicto, repugnabant iis, quae a synodo fiebant. Deinde non aderat tunc certus papa in Ecclesia, sine quo dubia de fide definiri non possunt, in concilio autem nullus erat papa. Joannes enim XXIII. qui concilium inchoaverat, jam inde recesserat, cum quarta sessio haberelur.

Neque verum est, quod Martinus V. confirmaverit hoc decretum. Ipse enim discrte dixit, se confirmare tantum ea decreta de fide, quae facta erant concilialiter, idest, more aliorum conciliorum, re diligenter examinata: Constat autem hoc decretum sine ullo examine factum a concilio constantiensi. Itaque Martinus cum confirmavit decreta de fide concilialiter conclusa, intelligebat tantum de damnatione haeresim Wiclefi et Huss.

Neque sequitur, si concilium in hoc erravit, errasse etiam in deponendo Gregorio XII. Joanne XXIII. et Benedicto XIII. Nam etsi concilium sine papa non potest definire nova dogmata fidei, potest tamen judicare tempore schismatis, quis sit verus papa, et providere Ecclesiae de vero pastore, quando is nullius, aut dubius est, et hoc est quod recte fecit concilium constantiense. Adde, auod Joannes et Gregorius non inviti depositi sunt; nam ipsi eliam sponte renunciarunt papatui, ut patet ex actis concilii constantiensis sess. 12. et 14. Benedictus autem non cessit, sed post ejus obitum Clemens VIII. successor ipsius cessit Martino V. quem omnis Ecclesia ut verum pontificem, venerabatur, id quod sufficit, ut Martinus esse posset verus papa.

Ultimo, adfert Hermannus concilium basileense, quod sess. 33. definivit, fide catholica esse credendum, concilium esse supra papam. Fuit autem hoc concilium indictum a Martino V. ut habetur sess. 1. et deinde ab Eugenio declaratum sess. 16. legitime continuatum a sua inchoatione. Denique a Nicolao V. confirmatum cum aetibus suis.

Respondeo: Concilium basileense legitime inchoatum, sed illegitime terminatum. Est autem mendacium expressum Hermanni, quod sit confirmatum a Nicolao V. cum actibus suis. Nicolaus, enim ut apparet ex Bulla ejus, eidem concilio annexa, solum confirmavit ea, quae egerat concilium circa beneficia, et censuras ecclesiasticas. Quae au-

tem definivit concilium basileense de sua auctoritate supra pontifieem, nullus pontifex probavit, sed
reprobavit ex professo in primis Eugenius papa,
ut patet ex concilio basileensi sess. 38. deinde
Leo X. in concilio lateranensi ultimo sess. 11. item
Ecclesia tota, quae Eugenium a basileensibus depositum, semper habuit pro vero pontifice; denique
basileenses ipsi, et papa Felix, quem ipsi creave-

runt; Nam papa Felix tandem cessit Nicolao Engenii successori et basileenses qui lausannam concilium transtulerant, tandem sese Nicolao subjecerunt, ut in eadem Bulla Nicolaus testatur. Multa alia argumenta proponi et solvi poterant, sed ea soluta sunt in libris de pontifice. Vide etiam quae dicemus de concilio basileensi in libro proxime sequente cap. 16.



#### LIBER TERTIUS

# ECCLESIA MILITANTE

TOTO ORBE TERRARUM DIFFUSA

### CAPUT PRIMUM

De nomine Ecclesiae.

Controversia de Ecclesia militante, multas habet partes. Primum enim de ipsa secundum se agendum erit; tuma de membris ejus, hoc est, de clericis, de monachis, de laicis. Rursum autem de Ecdesia militante secundum se considerata, de qua nunc disputare aggredimur, tres sunt praecipue controversiae. Prima est, de nomine et definitione Ecclesiae. Secunda, de qualitate, seu de visibilitate cjusdem. Tertia, de notis, quibus ea certo cognosci potest.

A prima nunc exordiemur; si tamen antea propler studiosos nomina eorum auctorum notaverimus, qui de Ecclesia scripserunt, seu potius eorum quorum nos libros legimus; nec enim omnes legi-mus. Igitur scripserunt de hoc argumento b. Augustin. lib. de unitate Ecclesiae; b. Gyprianus librum ejusdem tituli, necoon Optatus lib. 6. contra Parmenianum. Ex recentioribus scripsit Thomas Waldensis tom. 1. lib. 2. doctrinae fidei cap. 8. 9. 10. etc. Joan. de Turrecremata summam de Ecclesia; lomnes Driedo in lib. 4. de dogmatibus ecclesiasticis, cap. 2. Albertus Pighius controversia 3. cardinalis Hosius in confessione, in explicatione symboli, et lib. 5. contra prolegomena Brentii; Petrus a Soto 1. part. defensionis suae contra Brentium. leennes a Daventria in confat. 7. artic, Confessiosis Augustanze; Joannes Cochlaeus Philippica 4. a in lib. de Scripturae et Ecclesiae auctoritate : Joannes Eckius initio sui Enchiridii, Alphonsus a Castro lib. 6. cont. heeres. Melchior Canus lib. 4. de locis. Joannes Antonius Delphinus in libris trib. de Ecclesia. Joannes a Lovanio in explicat, symboli, et omnes alii, qui symbolum exposuerunt. Pranciscus Turrianus in libris duobus de Ecelesia, et ordinat. ministr. Post quos, sano 1577. incunte, nos haec ipsa, quae nune emittimus in lucem in scholis disputavimus. A que tempere seripsit etiam de eodem argumento Gregorius de Valentia in sua Analysi fidei catholicae part. 6.et scripserunt etiam alii, sed non vacavit per alias occupationes corum libros evolvere.

Venio nunc ad propositam disputationem: Ac ut primum de nomine, deinde de re ipsa dicamus, Ecclesiae nomen est graecum, deduciturque a verbo ἐχχαλέω, quod est evoco. Itaque Ecclesia est evocatio, sive coetus vocatorum. Dicitur autem popalus Dei coetus vocatorum, quia nemo ad hanc populum se adjungit per se, et suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt, a Dei vocatione praeveniuntur. Est enim vocatio primum beneficium, quod sancti a Deo recipiunt: Ques vocavit, inquit apostolus Rom. 8. hos justificavit: quos justificavit, hos et magnificavit. El Aelor. 2. Quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Hinc toties apostolus Christianos appellat vocatos, in omnibus fere epistolis.

Sunt autem tria circa hoc nomen notenda.Primo, nomen Ecclesiae cum aliquo adjuncto, posse et in bonam et in malam partem accipi; dicitur enim: Ecclesia malignantium psulm. 25. El Ecclesia sanctorum psalm. 88. Absolute autem positum hoc nomen, non intelligi nisi de Ecclesia Christi; excepto uno loco Act. 19. ubi de populo ethnicorum

dicitur: Erat enim Ecclesia confuea.

Secundo, nota cum Augustino in psal. 81. in illud: Deus stetit in synagoga Deorum: tametsi eadem sit Ecclesia veteris Testamenti et novi, quoad essentiam: tamen quia status Ecclesiae novi Testamenti est longe excellentior, ideo etiam nomina esse distincta. Nam populus veteris Testamenti proprie dicitur synagoga, idest, congregatio, populus novi Testamenti nusquam dicitur synagoga, sed semper Ecclesia, idest, evocatio. Congregari enim commune est hominibus cum bestiis: at evocari proprium est hominum. Neque refert, quod populus Judaeorum in Testamento veteri passim vocatur etiam Ecclesia: nam tam synagoga, quam Ecclesia apud Hebraeos dicitur a congregando, דור quod vertimus synagoga, dicitur a 7y, congregare. Similiter קהל, idest, Esclesia, dicitur a מהל costgregari. Itaque sunt pomina due, sed idem prorsus significant.

Tertio nota, quemadmodum civitas nunc significat coetum hominum, nunc locum, in quo coetus ille habitat, ita etiam Ecclesiam in Scripturis nunc' significare coctum fidelium, ut Rom. 16. Salutant vos omnes Ecclesiae Asiae, nunc locum ipsum, in quo fideles congregantur, ut Judith 6. Omnis populus per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt, quamquam nos nunc solum de Ecclesia, ut

coctum fidelium significat, disputamus.

## CAPUT II.

#### Definitione Ecclesiae.

Hoce de nomine. De re autem ipsa quinque sunt baereticae sententiae. Prima, quod Ecclesia sit praedestinatorum congregatio, ita ut soli, et omnes praedestinati sint de Reclesia. Ita Joannes Wielef spud Waldensem tom. 1. lib. 2. cap. 8. et 9. Joannes Huss set. 4. 2. 3. 5. 6. ut hebetur in concilio constantionsi sess. 45. e quibus sie habetur artical. 5. Proceeitus etsi aliquando sit in gratia secundum praesentem justitiam, tamen numquam est pars sanctae Ecclesiae, et praedestinatus semper manet membrum Ecclesiae - liest aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia praedestinationis.

Secunda, good Ecclesia sit hominum perfectorum nallum pescatum habentium multitudo. Ita quondam Pelagiani, ut b. Augustinus refert lib. de haeres. cap. 88. In id ctiam, inquit, progrediuntur, ut dicunt, vitam justorum in hoo sasculo nullum omnino habere peccatum, et ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici. Bundon wibuit Anahaptistis hojus temporis Calvinus lib. 4. Instit.

cap. 1. § 18.

Tertia, quod Ecclesia sit justorum congregatio: seu polius corum, qui numquam lapsi sunt circa fidel confessionem. Distinguitur autem hace a superiore, quod prior opinio quoslibet peccettores excludat; hace autem non excludit, misi insignes pegestores. Ita senserunt olim Novatiani, ut aucler est Cypr. lib. 4. epist. 2. et Donatistae apad Augustinum libi de hacres cap.69. existimo enim falli Calvinom, chi supra et alios, qui pulant, Novatianos et Donatistas exclusisse omne genus peccatorum. Clare enim Cyprian: lib. 4. epist. 2. et Rpiphenius in hacres. Catharorum, dicunt, cos retinuisse in · Ecclesia fraudatores, moechos, et similes: salumque exclusisse eos, qui in persequutione lapai fuerant. Neque cum hoc pugnare videtur quod habent Ambrosius lib. 1. de poenit, cap. 1. et 2. et Theodor. lib. 3. de fabul. haeret. Novatianos sustulisse potestatem remittendi peccata omnia, exceptis levissimis. Nam etiam si non absolvebant graves peccatores, tamen in suo coetu eos retinebant, nisi lapsi essent circa fidem. Et Augustinus lib.3. cont. Parmenian. cap. 2. docet, Donatistas non horruisse omnia, sed solum quaedam majora scelera, quale erat illud, quod objiciebant catholicis, consensisse traditoribus divinorum librorum.

Quarta lest Confessionistatum, qui etsi nomine damnent Pelagianes, Novatianos et Donatistas, tamen corum sententia composita est ex hacresi Pelagianorum et Novatianorum et Donatistarum. Docent enim primo .cum Pelagianis non solum Confessionistae, sed omnes Lutherani et Calvinistae, nullum esse peccatum veniale ex natura sua, sed omnia esse mortalia ex se, venialia autem ex misericordia Dei, qui ea credentibus non imputat. Ita docuit Lutherus in assert. art. 32. Melanchthon in locis cap. de discrimine peccati mortalis et venia-

lis. Calvinus lib. 2. Instit. cap. 8. § 58. et 59. Secundo, docet Confessio Augustana art. 7. Ecclesiam esse sanctorum congregationem, qui vere credunt et obediunt Deo. Et in apologia Philippus conatur ostendere, peccatores non pertinere ad Ecclesiam, nisi nomine. Similia docet Brentius in prolegomenis, contra Petrum & Soto. Negue obstat. auod et Philippus et Brentius ibidem dicunt, malos esse admixtos bonis; nam ipsi:duas Ecclesias fingunt. Unam veram, et ad quam pertinent privilegia, quae narrantur in Scripturis, et hano esse sanctorum congregationem, qui vere credunt, et obediunt Deo, et hanc non esse visibilem, nisi oculis fidei. Alteram externam, quae nemine tantum est Ecclesia, et hanc esse congregationem homisum convenientium in doctrina fidei, et usu sacramentorum, et in hac bonos et malos inveniri. Itaque malos numquam velunt esse partes verae Beclesine, et proinde caute Philippus non dicit, Ecclesiam constare ex malis et bonis, sed dicit, malos admisceri Ecclesiae. Et Brentius dicit, malos esse aliquo modo in Ecclesia, sed non de Ecclesia.

Lutherus in lib. de conciliis et Ecclesia, part. 3. dicit, Ecclesiam esse populum sanctum christianum: et, ut ostendat se loqui de sanctitate singulorum membrorum, inde probat, papam et cardinales non esse de Ecclesia, quia sancti non sunt. Si ergo soli justi sunt partes verae Ecclesiae et emnia peccata, quantumvis levia, sunt peccata mortalia, et faciunt hominem injustom; sequitur solos perfectos et omai pecceto carentes, esse de lecte-

sia, quae erat opinio Pelagianorum.

Tertio, dicant Confessionistae, in quo etiam cum omnibus Lutheranis conveniunt, omnia opera hemiais, etiam justificati, esse peccata mortalis. Id indicat Confessio Augustana art. 6. et 20. sed clarius Lutherus in assert, artic. 32. ex que videtur sequi, nullum hominem esse de Ecclesia. Nam si soli justi sunt de Beelesia, et molli sunt omnino in mundo justi, quippe cum omnistra hominim opera sint peccala; quinam, quaeso, Ecclesiam facient? Sed ipsi rem totam facile explicant, dum dicunt,

opera quidem hominis justi otania esse peccata nortalia, sed tamen non imputari, si adsit fides, et proiede eum, qui habet fidem, simul esse justissimum, et in omni opere peccare. In quo aliquo modo conveniunt Confessionistae cum Donatistis et Novatianis. Ut enim illi non excludebant ab Ecclesia omnes peccalores, sed tantum eos, qui idololatriam commiserant; ita isli non omnes peccalores excludunt, sed tantum eos, qui non vere credunt: putant enim, ut diximus, nullum crimen imputari credentibus.

Quinto sententia est, quasi conflata ex omnibus istis. Docet enim, Ecclesiam constare ex solis justis praedestinatis. Ita Calvinus, qui tria docet. Primo, fidem semel habitam, numquam in aeternum perdi posse, et proinde omnem, qui habet fidem, necessario esse praedestinatum. Id Habet in Instilib. 3. c. 2. § 8. 9.10.11.quod idem antea expresse docuerat Jovinianus apud Hieronymum lib. 2. contra Jovinianum. Secundo docei, veram Ecclesiam a solo Deo cognosci posse, ejusque fundamentom esse divinam electionem, quia nimirum constat ex fidelibus, qui necessario sunt de numero electerum. Id habet lib. 4. cap. 1. § 2.et in minori Institutione c. 8. § 4. et seq. Tertio docet, esse praeterea quandam Ecclesiam externam, in qua sint boni et mali etc.ut supra dixerunt Confessionistae. Id habet eodem tibro et capite, in sequentibus sectionibus. Idem etiam sentire videtur Bucerus, qui in Nb. 1.de regno Christi c.5. definit regnum Christi, procurationem salutis electorum Dei, quos Dens in terris colligit. Idem Tilmannus Heshasius lib.de erroribus pontificiorum, loco 12. et lib. 1. de Ecclesia cap. 3.

Nostra autem sententia est, Ecclesiam unam tanfum esse, non duas, et illam unam et veram esse coctum hominum ejusdem christianae fidei professione, et eorundem sacramentorum communione colligatum, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue unius Christi in terris vicarii romani pontificis. Ex qua definitione facile colligi potest, qui homines ad Ecclestam pertineant qui vero ad eam non pertineant. Tres enim sunt partes hujus definitionis. Professio verae fidei, sacramentorum communie, et subjectio ad legitimum pastorem romanum pontificem. Ratione primae partis excluduntur omnes infideles tam qui numquem suerunt in Ecclesia, ut Judaei, Turcae, Pagani;tam qui fuerunt et recesserunt, ut baeretici et apostatae. Ratione secondae, excludantur catechumeni et excommunicati, quoniam illi non sunt admissi ad sacramentorum communionem.isti sunt dimissi.Ratione tertise, excluduntur schismatici, qui habent fidem et sacramenta, sed non subduntur legitimo pastori, et ideo foris profitentur fidem, et sucramenta percipient. Includuntur autem omnes alii, etiamsi reprobi, scelesti et impii sint.

Alque hoc interest inter sententiam nostram et alias omnes, quod omnes aliae requirunt internas virtutes ad constituendum aliquem in Ecclesia, et propterea Ecclesiam veram invisibilem faciunt; nos autem, et credimus in Ecclesia inveniri omnes virtutes, fidem, spem, charitatem, et caeteras; tamen ut aliquis aliquo modo dici possit pars verae Eccle-

siae, de qua Scripturae loquuntur, non putamus requiri ullam internam virtutem, sed tantum externam professionem fidei, et sacramentorum communionem, quae sensu ipso percipitur. Ecclesia enim est coetus hominum ita visibilis et palpabilis, ut est coetus populi romani, vel regnum Galliae, aut respublica Venetorum.

Notandum autem est ex Augustino in breviculo collationis, collat. 3. Ecclesiam esse corpus vivum, in quo est anima et corpus, et quidem anima sunt interna dona Spiritus sancti, fides, spes, charitas etc. Corpus sunt externa professio fidei, et communicatio sacramentorum. Ex quo fit, ut quidam sint de anima et de corpore Ecclesiae, et proinde uniti Christo capiti interius et exterius; et tules sunt perfectissime de Ecclesia; sont enim, quasi membra viva in corpore, quamvis etiam inter istos aliqui magis, aliqui minus vitam participent, et aliqui etiam solum initium vitae habeant, et quasi sensum, sed non motum, ut qui habent solam fidem sine charitate. Rursum aliqui sint de anima, et non de corpore, ut catechumeni, vel excommunicati, si fidem et charitatem habeant, quod fieri potest. Denique, eliqui sint de corpore, et non de anima, ut qui nullam habent internam virtutem, et tamen spe, aut timore aliquo temporali profitentur fidem, et in sacramentis communicant sub regimine pastorum, et tales sunt sicut capilli, aut ungues, aut mali humores in corpore humano.

Definitio igitur nostra solum comprehendit hunc ultimum modum existondi in Ecclesia, quia hic requiritur ut minimum; ut quis possit dici esse pars visibilis Ecclesiae. Probandum igitur est ordine, non pertinere ad Ecclesiam non baptizatos, haereticos et apostatas, excommunicatos et schismaticos. Deinde pertinere ad Ecclesiam non praedestinatos, non perfectos, peccatores etiam manifestos, infideles occultos, si habeant sacramenta, professionem fidei et subjectionem etc.

#### CAPUT III.

### . De non baptizatis.

De infidelibus non baptizatis sine dubio Paulus loquitur 1. Cor. 5. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Ubi generaliter eos omnes foris esse dicit, qui non dederunt nomina sua Christo per baptismum, sed aliquas alias religiones sequuntur.

De catechumenis est paulo major difficultas, quia sunt fideles, et salvari possunt, si moriantur in eo statu, et tamen extra Ecclesiam nemo salvatur, sicut nec extra arcam Noe, juxta illud concilii lateranensis cap. 1. Una est fidelium un versalis Ecclesia, extra quam nultus omnino salvatur. At nihilominus certum est, catechumenos non esse in Ecclesia actu et proprie, sed tantum in potentia; quomodo homo conceptus, sed nondum formatus et natus, non dicitur homo, nisi in potentia. Nam legimus Actor. 2. Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, et appositae sunt in die Ala animae circiter tria millia. Ilem concilium florentinum in istructione Armenorum, docet, homines ficri

membra Christi, ac de corpore Ecclesiae, cum baptizantur. Idem et Patres docent.

Gregorius nazianzenus oratione in sanctum lavacrum dicit, catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per baptismum. Jounnes Chrysostomus hom. 24. in Joann. dicit catechumenum alienum esse a fideli, et nihil habere commune cum eo, non civitatem, non mensam etc. Tertullian.lib.de praescriptionibus, reprehendit in haereticis, quod non distinguant catechumenos a fidelibus. Cyrill. lib. 12, in Joan. cap. 50. docet, catechumenos esse apud Christianos id, quod erant incircumcisi apud Judaeos, qui propterea non poterant vesci agno paschali. Augustinus tract. 4. in Joan et alibi distinguit catechumenos a fidelibus. Quod etiam alii Patres faciunt. Constat autem Ecclesiam esse fidelium congregationem.

Denique, catechumeni non habent jus ad ulla sacramenta, neque ad alia, quae sunt communia universae Ecclesiae. Non igitur actu, et proprie sunt catechumeni de Ecclesia. Quomodo igitur, inquies, salvantur, si sunt extra Ecclesiam? Auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus cap. 74. aperte respondet, catechumenos non salvari. Sed hoc nimis durum esse videtur. Certe Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani disertis verbis affirmat. catechumenos posse salvari, de quorum numero Valentinianus e-

rat, cum de hac vita migraret.

Alia igitur quaerenda solutio est. Melchior Cobus ait, catechumenos posse salvari, quía etsi non sunt de Ecclesia, quae proprie dicitur christiana, sunt tamen de Ecclesia, quae comprehendit omnes fideles ab Abel usque ad mundi consummationem. At non videtur satisfacere. Nam post Christi adventum nulla est vera Ecclesia, nisi illa quae proprie dicitur Christiana; si ergo catechumeni de ista non sunt, de nulla sunt. Respondeo igitur, quod dicitur, extra Ecclesiam neminem salvari, intelligi debere de iis, qui neque re ipsa, nec desiderio sunt de Ecclesia, sicut de baptismo communiter loquuntur theologi. Quoniam autem catechameni si non re, saltem voto sunt in Ecclesia, ideo salvari possunt. Neque repugnat similitudo arcae Noe, extra quam nemo salvabatur, etiamsi voto in ea fuisset: nam similitudines non in omnibus conveniunt.Quocirca 1. Pet. 3. baptismus comparatur arcae Noe, et tamen constat, sine baptismo in re, aliquos sal-

At, inquies, August. tract. 4. in Joan. dicit: Catechumenos esse in Ecclesia: Verum est, sed ibidem separat eos a fidelibus. Voluit ergo dicere, esse in Ecclesia non actu. sed potentia, quod idem ipse explicuit initio lib. 2.de symbolo.ubi comparat catechumenos hominibus conceptis, non natis.

## CAPUT IV.

### De hacreticis et apostatis.

Haereticos et apostatas baptizatos, Alphonsus de Castro lib. 2. de justa haereticorum punitione cap. 24. docet esse membra et partes Ecclesiae, etiam si palam falsam doctrinam profiteantur. Quae sen-

tentia, ut est aperte falsa, ita facillime refutari potest. Nam primo, Scriptura hoc indicat, cum ait 1. Timoth. 1.Quidam circa fidem naufragaverunt.Quo loco per metaphoram naufragii, intelligit baereticos fracta una parte gavis Ecclesiae, ex ea in mare decidisse: Quod etiam significatur illa parabola Domini de rete, quod prae multitudine scindebatur, Luc. 5. Praeterea ad Tit. 3. Haereticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est qui ejusmodi est, et delinguit cum sit proprio judicio condemnatus. Ubi apostolus episcopo praecipit, ut haereticum vitet, quod certe non juberet, si esset intra Ecclesiam. Debet enim pastor non vitare, sed curare eos, qui ad suum gregem pertinent. Et addit rationem, quia talis pertinax haereticus est, proprio judicio condemnatus, idest ( ut Hieronymus exponit ) non est ejectus ab Ecclesia per excommunicationem, ut multi alii peccatores, sed ipse seipsum ab Ecclesia ejecit. Item 1. Joan. 2. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; idest, ex nobis exierunt, quia erant nobiscum in eadem Ecclesia, sed non erant ex nobis, secundum divinam electionem ul Augustinus exponit lib. de bono persever. cap. 8.

Secundo, probatur hoc idem ex cap. 8. et 19. concilii nicaeni, ubi haeretici dicuntur posse recipi in Ecclesiam, si redire velint, cum certis tamen conditionibus. Item ex concilio lateranensi, unde constat cap. Firmiter, de summa Trinitate et fide catholica, ubi Ecclesia dicitur fidelium congregatio. Constat enim haereticos nullo modo esse fi-

deles.

Tertio, ex Patribus, Irenaeus lib. 3. eap. 3. dicit, Polycarpum multos haereticos ad Ecclesiam convertisse ex quo sequitur, eos antea fuisse de Ecclesia egressos. Tertullianus lib. de praescriptione dicit, Marcionem cum ad Ecclesiam redire vellet, conditionem accepisse, ut caeteros, quos perverterat, Ecclesiae restitueret. Cyprianus in epistola ad Jubajanum, dicit, haereticos cum sint extra Ecclesiam, tamen vendicare sibi Ecclesiae auctoritatem more simiarum, quae cum homines non sint, tamen bomines videri volunt.

Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. circa finem: Sicubi audieris, inquit, eos qui dicuntur Christi. non a Domino Jesu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut pula Marcionistas, Valentinianos. Montenses, sive Campenses. scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Augustinus lib. 4. contra Donatistas, cap. 40. dicit, interdum accidere, ut haeroticosforis existens, non aget contra Ecclesiam, et catholicus intus existens, contra Ecclesiam agat, etc. Et lib. de unitate Ecclesiae, cap. 4. Qui non creduti, inquit, Christum in carne venisse de Virgine Maria, ex semine David, aut in corpore ipso resurrexisse, in qua crucifixus et sepultus est, non utique sunt in Ecclesia etc.

Accedit postremo, qued cum Ecclesia sit multitudo unita (est enim populus quidam, sive regnum. sive corpus unum) et ista un io praecipue in professione unius fidei, et carundem legum ac rituum observatione consistat; null a ratio permittit, ut cos de Ecclesiae corpore esse dicamus, qui cum eo nullam omnino conjunctionem habent.

At contra objiciunt aliqui. Primo, quia Matth. 13. in parabola de zizaniis, in eodem agro inveniuntur tria, granum, paleae et zizania, quae significant bonos catholicos, et malos catholicos, et haereticos, ut Augustinus exponit quaest. 11. super Matthaeum, et Hieronymus, et Chrysostomus in hunc locum. Quod autem ager sit Ecclesia, docet Cyprianus lib. 3. epist. 3. et Augustinus lib. 2. contra Cresconium, cap. 34.

Respondeo: Aliqui intelligunt per zizania non haereticos, sed homines malos, qui sunt in Ecclesia: ila Cyprianus loco notato, et lib. 4. epistol. 2. et Augustinus saepe, non tam ex sua sententia quam ex Cypriani mente loquens. Quod autem Cyprianus per zizania non intelligat haereticos, inde intelligi potest, quod in illis ipsis locis, ubi dicit zitania esse in Ecclesia, dicit, haereticos non esse in Ecclesia, et praeterea ex intentione Cypriani. qui in illis locis scribit contra Nogatianos, qui nolebant admittere lapsos poenitentes in Ecclesiam, metuentes, ne communicarent peccatis aliorum: quibus Cyprianus ostendit ex parabola Domini, in Ecclesia non solum esse homines fortes, sed etiam imbecilles, qui aliquando labuntur, siout in agro simul cum frumento sunt etiam zizania.

At licet baec expositio non sit contemnenda, nequenobis contraria, melius tamen respondetur cum Augustino quaest. 11. super Matthaeum, per agrum non significari Ecclesiam, sed mundum universum. Dominus enim exponens parabolam ait, ager est mundus. Porro nomine zizaniorum, etsi recte intelliguntur haeretici, tamen forte magis ad literam intelligeremus omnes malos in genere, sive sint haeretici, sive non. Scopus enim parabolae, est ostendere semper in mundo futuros aliquos malos, nec posse ulla humana diligentia mundum purgari ante diem judicii. Unde Dominus ait, zizania esse filios nequam, et illos omnes, qui tandem in ignem aeternum dejicientur.

Secundo, objiciunt illud 2. Timot. 2. In magna domo sunt vasa aurea, et argentea, et lignea, et fictilia. Ubi nomine domus videtur Paulus intelligere Ecclesiam, et nomine vasorum ligneorum et fictilium haereticos. Dixerat enim paulo ante: Quorum sermo, ut cancer serpit, ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt. Nomine sutem domus intelligi Ecclesiam, docet Cyprisn. lib. 3. epist. 3. et lib. 4. epist. 2. et Ambrosius in commentario hujus loci, et Augustinus lib. 2. de baptismo, cap. 12.

Respondeo: Varias hic esse veterum expositiones. Una est Graecorum, Chrysostomi et Theophilacti, qui nomine domus non intelligunt Ecclesiam, sed mundum, sicut diximus de agro, in quo sunt zizania. Altera est Latinorum, Cypriani, Ambrosii, Augustini, qui nomine domus intelligunt Ecclesiam; et licet Augustinus et Ambrosius per vasa lignea et fictilia velint significari haereticos; tamen Augustinus idem explicat lib. 3. de baptismo, c. 19. quomodo sit intelligendum, eos esse in Ecclesia, ubi dicit, eos esse in Ecclesia entequam per obstinationem et pertinaciam separentur, et ad hoc

BELLARMINI, Vol. II.

tempus respexisse apostelum; ita ut non tam haeretici, quam errantes dicantur esse in Ecclesia. Addit etiam.posse dici, eos esse in Ecclesia, postquam exierunt, propter sacramentorum administrationem, quia etiam ipsi quaedam sacramenta vere administrant: quod est dicere, eos esse in Ecclesia secundum aliquid, non simpliciter. Ambrosius autem accipit Ecclesiam largo modo, et magis vulgari, quam proprio, prout videlicet eos omnes complectitur, qui quovis modo nominantur Christiani. Ad quem modum Pagani dicere solent, in coetu Christianorum multas esse dissentientes opiniones ac sectas.

At secundum Cyprianum (cujus expositionem veriorem puto) per vasa lignea et fictilia non intelliguntur haeretici, sed infirmi fideles, ac debiles, qui facile seducuntur. Quod enim ait apostolus: in magna domo sunt vasa aurea etc. non refertur ad illud, quorum sermo, ut cancer serpit, ex quibas sunt Hymenaeus et Philetus: qui a veritate excideruni sed ad illud: Et subverterunt quorundam fidem. Vult enim apostolus dicere, quod si illi quosdam subverterunt, non propterea perictilum est, ne omnes subvertantur. Nam in Ecclesia sunt fortes. et sunt debiles, etc.

Sed, inquies, Augustinus, qui intelligit per vasa lignea et fictilia haereticos, dicit, se permotum ad hoc sentiendum ex verbis Cypriani in epistola ad Antonianum, quae est secunda lib. 4. Respondeo: Augustinum existimavisse a Cypriano referri illa verba apostoli: In magna domo sunt vasa aurea etc. ad illa Quorum sermo, ut cancer serpit, sicut ipse referebat. Caeterum Cypriani verba nihil tale sonant; et sane Cyprianum non voluisse dicere, haereticos esse in Ecclesia, patet ex eadem epistola, ubi aperte dicit, Novatianum, quia haereticus est, extra Ecclesiam esse.

Argumentum tertium, haereticos Ecclesia judicare et punire potest.igitur sunt intus: Nam quid mihi est, inquit, Paulus, 1. Corinth. 5. de iis, qui foris sunt, judicare? Praeterea haeretici retinent characterem baptismi et sacerdotii, igitur sunt Christiani et sacerdotes.

Respondeo: Haereticos, licet non sint de Ecclesia, tamen debere esse, et proinde ad eam pertinere, ut oves ad ovile, unde fugerunt. Sicut solet dici, ista ovis est illius ovilis, quando tamen vagatur extra ovile. Potest autem Ecclesia judicare de fis, qui re ipsa intus sunt, vel certe esse debent, sicut pastor revera potest ovem, quae extra ovile errat per montes, cogere iterum ad ovile: et imperator potest desertorem militiae, qui transfugit ad castra hostium, vi cogere ad sua castra, aut cliam suspendere. Apostolus autem loquitur de iis, qui ita foris sunt, ut nunquam fuerint intus.

Ad illud de charactere dico, haereticos retinere extra Ecclesiam characteres illos indelebiles, sicut retinent oves perditae characterem inustum in dorso, et desertores militiae signa militaria: sed non propterea sunt de Ecclesia, quia non sufficiunt characteres illi ad constituendum aliquem in Ecclesia; alioqui etiam in inferno esset Ecclesia. Et tamen s. Thom. 3. part. quaest. 8. art. 3. dicit, damnatos nec actu, nec potentia esse membra Chri-

sti. Praeterea, non proprie unit character hominem cum capite, sed est signum potestatis et unionis cujusdam, et ideo in inferno, illo signo cognoscentur, qui fuerunt membra Christi. Quod autem non unial, patet; nam non unit exterius, cum sit res invisibilis: nec interius, cum non sit actus, nec habitus operativus. Unde b. Thomas primam unionem internam ponit in fide.

## CAPUT V.

## De schismaticis.

De schismaticis nonnulli catholicorum dubitant. an sint de Ecclesia: immo esse eos de Ecclesia affirmat Alphonsus de Castro loco notato. Sed facile est contrarium ex sacris literis, et Patrum traditione decere. Nam inprimis cum dicitur Luc. 5. scindebatur autem rete, per scissionem retis, et egressionem piscium ex rete intelliguntur schismata Ecclesiae et egressio haereticorum et schismaticorum de Ecclesia, ut exponit Augustinus tract. 122. in Joannem.

Praeterea Scriptura vocat Ecclesiam: Unum ovile, Joan. 10. Unum corpus, Rom. 12. Unam sponsam, unam amicam, unam columbam, Cant. 6. Schisma autem scindit id, quod erat unum in partes, ut patet ex ipso nomine. Nam, σχίζευ scindere est, et σχισμή scissura: ergo schismatici non sunt in Ecclesia, nec de Ecclesia. Nam pars, scissa a corpore, non est amplius pars ejus corporis. Unde pulchre Cyprianus lib. de unit. Ecclesiae dicit, Ecclesiam significari per vestem Christi inconsutilem, quae scissa non fuit, ut intelligeremus Ecclesiam scindi posse, sed non eo modo, quo soinduntur vestes, ita ut omnes partes aeque maneant partes vestis: sed quomodo scinditur ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore vivente; et rivus a fonte, qui mox arescit, fonte fluente; et radius a sole, qui continuo deficit, sole; ut erat permanente. Vel si contendas, partem scissam ab Ecclesia, esse etiam Ecclesiam quandam, multas Ecclesias facies, quod est contra Scripturas paulo ante notatas.

Probatur secundo ex decretis Pelagii papae, qui clesia, 24. q. 1. can. Pudenda, et can. Schisma. Accedit etiam testimonium totius Ecclesiae, quae in Parasceve orat pro haereticis et schismaticis, ut eos Deus ad Ecclesiam catholicam revocare dignetur. Quod certe non faceret, si eos in Ecclesia esse crederet. Huc etiam pertinet testimonium catechismi romani, cujus non est exigua auctoritas in Ecclesia Dei. Disertis autem verbis catechismus praedictus in explicatione symboli apostolici, schismaticos ab Ecclesia separat.

Probatur tertio ex Patribus. Irenaeus lib. 4. c. 62. posteaguam dixerat in superioribus capitibus, virum spiritualem judicare omnes haereticos et schismaticos, et enumerayerat in particulari multas haereses, et subjunxerat de schismate proprie dicto, concludit in summa: Judicabit, inquit, omnes eos, qui sunt extra veritatem, idest, extra Ecclesiam. S. Cyprianus lib. 4. epist. 9. ad Florentinum Papianum: Ecclesia, inquit, est plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens, unde scire debes, episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in episcopo, et si qui cum episcopo non sint, in Ecclesia non esse etc. At certe schismatici cum episcopo non sunt, igitur nec in Ecclesia sunt.

Chrysostomus hom. 3. in epist. 1. ad Corinthios: Schismatis, inquit, eignificantia satis eos arquit. vel potius satis est ejus appellatio, quae vehementer cos tangat. Non enim plures integrae parles factae sunt, sed una periit. Siguidem integris Ecclesiis multas eas constituerent. Et homil. 14. in epist. ad Ephesios docet, schismaticos similes esse manui a corpore praecisae, quae mox definit esse membrum: et ibidem dicit, schismaticos in altera esse Ecclesia, licet in fide et dogmatibus cum vera Christi Ecclesia consentiant.

Hieronymus in cap. 1. Amos Schismatici, inquit, separant quidem deceptam multitudinem ab Ecclesia Dei; tamen hoc non faciunt crudelitate, qua haeretici etc. Et in cap. 3. ad Tit. Inter haeresim, inquit, et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Ubi nota illud: Pariter. Augustinus lib. de fide et symbolo, cap. 10. Credimus, inquit, et sanctam Ecclesiam, utique catholicam: nam et hæretici, et schismatici congregationes suas Ecclesias vocant: sed haeretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quae crédimus. Quapropler nec haereticus pertinēt ad Ecclesiam catholicam, quoniam diligit Deum, nec schismaticus, quoniam diligit proximum.

Optatus lib. 1. contra Parmenianum, de schismaticis loquens: Deserta, inquit, matre catholica, impii filii dum foras excurrunt, et se separant, ul vos fecistis, a radice matris Ecclesiae invidiae falcibus amputati, errando rebelles abscedunt. Et lib. 2. comparat schismaticos cum ramis, rivulis, et radiis praecisis ab arbore, fonte, sole. Fulgentius de side ad Petrum, cap. 38. et 39. Firmissime tene, inquit, et nullatenus dubites, non soex professo probat schismaticos non esse de Ec-/lum paganos, sed étiam judaeos, haereticos et schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam, praesentem finiunt vitam, in ignem acternum ituros. Denique idem habent Tomas Waldensis to. 1. lib. 2. c. 9. doctrinalis sidei antiquae, Joannes Driedo lib. 4. de Scripturis et dogmatibus ecclesiasticis, cap. 2. part. 2. et alii ex recentioribus.

Probatur ultimo ratione; nam de ratione Ecclesiae est, ut sit una unione membrorum inter se, et cum suo capite; hanc autem unionem schismaticus tollit. dum se a communione capitis, et aliorum membrorum separat. Quod autem unitas essentialis Ecclesiae consistat in illa conjunctione membrorum inter se, et cum capite, probatur: Nam multiplex unitas invenitur in Ecclesia. Prima est unitas ratione ejusdem principii, idest, Dei vocantis, Joan. 6. Nemo venit ad me etc. Secunda unitas ratione ejusdem ultimi finis, quod significatum est Matth. 20. in illo uno denario omnibus operantibus promisso. Ter-

in est ratione corundem mediorum, idest, fidei. acramentorum, legum, juxta illud. Ephes. 4. Una ides, unum baptisma. Quarta est ratione ejusdem spiritus sancti, a quo tanquam externo et separa-10 rectore universa Ecclesia gubernatur 1, Cor. 12. Divisionés gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Quinta est ratione ejusdem capitis, tanquam interni, et conjuncti rectoris; omnis enim Ecclesia eidem Christo, et ejus vicario tanquam capiti paret, Ephes. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Et Joannis ultimo: Simon Petre, pasce oves meas. Sexta est ratione connexionis membrorum inter se, et praecipue cum capite, ut est principale membrum.Roman. 12. Unum corpus sumus, sinauli autem alter alterius membra...

Jam vero inter has unitates, illae, quae faciunt proprie Ecclesiam unam, sunt duae ultimae. Nam per primain, Ecclesia non tam est una, quam ex uno. Per secundam, non tam est una, quam ad unum. Per tertiam, non tam est una, quam per unum. Per quartam, non tam est una, quam sub uno. Per quintam et sextam, proprie est una, idest, unum corpus, unus populus, una societas. Schisma autem opponitur his unitatibus postremis; tunc enim est schisma, quando unum membrum non vult amplius esse membrum illius corporis, nec sub illo capite; quare tollit unitatem essentialea, alque Ecclesiam ipsam. Schismaticus igitur non est de Ecclesia.

Al objiciunt primo, Ecclesia est catholicorum congregatio, ut papa Nicolaus definivit de consecrat. dist. 1. can. Ecclesia: At schismatici sunt catholici, igitur sunt de Ecclesia. Respondeo primo, schismaticos etsi fidem catholicam habeant, tamen non proprie dici catholicos, nisi eam fidem in Ecclesia catholica profiteantur, ut patet ex Augustino el Optato locis notalis. Secundo dico, non esse plenam definitionem Nicolai papae; neque eum voluisse definire Ecclesiam, sed tantum excludere haereticos ab Ecclesia. Sicut etiam Innocentius fecit. cum ait. Ecclesiam esse sidelium congregationem cap. Firmiter, de summa Trinitate et side catholica.

Secundo objiciunt. Schismatici etsi nolint subesse pontifici, tamen volunt subesse Christo summo capiti; et licet nolint communicare huic Ecclesiae, quae est in terris, tamen volunt communicare Ecclesiae, quae est in coelis, quae est melior pars Ecclesiae. Non igitur tollunt Ecclesiae unitatem, nec sunt absolute extra Ecclesiam. Et confirmatur argumentum a simili. Nam si quis non vellet esse sub episcopo suo particulari, nec communicare cum Ecclesia particulari, quae sub illo episcopo est, et tamen vellet esse sub romano pontifice, et communicare cum Ecclesia universali, is non posset dici esse extra Ecclesiam.

Respondeo: Neminem posse, ctiamsi velit, subesse Christo.et communicare cum Ecclesia coelesti, qui non subest pontifici, et non communicat cum Ecclesia militante. Christus enim ait: Qui vos audil, me audit, Lucae 10. Et praeterea, ut Christus est summum caput, quoad influxum interiorem; ipse enim influit in sua membra sensum et motum, idest, fidem et charitatem: ita papa in Ecclesia

militante est summum caput, quoad influxum exteriorem doctrinae fidei et sacramentorum. Ecclesia quoque triumphans unita est, immo potius una est cum militante, et proinde nemo potest velle separari ab una; quin separetur ab altera,

Ad confirmationem similiter respondeo, eum.qui separat se ab Ecelesia et episcopo particulari, necessario separari ab Ecclesia et episcopo universali; nisi forte ideo se aliquis separet ab Ecclesia et episcopo particulari, quod illa Ecclesia et ille episcopus haeretici aut schismatici sint. Recte enim Cyprianus lib. 4. epist. 9. Frustra, inquit, sibi blandiuntur ii, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, et latenter apud quosdam communicare se credunt, cum Ecclesia, quae catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.

## CAPUT VI.

## De excommunicatis.

De excommunicatis, quod in Ecclesia non sint, docent, catechismus romanus in explication. symboli; Thomas Waldensis tom. 1. lib. 2. cap. 9. docir. fid. antiquae; Joannes de Turrecremata lib. 1. cap. 3. Summae de Ecclesia; Joannes Driedo lib. 4. cap. 2. part. 2. de Scriptura et dogmatibus ecclesiasticis, et alii nonnulli. Et probatur primo ex illo Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ubi Dominus de excommunicatis loquitur secundum omnium expositionem. At Ethnici non sunt de Ecclesia. Item ex illo 1. Corinth. 5. Cur non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit? Et infra: Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Item. Auferte malum ex vobismetipsis, etc. Quibus omnibus verbis describit apostolus, quid sit excommunicari. Jubet enim excommunicari eum, qui uxorem patris sui habuerat.

Secundo, probatur ex jure canonico, 11. q. 3. can. Canonica: Canonica instituta, et sancturum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violalores, auctoritate Dei et judicio saneti Spiritus, a gremio sanctae matris Ecclesiae, et a consortio

totius christianitatis climinamus.

Tertio, ex Patribus, Eusebius lib. 5. hist. cap. 24. narrans, quemadmodum Victor papa excommunicaverat omnes Asianos: Literas, inquit, millit, quibus omnes simul absque discretione ab ecclesiastico foedere segregaret. Et infra: Irenaeus. inquit, Victorem arguit, quod non recte secerit, abscindere a corporis unitate tot et tantas Ecclesias Dei. Epiphanius haeres. 42. quae est Marcionis, qui antequam esset haereticus, virginitatis professor erat, et tamen corrupit mulierem, quae virginitatem quoque profitebatur', et ideo a patre suo excommunicatus fuit: A proprio, inquit, patre ab Ecclesia ejicitur. Erat enim pater ipsius propter excellentem pietatem illustris et in episcopatus ministerio honeste vivens perseverabat.

Hylarius in cap. Matth. 18. in illud: Sit tibi sicut ethnicus et publicanus, dicit, Deum sic egisse cum populo Israel, ut Christus monet agendum. Primo enim corripuit populum inter se et ipsum solum, quando apparuit illis cum majestate in monte Sinai. Secundo, adhibuit secum duos testes, idest, legem et prophetas. Tertio, dixit Ecclesiae, idest, misit Christum summum praesulem Ecclesiae, qui Judaeos objurgaret. Ultimo, cum illi Ecclesiae praesulem non audirent, neglexit eos ac deseruit, ut ethnicos et publicanos. Quibus verbis ostendit, fieri sicut ethnicum et publicanum, quod sit per excommunicationem, esse, ejíci de populo Dei, et non amplius a Deo gubernari peculiari illa providentia, qua gubernatur Ecclesia.

Chrysostomus et Theophylactus in hunc locum, exponunt, ejici de Ecclesia, quae hic dicitur, fieri ut ethnicum et publicanum, Hieronymus in cap.3. ad Tit. dicit, alios peccatores per episcoporum excommunicationem propelli extra Ecclesiam, quo per seipsos sponte eunt hacretici et schismatici. Augustinus lib. de unit. Ecclesiae, cap. ult. dicit; excommunicari esse visibiliter praecidi a corpore Ecclesiae. Item lib. de correptione et gratia cap. 15. dicit, per excommunicationem separari ab ovibus sanis morbidam, ne per plures serpant dira contagia. Citatur eliam ex Augustino haec sententia, 11. qu. 3. can. Omnis: Omnis Christianus, qui a sacerdo: tibus excommunicatur, Satanae traditur. Quomodo? quia scilicet extra Ecclesiam diabolus est, sicut in Ecclesia Christus. Cui subscribit Anselmus, qui in cap. 5. 1. ad Cor. dicit, tradere hominem Satanae, esse per excommunicationem eum de Ecclesia pellere. Gregorius in primum versum psalmi 5. poenitentialis inquit: De hoc spiritu non vivit haereticus, non vivit schismaticus, non vivit excommunicatus, quia non sunt de corpore.

Probatur ultimo ratione. Primo, per excommunicationem privantur homines omni commercio spirituali, quod habent homines Ecclesiae inter se, ut docet Tertullian. in apologetic. cap. 39. igitur non sunt amplius in coetu Ecclesiae: Quid enim est, civem aliquem privari civitate, nisi privari omni commercio, quod est inter homines illius civilalis? Secundo, excommunicatio eum locum habet in Ecclesia, quem poena mortis habebat in Testamento veleri, et quem habet in temporalibus rebuspublicis: at per mortem separantur homines plane a to-ta republica. Augustinus qu. 39. in Deuter. Hoc, inquit, nunc agit in Ecclesia excommunicatio. quod agebat tunc interfectio. Ubi confert quod dicebatur Deuter. 24. Auferes malum de medio tui, cum eo, quod dicit apostolus 1. Corinth. 5, Auferte malum ex vobisipsis. Tertio, nulla est poena gravior, quam Ecclesia infligere possit, excommunicatione, ut b. Augustinus docet lib.de correptione et gratia c. 15. ergo per excommunicationem ejicitur homo de Ecclesia. Nam gravius est projici de Ecclesia, quam quaelibet poena, quae de manentibus in Ecclesia sumitur. Quarto, excommunicatio non potest ferri, nisi in contumaces, ut b. Augustinus docet lib. de vera relig. cap. 6. Et idem

etiam omnes theologi deducunt ex illo Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut éthnicus et publicanus. Igitur excommunicatio est ejectio de Ecclesia; si enim excommunicatio esset poena aliqua infra ejectionem, ferretur etiam quandoque in homicidas, adulteros, et alios facinorosos, licet non contumaces. Adde, quod cum absolvuntur excommunicati, dicitur: Restituo te unitati Ecclesiae et membrorum participationi. Quod signum est perspicuum, excommunicatum separatum fuisse ab Ecclesiae unitate.

At contra objiciunt. Primo, potest homo excommunicatus retinere baptismum, fidei professionem, et subjectionem praelatis legitimis, atque adeo esse amicus Dei, si nimirum sit injuste excommunicatus; potest etiam juste excommunicatus poenitentiam agere, et habere illa tria antequam absolvatur; igitur in Ecclesia erit, etiam manens excommunicatus.

Respondeo: Talem esse in Ecclesia animo, sive desiderio, quod sufficit illi ad salutem, non tamen esse corpore, sive externa communicatione, queé proprie facit hominem esse de Ecclesia ista visibili, quae est in terris: Augustinus lib. de vera religione cap. 6. Saepe etiam sinit divina providentia expelli de congregatione christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiae pace tulerint, neque ullas novitates, vel schismatis, vel haeresis moliti-fuerint, docebunt homines quam vero affectu, et quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occutto Pater in occulto videns.

Secundo objiciunt, quia Augustinus lib. contra Donatistas, post collationem cap. 20. dicit: Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad mulierem poenitendo locum redigimus.

Respondeo: Suspicer locum' esse corruptum, et sic legendum esse: Neque enim a populo Dei non separamus. Nam statim sequitur: Et ubi hoc facere, pacis et tranquillitatis Ecclesiae gratia non permittimur, non tamen ideo Ecclesiam negligimus, sed toleramus quae nolumus, ut pervenia. mus quo volumus, utentes cautela praecepti dominici ne cum voluerimus ante tempus colligere zizania, simul eradicemus et triticum. Quod si locus hic non sit corruptus, responderi potest, per populum Dei hoc loco non intelligi solam Ecclesiam militantem, sed absolute numerum omnium salvandorum, sive sint in Ecclesia, sive esse possint. Non enim per excommunicationem intendunt pastores separare homines a numero salvandorum, sed potius ea correptione juvare eorum salu-

Tertio, excommunicatio est medicina quaedam spiritualis instituta in utilitatem eorum, qui excommunicantur. Unde apostolus 2.ad Thessal.ult. ait:Quod si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur, et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite, ut fratrem.

Respondeo: Excommunicatio eliam si abscindit hominem ab Ecclesia, tamen non aufert potentiam, ut non possit iterum inseri in Ecclesiam is, qui praecisus est, si poemitentiam agere velit. Ideirco Ecclesia per excommunicationem separat quosdam a suo corpore, sed in utilitatem eorum, quia cupit cos illa confusione humiliari, et humiliatos iterum in suum corpus recipere.

CAPUT VII.

De praedestinatis.

Jam vero quod non soli praedestinati, sed etiam reprobi ad Ecclesiam perlinere possint, contra Wiclefum, et Huss, et Calvinum, probatur primo ex parabolis evangelicis apertissimis. Comparatur enim Ecclesia Matth. 3. areae: Permundabit, inquit, aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet ignt inextinguibili. Certe nomine areae non potest intelligi, nisi Ecclesia, in qua tamen inveniuntur paleae, quae si comburentur igni inextinguibili, certe non significant electos. Item Matth. 13 comparatur sagenae missae in mare, ex omni genere 'piscium congreganti, quorum tandem aliqui mittuntur in caminum ignis, qui certe non erant de praedestinatis.

Item Matth. 22.comparatur convivio nuptiali, ad quod intraverunt boni et mali, et postca mali non habentes vestem nuptialem, projiciuntur in tenebras exteriores, et ideo concludit Dominus: Multi sunt vocati, pauci vero electi; idest multi sunt in Ecclesia, quae est evocatio quaedam, sive coetus vocatorum, qui tamen non sunt de electis. Ilem Matth. 25.comparatur decem virginibus quarum quinque prudentes intrabunt in die judicii cum sponso ad nuptias, quinque fatuae excludentur. Et ibidem comparatur ovili, in quo sunt oves et hoedi; et illae, Domino ipso explicante, significant electos isti reprobos. Primae ad Corinth. 5. Paulus jubet expelli de Ecclesia incaestuosum, et tamen non poterat illum facere reprobum ex praedestinato, immo nec volebat; nam ejecit illum, ut humiliatus rediret, et salvus fieret in die Domini, ut ibidem dicitur. Item 2. Timoth. 2. In magna autem domo sunt vasa aurea, et argentea, et lignea, et fictilia. quaedam in gloriam, et quaedam in contumeliam. Nec dubium esse videtur, quin vasa in gloriam sint electi, vasa in contumeliam reprobi, etiamsi in eadem domo sint.

Confirmatur hoc idem ex Cypriano lib. 3. epist.
3. et lib. 4. epist. 2. qui apertissime docet, in eadem Ecclesia esse triticum, et zizania, et vasa aurea, et lignea, cum certum sit, zizania comburenda, et lignea vasa esse in contumeliam. Item ex Augustino, qui tract. 45. in Joan. Secundum praescientiam, inquit, et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus? Ubi praedestinatos multos dicit esse extra Ecclesiam, et reprobos multos intra Ecclesiam, quod idem repetit lib. 2. cont. Crescon. cap. 34.

Accedant praeterea exempla Pauli et Judae. Nam Joannes Huss dicebat, Paulum semper fuisse de Ecclesia, Judam nunquam fuisse de Ecclesia. Ipse autem Paulus 1. Tim. 1. ad Gal. 1. et 1. Cor. 15. affirmat, se persequutum esse Ecclesiam Dei, et idem de eo affirmat Luc. Act. 9. Quaero igitur, vel illa Ecclesia, quam Paulus persequebatur, erat vera Dei Ecclesia, vel non: si vera, igitur Paulus aliquando non fuit membrum verae Ecclesiae. Quomodo enim erat de illa Ecclesia, quam totis viribus oppugnabat? Si non erat illa vera Ecclesia, ergo mentiuntur Paulus et Lucas, cum eam absolute Dei Ecclesiam vocant.

Quare b. Augustinus ser. 1. de conversione s. Pauli, recte docet, Paulum, licet praedestinatum, prius fuisse lupum, deinde ovem. Et Chrysostomus hom. 6. in 2. ad Timoth. dicit, Paulum fuisse vas fictile, sed esse versum in aureum; et Judam fuisse vas aureum, sed conversum in fictile. Porro Judas reprobus erat, ut patet ex actis apostolorum primo, et tamen de vera Ecclesia aliquando fuit; Nam, ut dicitur ibidem, fuit apostolus ex duodecim, et episcopus vocatus a David propheta psalm. 108. quae non possunt esse vera, nisi aliquando de Ecclesia fuerit. Unde Augustinus in ps. 3. dicit, Judam filium Christi fuisse, et tamen persequebatur Davidem. Et lib. de unitate Ecclesiae cap. 13. dicit, Judam in Ecclesia fuisse, in qua erant caeteri apostoli.

Accedat quoque ratio; nam si sola praedestinatio facit hominem esse de Ecclesia, sequitur, Turcas, Judaeos, Haereticos, et quoslibet impios, si praedestinali sint, nunc esse de Ecclesia, et viva membra Christi: et contra, quoslibet sanctos et pios baptizatos, si non sint praedestinati, non esse de Ecclesia, nec de corpore Christi: at utrumque est falsissimum et contra expressas Scripturas. Nam quod non baptizati, et haeretici non sint de Ecclesia, supra ostendimus: quod autem impli non sint viva membra, dicitur Rom. 8. Qui Spirilum Christi non habet, hic non est ejus, nimirum vivum membrum. Quod autem impii non habeant Spiritum Christi, sed spiritum diaboli, patet ex operibus eorum. Non enim sunt patientes, casti etc. quae sunt opera Spiritus; sed sunt adulteri, homicidae, blasphemi, etc. quae sunt opera carnis; ad Galatas 6. E contrario autem, quod omnes pii baptizati sint membra Christi, habetur 1. Corinth. 12. Omnes nos uno spiritu in unum corpus baptizati sumus, Et Galat. 3. Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu; quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum indui-stis. Et tamen non est credibile, omnes Corinthios et Galatas fuisse praedestinatos.

Denique Augustinus in epist. ad Dardan. In compagem, inquit, Christi tanquam in vivam structuram templi Dei, quae est Ecclesia, nati homines non ex operibus justitiae, quae fecerunt, sed renascendo per gratiam transferuntur, tanquam de massa ruinae ad aedificii firmamentum. Et lib. 2. cont. Crescon.cap.21.ostendens impios non pertinere ad membra viva Christi: Absit, inquit, ut intrare possint limites horti conclusi, cujus ille custos est, qui non potest falli: qui tamen si conflientur, et corriguntur, tunc intrant, tunc mun-

dantur, tunc in arboribus horti conclusi,tunc in membris unicas columbae numerantur.

Probatur ultimo ex incommodis; nam si soli praedestinati essent de Ecclesia, omnia essent incerta. Nam nemo tune cognosceret fratres suos, et nec pastores cognoscerent oves suas, nec ab illis cognoscerentur: cum nemo sciat qui sint praedestinati. Et praeterea nemo sciret, quae sint verae Scripturae. quae vera sacramenta, quae vera fides etc. omnia enim pendent ex testimonio verae Ecclesiae.

At contra objiciunt, primo, illud Cant. 4. Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquae viventis esc.quae sine dubio dicuntur de Ecclesia; et tamen exporit Augustinus illa omnia de solis electis lib. 5. de baptismo cap. 27.

Respondeo primo: Saepe Scripturam per figuram intellectionis attribuere aliquid toti, quod solum convenit parti: sicut Matth. 27. dicuntur latrones, qui erant cum Domino crucifixi, blasphemasse contra eum, cum tamen constet ex Luc. 23. unum tantum eorum blasphemasse. Philipp. 2.0mnes.quae sua sunt quaerunt. Et tamen tales non erant permulti sancti, qui tunc vivebant, et praecipue Philippenses. Secundo dico, quae dicuntur in canticis de sponsa, non necessario intelligenda esse de Ecclesia. Quidam enim ea intelligunt de Ecclesia, quidam de b. Virgine, quidam de qualibet anima perfecta, quod probabilius videtur, nam cap. 6. dicitur: Sexaginta sunt reginae, et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae. Quo loco si per unicam illam sponsam intelligas Ecclesiam, quid intelliges per reginas, concubinas et adolescentulas, quas omnes fovet sponsus et diligit? Igitur per matrem intelligitur Eeclesia, per reginas, concubinas et adolescentulas intelliguntur animae imperfectiores, sideles tamen et bonae. Dicitur enim cap. 1: Propterea adolescentulae dilexerunt te. At per unicam, perfectam, sponsam et columbam intelligitur anima perfecta. Sic etiam in co quod dicitur cap. 2. Sicut Illium inter spinas, sic amica mea inter filias. Si per amicam intelligas Ecclesiam, quid intelliges per caeteras filias? num congregationem infidelium? Absit. Loquitur igitur de anima perfecta, quae inter multas percatrices in eodem horto Ecclesiae commoratur. Augustinus epist. 48. Dicuntur, inquit, spinae propter malignitatem morum, dicuntur filiae propter communionem sacramentorum.

Argumentum secundum. Arca Noe figura fuit Ecclesiae, ut Augustinus docet lib. 5. de baptismo c. ult. at in arca non fuerunt nisi qui salvandi erant ex aquis, ergo in Ecclesia non sunt nisi praedestinati.

Respondeo: Similitudines non in omnibus convenire; alioqui omnis baptizatus esset etiam praedestinatus, quia 1. Petr. 3. comparatur baptismus cum arca Noe, et non solum boni, sed etiam mali salvarentur, quia in arca salvata sunt animalia munda et immunda. In eo igitur arca convenit cum Ecclesia, quod sicut extra arcam nemo salvari potuit, ita nec extra Ecclesiam, ut Augustinus loco notato, Cyprianus lib.de unitate Ecclesiae, et Hie-

ronymus in epistola ad Damasum, de tribus hypostasibus, docent. Nec est quaerenda alia similitudo.

Argumentum tertium. Christus non est caput, nisi ejus Ecclesiae, quam salvabit, et quam exhibebit sibi in die judicii gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, ut dicitur Ephes. 5. At soli praedestinati erunt salvi et gloriosi, igitur soli praede-

stinati ad Ecclesiam Christi pertinent.

Respondeo: Cum dicilur, Christus non est caput, nisi ejus Ecclesiae, quam salvabit illud: Ejus Ecclesiae, quam salvabit illud: Ejus Ecclesiae, quam salvabit, et tunc propositio est falsa. Nam est caput totius corporis sui, licet quaedam membra desitura sint esse membra, et in aeternum peritura. Potest etiam significare illud: Ejus Ecclesiae, totam Ecclesiam, ut distinguitur ab aliis congregationibus infidelium, et tunc propositio est vera, sed consequentia est mala. Quamvis enim aliqua membra hujus Ecclesiae non salventur, non propterea sequitur, Christum non salvare Ecclesiam suam, cujus est caput.

Argumentum quartum. Carpus mysticum simile est corpori vero, sed totum corpus Christi verum cum omnibus suis partibus salvum et gloriosum est, igitur etiam corpus mysticum in omnibus suis

membris et partibus salvari debet.

Responded primo: Similitudines non in omnibus convenire. Secundo, sicut corpus Christi verum salvum est et gloriosum, quoad omnes parles formales, non tamen quoad omnes materiales: fluebant enim et mutabantur in Christo partes materiales, ut in nobis fieri videmus: ita etiam corpus mysticum salvum futurum est, quoad omnes partes formales, quae sunt apostoli, prophetae, pastores, doctores etc. ex omni enim genere hominum aliqui salvantur, non tamen quoad omnes partes materiales, quae sunt homines singulares.

Argumentum quintum. Ecclesia est unum ovile, Joan. 10. at oves non sunt nisi praedestinati, ut Augustinus docet tract. 45.in Joan.igitur soli prae-

destinati, sunt de Ecclesia.

Respondeo: Nomen ovis in Scripturis interdum significare solos praedestinatos, ut Matth. 25. ubi separantur oves ab hoedis, et Joan. 10. Oves meae vocem meam audiunt. Interdom tamen significare omneş in genere tam bonos, quam malos,qui sunt in Ecclesia, ut Joan, ult. Pasce oves meas. Et psak 73. Iratus est furor tuus super oves pascuae tuac. Et Ezech. 34. describuntur oves Dei, aliae pingues. aliae macilentae, aliae sanae, aliae aegrotae etc.Et quidem secundum banc significationem argumentum non habet ullam vim. At secundum priorem respondemus, in ovili non esse solas oves, sed eliam hoedos.ut patet Matth. 25.ubi separantur oves ab hoedis, cum antea simul fuissent in eodem ovili. Ovile autem dicitur. etsi non solas oves contineat, a meliori parte. Quemadmodum Roma dicatur civitas, licet etiam multos non cives compleclatur.

Argumentum sextum, Joan. 10. Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili. El Joan. 11. Jesus moriturus erat pro gente, el non solum pro gente, sed cliam ul filios Dei, qui erant dispersi, con-

aregaret in unum. In quibus locis praedestinati dicantur oves, et filii Dei, etiam cum in erroribus gentilitatis versarentur. Quare praedestinati semper sunt de Ecclesia. Item. 2. Timoth. 2. Firmum Dei fundamentum stat habens signaculum hoc, novit Dominus, qui sunt ejus. Et 1. Joan. 2. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Igitur etiam antequam exirent, non erant ex nobis, sed videbantur esse. Et confirmatur ex Augustino libro de corrept. et gratia, cap, 9. ubi tractans loca citata, sic sit: Quidam, inquit, filii Dei, propter susceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur a nobis, nec sunt tamen a Deo. Et infra: Ex nobis, inquit, exierunt, sed non crant ex nobis, hoc est, et quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Item, non erant filii. etiam quando videbantur in professione, et nomine filiorum. Et infra: Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi, ita nec vere filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, et ita vocabantur. Praeterea lib. 3. doctrinae christianae, cap. 32. arguens Ticonium, qui vocaverat corpus Domini mysticum, idest. Ecclesiam, corpus bipartitum: Non ita, inquit, debuit appellari. Non enim revera Domini corpus est quod cum illo non erit in ae-

Respondeo: Notandas esse pro explicatione horum locorum duas distinctiones. Prima est, hominem posse dici Christi ovem, filium, membrum, duobus modis; uno modo secundum praedestinationem: altero modo secundum praesentem justitiam. Haec distinctio habetur apud Paulum; nam Rom. 8. dicit: Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus. El tamen. 2. Timoth. 2. dicit de praedestinatis: Novit Dominus qui sunt ejus. Ilaque unus, et idem potest esse Christi membrum, et non esse. Erit enim ejus, si sit praedestinatus, et non erit ejus, si interim spiritum ejus non habeat. Idem docet Augustinus 4. lib. de baptismo, cap. 3. Secundum praescientiam, inquit, multi etiam qui aperte foris sunt, et haeretici appellantur, multis et bonis catholicis meliores sunt. Et tractat. 45. in Joan. Secundum praescientiam, inquit, et praedestinationem quam multae oves foris? quam multi lupi intus? Similia vide de bono persever. cap. 8. de corrept. et gratia, cap. 9.

Interest autem inter haec, quod qui sunt oves, aut filii, aut membra, solum secundum praedestinationem, non sunt actu, sed solum potentia tales. Pra edestinatio enim nihil ponit in homine, sed est actus in ipso Déo manens: At qui sunt tales secundum praesentem justitiam, sunt actu et simpliciter tales, quia in se revera habent id, unde tales appellantur. Id quod aperte docet Augustinus tractat. 45. in Joan. Quid est, inquit, quod dixi, quam multae ques foris? quam multi luxuriantur, casti futuri? quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum? et hi oves sunt. Veruntamen modo alienam vocem audiunt, alienos sequentur. Item quam multi intus laudant, blasphematuri? casti sunt, fornicaturi? stant, casuni? et non sunt oves, de praedestinatis enim loquimur. Haec ille. Ubi vide, quomodo dicat, in

futuro, luxuriantur, casti futuri etc. nam eodem modo potest dici, foris sunt, intus futuri, et ex hac distinctione satisfit illis locis Scripturae adductis. Dicuntur enim ibi oves, et filii Dei quidam, qui adhuc non erant in Ecclesia, quia tales erant secundum praedestinationem, et in potentia, non autem actu et simpliciter.

Pari ratione, cum dicitur 2. Timoth. 2. Novit Dominus, qui sunt ejus, sermo est de illis, qui sunt ejus per praedestinationem. non autem de tota Ecclesia: Nam ibidem subjungit: In magna autem domo sunt vasa aurea, et argentea, et lignea, et fictilia. Et similiter dicuntur reprobi; qui exierunt de Ecclesia, non fuisse ex nobis, quia non fuerunt ex nobis secundum praedestinationem, licet fuerint secundum sacramentorum communionem. Quomodo etiam intelligi debet quod ait auctor operis imperfecti in Matthaeum homil. 20. ubi dicit, eum, qui ab Ecclesia cadit, numquam fuisse Christianum; intelligit enim secundum praedestinationem.

Altera distinctio est, posse aliquem dici vere filium Dei, aut membrum corporis Christi duobus modis; uno modo veritate essentiae, sive formae, altero modo veritate finis, vel ut alii; dicunt; veritate permanentiae. Veritate essentiae, est filius Dei qui habet charitatem, 1. Joannis 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est. Et similiter veritate essentiae est membrum Christi, qui de eodem spiritu vivit. 1. Corinth. 12. In uno spiritu omnes vos in unum corpus baptizati estis. At veritate finis dicitur lilius Dei, qui assequetur haereditatem; et qui non assequetur, videtur filius, sed non est, finis enim filiationis est haereditas: Quod si filius, et haeres per Deum, Galat. 4. sic etiam veritate finis est membrum. qui salvabitur, nam ad hoc univit sibi Christus Ecclesiam, tanquam corpus capiti, ut eam salvaret . ut dicitur Ephes. 4. Itaque qui est in gratia, et lamen non est praedestinatus, est vere filius, et membrum veritate essentiae; et non est vere tilius, nec membrum veritate finis. Et contra, qui non est in gratia, et tamen est praedestinatus, non est vere filius, nec membrum veritate essentiae, et tamen est vere utrumque veritate finis. De prima verilate intelligitur illud: Qui servat verbum ejus, vere in hoc charilas Dei perfecta est. 1. Joan. 2.de secunda intelligitur illud Joan. 8. Si man-

serilis in sermone meo, vere discipuli mei erilis.

Quibus notatis, facile intelligentur loca Augustini, ubi dicit; justos non praedestinatos non esse vere filios, nec membra.: Loquitur enim de veritate finis, non de veritate essentiae. Nam ipse in iisdem locis se explicat. Lib. de corrept. et gratia, cap. 9. postquam dixerat probos non praedestinatos non esse vere filios, subjungit: Nam quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt. Et lib. 3. doctrinae christianae, cap. 32. reddens rationem cur dixerit, non vere pertinere ad corpus Christi eos, qui cum illo non erunt in aeternum: Nunc, inquit, in uno sunt, non tamen semper in uno erunt. Ipse est quippe ille servus commemoratus in evangelio, cujus Dominus cum venerit. dividet eum, et parlem ejus cum hypocrilis ponet.

#### CAPUT VIII.

## De non perfectis.

Non perfectos in Ecclesia, contra Pelagianorum. et Anabaptistarum sententiam, esse posse, facile probari potest; nam si non essent in Ecclesia ii, qui habent aliquam imperfectionem, nulla fuisset; neque esset, neque futura esset Ecclesia in terris. Nam excepto Christo, et b. Virgine; qui soli non faciunt Ecclesiam, nulli sunt, quamvis sanctissimi in hac vita, qui non habeant aliqua venialia peccata, quae lamen non tollunt justitiam, nee faciunt hominem Deo inimicum, ut Petagiani putabant. Id quod testantur in primis divinae literae. Psalm.31. Tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Quid est enim, pro hac, nisi pro remissione? Et sanctus igitur est aliquis, et tamen habet, quod sibi postulet remitti, 3. Reg. 8. Nec enim est homo. qui non peccet. Proverb. 24. Septies in die cadet justus, et resurget. Eccles. 7. Non est homo justus, in terra, qui ficiat bonum, et non peccet. Matth. 6, jubentur omnes dicere: Dimitte nobis debita nostra. Jacobi 3. In multis offendimus omnes. 1. Joan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Quae certe testimonia clariora sunt, qu'am ut explicatione ulla indigeant.

Item testatur concilium milevitanum, can. 7. et 8. ubi definitur, justos dicere, non solum humiliter, sed etiam veraciter et non solum pro aliis, sed etiam pro se: Dimitte nobis debita nostra.

Idem testantur veteres Patres. s. Cyprianus sermone de eleemosyna: Quisquis se inculpatum dixeril, aut superbus, aut stultus est. S. Gregorius nazianzenus orat. 2. in Julianum: Omni prorsus peocato vacare, supra humanae naturae modum Deus constituit. B. Ambrosius serm. 16. in pealm. 118. Non potest, inquit, hoc justus negare, quia nemo sine peccato est. B. Chrysostomus in psalm. 39. Nec ex perfectis, inquit, universa constat Ecclesia, sed habet étiam otio, et socordiae deditos etc. S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos: Justos, inquit, esse concedo, sine omni autem peccato esse, non assentior. Et lib. 3. fere toto hoc idem probat, ubi tamen admittit, posse ad aliquod brevissimum tempus esse hominem sine omni peccato, non tamen diu.

B: Augustinus lib. de spiritu et litera, cap. ult. docet posse hominem ex privilegio Dei singulari vivere sine omni peccato: tamen re ipsa neminem esse, qui sic vivat aut vixerit, excepto Christo. Idem dicit lib. de natura et gratia, cap. 36. 'ubi tamen excipit etiam b. Virginem, et epist. 89. et 95. et toto libro de perfect. justitiae; ac demum lib. 1. contra duas epistolas Pelagiani, cap. 14. Nullus in Ecclesia, inquit, recte posse ardinari minister, si dixisset apostolus. si quis sine peccato est. ubi dixit, si quis sine crimine est; aut si dixisset, pec-

catum nullum habentes, ubi dixit, nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem diverim. B. Gregorius lib. 21. Moralium, cap. 9. et in hac vita quidem multi sine crimine; sine peccato esse nullus valet.

Argumenta in contrarium multa sunt, sed non omnia hic solvenda. Quae enim adferuntur ad probandum, per quodlibet peccatum perdi justitiam; vel posse hominem vivere sine omni peccato, non egebunt solutione, cum paulo post ostenderimus, in Ecclesia esse optimos et pessimos viros. Duo tantum sunt propria hujus loci. Unum ex Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Alterum ex Ephes. 5. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Quem locum de Ecclesia catholica hujus temporis intelligendum esse docet concilium toletanum VI. cap. 1. explicans enim confessionem fidei, loco illius, sanctam Ecclesiam, ait, Ecclesiam sine macula, aut ruga.

Respondeo ad primum. Sive, intelligatur illud de Ecclesia ratione unius partis tantum, idest, ratione animarum justarum, sive de anima perfecta, quod magis probo, animam justam dici totam pulchram, vel per hyperbolem, quae familiaris est amantibus: vel quia anima justa, et perfecta mortalibus caret peccatis, quae proprie maculam relinquant, et vitat venialia, quantum licet per humanam fragilitatem: et si quae committit, mox delere studet.Id enim etsi non est esse immaculatum simpliciter, est tamen immaculatum pro statu hujus vitae, ut Augustinus explicat libro de perfectione justitiae.Quomodo etiam nemo est perfectus in hac vita absolute, et tamen multi in Scripturis dicuntur perfecti, quia erant tales pro statu hujus vitae Genes. 6. Noe vir justus fuit alque perfectus. Philip. 3. Quicumque perfecti sumus.hoc sentiamus. Immo etiam dicuntur immaculati, qui sine dubio venialibus non carent. Psalm, 17. Et ero immaculatus cum eo. Psalm. 118. Beati immaculati in via. Ephes. 1. Elegit nos in ipso,ul essemus sancti et immaculati in veritate.

Ad secundum dico: Primo intelligi posse de Eoclesia, non ut nunc est, sed ut erit post resurrectionem: ut exponent s. Hieronymus in cap. 31. Hieremine circa finem. S. Augustinus lib. de perfect. justit. et alibi: et b. Bernardus serm. 3. de festo omnium sanctorum. Neque obstat concilium toletanum: nam etsi illa verba intellexit concilium de Ecclesia hujus temporis, tamen non definivit, sic necessario esse intelligenda. Dico tamen secundo, probabilius esse quod lequatur apostolus de Ecclesia hujus temporis, sed tribuat per syneodochen toti Ecclesiae, quod uni parti convenit. Qui enim sunt nunc in Ecclesia justi, sunt gloriosi per gratiae pulchritudinem, quae est gloria inchoata: sunt sine macula, ut paulo ante expositum est, et sunt sine ruga, quia per baptismum renovati sunt, depositoque vetere homine induerunt novum;rugae enim signa sunt vetustatis. Ita hunc locum intelligunt. praeter concilium toletanum jam citatum, Chrysostomus, Hieronymus et Theophylactus in commentario.

#### CAPUT IX.

## De magnis peccatoribus.

Jam vero in una vera et catholica Christi Ecclesia non solum imperfectos, sed etiam graves peccalores esse, et non solum occultos, sed etiam manifestos, contra errorem Novatianorum, Donatistarum et Confessionistarum, probalur Primo ex parabolis evangeliorum de area, de reti, de convivio nuptiali, de decem, virginibus et de ovili, supra citatis, quibus catholici ita confutarunt olim Donatistas, ut plane non invenerint ullo modo qua exirent, ut Augustinus refert in breviculo collationis,

explicans collationem tertiae diei.

Practerea sunt alia loca apertissima, Matth. 18. Si peccaveril in te frater tuus, vade corripe eum clc. si eos non audierit, dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus. Hic negari non potest, quin sermo sit de vera Ecclesia: Nam Christus loquitur de Ecclesia sua. et in hac Ecclesia constat inveniri peccatores, et tales peccatores, qui saepe non emendantur per correptionem fraternam, nec etiam adhibitis duobus testibus: et tamen in Ecclesia manent, donec ab ipsa' Ecclesia per sententiam praelati ejiciantur. Item Matth. 23. Dominus praecipit de praepositis malis, ut faciamus quod dicunt, non quod faciunt, et cap. 24. describit praepositum malum. qui percutit conservos, comedit et bibit cum ebriosis etc. et dieit: Veniet Dominus ejus in die, qua non sperat, et dividet eum, partemque ejus cum hypocritis ponet. Ubi de praepositis Ecclesiae agi docent Ililarius, Ilicronymus, Chrysostomus, et alii in bunc locum. Item in epist. 1. ad Cor. cap. 1. Paulus dicit scribere se Ecclesiae Dei, quae est Corinthi; et mox ibidem subdit: Significalum est mihi quod contentiones sunt inter vos. etc. Et cap. 5. Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Quid hic dicent? non esse hanc veram Ecclesiam? At apostolus dicit esse . Ecclesiam Dei. Non fuisse istum peccatorem gravissimum et manifestum? At apostolus hoc dicit. Non fuisso in illa Ecclesia? At apostolus jubet, ut expellant eum per excommunicationem. Tollatur, inquit, de medio vestri etc.

Praeterea Apocal. 2. et 3. scribit Joannes septem Ecclesiis Asiae, et fere singulas reprehendit de rebus non levibus. Et notat Augustinus lib. 2. contra Parmenianum, cap. 10. non solum Ecclesias, sed etiam praepositum reprehendi significatum per Angelum sardensis Ecclesiae: Nomen, inquit. habes quod vivas, sed mortuus es. esto vigitans etc. Adde, quod tempore Testamenti veteris, numquam defuerunt gravissima peccata in populo Dei, et tamen nusquam legimus, quod Moyses, aut Samuel, aut alii prophetae, qui diversis temporibus fuerunt, aut Maria. Anna, Elizabeth, Simeon, Zacharlas, Joannes Baptista, et alii justi, quos Dominus invenit in populo Judaeorum, separaverint se a reliquis pessimis hominibus, quantum ad templum, altare, sacrificia, et alia, quae religionis sunt, ergo in ea-

BELLERMINI. Vol. II.

dem congregatione manebant boni et mali. Quod argumentum valde urget, et merito s. August. in breviculo, collatione tertia.

Probatur secundo ex testimonio Ecclesiae catholicae, quae etat tempore b. Augustini. Beatus Agustinus enim in breviculo collationum refert collationem celeberrimam Carthagine habitam inter 306. episcopos catholicos, quorum unus ipse erat, et 296. episcopos Donatistas. Tot enim fuisse indicat Augustinus in collatione primae diei. Deinde in collatione tertine diei refert, Donatistas coactos fateri, esse in Ecclesia bonos et malos, prolata a catholicis illa parabola de reti, pisces bonos et malos congregante: sed dixisse adhuc Donatistas, tantum occultos malos esse in Ecclesia; sicut in reti, dum est in mari, non discernuntur a piscatoribus-pisces boni a malis, sed in littore discernun-

tur, et mox separantur. Ad hoc autem dicit respondisse catholicos, propterea Ecclesiam comparatum etiam esse areae, in qua discernuntur paleae a frumento, immo magis apparent paleae, quam frumenta: et etiam areae Noe, in qua etiam post egressum corvi, quo significantur haeretici, adhuc remanserunt palam animalia munda et immunda.

Addit etiam Augustinus, quod cum calumniarentur Donatistae, catholicos duas Ecclesias facere, unam in terris, quae haberet bonos et malos, alteram in coelis, quae non haberet, nisi bonos; responderunt catholici, se non duas Ecclesias facere, sed distinguere duo tempora Ecclesiae. Eandem, inquit, ipsam unam, et sanctam Ecclesiani dixerunt nunc esse aliter, nunc aliter futuram, nunc habere malos mixtos, tunc non habituram, sicut non ideo duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus. Quae sunt notanda contra nostros Confessionistas et Calvinistas, qui duas Ecclesias fingunt.

Probatur Tertio testimoniis Patrum. Cyprianus lib.3.epist.3.ad Maximinum: Impediri, inquit.non debet aut fides, aut charitas nostra, ut quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Gregorius nazianzenus in orat. 1. apologetica, ante medium, comparat Ecclesiam ingenti belluae ex variis belluis compositae, idest, magnis, parvis, feris, mitibus etc. ut ostendat maximum esse laborem episcopi; qui regere debet tot hominum genera, perfectos et imperfectos, bonos et malos. Chrysostomus multa similia dicit de peccatis eorum. qui ab episcopis reguntur, lib. 3. de sacerdotio. Idem in psalm. 39. in illud Multiplicatae sunt super capillos capitis mei etc. Nec ex perfectis quidem universa constat Ecclesia, sed habet eos etiam, qui otio, et socordiae se dedunt, mollemque et dissolutam vitam ampléciuntur, et libenter serviunt voluptalibus, el quoniant est unum corpus, tanquam ex una persona hucc, et illa pronunciat.

Hieronymus in dialogo contra Luciferianos ultra medium: Arca Noe, inquit, Ecclesiae typus fuit; ut in illa omnium animalium genera, ita et in hac universarum, et gentlum et morum homines sunt: ut ibi pardus, haedi, lupus et agni, ita et hic justi, et peccatores, id est vasa, aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur.

Augustinus in tract 6. in Joan. Nos, inquit, fatemur in Ecclesia catholica, et bonos, et malos es-se, sed tanquam grana, et paleas. Idem habet lib. 2. retractat. cap. 18. Libro post collationem cap. 7. et 20. Libro de unitate Ecclesiae c. 13. lib. 18. de Civ. Dei cap. 49. et alibi. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 43. Firmissime tene, et nullatenus dubites, aream Dei esse catholicam Ecclesium, et intra eam usque in finem saeculi frumento mixtas paleas contineri, idest, bonis malos sacramentorum communione misceri. Gregorius hom. 11. et 38. in evangelia, docet, et probat multis argumentis, malos esse in Ecclesia.

Probatur ultimo ratione. Nam si soli boni essent in Ecclesia, frustra esset sacrămentum poenitentiae, quod solis iis administratur, qui sunt de Ecclesia. Praeterea nemo certo sciret, qui sint de Ecclesia. Incertum est enim qui sint revera boni, et qui non. Item mox atque praelati in aliquod peccatum incidissent, non essent amplius de Ecclesia, nec praelati, et proinde non oporteret eis amplius obedire. Et similiter subditi mox atque peccarent, non essent amplius de grege; et proinde liceret pastoribus curam corum non agere; ex quo summa confusio, el perturbatio oriretur.

At objiciunt primo Scripturam Isai. 52. Non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumci. sus, et immundus. Et ibidem: Recedite, recedite, exile inde. pollutum nolite tangere, exite de medio ejus. Quem locum exponens apostolus 2. Corinth. 6. addit: Et recipiam vos, dicit Dominus. ltaque Deus in Ecclesiam non recipit, nisi eos. qui separant se ab immundis et peccatoribus. Et rationem reddit ibidem Paulus, dicens: Quae enim parlicipatio justitiae cum iniquitate? quae conventio Christi ad Belial? 1. Cor. 10. Unus panis, et unum corpus multi sumus. At panis non efficitur nisi ex frumento, non ex paleis, et frumento Roman. 8. Qui spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Et 1. Gor. 12. In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus. Ergo qui non habet spiritum, ut sunt emnes peccatores, non est membrum Christi. Si dicas, non est membrum vivum, tamen est membrum Contra. quia membrum mortuum non est membrum simpliciter.

Respondet ad primum b. August. lib. cont. Donatistas post collationem cap. 8. et 20. et in breviculo collationis tertiae diei, intelligi de Ecclesia triumphante, quod dicitur: Non adjiciet ultra. ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Et quod additur: Recedite, exite etc. Intelligi de separatione, quae debet sieri animo, et moribus, non autem corporali discessione ab eodem templo,

et sacramentis etc.

At melius Cyrillus in hunc locum Isaiae, a quo non videtur Hieronymus multum discrepare, docet secundum historicum sensum, agi de temporali persequutione Judaeorum, ut sensus sit, cum a captivitate redieris, non adjiciet ultra, idest, in longum tempus, aliquis infidelis perseguutor per terras tuas eas vastando, pertransire: Secundum mysticum autem sensum agi de Ecclesia, et praedicere Isalam, fore, ut portae inferi non praevaleant ad-

versus eam. Incircumcisi enim, et immundi hostes Ecclesiae praecipue sunt daemones. Pari ratione quod seguitur: Recedite, recedite etc. secundum historicum sensum intelligitur de Judaeis, quos hortatur Isaias, ut exeant de Babylone cum finitum fuerit tempus captivitatis: Secundum mysticum sensum intelligitur de Christianis, qui debent post baptismum separari ab infidelium coetibus, templis, sacrificiis, conjugiis, et caeteris rebus, quae quoquo modo ad religionem pertinent. Et boc modo intellexit hunc locum b. Paulus, et citavit 2. Corinth.' 6. non enim de commercio cum quibusvis peccatoribus, sed solum, cum infidelibus agit: Nolite jugum, inquit, ducere cum infidelibus: quae pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?

Ad illud de uno pane, qui ex solo tritico sit, respondeo, similitudines non in omnibus convenire. la hoc autem consistit similitudo panis, et Ecclesiae, ut Cyprianus explicat epist. 6. lib. 1. ad Magnum, et Irenaeus lib. 3. c. 19. quod sicut ex multis granis per aquam sit unus panis, ita ex multis hommibus per aquam baptismi, vel per Spiritum sanctum, qui etiam dicitur aqua Ezechiel. 36. et alibi, sit unus populus Dei, nemo enim est in Ecclesia, qui non sit baptizatus, et non participet aliquod donum vel internum, vel externum Spiritus sancti. Quanquam non est etiam verum, panem semper constare ex solo tritico. Interdum enim vel ex-negligentia, vel ex malitia corum, qui panem faciunt, admiscentur etiam grana lolii: sicut'in vino saepe ex malitia vendentium admiscetur aqua. Denique idem ostenditur ex ipsis verbis Pauli, nam dicit: Unus panis, et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus. At de uno participant honi et mali, alioqui non arguerentur a Paulo 1. Corinth. 11. qui indigne communicant.

Ad altimum dico, malos non esse membra viva corporis Christi, et hoc significari illis Scripturis. Ad id quod addebatur, igitur sunt aequivoce membra etc. a multis solet concedi, malos non esse membra vera, nec simpliciter, corporis Ecclesiae. sed tantum secundum quid, et aequivoce. Ita Joannes de Turrecremata lib. 1. cap. 57. ubi id probat ex Alexandro de Ales, Hugone, et b. Thoma. Idem etiam docent Petrus a Soto, Melchior Canus, et alii, qui tamen etsi dicant malos non esse membra vera, dicunt nihilominus vere esse in Ecclesia, sive in corpore Ecclesiae, et esse simpliciter fideles, seu Christianos. Neque enim sola membra sunt in corpore, sed etiam humores, dentes, pili, et alia quae non sunt membra. Neque fideles aut Christiani dicuntur tales a charitate, sed a fide sive a fidei professione. At si ita est, sequitur, pontisicem malum non esse caput Ecclesiae: et alios episcopos, si mali sint, non esse capita suarum Ecclesiarum. Caput enim non est humor, aut pilus, sed membrum, et quidem praecipuum: At hoc est contra concilium constantiense, in quo sess. 15. damnatur error 22. Joannis Huss, quo asserebat pastorem malum esse aequivoce pastorem, et error 30. quo asserebat praelatuul malum non esse vere praelatum.

Respondeo igitur: Membra posse considerari

duobus modis: Uno modo, ul sunt res quaedam secundum se, sive secundum essentiam, ac substantiam suam: alio modo, ut sunt instrumenta operativa. Nam ex. gr. oculus hominis, et oculus bovis, ut sunt substantiae quaedam differunt specie, ratione diversae animae. At instrumenta operativa, sunt ejusdem speciei, quia idem habent objectum.

Dico igitur, episcopum malum, presbyterum malum, doctorem malum, esse membra mertua, et proinde non vera, corporis Christi, quantum attinct ad rationem membri, ut est pars quaedam vivi corporis: tamen esse verissima membra in ratione instrumenti, idest, papam et episcopos esse . vera capita, doctores veros oculos, seu veram lin-. guam hujus corporis etc. et ratio est, quia membra constituuntur viva per charitatem, qua impii carent: At instrumenta operativa constituuntur per potestatem sive ordinis, sive jurisdictionis, quae etiam sine gratia esse potest. Nam etsi in corpore naturali non possit membrum mortuum esse verum instrumentum operationis, tamen in corpore mystico potest. In corpore enim naturali opera pendent ex bonitate instrumenti, quia anima non potest bene operari, nisi per bona instrumenta, nec opera vitae exercere, nisi per instrumenta viva: at in corpore mystico opera non pendent ex bonitate, aut vita instrumenti. Anima enim hujus corperis, idest, Spiritus sanctus aeque bene operatur per instrumenta bona et mala, viva et mortua etc.

Objectio secunda? Ecclesia in symbolo dicitur sancta, igitur non constat, nisi ex sanctis. Nec sufficit, dicent, responsio corum, qui dicunt Ecclesiam dici sanctum, quia una pars est sancta. Nam tunc cliam dici posset Ecclesia scelerata, quia una

pars, immo major pars est scelerata.

Respondeo: Ecclesiam dici, et vere esse sanctam, quia omnia, quae ad ipsam constituendam pertinent, sunt sancia. Tria requiruntur ad Ecclesiam constituendam. Primo, baptisma, quod sanclum esse nemo negare potest. Secundo, professio christiana, idest, fidei, et morum, sive dogmatum, et praeceptorum Christianorum, quam professionem sanctam esse, et solam ipsam esse sanctam, certissimum est. Nec enim Judaeorum, Turcarum, Ethnicorum, Haereticorum professio sancta est, sed solum professio Christianorum. Tertio, unio membrorum inter se, et cum capite, saltem externa, et quoad ea, quae ad religionem pertinent; quae unio etiam sine dubio est sancta. Dicitur etiam sancta propter sanctos, quos habet, et non propterea dici debet etiam scelerata: Nam denominatio sit a meliori: et praeterea, quia habere sanctos est proprium Ecclesiae, quia ipsa sola habet vere sanctos: At habere malos non est proprium Ecclesiae, id enim etiam aliis coetibus convenit. Denique sancta dici potest, quia tota est consecrata Deg; et quia caput ejus Christus, est sanctus san-

Objectio tertia. Non habet Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. ut Cyprianus docet lib. de unitate Ecclesiae, et similiter, non habet Ecclesiam matrem, qui Deum non habet patrem. Sed nulli improbi Deum habent patrem: Nam qui spi-

rilu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, Rom. 8. Et Ioan. 8. dicitur improbis. Vos ex potre diabolo estis. Et 1. Joan. 3. In hoc sunt manifesti filii Dei, et filii diaboli, omnis qui non est justus, non est ex Deo. Ergo soli boni habent Ecclesiam matrem; ergo, soli boni sunt in Ecclesia.

Respondeo cum Augustino lib. contra Adimantum cap. 5. nomen filii tribus modis accipi in Scripturis. Uno modo dicuntur filii ratione productionis, sive illa sit proprie generatio, sive creatio, sive regeneratio; sic Dominus Christus proprie dicitur Filius Dei, quia a Deo Patre generatus. Dicuntur etiam omnes homines filii ratione creationis. Deuteron. 32. Nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit, et creavit te? Necnon ratione novae regenerationis dicuntur filii omnes justi, et soli justi, ut in locis notatis Rom. 8. et 1. Joan. 3. Secundo dicuntur filii aliqui ratione imitationis, quomodo Gál. 4. et Rom. 4. vocat apostolus filios Abrahae cos, qui sidem Abrahae imitantur, et Matth. 3. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, ut sitis filii patris vestri etc. Et hoc modo soli boni sunt filii Dei, mali omnes sunt filii diaboli, ut dicitur Joan. 8. et 1. Joan. 3. locis notatis. Tertio modo dicuntur filii ratione doctrinae, quomodo 1. Cor. 4. apostolus vocat Corinthios silios, quia eos docuerat evangelium, et Galat. 4. Filioli mei, inquit, quos iterum parturio, donec formetur thristus in vobis. Et hoc modo omnes qui sunt in Ecclesia, sunt filii Dei, et Ecclesiae, quia tenent veram doctrinam Dei, et Ecclesiae; tamen possunt esse boni et mali. Unde Isai. 1. Filios enutrivi. et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Et Cant. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Ubi filiae dicuntur animae christianae, sed malae.

His notatis, ad argumentum respondetur, si de filiis doctrinae agatur, falsam esse assumptionem; non enim est verum solos justos esse filios Dei, si solius doctrinae ratio habeatur. Si vero agatur de filiis Dei per regenerationem, aut imitationem, malam esse postremam illam consequutionem, ergo soli boni sunt in Ecclesia. In Ecclesia enim non sunt soli filii, sed eliam servi, quanquam isti nou manent in domo in acternum, filii manent in acternum, Joannis 8., et hoc est ad mentem b. Cypriani. Is enim non voluit dicere, non esse in Ecclesia nisi filios, sed non esse ullos filios extra Ecclesiam, sicut non sunt ulli boni extra, licel sint aliqui mali intus. Volebat enim terrere haereticos et schismaticos, ac monere eos, ne putarent, se posse esse bonos, aut filios extra Ecclesiam:

Argumentum quartum ex Cypriano lib. 1. epist. 6. ad Magnum: In Ecclesia Dei. inquit, non nisi concordes alque unanimes habitant, loquente in psalmis Spiritu sancto. et dicente, Deus. qui inhabitare facit unanimes in domo: Ergo peccatores, qui cum aliis rixas et contentiones movent, non sunt in Ecclesia.

Respondeo: Loqui Cyprianum non de quacumque concordia, sed de illa, quae opponitur schismati proprie dicto; agit enim ibi de Novatianis schismaticis. Alioqui dissensiones alias in Ecclesia esse posse, et ra ipsa saepe inveniri, testatur idem Cyprianus in sermone de lepsis, ubi inter alia peccata, quae erant in hominibus in Ecclesia, ponit etiam, odiis pertinacibus invicem dissidere.

Argumentum quintum ex Chrysostomo et Theophylacto in 2. Timoth. 2. ubi dicunt, illud: In magna domo sunt vasa aurea etc. non posse intelligi de Ecclesia, sed de mundo, quia in Ecclesia,

non sunt vasa, nisi aurea et argentea.

Réspondeo: Non negant, malos esse posse in Ecclesia, sed dicunt non esse necessarium, ut sint in Ecclesia. Quia enim apostolus dicit in magna domo sunt vasa aurea et argentea, fictilia et lignea, et notum est, in magna domo hace omnia esse necessaria, ne quis putaret Ecclesiam non posse consistere sine malis, dicunt hi Patres; nomine domus non intelligi Ecclesiam, sed mundum, nam Ecclesia non indiget malis: Immo quando erit in optimo statu suo, idest, in coelo, nullos habebit malos; At mundus ornatur ex malis, non quidem per se, sed per accidens, si enim non essent mali, in mundo non exerceretur justorum patientia, nec Dei justitia.

Argumentum sextum ex Hieronymo, qui in Commentar. ad Ephes. 5. in illud; Ecclesia subjecta est Curisto: Ecclesia, inquit, Christi gloriosa est, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi, qui ergo peccator est, aut altqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, neg Christo subjectus dici.

Respondeo: Significat Hieronymus non posse malos de ea parte Ecclesiae appellari, quae solos perfectos continet; nam Hieronymus in cap. 1. ad Galat. exponens illud: Paulus apostolus etc. Ecclesiis Galatiae. Volens explicare, quomodo cohaereant inter se verba apoștoli, qui nunc totas Ecclesias videtur laudare, nunc totas vituperare, ac reprehendere, dicit Ecclesiam dupliciter accipi, idest, non duas esse Ecclesias, sed de una diversimode Scripturas loqui; interdum enim tribuit Scriptura toti Ecclesiae, id quod est proprium perfectorum, ut carere macula, et ruga, interdum id quod est proprium imperfectorum, ut peccare, et correptione indigere. Cum ergo laudatur Ecclesia, respiciendum est ad eam partem, quae perfectos continct; cum reprehenditur, ad eam quae continet imperfectos.

Argumentum septimum, Pacianus epist. 3. ad Sympronianum dicit, in Ecclesia non esse macualam, aut rugam, quia peccatores, donce non poenitet eos vitae prioris, non sunt in Ecclesia, cum autem poenitet, jam sani sunt etc. Respondeo in Paccatoribus, qui in haeresim labuntur, nam antea dixerat, Ecclesiam carere macula, et rugis, quia ser la baereticis.

Argumentum octavum ex Augustino, qui lib. 2. cont. Cresconium, cap. 21. Ac per hoc, inquit, ctiam nesciente Ecclesia, propter malam, pollutamque conscientiam damnati a Christo jam in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata. Similia habet lib. 2. contra Petilianum, cap. ult, tib. 4. de baptismo cap. 3. lib. 6. cap. 3. lib. 7. cap. 49. 50. et 51. lib. de unit. Ecclesiae cap.

ult. lib. 3. doctrinae christianae, cap. 32. et alibi.

Respondeo: Propter hace loca non solum Brentius et Calvinus, sed etiam aliqui catholici fingunt duas Ecclesias, sed vere fingunt: nam nec Scripturae, nec Augustinus usquam meminerunt duarum Ecclesiarum, sed unius tantum. Certe in breviculo collationum, collat. 3. cum Donatistae calumniarentur, catholicos duas Ecclesias facere, unam, quae solos bonos, aliam, quae bonos cum malis contineret: responderunt catholici, se numquam duas Ecclesias somniasse, sed tantum distinguere partes, vel tempora Ecclesiae; partes, quidem, quia aliter boni, aliter mali ad Ecclesiam pertinent; boni enim sunt pars interior, et quasi anima Ecclesiae; mali sunt pars exterior, et quasi corpus, et dabant exemplum de homine interiore, et exteriore, qui non sunt duo homines, sed duae partes ejusdem hominis.

Tempora autem distinguentes dicebant, Ecclesiam aliter esse nunc, aliter futuram post resurreclionem, nunc enim habet bonos et malos, tunc. non habebit, nisi bonos; et ponebant exemplum de Christo, qui cum semper sit idem, tamen ante resurrectionem suam fuit mortalis et passibilis, postea immortalis et impassibilis; quam doctrinam idem Augustinus alibi saepe confirmat, et variis similitudinibus explicat. Nam. lib. 7. cont. Donttist. cap. 31.dicit bonos sic esse in domo Dei,quae est Eoclesia, ut ipsi sint domus Dei constructa ex vivis lapidibus, malos sio esse in eadem domo, ut ipsi tamen non sint domus. Et lib. de unitate Ecclesiae, cap. ult. dicit malos esse praecisos ab Ecclesia animo, non tamen corpore, quod est dicere, pertinere ad hominem exteriorem Ecclesiae, non tamen ad interforem. Et lib.3. doctrinae christianae, cap. 32. explicans illud Cantic. 1. Nigra sum, sod formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salamanis; notat non esse dictum, nigra fui, seu formosa sum, sed, nigra sum et formosa, quia ipsa una et eadem Ecclesia nunc est nigra sicut tabernacula Cedar, propter peccatores, quos in se habet, et simul est formosa sicut pelles Salomonis, idest, sicul tentoria regis, propter bonos, quos 'in se habet.

Idem Augustin. tract. 3. in Joan. epist. docet, malos esse quidem in Ecclesiae corpore, non ut membra, sed ut humores corruptos, qui manent in pectore, qui revera sunt in corpore, et tamen sunt etiam vere separati a membris corporis. Ex bis respondetur, quando Augustinus dicit malos non esse in Ecclesia, debere intelligi non esse eo modo quo sunt boni, idest, non esse ut membra cor-

Sed objicies, quia b. Augustinus lib.3, de baptismo cap. 18. et lib. 1. cap. 21. et 22. et lib. 6.cap. 3. et lib. 7. cap. 51. docet, solos sanctos esse illam Ecclesiam, quae est fundala super petram, et cui datae sunt clayes regni coelorum, et de qua dictur, si Ecclesiam non audicrit, sit tibi sicut ellini-

cus et publicanus.

Respondeo: Augustinum nihil aliud significato voluisse, quam omnia privilegia, quae sunt a Dea concessa Ecclesiae universae, propter solos sau-



clos concessa esse, idest, in utilitatem, et commedum eorum, qui salutem aeternam consequentur. Nam alioqui idem Augustinus frequentissime repetit, malos etiam Christianos utiliter sacramenta administrare, ac proinde regenerare homines solvere, ligare etc. Itaque in tract. 5. in Joan. confert malos ministros canali lapideo, per quem transit aqua ad areolas, et cum nihil ipse utilitatis acquirat, tamen caussa est, ut herbae, et flores in areolis nascantur et crescant. Quod idem fusius docet lib. 2. cont. Parmenianum cap. 10. et 41.

Objectio nona est Magdeburgensium Cent. 1. lib. 1. cap. 4. col. 171. ubi ex Scripturis probant duas esse Ecclesias, unam bonorum, aliam malorum. Si enim distinguitur Matth. 5. justitia discipulorum a justitia Pharisaeorum; Matth. 6. distinguitur pii ab hypocritis; Matth. 7. distinguitur coelus euntium per viam angustam, a coetu euntium per viam latam; et ibidem distinguitur domus fundata super petram, a domo fundata super arenam. Constat autem Ecclesiam malorum non esse unam sanctam Christi Ecclesiam; igitur vera Christi

Ecclesia solos bonos amplectitur. Respondeo: In nullo horum locorum distingui duas Ecclesias, sed solum diversas qualitates eorum, qui in una, atque eadem Ecclesia sunt, quemadmodom enim Matth. 13. distinguuntur boni pisees a malis; et tamen in codem reti, quod Ecclesiam significat, tam isti, quam illi erant; ita quoque in eadem Ecclesia, quae constat professione cjusdem fidei, et communicatione corumdem sacramentorum, quidam sunt, qui ambulant per viam latam vitiorum, quidam per viam augustam virtutum, quidam sunt vere pii, quidam hypocritae, quidam Justitiam pharisaicam, quidam apostolicam sequentur. Denique, quidam sunt veluti domus fundata super petram, quidam autem veluti domus fundata super arenam. Nec enim hoc loco duae domus duas Ecclesias significant, nisi velimus tot Ecclesias facere, quot sunt homines, sic enim Dominus ait: Omnis ergo, qui audit verba mea haec, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram etc.

Objectio decima. Si Christi corpus Ecclesia est, non possunt esse partes, ac membra hujus corporis, in quibus Christus nihil operatur; nihil autem operatur in primis et hypocritis; non igitur qui ejusmodi sunt, ad Christi Ecclesiam pertinere possunt. Item oportet omnino distinguere Christi regnum a regno diaboli, sed omnes impii ad regnum diaboli pertinent; soli igitur pli pertinent ad regnum

Christi, quod est Ecclesia.

Respondeo; Non esse necesse, ut Christus in omnibus suis membris aliquid operetur. Sunt enim quaedam membra mortua, et arida, quae solum adhaerent reliquis externa conjunctione. Et si autem Christi regnum distinctum sit a regno diaboli, possunt tamen iidem homines ad utrumque regnum pertinere; qui enim malis moribus praediti, in fide cutholica, et conjunctione cum caeteris fidelibus perseverant, ad regnum Christi pertinent, quantum ad fidei professionem; ad regnum autem diaboli, quantum ad morum perversitatem. Quare s. Augustinus in psal. 47. homines impios, qui sunt in Ecclesia, dicit esse filios, et alienos; filios propter formam pietatis, alienos propter amissionem virtutum.

## CAPUT X.

## De infidelibus occullis.

Restant postremo infideles occulti, idest ii, qui nec fidem internam, nec ullam christianam virtutem habent, et tamen exterius propter temporale aliquod commodum fidem catholicam profitentur, et communione sacramentorum veris fidelibus permiscentur; quos quidem nullo modo ad veram Ecclesiam pertinere non solum Confessionistae et Calvinistae docent, sed etiam aliqui ex catholicis, quorum unus est Joan. de Turrecremata, lib. 4. de Ecclesia; par. 2. c. 20. Quamquam bic auctor nihil fortasse aliud dicere voluit, nisi requiri lidem, ut quis unitus dici possit interna unione corpori Christi, quod est Ecclesia, quod quidem verissimum est.

Nos temen modum loquendi plurimum sequimur, qui docent eos, qui sola externa professione conjuncti sunt fidelibus caeteris, esse veras partes exteriores, atque adeo cuam membra, licet arida, et mortua, corporis Ecclesiae. Vide Thomam Waldensem tom. 1. lib. 2. cap. 9. num. 10. et cap. 11. num. 5. Ioan. Driedonem lib. 4. de ecclesiasticis scripturis, et dogmatibus, cap. 2. par. 2. Petrum a Soto in Confessione Catholica, quam opposuit Confessioni Wirtembergensi cap. de Ecclesia, et cap. de conciliis, et in apologia pro eadem Confessione, par. 1. cap. 11. Hosium cardinalem, lib. 3. cont. prolegomena Brentii, et Melchiorem Canum lib. 4. de lecis theologicis, cap. ult. ad argumentum 12.

Ac primum hace sententia demonstrari potest ex illis verbis Joannis: Et nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nabiscum, 1. Joan. 2. Hoc enim loco Joannes de haereticis loquitur, quos Antichristos vocat, et dicit eos, antequam exirent, non fuisse ex nobis, idest, non fuisse catholicos animo ac voluntate, sed haereticos, atque Antichristos, et tamen ex nobis exivisse, quia etsi non erant ex nobis, animo ac voluntate, erant tamen ex nobis externa professione. Sed posteaquam se prodiderunt, et in apertum schisma proruperunt, jam desierunt omnibus modis esse ex nobis,

Et quamquam s. Augustinus aliquando illa verba: Non erant ex nobis, exponit de praedestinatione, tamen in commentario hujus loci exponit de hacreticis occultis. Sic enim ait Tract. 3. in epist. Joan. Omnes hacretici, omnes schismatici ex nobis exierunt. idest, ex Ecclesia exeunt, sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis, si antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Multi intus sunt, non exierunt, el tamen Antichristi sunt. Et infra: Et quis intus sunt, certe sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi, quando adhuc curatur corpus ipsius; et sanitas perfecta non erit, nisi in resurrectione

mortuorum. Sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali; quando exomuntur, tunc relevatur corpus; sic et mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatar. Et dicit, quando eos evomit, atque projicit corpus, ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est non erant ex me? non de carne mea praecisi sunt, sed pectus mili premebant cum inessent. Eodem modo exponit lib. 3. de baptismo, cap. 19. et Tract. 61. in Joannem, quorum locorum verba infra adferemus.

Secundo demonstratur hoc idem ex testimoniis eorum Patrum; qui communi consensu docent, eos, qui sunt extra Ecclesiam, nullam habere auctoritantem, aut jurisdictionem in Ecclesiam. Vide Cyprianum lib. 1. epist. 6. et lib. 2. epist. 1. Optatum lib. 1. cont. Parmenianum. Ambrosium lib. 1. de poenitentia, cap. 2. Hieronymum in dialogo contra Luciferianos. Augustinum in Enchirid. cap. 65. et Coelestinum papam in epist. ad clerum constantinopolitanum, et in altera ad Joan. antiochenum, quae habetur in 1. tom. concilii ephesini, cap. 18. et 19. et citantur etiam a Nicolao I. in epist. ad Michäelem.

Et sane ipsa ratio manifeste hoc idem docet.Quo pacto enim cogitari, aut fingi etiam potest, ut is habeat jurisdictionem, et proinde sit caput Ecclesiae, qui non est membrum Ecclesiae? Quod enim unquam fuit caput, quod non fuerit membrum? Cortum est autem, quidquid unus, aut alter senserit, occultum haereticum, si episcopus, aut etiam summus pontifex esset, non amiltere jurisdictionem; nec dignitatem, aut nomen capitis in Ecclesia, donec aut ipse se ab Ecclesia publicé separet, aut convictus haereseos invitus separetur. Nam propterea Coelestinus et Nicolaus locis citatis dicunt, episcopum haereticum, ex quo haereses praedicare coepit, neminem potuisse solvere, vel ligare, quia nimirum antequam publice praedicare inciperet, ctiamsi corde jam concepisset errorem, adhuc poterat solvere et ligare. Quod item confirmatur ex can. Audivimus, 24. quaest. 1, ubi sic legimus: Sin autem ex corde suo novam haeresim confinxerit, ex quo talia praedicare coepit, neminem damnare potuit. Adde, quod si occulti-haeretici nullam habere possent jurisdictionem, redderentur incerti omnes actus, qui ex jurisdictione dependent, quod non parum Ecclesiam universam perturbaret. Jam ergo si is, qui non est in Ecclesia, non potest habere auctoritatem in Ecclesiam, et haereticus occultus habere potest, et aliquando re ipsa habet auctoritatem in Ecclesiam, certe haereticus occultus esse potest in Ecclesia.

Tertio idem probatur ex Origene. Augustino et Gregorio. Origenes homil. 21. in Josue: Etiam hic, inquit, in Hierusalem, idest, in Ecclesia sunt quidam Jebusaei, qui et fide, et actibus perversi sunt. Nec dubium est, quin loquatur de occultis; nam statim adjungit: Neque enim dicimus de iis, qui manifeste, et evidenter oriminosi sunt, ut non de Ecclesia expellantur.

Augustinus lib. 3. de baptismo, cap. 19. Hujus, inquit, fraternae charitatis inimici, sive aperte foris sint, sive intus esse videantur, pseudochri-

stiani sunt, et Antichristi; inventis enim occasionibus foras exeunt. Sed etiansi occasiones desint, cum intus videntur, ab illa invisibili charitalis compage separati sunt. Haec Augustinus, qui cum de occultis haereticis dicit, eos videri esse in Ecclesia, non significat, eos non esse revera, sed non esse eo modo, quo esse videntur. Videntur enim esse uniti interna et externa conjunctione, membris caeteris, et tamen non sunt uniti, nisi conjunctione externa. Nam si revera nullo modo essent intus, sed tantum esse viderentur, pari ratione, non vere exirent quando aperte se produnt. sed exire viderentur. Augustinus autem dicit, inventis occasionibus foras exeunt, et addit, eos esse separatos quidem, etiam antequam exeant, sed ab invisibili cliaritatis compage, non ab externa Ecclesiae communione. Quemadmodum intelligi debet etiam, quod idem Augustinus dicit, lib. 4.cap. 16. ubi dicit, haereticos occultos separatos esse judicandos, licet ipsi non exeant: loquitur enim de separatione interna, non de externa. Neque proprium est hoc apud Augustinum, haereticis occultis, sed omnibus peccaloribus, quos Augustinus assirmat non esse in corpore Christi, ut patet ex locis citatis capite superiore. Pergit loco notato Augustin. Unde, inquit, Joannes dixit. ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, non ait, quod excundo alieni facti sunt, sed quod alieni erant, propter hoc eos exisse declaravit. Dicit et apostolus Paulus, de quibusdam, qui circa fidem aberraverant, in una magna domo eos fuisse, credo quod nondum exierant.

Item lib. 4. cap. 10. Aut si zizania, inquit, sola dicenda sunt, quae usque in finem in maligno errore perdurant, et foris multa frumenta sunt, et intus multa zizania. Quorum verborum hic videtur esse sensus, ut intélligamus, extra Ecclesiam esse multos manifestos haereticos, qui tandem convertentur ad veram fidem; et intus in ipsa Ecclesia esse multos occultos haereticos, qui numquam convertentur. Idem habet lib. 1. de civit. Dei, cap.35. Meminerit sane, inquit, in ipsis inimicis suis latere cives futuros, sicut ex illorum numero eliam Dei civitas habet secum connexos communione sacramentorum. Upi illud est observandum, de inimicis, qui sunt extra Ecclesiam, Augustinum dixisse, eos esse cives futuros, quia modo non sunt cives, sed erunt tempore suo. At de inimicis, qui latent intra Ecclesiam, non dixisse inimicos fuluros, sed praesentes; jam enim sunt in ipsa Ecclesia, cum tamen pertineant ad numerum inimicorum.

Rursum Tract. 61. in Joan. tractans illud Joan. 13. abi legimus Christum exeunte Juda turbatum fuisse: Hoc nobis, inquit, Dominus significare sua turbatione dignatus est, quod scilicet falsos fratres, et dominici agri illa zizania, ita necesse est usque ad messis tempus inter frumenta tolerari, ut quando ex eis aliqua separari etiam ante messem urgens caussa compellit, fieri hoc sine Ecclesiae perturbatione non possit. Hanc perturbationem sanctorum suorum, per schismaticos, et hacreticos futuram, quodammodo praenuncians Dominus praefiguravit in scipso, cum exituro inde

homine malo, et commixtionem frumenti,in qua diu fuerat toleratus, separatione apertissima relicturo, turbatus est, non carne, sed spiritu. Et infra declarat, quomodo Judas unus esset ex discipulis Domini, et tamen jam typum gereret haerelicorum: Unus, inquit, numero, non merito; unus specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis socius unit de. Et infra: Utrumque verum est. et ex nobis, et non ex nobis, secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis, secundum communionem sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietalem criminum non ex nobis. Item lib. de gestis cum Emerito, cap. 1. Quidam, inquit, adhuc corde positi in parte Donati praesentiam nobis exhibent corporalem, carne intus, spiritu foris.

Denique in lib. de catechizandis rudibus cap.17. distinguit tria genera Christianorum, haereticos occultos, malos catholicos, bonos catholicos: Sunt, inquit, qui propterea. volunt esse Christiani, ut aul promereantur homines, a quibus temporalia commoda exspectant, aut quiq offendere notunt, quos timent. Sed isti reprobi sunt, etsi ad tempus eos portet Ecclesia, sicut area usque ad tempus ventilationis paleam sustinet. Si non se correxerint, et propter futuram sempiternam requiem Christiani esse coeperint, in fine separabuntur. Nec sibi blandiantur, quod in area esse possunt cum frumento Dei: quia in horreo cum illo non erunt, sed igni debito destinabuntur. Sunt etiam alii meliori quidem spe, sed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent, et non irrident ckristianum nomen, nec simulato corde intrant Ecclesiam Dei . sed in ista vita exspectant felicitatem. Ubi manifeste vides, ex collatione horum duorum generum hominum, primum illud esse eorum, qui Deum non timent, sed irrident christianum nomen, et ficto corde intrant Ecclesiam, et tamen in ea sunt, et manent, ac numerum faciunt, donec aperta discessione non separantar.

Gregorius lib. 13. moral. cap. 4. explicans illa verba, Job 16. Rugae meae testimonium dicunt contra me: Quid, inquit, per rugas nisi duplicitas designatur? Rugae itaque sunt sanctae Ecclesias omnes, qui in ea dupliciter vivunt, quia sidem vocibus clamant, operibus denegant. Hi nimirum pacis tempore, quia hujus mundi potestatibus camdem fidem honori esse conspiciunt, fideles se esse mentiuntur. Sed cum sanctam Ecclesiam subitae adversitatis procella turbaverit, illico ostendunt quod in perfida mente moliuntur. Et infra: Sed quia nunc intra sinum fidei mullos etiam reprobos lenet, cum tempus persequutionis exarserit, ipsos hostes patitur, quos praedicationis verbis alere ante videbatur. Dicat ergo, ruyae meas testimonium dicunt contra me, idest, ipsi me insequendo increpant, qui nunc in meo corpore positi duplicitatis suae in se malitiam non emendant. Et infra: Etiam pacis suae tempore sancta Ecclesia falsiloquium patitur, dum sunt in ea mulli, qui de aeternitalis promissione dissidunt, et tamen se fideles esse mentiuntur, sed cum maliliae tempus eruperit, is qui nunc metuens derogal ad contradicendum, ante faciem venil, quia verbis verae fidei apertis vocibus obsistit.

Quarto probatur ratione, ac primum similitudo corporis humani id quod quaerimus suadere potest. Est enim Ecclesia similis corpori humano, ut apostolus docet, Rom. 12. et 1. Cor. 12. in corpore autem humano multa ac varia esse videmus partium genera, ita ut quaedam vivant et sentiant, quaedam vivant, non sentiant, quaedam nec vivant, nec sentiant, ut notum est. Igitur in Ecclesia quoque nihil impedit, quo minus sint aliqui, qui habeant fidem et charitatem, quidam solam fidem; quidam ne ipsam quidem fidem, sed exteruam dumtaxat conjunctionem.

Deinde si ii, qui fide interna carent, non sunt, nec esse possent in Ecclesia, nulla erit inter nos et haereticos amplius quaestio de Ecclesiae visibilitate, proinde (quod ego certe magni facio) supervacaneae erunt tot eruditissimorum hominum disputationes, quae hactenus prodierunt. Omnes enim qui hactenus scripserunt, id objiciunt Lutheranis et Calvinistis, quod Ecclesiam invisibilem faciant. Nullam autem futuram amplius quaestionem, ita probo.

Lutherani et Calvinistae signa visibilia quaedam et externa Ecclesiae statuunt, nimirum praedicationem verbi Dei, et sacramentorum administrationem, et constanter docent, ubicumque haec signa conspiciuntur, ibi esse etiam veram Christi Ecclesiam. Quia tamen solos justos et pios ad Ecclesiam veram pertinere volunt, et nemo potest certo scire, qui sunt vere justi et pii inter tam multos qui justitiam et pietalem exterius prae se ferunt, cum certum sit multes ubique esse hypocritas, et falsos fratres: Ideirco nostri recte concludunt, eos facere Ecclesiam invisibilem. Porro Lutheranis et Calvinistis justitia in sola fide consistit, idemque est apud eos, Ecclesiam esse coelum justorum et piorum, et esse coctum vere credentium. Quis non igitur videt, nos cum illis plane convenire, si omnes illos ab Ecclesia excludamus, qui veram fidem in corde non habent?

Ad haec, necesse est, ut nobis certitudine infallibili constet, qui coetus hominum sit vera Christi Ecclesia; nam cum Scripturae traditiones, et omnia plane doginata ex testimonio Ecclesiae pendeant, nisi certissimi simus, quae sit vera Ecclesia, incerta erunt prorsus omnia. At non potest certitudine infallibili nobis constare, quae sit vera Ecclesia, si fides interna requiritur in quolihet membro, seu parte Ecclesiae. Quis enim certo novit, in quibus sit ista fides? Non igitur fides, aut aliquid aliud invisibile, et occultum requiritur, ut quis aliquo modo pertineat ad Ecclesiam.

Respondent quidam ad hoc argumentum dupliciter. Primo, satis certo posse cognosci coetum hominum fidelium, ita ut etiam videri dicatur, si effectus fidei conspiciatur, qualis est protestatio et confessio fidei;nam etiam hominem vere et proprie videre dicimus, cum tamen animum non videamus nisi in suis effectibus. Secundo addunt, non esse necessarium, ut constet nobis distincte qui sint illi homines, qui Ecclesiam faciunt, sed satis esse si assignemus quemdam coetum hominum, intra quem

certo sciamus, vel credamus esse omnes illos, qui ad Ecclesiam pertinent. Siquidem si cui ostenderetur populus romanus universus in foro, aut in theatro, ubi tamen essent etiam aliqui externi admixti, vere diceretur illum vidisse populum romanum, tametsi discernere non potuisset romanos ab externis.

Sed neutra solutio videtur satisfacere. Ac prior quidem facile refellitur: nam cognitio illa ex essectibus non est certa, sed conjecturalis. Neque exemplum hominis convincit, nam in primis effectus vitae in homine naturales sunt, et necessarii; cf. fectus autem fidei liberi sunt, ac voluntarii, proinde multo minus certi. Deinde nec ipsum hominem ita videmus, ut certitudine infallibili nobis constet, eum quem videmus esse hominem; siquidem sieri potest, ut cum nos hominem videre credimus, angelum, aut daemonem videamus in forma humana. Certe Abraham, Loth, Tobias, et alii in Testamento veteri non raro homines esse crediderunt, qui angeli erant? Nos autem infallibilem certitudinem de Ecclesia habere volumus qualem habemus.non de ipso homine, sed de figura, et externis coloribus ac lineamentis corporis humanis, in quorum visione decipi non possumus.

Posterior vero solutio multis de caussis non satisfacit. Primo, quia potest fieri, ut adeo crescat aliquando-numerus hypocritarum, ut plures sint haeretici occulti, quam veri ac perfecti catholici; tum autem non posset quisquam vere dicere, hic coetus est Ecclesia Christi; quandoquidem in eo coetu, quem ostendit, major pars ad Ecclesiam non pertinet, nec ipse scit, qui sint illi pauci qui Ecclesiam faciunt. Et quamvis sperandum sit, majorem partem eorum, qui profitentur fidem, esse sinceros, id

tamen non est certum.

Secundo, quia cum numquam tota Ecclesia in unum locum conveniat, ita ut possimus certo dicere, in hoc coetu est Ecclesia. sed sparsa sit per varia loca, et de nulla parte certi simus, an non sit tota illa pars sine vera fide, quocumque iverimus, semper erimus dubii, an communicemus cum vera Christi Ecclesia. Neque his repugnat, quod alibi scripsimus, romanam Ecclesiam particularem non posse destitui vera fide; nam nec ipsa romana Ecclesia particularis tota simul alicubi convenit, sed sparsim congregatur in variis basilicis quae sunt in romana civitate, nec certo scimus certitudine infallibili in eo coetu, ad quem nos forte accedimus, non esse omnes sine vera fide in corde.

Tertio, quia posset etiam fieri, ut tolum generale concilium esset extra Ecclesiam; quid enim magnum esset, si inter tot millia profitentium Christi fidem, trecenti, vel quadringenti homines, qui ad concilium conveniunt, fide vera carerent? Ita nimirum res alioqui notissimae, et quas certissimas esse oportet, in dubium revocabuntur. Certe Brentius, ut in disputatione de conciliis annotavimus, ea ratione conciliorum auctoritatem elevat, quia non sumus certi, an ullus eorum Patrum fidem veram in corde habuerit, et proinde in Ecclesia Dei fuerit, non enim est columna et firmamentum veritutis falsa Ecclesia, sed vera.

Quarto, quia si non scimus distincte, qui sint, qui

Ecclesiam constituent, non tam sciemus, quae sit Ecclesia, quam ubi sit, seu potius ubi lateat Ecclesia, quod quidem non satis est ad Ecclesiae visibilitatem salvandam, de qua in sequenti capite disputandum erit. Sed jam quid aliqui objiciant, videamus.

Objiciunt primo, fundamentum et quasi formam Ecclesiae esse fidem, cum legamus 1. Cor. 3. Quasi bonus architectus fundamentum posut Et: Fundamentum aliud nemo potest ponere, practer id, quod positium est. quod est Christus Jesus. Ad Ephes 2. Superaedificati supra fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu. Ephes 4. Unus Deus, una

fides, unum baptisma.

Respondeo: Formam Ecclesiae non esse sidem internam (nisi Ecclesiam invisibilem habere velimus) sed externam, idest, sidei confessionem. Id quod apertissime docet s. Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 11. et experientia idem testatur; illi enim admittuntur ad Ecclesiam, qui prositentur sidem, In locis autem allegatis sides non dieitur forma, vel sundamentum Ecclesiae, sed sundamentum justitiae, vel doctrinae, quae est in Ecclesia. Adde, quod Scripturae, sicut in Ecclesia ponunt sidem, ita etiam ponunt charitatem, et omnia dona Spiritus sancti, et tamen nemo catholicorum docel, non esse de Ecclesia eos qui charitate et donis Spiritus sancti carent.

Objiciunt secundo, definitionem concilii lateranensis, quae habetur cap. Firmiter, de summa Trinit. et fide catholica: una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nemo salvatur: cui similis est definitio Nicolai papae, quae habetur de consecrat. d. 1. can. Ecclesia, Ecclesia est catholicorum collectio, non sunt autem fideles et catholici, qui fidem in corde non habent, etsi eam ore profiteantur.

Respondeo: Non esse has Ecclesiae definitiones. Nam concilium lateranense solum asserere voluit, Ecclesiam esse unam, non autem quid sit Ecclesia, accurate describere. Appellavit autem Ecclesiam fidelium, quia hoc nomine distinguuntur Christiani baptizati, tum ab iis, qui manifeste infideles sunt, tum etiam a catechumenis. Proprie enim apud vetères catechumeni non dicebantur fideles, ut supra ostendimus. Itaque idem est, ac si concilium dixisset, Christianorum Ecclesia una est, non multae. Adde secundo, posse etiam nomen fidelis accipi pro eo, qui sidem publice prositetur, quemadmodum mox dicemus de nomine, catholicus. Adde tertio, verissime etiam dici potuisse, Ecclesiam fidelium, idest eorum, qui veram fidem habeut in corde, unam esse; Ecclesia enim praecipue, et ex intentione fideles lantum colligit; cum autem admiscentur aliqui sicti, et qui vere non credunt, id accidit practer intentionem Ecclésiae. Si enim eos nosse posset, pumquam admitteret, aut casu admissos continuo excluderet.

Porro in verbis illis Nicolal papae: Ecclesia est catholicorum collectio, necessario cogimur dicere, vocari catholicos eos, qui fidem catholicam profitentur, quidquid sit de fide interna. Jubet enim Nicolaus, ut non fiant Ecclesiae, idest, ut ipse expo-



nit, cathelicorum collectiones, sine nutu sedis apostolicae. Planum autem est, non aliter fieri posse catholicorum collectiones, quam convocando in unum locum eos, qui habentur, et dicuntur catholici, idest eos, qui publice catholicos se esse proflectur.

Objiciunt tertio, testimonia Patrum, qui dicunt, harreticos non esse vere Christianos, quales sunt Tertultianus lib.de pudicitia. Cyprian. lib. 4. epist. 2. Athanasius serm. 2. contra Arianos, et Augustinus lib.de gratia Christi c. 11. at Ecclesia Christi nonnisi Christianorum esse potest; non igitur ad Ecclesiam pertinent, qui veram fidem non habent. Respondeo: Bos Patres loqui de manifestis haereticis, qui nec in corde, nec in ere Christi fidem habent. Christianus enim nomen est professionis, et illi dicuntur Christiani, qui Christi legem ac fidem publice colunt ac sequuntur.

Objiciunt quarto, ante Christi adventum non solum synagogam Indaeorum ad Ecclesiam Dei pertinuisse, sed omnes praeterea gentiles, qui per orbem terrae dispersi, unum Deum sincere colebant. Ex quo videtur sequi, ut fides sit Ecclesiae vinoulum, et proinde qui fidem non habet, ad Ecclesiam non pertineat. Respondeo: Omnibus sacculis eos omnes et solos Ecclesiam Dei constituisse, qui simul colligati erant confessione et protestatione, sive ea per sacrificia, sive alio modo fierent, unins fidei in unum Deum creatorem coeli et

Objiciunt ultimo. Potissima caussa, cur in Ecclesiae membris includuntur haeretici occulti, illa esse videtur, ut constet nobis infallibili certitudine, quinam coetas hominum sit Ecclesia: at haec certitudo haberi nequit, ctiamsi haeretici occulti ad Ecclesiam pertinere dicantur: quod his argumentis confirmatur.

Primo, non sunt Ecclesiae membra qui non sunt baptizati; at nemo scit certo, qui sint vere baptizati, tum quia character baptismi est invisibilis, tum etiam quia cum exterior baptismus exhibetur, pauci adsunt, qui videant, ac proinde caeteri fide humana contenti esse debeni.

Secundo, Ecclesia non potest esse sine episcopis et presbyteris, ut Hieronymus docet contra Luciferianos. At quis novit certo, qui sint veri episcopi et presbyteri, cum id pendeat ab intentione ordinantis, et a charactere invisibili.

Tertio, excommunicati non sunt de Ecclesia, ut nos supra docuimus: at multi sunt excommunicati occulti, nimirum excommunicati a jure ipso facto, et non promulgati coram populo. ex quo cogimur dubitare, cum aliquem videmus, sitne ille de Ecclesia, an non?

Quarto, saepe acchiit, aut certe accidere potest, ut haeretici manifesti alicubi simulent se catholicos, item Indaei, Turcae, Pagani miscent se fidelibus, et tamen aut ipsi de Ecclesia non erunt, aut Ecclesiam esse dicimus coetum haereticorum et paganorum hypocritarum.

Respondeo ad primum: Ad hoc, ut aliquis sit de corpore Ecolesiae, non requiri characterem, sed externum baptismum; nec externum baptismum requiri, ut quis censeatur et sit de Ecclesia, sed

BRLLARMINI, Vol. II.

tantum ut admittatur. Si quis enim petit admitti ad Ecclesiam, id non flet sine baptismo. Tamen si quis dicat se baptizatum, et non constet contrarium; admittetur ad sacramenta caetera, et per hoc erit de corpore Ecclesiae. Et signum hujus est, quia si postea innotescat, illum non fuisse baptizatum, siquidem culpa ipsius id sit factum, expelletur de congregatione, nec recipietar, nisi post poenitentiam baptizetur. At si non culpa ejus, non repelletur, sed perficietur in eo; quod deerat, nec judicabitur non fuisse in Ecclesia, sed judicabitur intrasse aliunde, quam per ordinariam portam. Unde Innocentius III. cap. Apostolicam, de presbytero non baptizato, judicavit, presbyterum non baptizalum vere fuisse in Ecclesia, et jussit pro ejus anima offerri sacrificium, ut pro aliis fidelibus. Et Dionysius alexandrinus, ut habemus lib. 7. cap. 8. hist. Eccles. judicavit quemdam fuisse vere in Ecclesia, quem constabat non vere baptizatum, sed tantuia percepisse alia sacramenta, ut baptiza-

Haec videtur fuisse sententia Joan. Driedonis lib. 4. de script. et dogm. Ecclesiast: cap. 2. part. 2. ubi sie loquitur. Omnes qui habentur, tamquam sacramento fidei visibiliter adscripti Ecclesiae. secundum pacem quamdam corporaliter cum christiano populo conversantes, dicuntur esse in Ecolesia, donec vel judicio Ecclesiae separentur, vel sua sponte exeant, ipsam Ecclesiam contemnentes, et persequentes. Haec ille. Qui satis aperte scribit, in Ecclesia esse non solum omnes baptizatos, sed omnes etiam illos qui habentur pro baptizatis. Posset tamen etiam responderi, et melius, eos qui non sunt baptizati, et tamen habentur pro baptizatis, esse de Ecclesia secundum apparentiam exteriorem tantum, idest, putative, non vere. Nec tamen inde sequitur, ut Ecclesia flat invisibilis: nam tametsi non possint aliqui probare se esse baptizatos, tamen plurimi prebare possunt: et baplismus natura sua visibilis est.

Ad secundum dico, posse in episcopis duo con-

siderari. Primo, quod locum Christi teneant, et quod propterea debeamus illis obedientiam, et quod ipsi non possint nos decipere in lis, quae necessaria sunt ad salutem. Secundo, quod hebeant potestatem ordinis et jurisdictionis. Si primo modo considerentur, certi sumus certitudine infallibili, quod isti, quos videmus, sint veri episcopi et pastores nostri. Nam ad hoe non requiritur, nee fides, nee character ordinis, nec legitima electio, sed solum, ut habeantur pro talibus ab Ecclesia, Cum enim. sint episcopi propter Ecclesiam, non contra: Deus assistiteis, qui pro talibus habentur, ne errent in Ecclesia docenda. Itaque sunt illi veri episcopi et pastores, non absolute: sed quo ad illa tria quae diximus. Quod est idem, ac si diceremus, eos non esse quidem in se veres episcopos: tamen donec pro talibus habentur ab Ecclesia, deberi illis obedientiam, cum conscientia etiam erronea obliget: item tenere eos locum Christi de facto, non de jure, cum re ipsa populum Christi nemine regant. Denique non posse ab illis Ecclesiam decipi, cum

Ecolesia non possit errare, et lamen eos teneatur

sequi, quos pro veris pastoribus habet. Quod po-

stremum sano modo accipiendum est; si videlicet hujusmodi episcopi in doctrina omnes conveniant aut summi pontifices sint. Neque enim dubium est, quin episcopi particulares, si ab alifs dissideant, errare possint. Si secundo modo considerentur, non habemus certudinem; nisi moralem, quod isti sint veri episcopi, quamquam certum est certitudine infaltibili, quod'aliqui saltem sint veri, alioqui Deus Ecclesiam deseruisset. Sed ad hoc, ut teneamus Euclesiam certam et conspicuam, quantum ad capita et membra, sufficit prima consideratio.

Ad tertium dico, excommunicatos occultos esse de Ecclesia, numero, non merito; de facto, non de jure.

Ad quartum dico, in primis difficile esse, ut ejusmodi homines non continuo detegantur, sed tamen etiamsi longo tempore deludant Ecclesiam;nihil inde incommodi accidere posse: nam Ecclesia non eos numerat inter suos nisi ratione professionis externae (nec enim de internis homines judicant) professio autem illa externa sanctissima est. licet ab illis male usurpetur. Itaque sunt illi de Ecclesiae corpore, dum sidelibus junguntur eo vinculo professionis et obedientiae, quod Ecclesiam universam ligat, et in unum corpus redigit. Nec tamen sequitur, Ecclesiam propterea esse coetum haereticorum, et paganorum hypocritarum; nam etsi pauci quidam tales' in Ecclesia sunt, tamen certi sumus certitudine fidei divinae, in eadem. Ecclesia multos esse vere fideles, pios et electos, quemadmodum etiam in corpore humano inveniuntur et ungues et capilli, qui non vivunt, et nemo tamen inde colligit, corpus humanum nihil esse nisi ungues et capillos., Atque haec dicta sunt juxta sententiam Driedonis. Nam secundum alteram sententiam, quam nos paulo ante veriorem esse diximus, respondendum erit, Judaeos, Turcas, Paganos, nec non manifestos Haereticos, qui simulent se esse Christianos et Catholicos non esse de Ecclesia, nisi secundum apparentiam exteriorem el putative, non vere. Neque inde sequetur ut Ecolesia flat invisibilis; nam si forte necesse sit, cognoseere, an ejusmodi homines sint Ecclesiae catholicae membra, nec ne: cogi poterunt, ut ostendant admissionem suam ad Ecclesiam, idest, ut probent se baptizatos, vel reconciliatos, quae visibilia, et sensibus externis exposita sunt. Alia vero ratio est de fide, aliisque internis virtutibus, quas qui in omnibus Ecclesiae membris requirunt, ii faciunt Ecclesiam plane invisibilem, et soli Deo notam, ut recte Petrus a Soto Brentianis objecit.

## CAPUT XI.

Proponitur altera controversia: An Ecclesia su semper visibilis, sive, an errare et deficere possit.

Explicaimus, quid sit Ecclesia, nunc disendum est, qualis sit. Dissensio inter nos et haereticos in tribus consistit. Primum enim illi dicunt, veram Ecclesiam esse invisibilem, solique Deo cognitam.

Quo loco nota ex Friderico Staphilo in prima apolog. par. 3. Lutheranos initio Ecclesiam invisibilem fecisse; deinde tamen, cum viderent absurda, quae inde sequebantur, secreto consilio statuisse, ut Ecclesia visibilis diceretur: Itaque coeperunt omnes docere, Ecclesiam esse visibilem; sed sic tamen ut nomine visibilis, re invisibilis esset.

Ac primum, Lutherus in lib. de servo arbitrio. cum ei Erasmus objecisset, non esse credibile, Deum lam longo tempore deseruisse Ecclesiam, respondit: Deum numquam deseruisse Ecclesiam. sed non esse Ecclesiam Christi illam, quae vulgo dicitur Ecclesia, idest, papám, episcopos, clericos. monachos et caeteram catholicorum multitudinem; sed Ecclesiam esse quosdam paucos pios, quos quasi reliquias, Deus conservat: Et semper hoc fuisse in mundo, ut vera Ecclesia non esset illa quae dicebatur Ecclesia; sed pii quidam pauci. Et in lib. cont. Catharinum dieit, Ecclesiam esse spiritualem, et sola fide perceptibilem. In lib. de abroganda missa privata, par. 1. sic loquitur idem Lutherus: Quis, inquit, Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in Spiritu, et solum credatur? sicut dicitur: Credo Ecclesiam sanctam?

Jam Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. cap. 4.col. 170. definiunt, Ecclesiam coetum visibilem; tamen col. 171. distinguunt duas Ecclesias, et col. 178. dicunt, veram Ecclesiam esse coetum exigtum plerumque; falsam vere, numerosissimum, quia ad veram soli illi pertinent, qui intrant per portam angustam, idest, vere pii, quae Ecclesia proinde sit invisibilis; et colum. 181. dicunt, tempore Christi fuisse de Ecclesia vera pastores, magos, Zachariam, Simeonem, Mariam, Annam; non autem pontifices et sacerdoles, quia nimirum illi pii, isti impii erant.

Philippus Melanchthon in locis, loco 42. qui est de Ecclesia, repetit aliquoties Ecclesiam esse visibilem; tamen ibidem dicit, in controversiis sequendum esse verbum Dei juxta confessionem verae Ecclesiae; hanc autem veram Ecclesiam dicit non esse pontifices et sacerdotes, nec majorem partem concilii, sed quosdam pios et electos a Dea illuminatos: et ibidem dicit, tempore Eliae Ecclesiam veram fuisse Eliam, Helisaeum, et paucos alios illis adhaerentes: non autem caeteram Judaeorum multitudinem: Et tempore Christi Ecclesiam fuisse Zachariam, Simeonem, Mariam, pastores, quia nimirum pii erant.

Brentius in Confessione Wirtemberg, cap. de conciliis, dicit, habere Ecclesiam Dei promissionem: lamen non esse standum judicio conciliorum, quia pauci sunt ibi electi, et quia saepe major pars vincit meliorem. Et in prolegomenis: Vide, inquit, quod faciat (Petrus a Soto) Ecclesiam visibilem, et sensibus corporeis perspectam. Delendus igitur erit illa articulus symboli apostolici: Credo Ecclesiam sanctam catholicam, et erit sic reponendus; Video et sentio Ecclesiam sanctam catholicam. Item Calvinus lib. 4. Institut.cap. 1. § 7. Bifariam, inquit, de Ecclesia sacrae literae loquuntur: interdum enim cum Ecclesiam nominant, eam intelligunt, quae est revera coram Deo etc. Et infra de hac loquens: Nobis, inquit, invisibilem, sotius

Dei oculis conspicuam, credere Ecclesiam necesse est. Et § 3. Caeteram, inquit, ad amplexandam eo modo Ecclesiae unitatem, nihil opus est Ecclesiam ipsam oculis cernere, aut manibus pal-

pare.

Secundo docent, visibilem-Ecclesiam interdum ita errare in fide, et moribus, ut penitus deficiat: ita Calvinus in praesatione Institut. Sed non parum, inquit, a vero aberrant, dum Ecclesiam non agnoscunt, nisi quam praesenti oculo cernant. Et infra: Fremunt, inquit, nisi Ecclesia digito semper ostendatur. Et infra: Quin potius, inquit per millamus Deo,ul quando ipse solus novil qui sui sumi. interdum eliam Ecclesiae suae exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.

Tertio docent, Ecclesiam veram, ideat invisibilem, non posse quidem desicere, nec efrare in iis,quae necessario ad salutem pertinent, tamen in aliis errare posse: Ita Calvinus lib. 4. cap.8. Instit. § 13. et alibi. Nos contrarium asserimus, ac singula suis

argumentis confirmabimus.

Ecclesiam esse visibilem.

Primum igitur, quod vera Ecclesia sit visibilis, probatur primo ex Scripturis omnibus, ubicumque invenitur. nomen Ecclesiae: nam semper nomine Ecclesiae visibilis congregatio significatur; nec unum saltem locum Calvinus proferre potnit, nec protulit, ubi hoc nomen tribueretur congregationi invisibili. Certe cum dicitur Num. 20. Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solutudinem? Ecclesia vocator populus ille notissimus Israel, qui exierat de Aegypto. Sic 3. Reg. 8. de visibili Ecclesia manifeste loquitur Scriptura, cum dicit: Convertitque rex faciem suam, et bonedixit omni Ecclesiae Isräel. Omnis enim Ecclesia Isräel stabat. Matth. 16. Super hanc petram aedifiçabo Ecclesiam meam. Nomine petrae sive intelligas Christum aut fidei confessionem, ut haeretici volunt, sive Petrum, ut nos credimus, semper fundamentum Ecclesiae est aliquid sensibile ut patet, ac proinde Ecclesia ipsa est sensibilis, sive visibilis: nam etsi nune neque Christum, neque Petrum videamus, tamen tune oterque sensibus corporeis expositus erat ad videndum; et nunc uterque videtur .. non in se, sed in vicario, aut successore suo: Sicut regnum neapolitanum non ideo est invisibile, quia rex abest. nam rex videtur in suo prorege, Matth. 18. Dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit

Certe neutrum servari posset, si esset Ecclesia invisibilis, Actor. 28. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam. Dei. Quomodo poterant regere Ecclesiam, quam non noverant? Actor.13. Hli quidem deducti ab Ecclesia pertransibant Phocnicem. Et ibidem: Cum venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia. Et c.18. Ascendit, Pau-

lus, et salutavit Ecclesiam. Quomodo ista conveniunt Ecclesiae invisibili? 1. Corinth. 15. Galat. 1. et Philipp. 3. Paulus dicit, se persequutum Ecclesiam Dei: at notum est, quos persequebatur, ex actis apostolor: cap: 9. Denique 1. Timoth. 3. Haec tibi scribo, fili Timothee, ut scias, quomodo te oporteal conversari in domo Dci, quae est Ecclesia Dej vivi etc. At sane non polerat in ea conversari, nisi sciret, quaenam esset.

Secundo, probatur ex aliis Scripturis, ubi non nominatur, sed tamen aperte describitur Ecclesia. psalm. 18. In Sole posuit tabernaculum suum; exponit Augustinus tract. 2. in epist. Joannis: In manifesto posuit Ecclesiam suam, ut, sicut Sol non polest omnino latere, ita nec Ecclesia possit abscondi. Item Isaise 2. Daniel. 2. et Michaese 4. comparatur Ecclesia monti magno et conspicuo, qui nullo modo potest latere, secundum communem expositionem Hieronymi in ea loca, et Augustini tract. 1. in epist. Joannis. Item illud Matth. 5. Non. potest civitas abscondi supra montem posita. Augustinus lib. de unit. Ecclesiae, cap. 14. et alibi passim exponit de Ecclesia. Denique parabolae evangelicas de area, de reti, de ovili, de convivio etc. omnes estendunt Ecclesiam veram, quae est regnum coelorum, esse visibilem.

Probatur tertio, ex ipso ortu, et progressu Ecclesiae; nam, ut omittamus statum Testamenti veteris, in quo adeo visibilis erat Ecclesia, ut in ipsa carne portarent visibile signum circumcisionis; in Testamento novo sine dubio Ecclesia christiana tota erat in principio in apostolis et discipulis Christi, qui adeo visibiles erant, ut super illos visibiliter Spiritus sanctus descenderit in die pentecostes. Deinde istis additi sunt visibiliter una die homines ad tria milha, et rùrsum ad quinque millia, per fidei confessionem et baptismum, ut palet actor. 1. 2. 3. et 4. ac deinceps semper illi omnes, et soli habiti sunt de Ecclesia Christi, qui ad illos primos se adjunxerunt per baptismum et confessionem fidei, et inde non recesserunt per haereses, aut schismata, vel expulsi non sunt per excommuni-

cationem. Quarto, probatur ex ipsa ratione Ecclesiae; Ecclesia enim est socielas quaedam, non angelorum. neque animarum, sed hominum. Non autem dici polest societas hominum, nisi in externis, et visibilibus signis consistat; nam non est societas, nisi se agnoscant iis, qui dicuntur socii, non autem se possunt homines agnoscere, nisi societatis vincula sint externa et visibilia. Et confirmatur ex more omnium humanarum socielatum; nam in militiam. in civitatem, in regnum, et alia similia non aliter homines adscribuntur, quam signis visibilibus. Unde Augustinus lib. 19. cont. Faustum, cap. 11. In millum, inquit, nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.

Quinto, temporé Christi, ut volunt Philippus et Illyricus, Ecclesia solum erat in Zacharia, Simeone, Anna, Maria, et paucis aliis piis, non autem in pontificibus, et caetera multitudine Judaeorum. At constat, quod Zacharias, Simeon, et caeteri communicabant cum pontificibus in templo, sacrificiis etc. Nam Zacharias in codem templo sacrificabat. Anna ab co templo non recedebat. Maria ibat singulis annis ad templum illud. Christus ipse mittebat leprosos ad sacerdoles, et dicebat: Quae dicunt, facite. Ergo, vet male faciebant isti communicando falsae Ecclesiae; vel male faciunt Lutherani non communicando nobiscum, et non obediendo pontifici.

Sexto, probatur ex necessitate; nam tenemur omoes sub periculo aeternae mortis verae Ecclesiae nos adjungere, et in illa perseverare, idest, capiti ejus obedire, et caeteris membris communicare, ut patet ex Cypriano de simplicitate praelator. Hieronymo in epist. 1. ad Damasum de nomine hypostasis, et Augustino lib. 4. de baptisáno, cap. 1. At hoc fieri non potest, si est Ecclesia invisi-

bill.

Septimo, ex dictis quaestione superiore; si enim Ecclesia est congregatio hominum utentium sacramentis iisdem, et fidem Christi profitentium, sub regimine legitimorum pastorum, ut ibi probatum est, sequitur necessario eam esse visibilem.

Ultimo, testimoriis veterum. Origenes homil, 30. in Malthaeum, Ecclesia, inquit, plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem etc. Cyprianus lib. de unit. Ecclesiae: Ecclesia, inquit, Domini luce perfusa, radios suos per orbem terrarum spargit etc. Chrysostom. homil. 4. in cap. 6. Isaiae: Facilius est, inquit, Solem extingui, quam Ecclesiam obscurari. Augustinus lib. 3. cont. epist. Parmeniani, cap. 5. Nulla, inquit, est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei, Ecclesia declarata, quae supra montem, ut dictum est, constituta, abscondi non potest. Tract. 1. in epist. Joan. Numquid digito ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? Et Tract. 2. Quid amplius dicturus sum, quam caecos, qui tam magnum montem non vident? Qui contra lucernam, in candelabro positam, oculos claudunt?

## CAPUT XIII.

#### Ecclesiam visibilem non posse deficere.

Jam. quod Ecclesia ista vera et visibilis non possit deficere, facile probari potest. Notandum autem est, multos ex nostris tempus tercre, dum probant absolute Ecclesiam non posse deficere; nam Calvinus, et caeteri haeretici id concedunt; sed dicunt, intelligi debere de Ecclesia invisibili. Probare igitur volumus, Ecclesiam visibilem non posse deficere; et nomine Ecclesiae non intelligimus usum, aut alterum hominem christianum, sed multitudinem congregatam, in qua sint praelati, et subditi.

Primum, id ostenditur ex Scripturis, ubi aperte nominatur Ecclesia, Matth: 16. Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Cui similis est ille 1. Timoth. 3. Ut scias, quomodo te oporteat conver-

sari in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, columna, et firmamentum veritatis. In utroque loco agitur de Ecclesia visibili, ut ostendimus, et tamen audivimus ipsam veritatem asserentem, portas inferorum non praevalituras contra eam Ecclesiam.

Secundo, ex aliis locis, ubi aperta est promissio sine nomine Ecclesiae, Matth. ult. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saecuti. Quae verba ad Ecclesiam visibilem dicta sunt, nimirum ad apostolos, et discipulos caeleros, quos in die ascensionis sune Dominus alloquutus est; et cum illi homines non essent permansuri in corpore usque ad mundi consummationem, necesse est dicere hanc promissionem pertinere ad corum successores. Itaque hunc locum de Ecclesiae perpetua duratione intelligunt Leo I. in epist. 31. ad Pulcheriam Augustam, et Leo II in epist. ad Con-

stantiaum Augustum.

Praeterea Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores, et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum. in mensuram aetatis plenitudinis Christi; ubi apostolus docet, mansura'in Ecclesia ista ministeria pastorum et doctorum, et continuam aedificationem corporis Christi et proinde visibilem Ecclesiam, usque ad diem judicii. Nam quando sola esset in mundo Ecclesia invisibilis, non invenirentur ista ministeria, quae non possunt exerceri, nisi se pastores et oves agnoscant. Et notandum, quod licet veteres intelligant hunc locum de spirituali mensura corporis mystici; recentiores autem de corporali mensura corporum beatorum, quae dicunt futura tantae magnitudinis, quantae fuerunt vel fuissent in perfecta sua actate; tamen omnes intelligunt hunc locum de novissimis diebus, quando complebitur numerus electorum. Vide Augustin. lib. 22. de civit. Dei cap. 15. 17. et 18. ubi utramque explicationem tangit.

Praeterea psal. 47. Deus fundavit eam in aeternum; idest, Ecclesiam suam, quae est civitas ejus, et Augustinus exponit, et res ipsa clamat: nam totus psalmus est de fundatione Ecclesiae christianae, tamquam novae et visibilis civitatis. Incipil onim Magnus Dominus et laudabilis nimis. in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus: Fundatur exultatione universae terrae etc. Item Is. 61. (quod caput intelligi de Ecclesia novi Testamenti, docuit Christus Lucae 4. cum in synagoga citavit, et exposuit de adventu suo initium hujus capitis: Spiritus Domini super me etc.) sic habetur: Et foedus perpetuum feriam eis: et scietur in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedicit Dominus. Profecto tam est perspicuus hic locus, ut expositione non egeat. Quomodo enim invisibilis erit ille coetus, de quo dicitur: Omnes qui viderini eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixil Dominus.

Accedant tertio testimonia ex parabolis, quibus

omnium consensu significatur Ecclesia: Area enim in qua sunt grana et-paleae; et rete, in quo sunt boni et mali pisces; et ager, in quo sunt frumenta et zizania; et convivium, in quo sunt boni et mali discumbentes; et ovile, in quo sunt oves et hoedi, significat Ecclesiam visibilem, ut etiam haeretici fatentur. Nam Ecclesia invisibilis non habet malos et bonos, sed tantum bonos, secundum eoram sententiam. At eacdem parabolae docent, istam Ecolesiam visibilem numquam interituram usque ad diem judicii; nom Matth. 3. dicitur: Ipee permundabit aream suam, et triticum congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili, quod sine dubio non flet ante diem judicii. Et Matth. 13. dicitur: Simile utraque crescere usque ad messem. Et infra: Messis autem consummatio saeculi est. Et infra: Sic érit in consummatione sgeculi; exibunt angeli , et separabunt malos de medio justorum etc.

Quarte; probator ex Scripturis, quae lequuntur de regno Christi psalm. 88. Thronus ejus sicut Solin conspectu meo, et sicut Iruna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis. Ibidem: Et ponam in saeculum saeculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies coeli. Daniel. 2. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur: et regnum, ejus alteri populo non tradetur etc. Et Lucae 1. Et regni ejus non erit finis. Ista loca non possunt intelligi, nisi de vera et visibili Christi Ecclesia numquam interitura. Nam regnum Christi sine dubio est vera ejus Ecclesia. Neque regnum dici possunt aliquot homines occulti et dispersi, et separati ab invicem, qui se non noverunt, qualis est Ecclesia invisibilis Lutheranorum. Regnum enim est multitudo hominum congregatorum, qui se invicem noverunt.

Praeterea in psalm.88.ubi dicitur Christi regnum aeternum, dicitur etiam, quod in eo sint boni et mali, ac proinde, quod Ecclesia sit visibilis: Si autem dereliquerint filii ejus, inquit, legem meam, et justitias meas non custodierint etc. Visitabo in virga iniquitatem eorum, et in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo etc. Quem locum putebre exponit de flagellis Ecclesiae s. Cyprianus in serm. de lapsis. In illo etiam cap. 2.Dan. ubi dicitur, regnum Christi perpetuum; legimus quoque illud, regnum esse montem magnum implentem omnem terram, quem Issias cap. 2. et Mich. c. 4. vocabant montem manifestum, secundam LXX.

Quinto, probatur testimoniis veterum: Origenes et Chrysoslomus locis citalis id affirmant; sed charius Augustinus et Bernardus. Augustinus in ps. 401. concion. 2. disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem periisse dicebant, et in solis quibusdam justis in Africa remansisse: Sed, inquit, illa Ecclesia, quae fuit omnium gentium, jam non est, periit, hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem, illa non est, quia tu in illa non es. Vide,ne tu ideo non sis,nam illa erit, etsi tu non sis. Et infra Ecclesiam ita loquentem introducit: Quamdiu ero in isto saeculo? annuncia milii, propter illos, qui dicunt, fuit, et

jam non est, propter illos, qui dicunt: impletae sunt Scripturae, crediderunt omnes gentes. Sed apostatavit, et periit Ecclesia de omnibus gentibus. Et annunciavit, nec vacua fuit vox ista. Quis annunciavit mihi, nisi ipsa via? Quando annunciavit? Ecce ego vobiscum sum usqué ad consummationem saceuti. Similia habet in psal. 147. et libro de unitate Ecclesiae cap. 13. et 20. et slibi.

Neque responderi potest, loqui Augustinum de Ecclesia invisibili; mam illam non periisse, nec perituram; Donatistae admittebant, et ad se trabebant illud: Ego vobiscum sum usque ad consum-. mationem saeculi, ut Augustinus refert loco notato in psal. 101. Bernardus seran. 79. in Cant. in illud. Tenui eum. nec dimittam. denec introducam illum in domum matris meae: Ita est, inquit, et tunc, et deinceps non deficit genus christianims, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia. Venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in eam, et non cecidit, eo quod fundata esset super petram, petra autem erat Christus. Itaque nec verbositate philosophorum, néc cavillationibus haereticorum, nec gladiis persequutorum, potwit ista, aut poterit aliquando separari a charitate Dei etc. Nec possunt hacc intelligi de Ecclesia invisibili; nam iliam non persequuntur gladii tyrannorum, nec verbositas philosophorum, nec cavillationes fraereticorum. Itaque visibilis Ecclesia non deficiet. Accedat Vincentius Lyrinensis, qui in suo commonitorio tanquam errorem gravissimum reprehendit Nestorii sententiam, qui dicebat, totam Ecclesiam errasse in mysterio Incarnationis, eo quod caeces doctores seguuta esset.

Ultimo, probatur hoc idem naturali ratione. Primum enim si aliquando sola maneret in mundo Ecclesia invisibilis, aliquando etiam esset impossibilis salus iis, qui sunt extra Ecclesiam. Nam non possunt salvari, nisi in Ecclesiam ingrediantur; quemadmodum tempore Noe peribant necessario, qui non habebant adium ad arcam: at non possunt ingredi in Ecclesiam, quam ignorant, igitur non habent rimedium.

Praeterea, de ratione unius verae Ecclesiae est, ut sit visibilis, ergo si Ecclesia visibilis perit, nulla vera Ecclesia remanet.

Denique, vel homines illi occulti, qui Ecclesiam invisibilem constituent, profitentur palam fidem suam, et abstinent ab idolorum cultura, vel non; si profitentur, ergo non est Ecclesia invisibilis, sed maxime visibilis, sicut erat tempore martyrum; si pon profitentur, ergo nulla est Ecclesia; nam non est Ecclesia vera, in qua nulli sunt boni, et qui salventur; non autem sunt boni, nec salvantur, qui non confitentur fidem, sed ea in corde retentia, exterius profitentur perfidiam et idololatriam, cum ad Roman. 10. dicat apostolus: Corde creditur ad justiliam, ore autem confessio fit ad salutem. Et Matth. 10. Omnis, qui negaveril me coram hominibus, negabo eum coram Patre med. Ergo implicat contradictionem. Ecclesiam esse, et carere omnino forma visibili, nisi ponatur extra mundum, ubi numquam sit necessarium fidem confiteri.

#### CAPUT XIV.

## Ecclesiam non posse errare.

Superest ut probemns, Ecclesiam non posse errare ullo modo, etiam non apostatando a Deo. Est tamen prius paulo diligentius explicanda sententia adversariorum, et nostra.

Calvinus igitur dicit, istam propositionem, Ecclesia non potest errore, esse verau, si intelligatur cum duplici restrictione. Prima est, si Ecclesia non proponat dogmata extra Scripturam, idest, si rejiciat traditiones non scriptas, et solum proponat fideliter quae habentur in Scripturis. Si autem quaeras, an certi simus, quod Ecclesia proponet semper fideliter, quae sunt in Scripturis: Respondet. Ecclesiam semper proponere fideliter, quae habentur in Scripturis, in rebus necessariis ad salutem, non tamen in aliis, ac proinde semper remanere in

Ecclesia naevos aliquos errorum.

Secunda restrictio est, ut illud: Ecclesia non potest errare, intelligatur de sola Ecclesia universali, non autem extendatur ad episcopos, qui sunt Ecclesia repraesentative, ut nostri loquuntur; Quilibet enim episcopus gerit personam suac Ecclesiae particularis et proinde omnes episcopi gerunt personam tôtius Ecclesiae; ita habet Calvinus lib. 4.c. 8. § 11.12.14. et 15. majoris institutionis, et in minori institutione cap. 8. § 146. 148. 149. et 150. ubi tamen mendaciter et fraudolenter explicans sententiam nostram, dicit.nos asserere, Ecclesiam non posse errare, sive utatur verbo Dei, sive non; cum tamen ipse non ignoret, nos non loqui de verbo Dei absolute, sed lantum de verbo scripto, ac dicere, Ecclesiam non posse errare, sive proponat. quae habentur in Scripturis, sive dogmata extra Scripturam.

Nostra igitur sententia est, Ecclesiam absolute non posse errare, nee in rebus absolute necessariis, nec in aliis, quae credenda, vel facienda nobis proponit, sive habeantur expresse in Scripturis, sive non. Et cum dicimus, Ecclesiam non posse errare, id intelligimus tam de universitate fidelium, quam de universitate episcoporum, ita ut sensus sit ejus propositionis; Ecclesia non potest errare, idest, id quod tenent omnes sidèles tanquam de side, necessario est verum et de fide; et similiter id, quod docent omnes episcopi, tanquam ad lidem pertinens, necessario est verum et de side.

His explicatis, probatur hace veritas. Primo, de Ecclesia universa, ut continet omnes fideles, ac primum ex illo 1: Timoth. 3. Ecclesia Dei est columna et firmamentum veritatis. Respondet Calvinus, Ecclesiam dici columnam et firmamentum veritatis, quia conservat tanquam sidissima custos praedicationem verbi Dei scripti, non quod in nulla

re errare possit.

At contra, nam in primis hoc modo officinae librariorum essent columnae veritatis, quae diligentissime custodiunt omnes Scripturas. Deinde apostolus non meminit hic Scripturarum; sed simpliciter dicit, Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis. Praeterea, multo amplius est, esse columnam, quam simplicem custodem; nam columnae innititur domus, et ea remota, cadit. Sic igitur apostolus vocans Ecclesiam columnam veritatis. vult significare verilatem fidei, quoad nos niti Ecclesiae auctoritate, et verum esse quidquid Ecclesia probat, falsum quidquid illa improbat. Adde, quod etiam Ecclesia fuit columna, quando non erant Scripturae, ex quo sequitur, non dici columnam propter custodiam Scripturarum. Denique, si de custodia ageretur, melius arcae, quam columnae Paulus comparasset Ecclesiam; nec enim columnae, sed arcae libros custodiunt.

Praeterea secundo, Ecclesia gubernatur a Christo, tanquam a capite sponso sue et a Spiritu saneto, tanquam ab anima, ut patet Ephes. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius. Et Ephes. 4. Unum corpus, et unus Spiritus; Ephes. 5. Vir caput est mulieris, sicut Christus caput Ecclesiae. Ergo si Ecclesia in dogmatibus fidei, vel morum erraret, Christo et Spiritui sancto error tribueretur. Quocirca Joan. 16. Dominus ait: Spiritus veritatis docebit vos omnem véritatem.

Respondit Calvinus, Christum et Spiritum sanctum docere Ecclesiam omnem veritatem simpliciter necessariam, semper tamen relinquere aliquem naevum. Neque sequitur, tribui propterea Christo, aut Spiritui saneto errorem, sicut eis non tribuitur ignorantia, quae sine dubio aliqua est in

Respondeo: Sicut vir . qui est caput mulieris , non tenelur removere ab uxore omnem ignorantiam, tenetur tamen removere omnem errorem, ex quo magnum aliquod malum oriatur. licet uxor excusetur per ignorantiam; ita etiam Christus tenetur removere omnem errorem ab Ecclesia, ex quo magnum oritur malum talis autem est omnis error circa fidem. Nam magnum est malum, quod Ecclesia falsa fide Deum colat, cum praecipue cultus divious in fide, spe et choritate consistat, ut Augustinus docet in Enchiridio, cap. 3.

Tertio, obligamur sub anathematis poena, credere Ecclesiae in omnibus, ut patet Matth. 18. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus; et concilia omnia dicunt anathema non assentientibus Ecclesiae decretis: At iniquum osset, sub tam gravi poena obligari ad assentien-

dam rebus incertis, et interdum falsis.

Respondet Calvinus, ideo Christum jussisse, ut Ecclesiam audiremus, quin sciebat. Esclesiam nihil docturam extra verbum Dei scriptum. At contra, nam, ut omittam plurima, quae diximus in disputatione de traditionibus: vera Ecclesia docei, epistolam ad Romanos esse verbum Dei, epistolam ad Laodicenos non esse verbum Dei:et idem de evangelio Marci et Nicodemi. et similibus dici potest, quae nusquam scripta sunt, non igitur est verum, Ecolesiam nihil decere extra verbum Dei scriptum.

Quarto: Ecclesiam esse sanctam, docet symbolum apostolorum, ista autem sanctitas proprie in professione dogmatum consistit, ergo Christiana professio nihil continet, nisi sanctum. idest, verum. quoad fidei doctrinam, et justum, quoad praecepta morum. Et in hoc revera excellit omnibus professionibus philosophorum, ethnicorum, indaeorum. haereticorum: Omnes enim habent dogmata aliqua falsa admixta veris.

Quinto, si esset vera Calvini sententia, maxima pars dogmatum fidéi in dubium revocari posset; nam multa sunt de fide, quae non sunt absolute necessaria ad salutem. Sane credere historias Testamenti veteris, vel evangelia Marci et Lucae esse canonica seripta, immo ullas esse divinas Scripturas, non est omnino necessarium ad salutem: nam sine hac fide multi salvati sunt, antequam Scripturae scriberentur, et postea-tempore novi Testamenti, multae barbarae nationes; de quibus scribit Irenaeus lib. 3. cap. 4.At hoc est absurdissimum, necullo modo admitteret Calvinus posse dubitari de Scripturis; non igitur verum est, solum in rebus necessafiis ad salutem, Ecclesiam non posse errate.

Probatur ultimo éx Patribus, qui ut supra ostendimus, in quaestione de judice controversiarum. omnes ad Ecclesiam provocant in quaestiombus fidei quibuscumque; quod certe nullo modo facerent, si Ecclesiam falli posse existimarent, Terluilianus libro de praescript. Age, inquit, omnes Ecclesiae erraverunt, nullam respezerit Spiritus sanchus. Augustinus lib. 1. contra Cresconium, cap. 33. Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id factmus, qued universae jam placuit Ecclesiae, quam ipsarum Scripturarum commendat auctorilas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quaestionis, Ecclesiam de illa consulat quam sine ulla ambiguitate sancta Soriptura demonstrat. El Epist. 118. Disputare contra id, quod universa Ecclésia sentit, insolentissimae insaniae esse

Jam quod etiam Ecclesia repraesentative non possit errare, probatur primo, quia si omnes episcopi errarent, tota etiam Ecclesia erraret, quia tenentur populi sequi suos pastores, dicente Domino Lucae 10. Qui vos audil, me audil, el Mallb.23. Quaecumque dixerint, facite. Secundo ex epistola concilii-Ephesini ad Nestorium, ubi cogitur Nestorius, si Ecclesiae satisfacere velit, juramento confirmare, se ita sentire, ut sentiunt orientis et occidentis episcopi. Item ex Augustino lib. 1. de baptismo cap. 18. vacat decretum concilii generalis, Ecclesiae universae consensum: et merito, nam Ecclesia non docet nec decernit quidquam, nisi per suos pastores, sicut quodlibet corpus per suum caput. Undo etiam 3. Reg. 8. congregatio sacerdotum et seniorum vocatur omnis Ecclesia Israel. Et Chrysostomus exponit illud Malth. 18, -Dic Ecclesiae, idest, Praclato. Sed de his plura in materia de conciliis.

### CAPUT XV.

Solvuntur argumenta, quibus adstruitur Ecclesia invisibilis.

Superest, ut argumenta adversariorum diluamus. Ac primum, Ecclesiam esse invisibilem, his testimoniis probant. Hierem. 31. Dabo legem meam in cordibus corum, et ero ei ins Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Ubi Deus distinguit Ecclesiam povi Testamenti ab Ecclesia Testamenti veteris, quod illa fuerit coetus quidam externus, et propterea habuerit legem scriptam in tabulis externis, et lapideis; isla autem sit populus quidam interior, et propteres legem habeat scriptam in cordibus. Idem habetur Lucae 17. Regnum Dei non venil oum observatione. Neque dicent: Ecce hic. aut ecce illic.Ecce enim regnum Dei intra vos est. Et Joan. 4. Venit hora, et nûnc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Ergo Ecclesia novi Testamenti non consistit in aliquo signo exteriore, nec est alligata locis et caeremoniis corporalibus. Et Hebr. 12. Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accessibilem ignem, sed ad Sion montem, et civitatem Deiviventis etc. Ubi comparat synagogam monti Synai visibili et tangibili. Ecclesiam autem monti Sion, spirituali. Item 1. Petri 2. Et ipsi tanquam tapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo; at hacc domus est Ecclesia. Denique Ecclesiam esse, est articulus fidei, ergo non videtur Ecclesia, sed creditur.

Respondeo ad primum locum: Hieremiam non conferre Ecclesiam cum synagoga, sed Testementum novum cum veteri, ut eo loco patet: et quamvis Testementum novum proprie sit charitas, quae est lex in corde scripta, Testamentum vetus proprie sit doctrina exterior, sive lex scripta in lapidibus, tamen non sequitur, Ecclesiam novi Testamenti esse invisibilem. Ut enim corpus cujuslibet animalis visibile est. et tamen habet multa intus, quae non videntur, ut cor, bepar, spiritus vitales, et similia: ita Ecclesia visibilis habet multa invisibilia, fidem, spem, charitatem etc. Et quamvis haec dona invisibilia, sint necessaria in Ecclesia, et in sola Ecclesia, non tamen in omnibus ejus partibus; sicut sensua est necessario in animali, et selo animali, et tamen non est in omnibus ejus partibus.

Ad secundum dicó, per regnum Dei Lucae 17. intelligi vel gratiam, per quam Deus nunc regnat in cordibus hominum, ut exponit Theophylactus, vel ipsum Christum, ut Beda exponit; loquitur enim eo loco Christus de utroqué suo advento. Interrogaverant enim Pharisaei: Quando veniet regnum Dei, idest regnum Messiae? Dominus autem respondet, Messiam venisse, et rursum etiam venturum in die judicii. Itaque de advento primo ait: Regnum Dei non veniet cum observatione; ecce enim regnum Dei intra vos est, idest jam advenit Messias, jam praesens est. De secundo subjungit. Et dicent vobis: Ecce hic, aut ecce illic, nolite exire; sicut enim fulgur coruscat de sub coelo etc. ita erit adventus Filii hominis.

Ad tertium dico, eo loco doceri, praecipuum cultum Dei in Ecclesia internum futurum, sed non propterea sequitur, Ecclesiam ipsam esse invisibilem, ut jam diximus. Neque etiam sequitur, omnem cultum externum esse rejiciendum, et externa templa esse destruenda. Dominus enim

eo loco non agit de loco orationis, sed de modo et ritu. Si enim dicere voluisset, veros Dei cultores non amplius adoraturos Deum in Hierusalem, neque in monte Garizim, falsum dixisset. Constat enim Petrum et Joannem, post acceptum Spiritum sanctum, ascendisse in templum hierosolymitanum ad horam orationis nonam, ut dicitur in actis apostol. 3. Constat etiam, semper fuisse postea in Palaestina Christianos, qui Deum adoraverunt in Hierusalem, et in monte Garizim, et ubicumque eos esse contingebet. Loquitur ergo de ritu adorandi, sive orandi; et sensus est, neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem, idest, neque ritu Samaritanorum, neque ritu Judaeorum, sed ritu Christianorum adorabitis, qui ritus est adorare in spiritu et veritate. Qued duobus modis exponitur.

Chrysostomus, Cyrillus et Euthymius in hunc locum, opponunt illud: In spiritu, caeremoniis Judaeorum, quatenus corperales erant; illud: In veritate, iisdem caeremoniis, quatenus figurae et umbrae erant rerum futurarum. Theophylactus, d. Thomas, et Cajetanus opponunt illud: In spiritu, ritui Judaeorum, qui praecipue externus et corporalis erat; illud: In veritate, ritui Samaritanorum, qui falsus et erroneus erat; illi enim simul colebant Deum verum et deos falsos. Itaque Dominus dicit, ritum populi Christiani fore praecipue spiritualem, et simul verum ac purum ab omni errore, licet spiritualis ritus non excludat corporales caeremonias, quatenus prosunt ad spiritualem cul-

tum promovendum.

Ad quartum dico cum Chrysostomo, Theophylacto, d. Thoma, et alfis, apostolum ibi per mentem Sion spiritualem, et civitalem Dei viventis, non intelligere Ecclesiam militantem, sed triumphantem, quae ex beatis spiritibus constat. Confort eniam synagogam cum Ecclesia, ac dicit, homines Testamenti veteris accessisse ad montem Syna corporeum, ut aliquo modo per corporeas imagines ibi Deum viderent. At homines novi Testamenti accessisse non re, sed spe, ad montem Sion spiritualem, idest, ad gloriam beatorum, ubi Deus videtur facie ad faciem. Unde ibidem subditur: Et multorum millium angelorum frequentiam, et spiritus justorum et perfectorum etc.

Ad quintum respondeo: Duobus modis dici aliquid spirituale. Uno modo, secundum substantiam , quomodo Ephes. 6. dicuntur spíritualia nequitiae in coelestibus. Altero modo, secundum ordinationem ad Spiritum, quia ordinatur aliquid ad spiritum, vel spiritus in eo dominatur. Quomodo 1. Corinth. 2. dicitur homo spiritualis, et 1. Corinth. 15. corpus spirituale, quia spiritus co dòminatur, et ipsum ad metum spiritus movetur, et obedit sine ulla resistentia, et 1. Petr. 2. vocantur hostiae spirituales omnia bona opera, ut eleemosyna et jejunia quae ad spiritum ordinantur. B. Petrus èrgo cum dicit, Ecclesiam esse domum spiritualem, intelligit hoc secundo modo; vult enim, Ecclesiam non esse domum ex lignis et lapidibus, sed ex hominibus Deo consecratis aedificatam.

Ad sextum posset dici, in symbolo non poni tantum. Credo Ecclesiam, sed, Credo sanctam Ecclesiam. Porro sanctitalem Ecclesiae sine dubio invisibilem esse, Sed melius dico, in Ecclesia aliquid videri, et aliquid credi. Videmus enim eum coetum hominum, qui est Ecclesia, sed quod ille coetus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim Ecclesia est, quae profitctur Christi fidem. Quis autem evidenter seit, nostram fidem esse Christi? id quidem firma ac certissima fide credimus: sed aliud est credere, aliud videre: immo ipsum credere definitur ab apostolo, argumentum non apparentium.

Quod ut melius intelligatur, notandum est, omnem sententiam de fide nasci vel ex duabus propositionibus de fide, et tunc totain conclusionem inevidentem esse; vel ex una de fide , altera evidenti; et tunc conclusionem partim esse evidentem, partim inevidentem. Talis est ista conclusio: Isti homines, qui nune profitentur sidem sub romano pontifice, sunt Ecclesia Christi; nam oritur ex hoc syllogismo: Ecclesia Christi est coetus hominum profitentium Christi fidem, sub regimine legitimorum pastorum : sed isti qui subsunt hodie romano pontifici, sunt talis coetus; igitur sunt Ecclesia Christi. In quo syllogismo major est de side, et proinde inevidens. Minor est evidens; nam nihil ponimus in minore, quod non oculis, aut auribus percipiatur. Becte ergo inde infertur conclusió partim evidens, et partim incvidens.

Denique, res illa, seu (ut logice loquamur) incomplexum illud, de quo praedicatur Ecclesiae ratio ac definitio, visibile quiddam est; at complexum, seu connexio praedicati cum subjecto. sola fide tenetur. Nec desunt exempla, quibus hoc illustretur. Siquidem hominem illum, qui est Christus Dei Filius. apostoli videbant, et tamen illum esse Christum Dei Filium, non videbant, sed credebant. Unde Joan. 20. dictum est Thomae: Quia vidisti me. Thoma, credidisti. Et in symbolo dicimus: Credo unum baptisma, licet videamus, et sentiamus baptisma, idest, aquae aspersionem, et verborum prolationem. Non enim videmus, sed credimus illam aquae aspersionem, et verborom prolationem esse baptisma Christi, idest, sacramentum quoddam.

## CAPUT XVI.

Solvuntur argumenta, quibus adversarii probant, Ecclesiam posse deficere.

Jam quod Ecclesia possit desicere, et aliquando desiciat, probant his argumentis. Primo, initio mundi in solis Adame et Eva Ecclesia tota consistebat, saltem in virtute. At uterque sidem amisit, et a Deo apostatavit, ut patet tum ex Genes. 3. tum ex Patribus, Ambrosio libro de paradiso cap. 6. Augustino Enchirid. cap. 45. et

Prospero lib. de gratia Dei, contra collatorem, acte medium.

Secundo, tempore Moysis tota Ecclesia a Deo apostatavit. Nam Aaron summus pontifex proposuit vitulum adorandum, et totus populus clamavit: Hi sunt dii tui Israel, Exod. 32.

Tertio, tempore Heliae tota Ecclesia visibilis defecerat. Nam. 3. Reg. 19. Helias dicit: Relictus sum ego solus. Et Dominus ad eum: Reliqui mihi septem millia virorum in Isräel, qui non curvaverunt genua ante Baal, hos autem occultos fuisse non dubium est, cum eos ne Helias quidem cognosceret.

Quarto, ex Isaiae 1. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui. Israel autem me non cognovit. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in so sanitas. Et Hierem. 2. Confusi sunt domus Israel, ipsi et reges eorum.principes et sacerdotes, et prophetae corum, dicentes ligno: Pater meus es tu. Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me; dicit Dominus. Et 2. Paral. 15. Transibunt dies multi in Israel sine Deo vero, sine sacerdote, et doctore, et sinc lege.

Quinto, praedictum est, Ecclesiam istam visibilem cessaturam Daniel. Q. Deficiet hostia, et sacrificium; Lucae 18. Filius hominis cum venerit. pulas inveniet fidem in terra; 2. Thessal. 2. Nisi venerit discessio primum, et revelatus fueril homo peccati. Itaque nobis Calvinus dictum esse existimut id, quod legimus Hierem. 7. Nolite confidere in verbis mendacii: dicentes: Templum Domini, templum Domini. Ut enim antiqui illi Judaei non credebant prophetis praedicentibus desolationem, quia videbant se habere templum Domini, et externas caeremonias; ita nos gloriamur, quod habeamus antiqua templa episcoporum suecessiones, apostolicam sedem, et interim non altendimus ad Scripturas, quae nobis desolationem aperle praedicunt.

Sexto, concillum basileense generale deposuit Eugenium tanquam haereticum, et omnes ei adhaerentes, et elegit Felicem. Deinde Jamen concilio concluso et soluto, iterum Eugenius in sedem irrepsit sine ulla canonica electione, et ab eo nati sunt quolquot postea fuerunt papae, et cardinales et episcopi ; Ergo saltem ab eo tempore Ecclesia romano pontifici. adhaerens, non fuit vera Ecclesia, et cum nulla fuerit alia visibilis, sequitur, visibilem Ecclesian periisse. Hoc. argumentum Calvinus in praefatione Institut. ponit in ultimo loco tanquam fortissimum, et addit haec verba: Hic deprehensi haereant necesse est, aut igitur aliter Ecclesiam definiant, aut omnes a nobis schismatici habebuntur.

Septimo, proferunt Patrum testimonia, ac primam Hilarius libro contra Auxentium, circa finem: Male, inquit, vos parietum amor coepit; mule Ecclesian Del in tectis, aedificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingerilis; monles mihi, el lacus, el carceres, el voragines sunt lutiores. Ubj dicit, adeo suo tempore fuisse obscuratam veram Ecclesiam, ut solum in latebris et cavernis invenirelur. Deinde Mieronymus in dialogo contra Luciferianos de eodem tempore loquens: Ingemuil, inquit, totus orbis, et se Artanum esse miratus est. Item Basilius epist. 69. et 70. et Bernardus serm. 33. in Cantica, ita deplorant vitia praelatorum omnium sui temporis, ut salis ostendant, eo tempore omnes declinasse in viam suam, et nullam fuisse visibilem Ecclesiam. Desigue Chrysostomus homil. 49. in Matthaeum, docet, interdum nullum esse visibile signum, quo vera Ecclesia cognoscatur, et ideo tunc solam ad

Scripturas esse recurrendum.

Respondeo ad primum: Si primos parentes peccasse, est Ecclesiam defecisse, tunc non solum visibilem, sed eliam invisibilem Ecclesiam defecisse, quod est contra adversarios. Dico secundo. tune non fuisse Ecclesiam. Nec enim duo homines sunt Ecclesia, sed tantum fuisse initium Ecclesine, et initium tam materiale, quem formale. Nam Adam fuit principium Ecclesiae materiale, quia primus omnium suit de Ecclesia; suit etiam formale principium, quia suit caput sive doctor et rector populi Dei, dum vixit. Porro caput Ecclesiae non polest quidem errare docendo falsam doctrinam, tamen potest errare male vivendo, et male etiam sentiendo, ut privatus homo, atque hoc tantum videmus accidisse Adamo; male enim aliquando vixit, et forte etiam male de Deo sensit, tamen non male docuit.

Ad secundum, de peccato Aaronis et populi in cultu vituli aurei, dico, co tempore neque caput. neque corpus Ecclesiae defecisse; nam caput erat solus Moyses, quem certum est non errasse. Aaron siquidem nondum erat pontifex; nam postea factus est, ut patet Exodi 40. Non étiam corpus defecit, nam omnes Levitae immunes fuerunt ab eo peccato, ut patet ex eodem trigesimosecundo capite, ubi Moyses dicit: Si quis est Domini, jungalur mihi, congregatique sunt ad eum omnes

Ad tertium, de tempore Heliae, negatur consequentia et antecedens hujus argumenti. Consequentia quidem, quia non est endem ratio populi Judaeorum et populi Christienorum. Nam populus Judaeorum non erat Ecclesia universalis, ut est populus Christianorum, sed particularis, et propterea etiam extra illum populum inveniebantur fideles et justi, ut Melchisedech, Job, et postea Cornelius, Centurio, et eunuchus Candacis reginae, et alii nonnulli. Ilaque etiamsi universa synagoga Judaeorum defecisset, non continuo omnis Ecclesia Dei in terris defecisset. Sed antecedens etiam negatur. Non enim ostendi polest, unquam synagogam Judaeorum defecisse omnine usque ad Christi adventum, quo tempore etiam non tam defecit, quam mutata est in melius.

Ad illud ergo de Helia dico, Heliam non loqui de omni populo Judaeorum, sed solum de illa parte, quae subjecta erat regi Samariae. Constat enim ex codem lib. 3. Regum, tempore Heliae regnasse in Hierusalem Asa, et post eum Josephat optimes reges, et sub ipsis suisse in Hierusalem populum el sacerdotes manifestissime in vera religione persistentes. Unde Dominus, cum ait: Beliqui mihi septem millia virorum, addidit; In Israel.

Digitized by Google

Israel enim tunc dicebantur ii, qui erant sub rege Samariae, sicut ii, qui erant sub rege Hierusalem, dicebantur Judas. Ex quo apparet evidenter, deceptum esse Philippum Melunchtbonem, qui in Locis communibus, cap. de Ecclesia, dicit, tempore Heliae Ecclesiam fuisse in solo Helia, et Helisaeo, et paucis sacordotibus. Quem etiam in errore sequutus est Calvinus praefatione Institutionum, qui boc argumento de Helia praecipue nititur.

Ad quartum respondet Augustinus libro de unitate Ecclesiae cap. 12. et libro contra Donatistas, post collationem cap. 20. ubi docet, prophetas et apostolos interdum reprehendere universum populum, quasi nemo ibi sit bonus, cum tamen permulti sint boni, et e contrario interdum consolari oinnes, quasi omnes sint boni, cum constet ibi multos esse malos Ezech. 3. dicitur: Omnis domus Israel altrita fronte est. et duro corde. Et tamen cap. 9. dicitur: Signa Thau super frontes virorum gementium, et dolent um super cunctas abominationes, quae frunt in medio ejus. Ad Galat. 3. O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati? Et tomen cap. 6. ait: Fraires, etsi praeoccupatus fuerit komo in aliquo delicto. vos qui spirituales estis. hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. Ad illud ex Paralypomenon repondeo, inprimis solum intelligi de regno Israel. non de regno Juda. Deinde fortasse loqui Scripturam de tempore, quod erat futurum post Messine adventum; Nunc enim transeunt dies multi in Isräel sine Deo, sine sacerdote, sine lege.

Ad quintum dico, nos non gloriari in templis, et successione episcoporum, et apostolica sede secundam se, sed propter Christi promissionem, qui nit: Tu es Petrus; et super hanc petram etc. Et portae inferi non praevalebunt etc. Qualem promissionem Judaei numquam habucrunt. Negue verum est, alicubi in Scripturis praedictam esse Ecclesine ruinam, sed potius contrarium ubique. Quare ad illud Danielis, etsi Hilarius can. 23. in Matthaeum, et Hyppolitus, atque Apollinarius apud Hieronymum in cap. 9. Danielis, intelligunt eam prophetiam de tempore Antichristi, tamen sine dubio decepti sunt. Loquitur enim Daniel apertissime de eversione Hierusalem, et cessatione sacrificii Judaeorum. Sie enim exponunt Chrysostomus, et Theophylactus, et Hieronymus in c. 24. Matthaei, Augustinus epist. 80.ad Esychium, necnon Eusebius lib. 8. evangel. demonstr. cap. 2. Clemens alexandrinus lib. 1. Stromatum. Tertullianus libro contra Judacos cap. 5. alias 8. et communis opinio Hebraeorum, ac Julius africanus apud Hieronymum in cap. 9. Danielis.

Et hanc solutionem coguntur admittere haeretici. Nam ipsi dicuat, nunc esse tempora Antichristi, et fuisse jam a multis saeculis, et tamen non cessavit hostia et sacrificium. Ergo debent intelligere huno locum Danielis non de tempore Antichristi, sed de eversione Hierosolymae, quod same ex evangelio evidenter colligitur. Quod enim Matthaeus cap. 24. ait: Cum videritis abominationem desolationis, quae dieta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit in-

telligat. Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes. Idem sic exposuit Lucas cap. 21. Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio e-jus; Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes.

Ad illud Luc. 28. Putas inveniet fidem in terra? dico, Dominum non loqui de fide simpliciter, sed de eximia quadam fide, quae in paucis reperitur, et in paucissimis reperietur in ultimis diebus. Ita exponunt Hieronymus in Dial. contra Luciferianos, et Augustinus lib. de unitate Ecclesiae c. 13. vel dicamus cum Theophylacto, loqui Dominum de fide absolute, et velle dicere paucos futuros fideles tempore Antichristi, non tamen nullos, nec tam

paucos, ut non fuciant Ecclesiam.

Ad illud Pauli dico, discessionis nomine, vel intelligi ipsum Antichristum, ut Chrysost. Theodor. Occumen. Theophyl. et August. lib. 20. de Civitat. Dei cap. 19. exponunt, quem volunt appellatum discessionem per metonymiam, quia erit caussa, ut multi discendant a Christo; vel defectionem a romano imperio, ut Ambrosius, Sedulius et Primasius exponunt, quae est valde probabilis sententia: vel demum discessionem ab Ecctesia non generalem, sed particularem. idest, non omnium, sed multorum, vel omnium quidem, sed occultorum haereticorum. Ut enun pulchre exponebant quidam veteres apud August. lib. 20. de Civit. Dei cap. 19. sicut modo multi, qui aliquandiu fuerunt in Ecclesia ficto animo, tandem aperte discedunt per manifestam haeresis professionem, ita veniente Antichristo, omnes prorsus, qui tunc invenientur in Ecclesia occulti haeretici, ab Ecclesia discedent, et Antichristo se adjungent.

Ad sextum dico: Basileense concilium initio quidem fuisse legitimum. Nam et legatus aderat romani pontificis, et episcopi plurimi. At quo tempore Eugenium deposuit et Felicem elegit, non fuit concilium Ecclesiae, sed conciliabulum schismaticum, seditiosum, et nullius prorsus auctoritatis. Sic enim appellatur in concilio lateranensi ultimo, sess. 41. et proinde Eugenius semper fuit verus pontifex, et mendacium est apertissimum Calvini, qui dicit, hoc concilium usque ad finem perdurasse in eadem auctoritate et digni-

Nam in primis, quo tempore concilium in pontificem sententiam pronuntiare ausum est. non erat in concilio legatus pontificis, et episcopi praecipui omnes discesserant; sed cardinalis quidam arelatensis assumpserat sibi munus praesidendi, et quia episcopi paccissimi erant, introduxerunt in synodum ingentem multitudinem presbyterorum, ita ut contra omnem formam antiquorum conciliorum, non episcoporum, sed presbyterorum synodus esset.

Deinde eodem tempore agebatur Florentiae concilium alterum, in quo praesidebat summus pontifex, et cum eo sedebant episcopi latini et Gracoi sine comparatione plures, quam essent basileenses, et una cum episcopis aderat imparator Graecorum, et legatus imperatoris Latinorum, ut nullo modo dubitari-posset, utrum ex duobus esset verum concilium Ecclesiae generale.

Tertio, Deus quoque sententiam suam dicere volens, tam borribili peste Basileam tunc affligebat, ut major pars eorum Patrum, qui ibi erant, vel extincti; vel secedere coacti fuerint. Quae omnia refert Aeneas Sylvius in historia concili basileensis, cui ipse interfuit, et quam ediderunt nuper haeretici basileenses, tanquam sibi faventem, propter damnatum Eugenium, cum revera illis plurimum noceat. Adde, quod concilium basileense Lausannae continuatum, subjecit se Nicolao, ut patet ex apistola Nicolai V.

Nunc ad loca Patrum. Ad Hilarium dico primo, id quod respondit olim August. epist. 48. Donatistis idem testimonium oblicientibus, Ecclesiam quidem interdum obscurari multitudine scandalorum, sed ita tamen, ut etiem tunc in suis firmissimis emineant, sicut revera eo tempore, de quo loquitur Hilarius, eminebat Ecclesia in Julio, Athanasto, Hilario, Eusebio vercellensi, ac deinde in Damaso. Ambrosio, Basilio, Gregorio nazianzeno, aliisque non paucis firmissimis, atque constantissimis Ecclesiae columnis.

Dico secundo, Hilarium loqui eo loco tantomo de Ecclesia mediolanensi; in qua multi simplices venerabantur. Auxentium, ut catholicum, cum tamen esset arianus. Nam mira calliditate agebat Auxentius, ut ab Arianis agnesceretur Arianus, et tamen a multis simplicibus crederetur catholicus. Vult igitur Hilarius, non esse credendum Auxentio, etiamsi episcopus videretur, et in templo concionaretur, et melius esse, in carceribus et speluncis manere cum recta-fide, quam in templo Dei cum haereticis.

Hoc autem, quod dicitur de una civitate, una basilica et uno episcopo, non potest trahi ad Ecclesiam universam. Potest enim fleri, ut unus episcopus in una urbe, et uno templo doceat haeresim, non tamen ut omnes episcopi in omnibus urbibus et templis mundi totius idem faciant.

Ad locum Hieronymi respondeo, in verbis Hieronymi duas esse figuras; quam intellectionis, cum ait: Ingemuil orbis: vocat enim orbem ma. gnam partem orbis, non tolum orbem; alteram abusionis, eum alt Arianum se esse miratus est, vocat enim Arianos improprie eos, qui per ignorantiam subscripserant haeresi. Loquitur enim de illa multitudine episcoporum, qui ex toto orbe convenientes Arimini, ab Arianis decepti. decreverunt . tollendum esse nomen όμούσιος, quod quid significaret, non intelligebant: qui sine dubio non sue runt kaeretici, nec errantes, nisi materialiter. Quemadmodum si quis nostrum blasphemam sententiam proferret lingua extranea, putans esse piam aliquam precationem, non proprie blasphemus dici posset i Quocirca iidem episcopi, ut admoniti sunt, et fallaciam agnoverunt, continuo errorem etiam correxerunt, et eum lachrymis poeniteatism egerunt blasphemise, licet sola lingus prolatee, et tum videlicet ingemuit orbis, el se Arianum esse miralus est.

Ad Basilium dice, eum non deplorare in illis

epistolis vitia catholicorum, sed miseriam Ecclesiae, propter infestationem haereticorum; Quae enim dicuntur eo loco adversus episcopos, non dicuntur adversus episcopos catholicos, at Brentius pulavit, sed adversus episcopos arianos.

Et sans credibile est, Brentium non ex ignorantia, sed ex malitia peccasse. Nam ibidem, ut apud episcopos catholicos doceat non esse veram Ecclesiam, refert ex lib. 11. Ruffini hist. Ecclesiast. cap. 6. Moysem eremitam sanctum noluisse ullo modo ordinari ab episcopo alexandrino, qui erat post romanum pontificem primarius patriarcha.

At in codem libro et capite Ruffinus dicit, illum episcopum alexandrinum fuisse arianum, et saevissimum persequutorem catholicorum, et propterea Moysem noluisse ab eo, sed ab aliquo catholico ordinari; ita ut nulla ratione fraus et impudentia Brentii tegi, vel excusari queat.

Ad Bernardum dico, eum reprehendere vitia morum, non vitia doctringe, et non propterea credidisse, episcopos illos malos non fuisse vere episcopos. Ipse enim serm. 66. in Cantica refellit ex instituto apostolico haereticos, qui dicebant, episcopos malos non esse episcopos.

Ad Chrysostomum jam responsum est supra, verba illa desumota esse ex opere imperfecto, quod vel habet auctorem haereticum Arianum, vel fuit ab haereticis depravatum. Vide homil. 48. Ubi aperto vocat haereticos homousianos.

## CAPUT XVII.

Solvuntur argumenta, quibus adversarii probant, pastores Ecclesiae omnes simul errare posse.

Qued Ecclesia vel saltem omnes pasteres Ecclesiae simul errare possint, probant primo, quia tempore Michaeae, prophetae omnes, qui erant 400. excepto Michaea, erraverunt, ut patet lib. 3. Reg. 22. et proinde Ecclesia, quae illos sequebatur, ut debebat, decepta fuit. Secundo. Isaiae 56. Speculatores ejus caeci omnes nescierunt universi etc. Tertio, in passione Domini summus sacerdes cum omnibus sacerdetibus, et senioribus populi condemnaverunt Christum esse reum mortis. Marc. 44. et totus etiam populus, a sacerdotibus seductus, clamavit ad Pilatum: Crucifige eum. Marc. 15. Eodem tempore apostoli omnes fidem amiserunt; nam Dominus Marc. ult. Exprobravit incredulitatem corum, et duritiem cerdis etc. Et Matth. 26. ait: Omnes vos scandalum patiemini in me.

Adde, quod non desunt etiam catholici, qui dicant in passione Domini non mansisse veram fidem, nisi in sanctissima Virgine Maria, idque significari credunt una illa candela, quae sola accensa conservator, in triduo ante pascha in officio noclasso. Ita Alexander Aleneis 3. parte quaest, ult. artic. 2. et Joannes de Turrecremata, lib. 1. de Ecclesia cap. 30. et lib. 3. cap. 61. Sed haec satis levia sunt, nec magno negotio refellentur.

Ad primum dico, illos 400. prophetas manifeste fuisse pseudoprophetas, neque id ignorasse. vel ipsum Achab, qui eos consulebat. Nam ibidem cum diceret rex Josephat: Non est kie aliquis propheta Domini, per quem interrogemus Dominum? Respondit Achab: Remansit unus, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi nisi malum. Certe si quis nunc in media Saxonia consuleret 400. ministros lutheranos de fide justifificante, et postea unum catholicum, non esset mirum, si major pars erraret. Et sicut nunc non secuttur totam Ecclesiam errare, etiam si errarent 400. ministri lutherani, quia praeter Saxoniam, et vicina quaedam loca, sunt alia multa, ubi vera fides praedicatur, ila non sequitur omnes doctores Judaeorum tempore Achab errasse, etiam si erraverint 400. prophetae, qui in Samaria erant. Nam praeter eos prophetas erant in Judaea multi alii prophetae, et (quod potissimum est) erant sacerdoles in Hierusalem, quibus ex officio incumbebat respondere ad consulta de lege Domini.

Ad secundum dico: Verba illa prophetarum esse figurata, et dirigi quidem ad omnes, non tamen revera intelligi débere de omnibus, sed de multis, ut supra diximus.

Ad tertium dico, sacerdotes et pontifices non habuisse privilegium non errandi in docendo populo, nisi usque ad tempora Christi, Christo autem praesente et docente parum oberat illorum error. Immo hoc videtur praedictum per Hieremiam c. 18. cum ait: Peribit lex a sacerdote, verbum a propheta, consilium a sapiente. Quamvis propter honorem sacerdotii Deus providit, ut sententia pontificis Caiphae in aliquo sensu, licet a Caipha non intento, esset vera et justa. Nam Joan. 11. dicitur, quia erat pontifex anni illius, prophetavit, de qua re plura diximus in lib. 2. de conciliis.

Quod ad populum attinet, qui clamavit: Crucifige, dico eum populum non fuisse omnes Judaeos: sed aliquos tantum, et forte minorem partem; nam in ipsa urbe Hierusalem erat Nicodemus et Joseph ab Arimathea, et multi alii, quibus id displicebat, et extra Hierusalem in lota reliqua Judaea, et in toto orbe terrarum erant plurimi Judaei dispersi, qui nihit sciebant de morte Christi, et proinde in vera fide, et religione permanebant.

Ad illud de apostolis dico primo, apostolos tune non suisse episcopos nisi designatos, ut patet, sed solum partes Ecclesiae materiales, quae errare possunt, neque in eis solis Ecclesia consistebat. Nam status Ecclesiae Christianae cum obligatione ad ingrediendam in eam incepit in die pentecostes, quando peractis omnibus mysteriis redemptionis coeperant apostoli in Hierusalem publice promulgare sidem Christi, et baptisma. Itaque etiam si apostoli omnes tempore passionis Christi errassent circa sidem, nihil obsaiset equium error Ecclesiae universali.

Dico secundo, non esse probabile quod apostoli fidem amiserint. Nam non leguntur reprebensi, nisi de fide resurrectionis, illam autem non potuerunt amittere, cum eam non habuerint, nisi postquam Dominus resurrexit; Etsi enim antea Christus saepe illis praedicaverat se resurrecturum, tamen ipsi putaverant eum loqui figurate, et non intellexerant, neque crediderant. Siquidem Lucie 18. cum dixisset Dominus: Occident eum, et tertia die resurget. Subjungit Lucas: Et ipsi nihil horum intellexerunt, et crat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant, quae dicebantur. Et Joan. 20. legimus, Petrum et Joannem, audito a Magdalena sublatum esse corpus Domini de monumento, mox cucurrisse ad monumentum, et visis linteaminibus et sudario credidisse, nimirum Christi corpus fuisse ab aliquo sublatum: Nam, inquit Joan. nondum sciebant Scripturas, quia oporteret eum a mortuis resurgere, idest, ideo crediderunt ab aliquo sublatum, quia non sciebant eum debuisse resurgere. Praeterea Lucae 22. dictum est Petro; Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Quomodo igitur credibile erit eadem nocte sidem Petri defecisse, ita ut non salțem in corde ejus remanerel; nam quod in ore non permanseril certam est. Denique, Maria Magdalena summa charitate flagrabat in illo triduo, ut patet ex Joan. 19. et 20. nt sine fide non potest esse charitas, ergo non amiserat Magdalena fidem in Christum', quam ante habuerat, ergo non in sola b. Virgine fides permansit.

Quod autem dicitur Marci ultimo: Exprobravi incredulitatem, non significat eos amisisso fidem, quam habuerant, sed tardos fuisse ad credendum quod nondum crediderant, quod quidem aliquod peccatum fuit, sed non proprie infidelitats. Illud vero Matth. 26. Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista, significat peccatum, quod commiserunt apostoli fugiendo, et mimis timendo, et vacillando, etiam circa fidem, ex occasione dominicae passionis; nec enim omnis vacillatio est infidelitas, sed solum vacillatio deliberata

Miror antem Joannem de Turrecremata, qui propter argumentum levissimum de candela, dicit esse contra fidem universalis Eculesiae asserere non in sola b. Virgine mansisse fidem in die passionis Domini. Nam Rupertus lib. 5. de divin.offic. c. 26. dicit ultimam candelam tempore suo consucvisse etiam extingui. Et addit cap. 28. illis tribus noctibus post omnia lumina extincta, iterum postea ex lapide novum ignem accendi solitum; et quidem per omnia lumina, quae paulatim extinguebantur, significari prohetas, quos diversis saeculis Judaei occiderunt, et illos occidentes sibi ipsis tenebras mentis faciebant: per ultimam vero significari Christum, quem cum occiderunt, sibi ipsis tenebras densissimas pepererent; Per novum autem lumen., quod singulis illis tribus noctibus ex lapide excutiebatur, significari novum lumen Christianorum, quod ex lapide Christo a Judaeis percusso in mentibus nostris ortum est.

Quad si neglecta consuctudine, antiquae Focle:

siae vim faciant in eo usu, qui nunc est, ultimam candelam non extinguendi: potest cum Abulensi responderi quaest. 14. prologi in Matthaeum, per illam candelam significari beatam Virginem, in qua sola, ut pie creditur, fuit in illo triduo fides explicita resurrectionis. Ex quo tamen non sequitur in aliis fuisse errorem, vel infidelitatem, quia non tenebantur credere explicite resurrectionem, nisi post legitimam ejus promulgationem, et pro-

bationem; et praesertim illi, qui aberant a Hierusalem, et nihil de Christo audierant. Et sane videtur periculosum dicere in sola Virgine mansisse veram fidem; tum quia Ecclesia periisset, non enim una persona potest dici Ecclesia, cum Ecclesia sit populus et regnum Dei; tum etiam quia tunc illi qui aberant a Hierusalem, et usque ad illud tempus habuerant veram fidem, mox illam amisissent sine sua culpa.



### LIBER QUARTUS

DE

# NOTIS ECCLESIAE

#### CAPUT PRIMUM

Tractationem de Notis Ecclesiae utilissimam esse.

Superest Controversia de Notis verse Ecclesiae, quae controversia utilissima est; Omnes enim confitentur, in sola vera Ecclesia esse veram fidem, veram peccatorum remissionem, veram spem salutis aeternae, adeo ut Cyprianus de simplicitate praelatorum dicat. Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes notuerumt. Ardeant licet flammis, et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed poena perfidiae: occidi talis potest, coronari non potest.

Similia docent omnes Patres, nec baeretici ea negant; Nam idcirco omnis haeresis ad se solam trabit veram Ecclesiam, et alios omnes extra Ecclesiam ponit, ut his verbis Lactantius docet lib.4. cap. ult. divinarum institutionum: Sola catholica, inquit, Ecclesia est, quae verum cultum retinet. Hic autem est fons veritatis, hoc est, domicikium fidei, hoc templum Dei, quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, a spe vilae, ac salutis aeternae, alienus est. Sed tamen singuli quinque haerelicorum coctus se potissimum Christianos, et suam esse catholicam Ecclesiam putant. Itaque si in hac controversia conveniremus. relique omnes facile componerentur. Duo igitur tractanda sunt. Primo resellenda sententia haereticorum hujus temporis de notis verae Ecclesiae. Secundo explicanda et defendenda sententia catholicorum.

#### CAPUT II.

#### Refellitur sententia haereticorum.

Quantum ad primum, Lutherus in libro de conciliis et Ecclesia, in ultima parte libri proponit has septem notas. Primo, veram, et incorruplam pracdicationem evangelii. II. Legitimam administrationem baptismi. III.Legitimum usum eucharistiae.
IV. Legitimum usum clavium. V. Legitimam electionem ministrorum, qui doceant et sacramenta
ministrent. VI. Orationem publicam, et psalmodiam, et catechismum, sed lingua, quae intelligatur ab omnibus. VII. Mysterium crucis, idest,
tribulationes intus et extra, ita ut intus sit moestitia, pusillanimitas, terrores; foris, paupertas, contemptus, et ut habeantur ab hominibus haeretici,
cacodaemones, catharmata.

Notandum vero est, Lutherum valde cavisse ne ullam notam reciperet earum quae sunt in symbolo constantinopolitano, cum tamen omnia vetera concilia per eas notas, maxime per apostolicam Ecclesiam se discerni vellent ab omnibus sectis. Porro caeteri solent duas tantum proponere, quae complectuntur primas quinque notas Lutheri, idest, praedicationem sinceram verbi Dei, et sincerum usum sacramentorum; et ex his duabus quaelibet secta probat apud se esse veram Ecclesiam. Ita docet Confessio Augustana, art. 6. et in apologia ejusdem; item Brentius in Confessione Wirtembergensi capite de Ecclesia, et Joannes Calvinus in Institut. lib. 4. cap. 1. § 9. 10. et 11. Centuriatores, Cent. 1. lib. 1. cap. 4. col. 173. et 174. et Cent. 1. lib. 2.cap. 4. column. 379. 380. et 381. his duabus addunt alias duas, quae possunt reduci ad quintam, et septimam Lutheri, idest, constantiam in confessione fidei, sive perseverantiam; et obedientiam erga ministros verbi, quatenus verbum ipsum administrant.

Hae notae non sunt ullo modo sufficientes. Nam in primis non declarant, quae sit vera Ecclesia secundum haereticos, nisi probabiliter; non enim hinc scire possumus, qui sint electi, vel justi, et potius discimus, ubi lateat Ecclesia, quam quae sit. Praeterea, neque hoc sufficienter declarat. Id quod de singulis facile probari potest.

Ac primum de prima, tribus rationibus. Primum

enim, notae debent esse propriae, non communes. Si enim velim designare tibi certum hominem, quem numquam vidisti, ut mox atque eum videris, discernas ab uliis, non debeo dicere, est quidam qui habet duos oculos, duas manus etc. nam haec sunt communia omnibus. Neque etiam debeo eum designare per notas, quae licet sint ei propriae secundum rem, tamen non sunt propriae opinione aliorum, cum multi sibi illas vendicare soleant. Sic enim numquam ille, qui quaeritur, inveniretur.

Jam vero sincem praedicatio veritatis est nota communissima omnibus sectis, saltem opinione ipsarum. Nam vel debet esse praedicatio pura ab omni errore, vel solum ab essentialibus, et fundamentalibus; Si detur primum, ex hac ipsa nota colligemus, apud nullos Lutheranorum esse Ecclesiam; nam ipsi fatentur suas Ecclesias non-carere naevis. Lutherus libro de Ecclesia clare dicit, verbum Dei esse netam, licet alias megis, alias minus pure praedicetur; et Calvinos idem fatetur. lib. 4. Inst. c. 1. § 12. Si secondum, jam erit nota communis multis sectis. Certe Lutherani et Zwingliani non dissentiunt de fundamento praecipuo fidei, ut' de Trinitate et Incarnatione. Immo etiam Pelagiani veram Ecclesiam habuissent, qui in primariis articulis, antequam Nestorianos peperissent. non dissentiebant. Unde Miam Coclestinus apud Augustinum lib. 2. de peccato originali cap. 22. hac ratione consbitur ostendere se non esse extra Ecclesiam; et tamen Lutherani et Calvinistae nullos magis execrantur, quam Pelagianos; et nos immo potissimum ponunt extra Ecclesiam, quia Pelagianus putant.

Praeterea hoc secundo modo, etiamsi reipsa aliquibus non convenint haec nota, ut Anabaptistis, tamen omnibus convenit opinione sua. Quae enim secta unquam fuit, quae non diceret se habere sinceram praedicationem verifatis? Certe Augustinus lib.contra epistolam fundamenti cap. 4. dicit, catholicam quidem Ecclesiam multis notis facile cognosci, sed haereticos nihil habere nisi veritatis pollicitationem, idest, quod apud se sit vera, et sincera

praedicatio.

Secundo, Notae debent esse notiores en re, cujus sunt notae, aliqui enim non sunt notae, sed ignotae. Jam adversarii non volunt solum externam
praedicationem verbi esse notam Ecclesiae, sed
praedicationem et receptionem. Ibi enim dicunt
esse veram Ecclesiam, ubi praedicatur, auditur et
creditur verbum. At quis nosse potest, ubi vere credatur verbum? Praeterea etiam de externa praedicatione. Sine dubio notius est, quae sit vera Ecclesia, quam quae sit vera praedicatio verbi; nam id
ab Ecclesia discimus, ut Irenaeus, Tertullianus,
Augustinus, et omnes veteres docent.

Irenarys lib. 3. cap. 4. Quid enim, inquit, et si de aliqua modica quaestione disceptatio orta fuisset nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, et ab eis sumere de praesenti quaestione, quod certum et re liquidum est? Tertullianus libro de praescript. Quid inquit, praedicaverint apostoli, quid illis Christus revelaverit, et hic perscribam non alter probari debere, nist per easdem Ecclesias, quas ipsi apostoli condi-

derunt: si hace ila sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis, Ecclesiis apestoticis.et matricibus, et originalibus fidei conspiret, verituti deputandam, reliquam vero omnem de mendacip praefudicandam.

Idem ratione ostenditur; nam vera praedicatio. est praedicatio, et interpretatio verae Scripturae divinae; Quae sit autem vera Scriptura, et quis eius verus sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio verae Ecclesiae, ut Augustinus docet, lib. contra epist. fundamenti, cap. 5. et lib. de utilitate credendi, c. 14. et ipse quoque Brentius in Confessione Wirtembergensi, cap. de Scriptura, qui confitetur Ecclesiam habere jus testificandi de vera Scriptura, et etiam interpretandi veram Scripturam; et Calvinus, lib. 4. cap. 1. § 5. vult Ecclesiam esse fidelem custodem verbi Dei, et Philippus in Locis. capite de Ecclesia. requirit testimonium verae Ecclesine ad dirimendas lites. At prius debet esse nolus custos thesauri, quam thesaurus; et doctor. quam doctrina, cum a doctore petatur doctrina non contra. Ergo potius Eoclesia est nota verae praedica. tionis, quam vera praedicatio sit nota verae Eccle-

Tertio, verae Notae sunt inseparabiles a vera Ecclesia, sed Ecclesiae Corinthiorum: et Galatarum, ad quas scribebant Paulus, verae Ecclesiae erant, et tamen ibi non erat aliquando sincera praedicatio verbi, ut ex apostolo cognosci potest, qui dicit se scribere Ecclesiis Dei, quae sunt Corinthi, vel in Galatia, 1. Corinth. 1. et Galat. 1. et tamen 1. Corinth. 15. arguuntur Corinthii, quod docerent non esse futuram resurrectionem, et Galatae per fotam fere epistolam reprehenduntur, quod docerent, servandam esse legem Moysis cum evangelio.

Sed dices, quomodo erant istae verae Ecclesiae, cum haeresim docerent? Respondeo: Atind esse errare, et paratum esse ad discendum, et cum didice. ris. ad obediendum; aliud nolle discere, et cum audieris veritatem, nolle acquiescere. Neutrum horum esse potest in Ecclesia universali; in Ecclesia autem particulari esse potest illud primum, in neutra autem illud secundam. sed solum in synagogis Satanae, et Ecclesiis malignantium. Rursum. esse potest pura doctrina ab omni errore in falsa Ecclesia; nam schismatici puri, ut quondam Luciferiani et Donatistae, initio integram habent doctrinam, et tamen. sunt extra Ecclesiam. Si dicant non habere integram doctrinam, quia doctrina vera docet manendum in verse Ecclesiae unitate: contra;Nam schismatici credunt et docent oportere esse in vera Ecclesia, et obedire vero capiti, licet non inciant; et proinde non errant in fide, sed deficient in charitate. Verum est tamen, schisma, si diu duret, tandem in hacresim declinare.

At objiciunt pro hac nota Brentius, Philippus et Calvinus quaedam loca Scripturae. Joan. 10. Oves meae vocem meam audient: Ergo ibi est Ecclesia, ubi auditur verbum Dei. Item ad Ephes. 5. Mundans eam lavacro in verbo vitae. Ecclesia mundatur verbo, ergo ubicumque est verbum mundans, ibi est Ecclesia, Ita Philippus in apologia. At Calvinus lib. 4. cap. 1. § 9. contentus est ille Motth. 18 Ubi sunt duo vel tres etc.

Brentius in confessione capite de Ecclesia, profert illnd Joan. 10. Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. Et illud 15. cap. Vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis. Illa enim est Ecclesia, quae est munda coram Deo. Et illud Rom. 1. Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti. Addit Chrysostomum hom. 49. in Matth. Qui erga vult cognoscere, quae sit vera Ecclesia Christi, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas? Et Augustinus epist. 166. In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam etc. Item lib. de unitate Ecclesiae, cap. 2. Quaestio inter nos versatur, ubi sit Eoclesia; quid ergo facturi sumus in verbis nostris eam quaesituri, an in verbis capitis sui? puto quod polius in illius verbis eam quaerere debeamus, qui veritas est, et optime novit corpus suum. Et cap. 3. Non audiamns, haec dico, haec dicis; sed audiamus, haec dicit Dominus. Et infra: Nolo hominis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.

Respondeo. Primus locus non docet ubi sit Ecclesia, sed docet, qui sint electi, nimirum qui corde perseveranter audiunt, et retinent verbum, ut exponit Augustinus; Cum autem non possit sciri, qui corde audiant, non potest haec esse visibilis nota Ecclesiae, sed est nota unicuique, ut saltem conjecturaliter cognoscal suam electionem.

Secundus locus nibil probat; nam illa mundatio est invisibilis, nec Paulus ibi vult docere, quae sit, vel ubi sit Ecclesia, sed quid boni Deus contulerit Ecclesiae.

Tertius, non demonstrat ubi sit Ecclesia, sed ubi sit Christus. Ubi enim est vera Ecclesia, ibi est Christus: Praeterea si congregari in nomine Christi sit nota Ecclesiae, certe non erit congregari quomodocumque in nomine Christi, sic enim oinnes haereses, et schismata congregantur in nomine Christi: sed erit congregari ab illis, qui funguntur Christi auctoritate, quales sunt episcopi legitime ordinati, et succedentes allis et aliis usque ad apostolos, quos Christus primo reliquit loco suo. Et sic ista nota coincidit cum nostris, de quibus postea.

Quartus locus nihil probat. Primo, quia ibi di-cuntur dii soli principes, quibus Deus aliquid commisit; id enim est fieri ad aliquem verbum Dei. Secundo, quia verbum Dei non facit Deos, si tantum praedicetur, sed si recipiatur et credatur: At hoc invisibile est, ut patet.

Quintus locus est similis secundo, unde idem Brentius dicit, Ecclesiam esse mundam coram Deo, idest, non coram hominibus; et non advertit ex hac nota sequi, illam fleri Deo manifestam, non

Sextus locus nihil probat; nam effectus evangelii est invisibilis.

Sed instat Calvinus. Verbum Dei est ferax, et ubicumque praedicatur, fructificat, ergo ubicumque praedicatur, ibi est aliqua Ecclesia.

Responded. Si quid probat hace ratio; tantum probat . ubi praedicatur, įbi esse aliquos bones; sed nos illos non novimus. Sed neque hoc probat; nam verbum Dei semper fructificat, cum legitime

proedicatur, idest, a praedicatoribus missis ab ordinaria potestate: Alioqui videmus praedicari inter haereticos variarum sectarum ubi non fructificat nisi lolium. Ad locum Chrysostomi jam saepe respondimus. Ad loca Augustini respondeo, ex Scriptura probari, ubi sit Ecclesia, non tamquam ex nota Ecclesiae, sed quia Scriptura docet, quae sint notae dum docet, qualis illa sit, ubi coeperit, quomodo creverit.

Dices, saltem Scriptura est notior, quam Eccle-

sia, quan loquidem inde probatur Ecclesia.

Respondeo.Simpliciter Ecclesiam esse priorem, et notiorem, quam sit Scriptura. Nam Ecclesia fuit ante Scripturam, et ipsi data est Scriptura a Deq, et ipsa eam aliis tradit, et explicat: tamen aliquando ex hypothesi Scripturam esse notiorem quando videlicei Scriptura est recepta, et clare loquitor et oritur quaestio de ipsa Ecclesia. Sicut interdum e contrario Ecclesia est recepta, et nota, et quaestio oritur de Scriptura: et sie unum probatur ex altero: verbi gratia quando disputabatur de baptismo haereticorum, quia Scriptura obscure loquitur, et Ecclesia nota erat, Augustinus probabat secundum Scripturas ratum esse baptismum hacrelicorum. quia Ecclesia illum habet pro rato. Contra, cum disputabatur de Ecclesia, an esset in sola Africa, quia Scripturae receptae et clarae erant, inde Augustinus probabat; et idem nos faciemus, cum deducemus notas Ecclesiae ex Scripturis, sed non propterea Scriptura est simpliciter notior, quant Ecclesia.

Secunda nota iisdem argumentis refutatur. Nam Primo eam sibi omnes vendicant: nam praeter catholicos, Calvinistae ideo separati sunt a Lutheranis caeteria, quod utrique putant, se solos habere verum sacramentum eucharistiae. Anabantistae autem separati sunt ab utrisque, quia se solos putant habere verum usum baptismi. Praeteren Pelagiani babebant omnia sacramenta, et similiter omnes schismatici. Secundo, legitimus usus sacramentorum minus notus est. quam sit Ecclesia. Nam ille est legitimus sacramentorum usus, qui est conformis Scripturae autipsi docent: Scripturae autem pendent ab Ecclesia, non contra, ul saepe diximus. Tertio Ecclesia Corinthiorum erat vera Ecclesia, et tamen 1. Corinth. 11. reprehenduntur Corinthii. quod non sincere tractarent praecipuum sacra-.. mentorum, et similiter Ecclesiae Africanae, quae erant sub Cypriano; et sub illis 86. episcopis, querum sententias ipse refert in epistola ad Quiriniam, verae Ecolesiae erant, ut beatus Augustinus lib. 6. cap. 7. de baptismo et beatus Hierquymus contra Luciferianos docent; et tamen non sincere tractabant sacramentum baptismi, ut iidem Hieronymus et Augustinus ibidem docent

Tertia nota refutanda, est oratio et psalmodia quae est sexta Lutherana. Refellitur autem, quia si loquatur de invocatione, quae ex corde procedit, invisibilis nota est, si de externa tamen invocatione et psalmodia, est nota communissima. Nam hoc tempore amnes sectae, etiam Anabaptistarum, dicunt orationem dominicam, et canunt psalmos lingua vulgari, et idem olim (aciebant Ariani , ut refert Socrates lib. 6. c. 8. et Ambrosius de tradendis basiticis. Immo hec tempore nota verae Ecclesiae fere dici potest, canere psalmos lingua latina, quia hoc relictum videtur ferme soli antiquae et catholicae Ecclesiae, quae non mutatur quotidie, ut sectae haereticorum.

L In

cui.

aco:

Æ.

K

化油

a 🗽

Dei.

ua:

anė.

IF:

iTi :

ik

57

. t

CI

ļ.

2

ķ.

Œ

į jį

Į.

Ľ

Ċ

Quarta nota refellenda, est septima Lutherana, nimirum interna moestitia, pusillanimitas, externae persequutiones, et vocari haeretici. Ac de internis falsissima nota est, nam obscurae sunt, si internae sunt. Item pusillanimitas est vitium, et Paulus ubique hortatur ad internam laetitiam, et dicit regnum Dei esse gaudium in Spiritu sancto. Vide Rom. 14. Coloss. 3. Philipp. 4. Ephes. 5. De externis non est nota perpetua; nam Ecclesia in principio et in fine passa est magnas angustias: at in medio florentissima fuit: et omnia praedicta sunt. Vide Augustinum epist. 50.

Quinta nota est Centuriatorum, quod ea sit vera Ecclesia, in qua inveniuntur qui perseverant in confessione fidei usque ad mortem. Quae refelletur Primo, quia non magis nota est confessio verae fidei, quam vera Scripturae praedicatio, et legitimus sacramentorum usus.

Secundo, quia ex hac nota colligeretur veram Ecclesiam non posse esse ullo modo apud Lutheranos. Ipsi enim dicunt, per multa saecula ante Lutheri adventum cessasse confessionem verae fidei, et Ecclesiam conservatam in latebris, et fuisse prorsus-invisibilem, ergo Ecclesia Lutheranorum est nova, et proinde falsa.

Tertio, quia hanc notam videmus in omnibus sectis, et in nulla minus, quam in coetu Lutheranorum; nam in primis Ecclesia nostra habet innumerabiles martyres, qui perseverarunt constantissime in confessione fidei; deinde Montanistae valde gloriabantur de suis martyribus, ut patet tum ex Eusebie lib. 5. hist. cap. 18. tum ex Tertulliano in lib. de fuga in persequutione, quem scripsit, cum Montanista esset, contra catholicos, objiciens eis quod male facerent fugiendo.

Item Massaliani apud Epiphanium haeres. 80. ideo dicti sunt etiam Martyriani, quia gloriabantur valde de numero martyrum suorum. Idem de Donatistis constat. S. Augustinus epist. 68. Vivebant', inquit, ut latrones, honorabant ut martyres. De Anabaptistis, qui erant tempore b. Bernardi, scribit ipse serm. 66. in Cantica: Mirabantur, inquit, aliqui quod non modo patienter, sed etiam la eti ducerentur ad mortem. De Adamitis scribit Aeneas Sylvius lib. de hist. Boemorum, cap. 41.viros cum foeminis conjugibus suis laetos, atque canentes properare solitos ad ignem. Hoc vero tempore nostro nemo ignorat in hac obstinatione moriendi pro perfidia, primum locum tenere Anabaptistas, secundum Calvinistas, extremum ac pene nullum meros Lutheranos, qui tamen hanc notam verae Ecclesiae soli proponunt.

### - CAPUT III.

#### Proponuntur verae Notae Ecclesiae.

His igitur notis breviter refutatis, restat ut veras notas proponamus. Est autem initio observandum, Ballarmini. Vol. II.

Ecclesiam catholicam esse quasi solem quendam, qui radios lucis clarissimos ex omni parte diffundit, ut facillime per eos cognosci possit. Habet enim plurimas notas, sive testimonia, ac signa, quae eam discernunt ab omni falsa religione Paganorum, Judaeorum, Haereticorum: et non quidem efficiunt evidenter verum ipsam esse veram Dei Ecolesiam; sed tamen efficient id evidenter credibile; nec enim est idem evidenter verum, et evidenter credibile. Nam evidenter verum dicitur, qued vel in se, vel 'in suis principiis videtur; evidenter credibile illud dicitur, quod non videtur nec in se, nec in suis principiis, habet tamen tot, et tam gravia testimonia, ut gailibet vir sapiens merito id credere debeat; ut-si judex videat hominem a latrone occidi, vel vulnerari laethaliter, et postea mori, habet evidentiam veritatis, quod ille latro sit homicida; si aulem caedem fleri non videat, sed habeat viginti testes viros gravissimos, qui dicunt se vidisse, habet evidentiam credibilitatis.

Dicimus ergo, notas Ecclesiae, quas adferemus, non facere evidentiam veritatis simpliciter, quia, alioqui nulli invenirentur, qui id negarent, sicut nemo invenitur, qui neget sententias, quas mathematici demonstrant; sed tamen efficient evidentiam credibilitatis, juxta illud psalm. 92. Testimonia tua credibilita facia sunt nimis. Apud eos autem, qui admittunt Scripturas divinas, et historias, ac Patrum veterum scripta, faciunt etiam evidentiam veritatis. Tametsi enim articulorum fidei veritas non petest nobis esse evidens absolute, tamen potest esse evidens ex hypothesi, idest, supposita veritate Scripturarum. Quod enim a Scriptura evidenter deducitur, est evidenter verum; suppositis Scripturis.

Porro hae notae a variis varie nominantur, et numerantur. B. Augustinus lib. contra epist. fundamenti, cap. 4. sex notas ponit. B. Hieronymus contra Luciferianos in fine, duas. Vincentius in suo commonitorio, tres.

Ex recentioribus Driedo lib. 4. cap. 2. part. 2. de Eccles.dogmat.et Petrus a Soto prima parte defensionis, cap. 44. et sequentibus, alias tres. Cardinalis Hosius in explicatione symboli, quatuor. Nicolaus Sanderus lib. 8. de visibili monarchia, cap. 50. alias sex. Michäel Medina lib. 2. de recta fide ponit decem: et lib. 7. cap. 26. addit undecimam. Cunerus Petri in libello de notis Ecclesiae ponit (ni fallor) duodecim, nec enim, cum hace scriberémus, libellum ejus habebamus in manibus.

Nos quindecim Notas proponemus, quae, si quis velit, poterunt aliquo modo revocari ad illas quatuor, quae communiter a recentioribus assignantur ex symbolo constantinopolitano, Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam.

## CAPUT IV.

#### Explicatur prima Nota.

Prima Nota, est ipsum catholicae Ecclesiae et Christianorum nomen'; nam, ut s. Augustinus docet lib. contra epist. fundamenti, cap. 4. etiam si omnis haeresis velit videri, et dici catholica Ecclesia, tamen cum interrogantur haeretici a paganis.

ubi ad catholicam conveniatur?nemo audet domum suam ostendere, el Cyrillus eateches. 18. dicit: Si iveris in aliquam urbem, non petas, ubi sit Ecclesia.vel domus Dei,nam etiam haeretici dicunt se habere domum Dei,et Ecclesiam, sed petas, ubi sit catholica Ecclesia; id enim nomen proprium est hujus sanctae Ecclesiae motris omnium nostrum; quasi dicat, si hoc petas, nullus haereticus suam Ecclesiam ostendet.

Pacianus-in epistola ad Sympronianum, quae est de nomine catholico: Certe, inquit, non est ab homine mutuatum, quod per saecula tanta non cecidit. Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec Haereticos sumit auctores. Et infra: Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, istud ostendit. Et ibidem pulchre dicit, nomen Catholicum convenire capiti principali, et trunco illius arboris, unde multi rami variis temporibus excinduntur: sectae enim haereticae sunt rami, idest, partes quaedam ab arbore Ecclesiae praecisae; ipsa autem arbor, quae sua radice nititur, et semper eadem manet, et est quid totum, catholica dicitur. Similiter nulla est haeresis, quae non accipiat nomen ab aliquo homine auctore suo, et nomen Christianum iis relinquat, a quibus discedit. Sic 1. Corinth. 3. schismaticorum alii dicebant: Ego sum Pauli, alii, ego Apollo, alii, ego vero Cephae.

Justinus in Triphone: Et synt, inquit, distincti cognominibus, denominali a quibusdam viris.ul quisque fuit auctor alicujus novae doctrinae. Ex iis alii vocantur Marcionistae, alii Valentiniani, alii Basilidiani , alii Saturniniani . alii alio vocabulo, quisque a primo inventore sui dogmatis. Irenaeus lib. 1. cap. 20. Habent, inquit, et vocabula, a principe impiissimae sententiae Simone dicti Simoniani. Lactantius lib. 4. cap. 30. Cum Marcionistae aut Ariani nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana et externa vocabula induerunt. Athanasius serm. 2. contra Arianos: Numquam, inquil, populus ab episcopis suis, sed a Domino, in quem creditum fuit, nomen accepil. Certe a beatis apostolis praeceptoribus nostris appellationes adepti. non sumus, sed a Christo Christiani sumus, et nuncupamur.Illi vero qui aliunde originem suae fidei deducunt, merito auctorum suorum cognomenta prae se feruni. Quapropter cum a Christo omnes Christiani essemus, et diceremur, explosus est Marcion inventor haereseos. Reliqui autem qui remanserunt, Christiani titulum relinuerunt : qui vere Marcionem seguuli sunt, non jam inde Christiani, sed Marcionistae appellati sunt. Ita quoque Valentinus, Basilides, Manichaeus et caeteri sectatoribus suis nomina impertierunt.

Chrysostomus homil.33.in acta apostolorum Illi habent quosdam a quibus appellantur: prous enim haeresiarchae nomen, ita et secta vocatur, nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa.

Hieronymus contra Luciferianos in fine: Sicubi audietis eos, qui dicuntur Christiani, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquo alio nuncupari, ut Marcionistas, Valentinianos; scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Jam ergo si nunc dicuntur alii Martinistae, vel Lutherani, alii Zwingliani, alii Calvinistae, etc. nos autem ab aliquo certo homine nemo unquam vocavit, constat nostram solum esse veram Ecclesiam.

At, inquiunt, vos vocamini passim, Papistae.Romani, vel Romanenses. Respondeo, etiam olim fuisse vocatos catholicos homousianos, sed ista ipsa nomina veritati attestantur. Non enim sunt nomina alicujus novi auctoris, et haeresiarchae, ut sunt ipsorum nomina: sed homousianus significat eum, qui credit Filium Patri consubstantialem, quod est dogma verissimum. Papista deducitur a Papa, qualis suit etiam Petrus, et Christus ipse, ut notum est, Romanus autem, et Romanensis, etiam ante 1100. annos idem erat, quod catholicus, ut patet ex Ambrosio in oratione de obitu Satyri. Adde, quod Chrysostomus hom. 33. in acta dicit, non esse malum si catholici denominentur ab iis, qui Ecclesiam gubernant nomine Christi, modo non denominentur ab aliquo homine particulari, sicut haeretici faciunt. Ubi videtur praevidisse nos vocandos quandoque Papistas. Adde, quod non vocamur Papistae, nisi a Lutheranis in Germania, et vicinis regionibus, non sic autem vocamur in Graecia, Asia, Africa, Indiis, ut interim omittam Italiam et Hispaniam.

#### CAPUT V.

#### Nota secunda.

Secunda Nota est Antiquitas; ham sine dubio rera Ecclesia antiquior est, quam falsa; Quemadmodum Deus ante suit, quam esset diabolus. Quocirca Matth. 13. prius seminatum legimus fuisse bonum semen, quam zizania:et Ecclesia dicitur cetholica, quia omni tempore fuit, et similiter dicitur apostolica, quia fundamenta ab apostolis, et proinde autiquissima. Jam quod nostra Ecolesia sit antiquior omnium paganorum conventiculis, immo quod nostra Scriptura sit antiquior ipsis dies gentilium, demonstrat Tertullianus in apologetico, c. 19. et 20. et b. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, c. 37. et 38. Quod autem nostra Ecclesia, quam adversarii Papisticam vocant sit illa ipsa quam Christus instituit, et proinde velustior omnibus sectis haereticorum, hac ratiocinatione concludi potest.

In omni insigni mulatione religionis semper ista sex demonstrari possunt. Primo, auctor ejus. II. dogma aliquod novum. III. tempus, quo coepit, IV. locus ubi coepit. V. quis eam oppugnaverit, VI.exiguus aliquis coetus, qui paulatim aliis accedentibus crescere coeperit: nam illa omnia invenimus in ipsa Christi Ecclesia, quae tamen non fuit nova Ecclesia, sed solum mutatio quaedam status Ecclesiae secundum prophetarum praedictiones. Primo enim soimus, auctorem fuisse Christum, unde Christiani dicimur. Secundo coepisse tunc explicite credi nova dogmata Trinitatis, et Incarnationis. Tertio coepisse ista praedicari anno 15. imperii Tiberia

Caesaris. Quarto coepisse in Judaea. Quinto mox oppugnatam fuisse hanc religionem a scribis et pharisaeis, deinde a gentilibus summa vi. Sexto scimus, initio fuisse multo pauciores Christianos, quam essent Judaei, cuin separatio facta est. Si ergo in hac mutatione status ejusdem Ecclesiae illa sex ostendi possunt, multo magis cadem poterunt demonstrari in quavis perfecta mutatione. Jam vero nos illa omnia, de singulis haereticorum sectis facillime demonstramus. Nihil autem horum adversarii un'quam de nostra Ecclesia post apostolica tempora demonstrare potuerunt.

Ac ut exemplis rem illustremus. Arianorum auctorem scimus fuisse Arium quendam presbyterum alexandrinum. Nestorianorum vero Nestorium, episcopum constantinopolitanum. Lutheranorum autem Martinum Lutherum presbyterum et monachum

ordinis sancti Augustini.

Secundo scimus, quae dogmata invenerint. Arius enim docuit Filium Dei esse creaturam. Nestorius in Christo esse duas personas. Lutherus justificari homines per solam fidem specialem, idest, per hoc solum, quod se justos putent: item negavit eucharistiam esse sacrificium.

Tertio scimus tempora. Coepit enim Ariana hacresis anno Domini 324. Nestoriana anno 431. Lu-

theranorum anno 1517

Quarto scimus loca. Coepit Arianismus in Aegypto. Nestoriana haeresis in Thracia. Lutherana

Quinto scimus, Arianos mox oppugnatos fuisse a Sylvestro pontifice, a concilio nicaeno, ab Athanasio, Hilario, et aliis. Nestorianam a pontifice Coelestino, concilio ephesino, Cyrillo, aliisque permultis. Lutheranam a Leone X. pontifice, a concilio tridentino, ab academiis omnibus catholicis et doctoribus plurimis.

Sexto scimus, initia harum haeresum valde exigua fuisse, et multo plures initio separationis sine comparatione fuisse catholicos toto orbe terrarum diffusos quam erant Ariani, Nestoriani, vel Lutherani,

quod ne ipsi quidem negant.

Quod vero nihil horum de nobis ostendere possint, perspicuum est; nam Primo, humquam objecerunt nobis auctorem nostrae sectae, nec ab ullo particulari homine nos appellaverunt, quod certe

libentissime facerent si possent.

Secundo, numquam ostenderunt primam originem ullius dogmatis nostri; immo Centuriatores in singulis Centuriis, cap. 4. circa finem, annotant, qui auctores defenderint nostra dogmata, quae nunc ipsi oppugnant, nec originem inveniunt, nisi tempore apostolorum. Nam etiam Justinum, et Irénaeum numerant inter nostros fautores: quos constat proxime insequutos apostolorum tempora. Et c. 5: in singulis Centuriis enumerant omnes haereses cujuslibet saeculi, et qui restiterint, nec unquam annotarunt aliquam haeresim excogitatam a romanis pontificibus, sed potius omnes haereses ab illis condemnatas. Nunc quidem nobis multas haereses objiciunt. Nam Tilmannus Heshusius scribit librum de sexcentis haeresibus Papistarum, sed illae haereses, exceptis mendaciis Tilmanni, sunt antiquissima dogmata, quod vel ex Centurlis, facillime probari posset. Nam Illyricus nostra dogmata in omnium Patrum libris invenit; sed in Patribus vocat naevos, in nobis haereses, scilicet, haec est astutia Adversariorum; ut ostendant nos esse extra Ecclesiam, nostra dogmata vocant hacreses:ut non videantur ipsi separati ab Ecclesia Patrum; eadem dogmata in illis vocant naevos.

Tertio, numquam designare potuerunt tempus certum nostrae defectionis ab Ecclesia. Dicunt quidem post primes quingentes annos coepisse valde invalescere hanc sectam, tamen quando coeperit,

absolute numquam dixerunt.

Quarto, numquam ostenderunt, quo loco coeperit,nam post primos quingentos annos floruit Gregorius, cum quo totum orbem terrarum communicasse, ex epistolis ejus, quas ad omnes privincias mittit, cognosci potest. Item post Gregorii obilum celebratum est concilium VI. generale, ex quo manifeste colligitur, totum orientem et occidentem, eo tempore cum romano pontifice, ut membra cum

suo capite, conjuncta fuisse.

Quinto; numquam ostenderunt, quis eam oppugnaverit, tamquam nuper ortam; et quae concilia contra eam celebrata fuerint. Objiciunt quidem concilium constantinopolitanum sub Copronymo, quod videtur fuisse generale, et damnavit imagines, quas Romani defendebant. At non fuit hoc verum generale concilium, cum non habuerit ullum verum patriarcham. Praeterea istud concilium non damnavit dogma tunc exortum, sed dogma antiquum, et in tota Ecclesia receptum; nam non statuit, ut non reciperetur cultus imaginum, sed ut aboleretur, et ut imagines e templo auferrentur. Vide Cedrenum, Zonaram et Paulum diaconum.

Sexio, non potest ullo modo ostendi, quod unquam nostra Ecclesia separaverit se ab aliqua majore; ita ut qui adhaerebant romanae sedi, essent paucissimi, reliqui Christiani multo plures; nam ex epistolis b: Gregorii, quas scribit ad episcopos orientis, Africae, Hispaniae, Galliae, Italiae constat omnes fere Christianos cum eo communi-

Hoc argumento ab antiquitate semper usi sunt voteres Patres contra haereticos, ad ostendendam veram Ecclesiam. Tertullianus libro de praescript. Qui estis vos, inquit, unde, et quando venistis? Übi tamdiu latuistis? Optalus lib.2.contra Parmenianum: Vestrae, inquit, cathedrae originem ostendile, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare. Hilarius lib. 6. de Trinitate ante medium. Tarde mihi, inquit, hos piissimos doctores aetas nunc hujus saeculi protulit.Sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, mágistros, inauditis ego his omnibus in te credidi etc.Hjeronymus in epistol.ad Pammachium et Oceanum: Quisquis, inquit, assertor es novorum dogmatum, quaeso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quae apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? Usque In hanc diem sine vestra ista doctrina christianus mundus fuit. Et lib. contra Luciferianos in fine: Ex hoc ipso, inquit, quod posterius instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros apostolus prae. nunciavit. Denique Augustinus lib. contra epist.

fundamenti, c. 4. antiquitatem inter notas Eccle-

siae ponit.

Ad hoe argumentum quatuor adferunt solutiones. Primo, respondet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 2. § 3. non posse ex antiquitate invictum argumentum duci. Nam Ismäel fuit senior quam Isaac, et tamen dictum est: ejice ancillam, et filium ejus. At Ismäel non fuit figura falsae religionis, sed solum Testamenti veteris quod erat bonum, et a Deo: Sed quia status hominum ejus Testamenti erat servorum, qui timore dicuntur, debuit ei succedere Testamentum novum perfectius, ad quod pertinent liberi, qui ducuntur amore. Galat. 4. Scriptum est, quia Abraham duos filios habuit etc. quae sunt per allegoriam dicta, haec enim sunt duo Testamenta etc.

Secundo dicunt, non posse ostendi de nostra Ecclesia, quo tempore, quo loco, per quem auctorem praecise coeperit etc. non quod revera non sit nova, sed quia non facta est simul ista mutatio, sed paulatim irrepserunt errores non advertentibus, immo etiam dormientibus pastoribus. At etiam aliae mutationes non factae sunt totae simul, sed paulatim, ut patet de Luthero, qui initio non negebat nisi indulgentias etc. et tamen scimus de singulis, quando, et quomodo ortae sint. Praeterea Matth. 13. non dicuntur zizania nata dormientibus hominibus, sed seminata dormientibus hominibus; mox autem nata apparuisse, et cognita fuisse. Quomodo igitur nostrae haereses per mille ferme annos detectae non sunt? Sane non solum pastores, sed etiam Deus valde dormivisset, si per tot saecula numquam excitasset aliquem, qui istis erroribus resisteret. Et delendum esset ex evangelio illud: Ego vobiscum sum usque ad consummationem

Tertio dicunt . quod licet non possit ostendi, quando coeperit initium hujus depravationis, tamen posse ostendi, quando insignis mutatio facta est. Nam initio anni 600. papa in Antichristum aperte mutatus est, quando videlicet romanus pontifex obtinuit a Phoca imperatore, ut caput episcoporum diceretur, et quando aperuit Pantheon templum omnium deorum. Ita docent Magdeburgenses. Centur, 7. cap. 1. et concordant plerique adversariorum. Nam etiam Theodorus Bibliander in tabulis suae Chronologiae initio anni 600, ponit apparitionem Antichristi, idest papae; et Lutherus in supputatione temporum, vult s. Gregorium fuisse ultimum papam; et passim Calvinistae et Lutherani., usque ad primos 500. vel 600. annos extendunt Ecclesiae puritatem.

At in primis post annum 670. diu post tempora Phocae celebralum est concilium VI.generale, quod adversarii ut sacrosanctum recipiunt; ut patet tum ex aliis, tum ex Confessione Tigurinorum, et ex Centuriis Magdeburgensium; In eo autem concilio praecipuae partes fuerunt romani pontificis Agathonis; Nam ejus sententiam per legatos et epistolas ipsius explicatam, omnes sequuti sunt, ut etiam prolixe describunt Centuriatores Cent. 7. cap. 9. Vel ergo papa nondum erat Antichristus, vel tota Ecclesia, et sanctum generale concilium Antichristum venerata et sequuta est.

Praeterea falsum est, quod Phocas primus tri-

buerit romano pontifici nomen capitis Ecclesiae. Nam Justinianus senior, qui fere centum annis fuit ante Phocam in epistola ad Joannem II. papam disertis verbis vocal eum caput omnium Ecclesiarum. Et hoc idem habetur in epistola ejusdem Joannis II. responsiva ad Justinianum, ubi papa repetit summam literarum imperatoris, et habetur utraque epistola in codice lib. 1. titul. 1. leg. 4. et 6. Nec id ignorabant Centuriatores. Nam Cent. 6. cap. 10. col. 670. meminerunt legis quartae codicis, quae ex epistola Joannis papae sumpta est. 1-taque contra conscientiam suam mentiuntur.

Praeterea ante tempora Justiniani concilium chalcedonense in epist. ad Leonem vocat eum caput omnium episcoporum. Et ipse s. Leo serm. 1. de sanctis Petro et Paulo, sic Romam alloquitur: Per sacram b. Petri sedem caput orbis effecta latius praesides religione divina, quam dominatione terrena. Et infra, Minus est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjectl. Phocas igitur non primus hoc nomen tribuit romano pontifici, sed primus compescuit superbiam episcopi constantinopolitani, qui se romano pontifici para est per constantinopolitani, qui se romano pontifici para episcopi constantinopolitani, qui se romano pontifici para episcopi constantinopolitani, qui se romano pontifici para episcopi constantinopolitani, qui se romano pontifici para est p

po pontifici aequare volebat.

Ad illud de Ecclesia, quae dicitur Pantheon, dico primo, argumentum esse contra adversarios. Nam Dan. 11. legimus, Antichristum pugnaturum contra omnes Deos, et solum in occulto adoraturum Deum Maozim, et 2. Tess. 2. dicitur elevaturum seipsum supra omne, quod dicitur Deus. Ergo si papa aperuit templum omnibus diis, hoc ipso non est Antichristus. Praeterea antequam templum Pantheon consecraretur Deo in memoriam omnium sanctorum, jam erant Romae templa s. Petri, Pauli, Laurentii, Sebastiani etc.

Sed objicit Melanchthon in Confessione et Apolog. art. 21. invocationem sanctorum non fuisse ante Gregorii tempora; ergo tunc coepit. Respondeo: Mendacium esse. Nam plurimi Patres, et in iis Ambrosius in lib. de viduis, meminerunt invocationis sanctorum: sed de Antichristo, et invocatione sanctorum suis locis fuse disseruimus.

Quarto, respondet Calvinus in praefat, Instit. suam Ecclesiam non esse novam, sed antiquissimam; immo illam ipsam, quam Christus fundavit, tamen non esse visam per multa saecula, et nunc demum-apparuisse. At contra est argumentum quod facit b. Augustinus contra Donatistas lib. 3. de baptismo, cap. 2. aut ista Ecclesia, quae nunc apparuit antea perierat, et nunc resurrexit; aut non perierat, sed tantum latuerat, et nunc extulit caput. Non Primum, quia tunc non poluissent renasci ipsi si mater perierat. Si periit: Unde ergo, inquit b. Augustinus, Donatus apparuit? de qua terra germinavit? ex quo mari emersit? de quo coelo cecidit? Et praeterea falsae erunt promissiones Christi, Matth. 16. Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et Matthaei ultimo: Ego vobiscum sum usque etc. Non secundum, quia tunc vel ista Ecclesia latens profitebatur suam fidem, vel non profitebatur; si profitebatur, ergo non erat latens, sed manifesta: et si manifesta, quomodo nemo advertebat? Quomodo non capiebantur; et cöercebantur ab inquisitoribus, qui longo tempore ante Lutheri actalem esse coeperunt in Ecclesia? Quomodo nullum vestigium, nulla memoria corum exstat? Si autem non profitebatur fidem, sed vere et proprie latebat (quam partem ipsi defendere coguntur), ergo illa non fuit Ecclesia, ac proinde nulla fuit in mundo vera Ecclesia. Nam ut ipsi dicunt, confessio fidei est nota verae Ecclesiae: et Rom. 10. Ore confessio fit ad salutem.

Praeterea si ita est, quomodo apparente Luthero, et Calvino nemo fuit qui se illis adjungeret, nisi quo ipsi deceperunt? Si multi Lutherani et Calvini tae latebant, debuissent multi praedicante Luthero et Calvino mox cognoscere socios suos, et ad eos currere etiam non vocati, at non ita faetum est; Nam omnes fere qui sunt Lutherani et Calvinistae, fatentur se antea fuisse ex nostris, et nihil cogitasse de nova illa doctrina. Immo Lutherus ipse fatetur, se aliquando non fuisse Lutheranum, sed monachum catholicum, et missas celebrasse per quindecim annos serio ac devote. Vide librum de missa angulari. vel Joannem Cochlaeum in actis Lutheri anni 1534. Item lib. 2. Lutheri contra Zwinglium, vel Septicipitem Joannis Cochlaei, cap. 24.

Denique, si ita Ecclesia latuisset, ut Calvirus dicit, sequeretur Ecclesiam Christi fuisse pejorem, et miseriorem omni secta haeretica, et ipso etiam populo Judaeorum post eversionem Hierosolymae; quod certe est blasphemum, cum Deus per prophetas passim praedicet gloriam Ecclesiae, et polliceatur se cum ea semper futurum. Quod illud sequatur, patet; nam omnis haeretica secta habuit sua temple, suos episcopos, sua sacramenta. Et similiter Judaei post eversam Hierusalem semper habuerunt aliquas synagogas, ubi libere exercuerunt suas caeremonias, ut patet ex Gregorio lib. 7. epist. 5. nec unquam coach sunt generaliter adorare deos alienos. At Ecclesia, quam latentem fingit Calvinus, per annos fere mille, nulla habuit templa, nulla sacra, nullos episcopos, nec habuit unum angulum terrae ubi libere exerceret actus religionis suae, et quod pejus est; coacta est servire diis alienis, adorare idola, sacrilegiis communicare, quae est horribilior, et longior captivites, quam unquem fuerit Judaeorum; immo est isla-Ecclesia deformior ipsis ruinis synagogae.

CAPILT VI

Nota tertia.

Tertia Nota est Duratio diuturna, nec unquam interrupta. Ecclesia enim dicitur catholica, non solum quia semper fuit, sed etiam quia semper erit, juxta illud Dan. 9. Regnum quod in acternum non dissipabitur. Et Act. 5. Si est ex hominibus concilium hoc, aut opus, dissolvetur; si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere. De hacreticis autem s. Paulus dicit: Sed ultra non proficient. 2. Timoth. 3. et b. Cyprianus lib. 4. epistol. 2. dicit schismaticos semper inter initia fervere, incrementa vero habere non posse, sed statim cum prava

sus nemulatione deficere. Et b. Augustinus psalm. 57. in illud; Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: Non vos terreant, inquit, fratres quidam fluvii, qui dicuptur torrentes. Hyemalibus aquis implentur. Nolite timere: post paululum transit. decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit. Diu stare non possunt. Multae haeres jam emortuae sunt, cucurrerunt, in rivis suis quantum potuerunt, decurrerunt: siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint.

Jam vero constat Ecclesiam nostram durasse ab initio mundi hucusque. Vel si de statu novi Testamenti loquamur, durasse a Christo hucusque per 1577. annos.frustra eam oppugnantibus primo Judaeis, deinde paganis, ultimo haereticis; nec solum durasse, sed etiam ex persegutionibus crevisse.Ut enim aquae diluvii, palatia regum obruebant, atque dejiciebant, arcam vero Noe semper magis ac magis attollebant, ita persequutiones regna temporalia facile destruunt, Christi regnum, quod. est Ecclesia, non modo non destruunt, sed etiam illustrant. Itaque Justinus in Triphone, dicit persequutionem id esse Ecclesiae, quod est vineis putatio; ut enim vineae putatione ad ubertatem provocantur, ita quoque Ecclesia persequutionibus crescit: et Tertullianus cap. ult. apologetici sanguinem martyrum eleganter-semen Christianorum vocat, quod explicasse videtur Leo serm. 1. de ss. Petro et Paulo, cum ait: Non minuitur persequutionibus Ecclesia, sed augelur, et semper dominicus ager segete ditiore vestilur, dum grana. quae singula cadunt, multiplicatae nascuntur.

Quamvis autem haeretici hujus temporis non concedant nostram Ecclesiam 15.77.annis durasse, concedunt tamen durasse sine ulla interruptione a Gregorio I. hucusque, idest, annos fere mille. Quod tempus eliam si solum esset; adhuc esset longius, quam fuerit aetas ullius haeresis. Sed tamen falsum est non diutius durasse; ipsi enim non possunt ostendere per ullam historiam, aut velerum scripta, factam esse mutationem religionis in Ec-

clesia romana tempore s. Gregorii.

Deinde nostram Ecclesiam esse veram Ecclesiam probari potest etiam hoc argumento; nam ante Lutheri tempora, non erant in mundo, nisi hae religiones, Paganismus, Judaismus, Mahumetismus, Graecismus, Nestorianismus, Hussitarum haeresis, et romana Ecclesia. Sed certum est non fuisse veram Ecclesiam Christi apud ullam ex praedictis sectis, ut etiam Lutherani fatentur, ergo fuit apud romanam Ecclesiam, aut certe periit de mundo omnis vera, et visibilis Ecclesia; quod non posse fleri, supra documus. At vero sectae omnes haereticae brevi defecerunt praeder eas, quae nunc exortae sunt.

Refert Theodoretus in lib. de haereticis fabulis, septuaginta sex diversas haereses usque ad sua tempora exortas; et libro 3. ejusdem operis testatur omnes illas extinctas fuisse, paucissimis exceptis. Augustinus in lib. de haeresibus numerat 88. haeres, ex quibus plurimos periisse testatur in expositione psalm. 57. Nos numeramus usque ad tempora Lutheri 200. haereticorum diversissimas

familias: ex his autem non supersunt, nisi reliquiae quaedam Nestorianorum et Eutychianorum in oriente; et Hussitarum in Boemia; reliquae omnes funditus interierunt. Et mirabilis valde est in hac re providentia Dei, quod fuerint hactenus usque ad Lutheri tempora, ut minimum 200. baeresiarchae, quorum multi habuerunt multos episcopos, multas Ecclesias, multos potentissimos patronos, et imperatores, et reges, et scripserunt libros innumerabiles, ut viderentur numquam posse desicere: et tamen ila desecerunt, ut jam non supersit nec ipsi, nec libri corum, nec dogmata, nec nomina . aut vestigia ulla ; nisi in libris catholicorum.ltaque si catholici non scripsissent eorum nomina in suis libris, nesciremus quidem eos fuisse unquam in hoc mundo.

Quam firmis radicibus nixa videbatur haeresis. Ariana temporibus Athanasii et Hilarii? At nunc ubi. quaeso, est? Evanuit velut pulvis, quem projicit ventus a facie terrae. Ante annos ducentos regnabat in Gallia Imeresis Albigensium, quae praeter vires doctrinae, magis abundabat copiis militum et potentia, quam nunc haeresis Calvinistarum, ut cognosci potest ex lib. 6. Pauli Aemilii de rebus Gallorum:et tamen ubi nunc sunt Albigenses?Quotusquisque est, qui eos vel nominari audierit?

Porro Lutherani vix nati arescere coeperunt:coepit regnum Lutheri anno 1517, sed vix septem annis pacifice regnavit. Nam anno 1525. surrexit Zwinglius, et post duos alios annos surrexerunt Amabaptistae, qui majorem partem Lutheranorum a Luthero separatam ad se traxerunt. Qui vero manserunt Lutherani, ita immutarunt Lutheri doctrinam, ut vix ulli jam inveniantur puri Lutherani.De quo graviter conqueritur Illyricus in praefationibus omnium Centuriarum.

Sed nec Zwinglius diu regnavit. Nam anno 1538. surrexit Calvinus, qui ita brevi invaluit, ut vix pauca quaedam oppida llelvetiorum Zwinglianis reliquerit. Ipsi quoque Calvinistae per Libertinos in Gallia, per Trinitarios in Polonia, et Samosatenos in Transylvania, quotidie magis ad paucitatem rediguntur.

Porro Calvinus, ut erat sagax, regnum suum non fore diuturnum praevidit et praedixit in praefatione catechismi Genevensis, quem ad ministros in Frisia orientali misit: De posteritate; inquit, ege sic sum anxius. ut tamen vix cogitare audeam. Nisi enim mirabiliter Deus e coelo succurrerit, videre mihi videor extremam borbariem impendere orbi. Alque ulinam non paulo post sentiant filii nostri fuisse hoc verum potius vaticinium, quam conjecturam. Quae Calvini anxietas salis aperte declarat sectam ipsius rem esse plane humanam, non spiritu Dei, sed industria quadam, atque artificio humano excogitatam, ac denique longissime abesse a spiritu ejus, qui dixit: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Centuriatores quoque in praesatione secundae Centuriae idem vaticinantur de suo Lutherismo. Maximae, inquiunt, in doctrina variationes, et inclinationes impendere videntur; et sic merentur hominum peccala, quae funt indies atrociora. Ac tempora quidem Germanici prophetae Martini Lutheri, cujus voce et ministerio hux evangelii quasi e tenebris Aegyptiacis revocata est. propemodum apostolorum aetati respondent. Nunc vero ipso sublato, quasi alleram evangelii aetatem ingressi sumus, ubi plures phanatismi incipiunt pullulare, et paulatim regnare. Et in praefatione Cent. 5. postquam ostenderunt praecipuos articulos de libero arbitrio, de fide justificante, de bonis operibus, non defendi amplius a Lutheranis plurimis Lutherice, sed Papistice, subjungunt: Periit jam, idque repente veritas patefacta. Philosophia . Papismus et aliae secte longe lateque in templo Dei primam cathedram occupant.

Concludimus ergo cum s.Hieronymo in extremo dialogo adversus Luciferianos: Brevem, inquit, apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia permanendum quae ab apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Et com s. Augustino lib. de utilitate credendi.cap. 17.Dubitabimus, inquit, nos illius Ecclesiae concedere gremio quae ab apostolica sede per successiones episcoporum frustra haereticis circumlatrantibus culmen auctoritatis obtinuit?

CAPUT VII.

Nota quaria.

Quarta Nota est Amplitudo, sive multitudo et varietas credentium. Ecclesia enim vere catholica non solum debet amplecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera. Sic enim explicat, quid sit esse catholicum, Vincentius Lyrinensis in suo commonitorio, ubi dicit eos proprie esse eatholicos, qui tenent id.quod semper, qued ubique, quod ab omnibus creditum est. Et sic praedictum erat psal. 2. Dabo tibi gentes, haeredilatem tuam, et possessionem tuam, terminos terrae. Et psal. 71. Dominabitur a mari usque ad mare etc. Et Dominus, ipse Luc. ult. et act. 1. dicit praedicandum evangelium in omnes gentes initio facto a Hierusalem.

Sunt autem aliqua observanda, antequam ex bac Nota argumentum depromamus. Primum est ex Augustino lib. de unitate Ecclesiae, cap. 6. et Beda in cap. 6. Cant. ut Ecclesia sit catholica, in primis requiri, ut non excludat ulla tempora, loca, vel hominum genera; in quo distinguitur a synagoga, quae erat Ecclesia particularis, non catholica, quia crat alligata uni tempori, idest, usque ad adventum Messiae, item uni loco, idest, templo Salomonis, extra quod non poterant sacrificare; et uni familiae, idest, filiis Jacob.

Secundo, nota ex Augustino epistol.80.ad Hesychium, ut sit Ecclesia catholica, non requiri, ut sit in omnibus locis totius mundi, sed tantum, ut innotescat omnibus provinciis, et in omnibus fruclificet, ita ut in omnibus provinciis aliqui sint de Ecclesia; Donee enim hoc flat, non veniet dies Domini, ut patet ex Matths 24.

Tertio ex Driedone lib. 4. cap. 2. par. 2. de Eccles. dogmat. nota, non requiri, ut hoe flat simul, ita ut uno tempore in omnibus provinciis necessario esse opertest aliquos fideles: satis enim est, si flat successive. Ex quo id sequitur, quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuo vere et proprie diceretur Ecclesia catholica, dummedo clare ostenderetur, eam esse unam et candem cum illa, quae fuit aliquo tempore, vel diversis in toto mundo, quemadmodum nunc quaelibet dioecesis dicitur catholica, quia est continuata cum aliis, quae faciunt unam Ecclesiam catholicam.

At, inquies, hoc est incidere in errorem Petiliani et Donatistarum, qui dicebant, Ecclesiam quidem fuisse in toto orbe, sed postea periisse, ex omnibus provinciis, et in sola Africa remansisse, quos Augustinus reprehendit psalm. 101. conc. 2. Respondeo, Donatistas errasse in duobus. Primum, quod vellent, Ecclesiam tantum fuisse in Africa ectempore, quo manifeste in toto mundo adhuc fructificabat. Secundo, quod suam Ecclesiam Africanam non poterant continuare cum illa, quae in toto orbe fuerat; nam in illa semper fuerunt boni et mali, ut Augustinus probat, ipsi autem non volebant nici bonos.

Ultimo, nota, quod etsi Ecclesia non necessario debuit simul esse in omnibus locis, tamen hoc tempore debet necessario vel esse, vel fuisse in majori parte orbis terrae. Nam Ecclesia omnium consensu, etiam haereticorum, jam senuit; si ergo in sua adolescentía et juventute non crevisset, quomodo none in senectule cresceret? Oportet igitur, ut jam creverit, alque decupaverit, si non totum orbem terrarum, at certe magnam partem.

Jam vero nostram Ecclesiam maximam partem orbis occupasse, et esse vare catholicam, ita probatur. Nam tempore apostolorum in toto mundo fructificare coepit, ut Paulus dicit Col. 1. Item tempore Irenaei erat sparsa per totum orbem, idest, per omnes provincias tuno cognitas. id quod ipse refert lib. 1. cap. 3. Idem postea refert de suo tempore Tertullianus lib. contra Judaeos, cap. 3. Idem postea Cyprianus lib. de unitate Ecclesiae. Idem postea Athanasius, libr. de humanitate Verbi. Idem postea Chrysoslomus et Hieronymus in cap. 24. Matth. et Augustinus in epist. 78. et 80. ad Hesychium, neenon Theodoretus in libr. de legibus, et Leo Magnus serm. 1. de sanctis Petro et Paulo, ac s. Prosper, qui in lib. de ingratis, ita cecinit:

Sedes Rama Petri, quae pastorali honoris. Facta caput mundo, quidquid non passidet armis, Relligione tenet.

Sed haec fortasse non negabunt adversarii. At nos idem ostendemus de posterioribus temporibus. Tempore b. Gregorii Ecolesiam nostram fuisse in toto orbe terrarum, planum est, ut supra etiam adnotavimus ex epist. ipsius Gregorii ad episcopos orientis, Africae, Hispaniae. Galliae, Angliae, Siciliae. Item ex Beda in cap. 6. Canticorum, necnon ex Bernardo, qui disputans corum rege Siciliae Rogerio, asserebat, romano pontifici suo tempore paruisse orientem et occidentem totum, item Franciam, Germaniam, Angliam, Iberos ét plurimas barbaras nationes. Vide vitam s. Bernardi lib. 2. cep. 7.

Denique, nostro tempore Ecclesia romano praeter Italiam et Hispaniam totam praeter Galliam fere totam, praeter Germaniam, Angliam, Poloniam, Böemiam, Hungariam, Graeciam, Siriam, Aethiopiam, Aegyptum, in quibus multi inveniuntur catholici, in ipso novo orbe habet Ecclesias sine admistione haereticorum, in omnibus quatuor partibus mundi; ad orientem, in Indiis; ad occcidentem, in America; ad septentrionem, in Japonia; ad meridiem, in Brasilia, et exteriore parte Africae. At sectae haereticae numquam totum orbem, aut certe dimidiam ejus partem occuparunt.

Secta Mahumeti, cum haeresibus Nesterii et Eutychetis, quae adhuc vigent in oriente, numquam ad occidentem transierunt. Haereses autem Lutheranorum numquam transierunt mare, nec Asium; aut Africam, Aegyptum, aut Graeciam viderunt. Ex quo intelligimus illustre esse mendacium, quod habetur in principio praefationis Concordiae Lutheranorum, anno 1580. editae: dicunt enim, Confessionem Augustanam in toto orbe terrarum percrebuisse, et in ore et sermone omnium esse voepisse. At ex tribus partibus orbis terrae, duae majores. Asia et Africa, nec nomen hujus Confessionis audierunt. In Europa multae provinciae: ut tota Graecia. Italia, Hispania, vel nesciunt quid sit Confessio Augustana, vel execrantur; Gallia, Helvetia et Britannia, non recipiunt, nisi nomine tenus: hmmo rara est civilas, quae ab una aliqua secta liae. retica tota possideatur. Et quamvis videantur haerelici hoc tempore magnam partem septentrionis obtinere, tamen non tenentur omnia illa loca ab una secta, sed a plurimis, quae inter se non minus pugnant, quam nobiscum.

Itaque pulchre August. in lib. de pastor. cap.8. docet, Ecclesiam esse ubique, et hacresim ubique. Sed Ecclesiam esse unam et eandem ubique, hacreses autem non easdem, sed diversissimas, quue se invicem non noverunt, et proinde nullam earum esse catholicam. Quocirca recte eas comparat sarmentis praecisis, quae ubi cadunt, cum praeciduntur. ibi manent. Cum interim Ecclesia tanquam vitis viva, ubique palmites suos extendat. Hinc etiam ipse passim hoc argumento utitur, ut lib. contra epist. fundamenti, cap. 4. et de utilitate credendi, cap. 44. et 47. et alibi.

Neque sperare possunt haeretici, sectam suam aliquando occupaturam esse totum orbem: Nam non debet nunc incipere Ecclesia crescere, cum jam senperit, ut supra diximus. Et si Augustinus absurdissimum censuit, quod haeresis Donatistarum post annum Domini 300. ex Carthagine esset propaganda in omnem terram, libro de unitate Ecclesiae, cap. 14. et 15. quanto magis absurdum erit nunc post annum 1577. Haeresim Lutheranam vel Calvinianam ex Wirtemberga vel Geneva in omnem terram esse diffundendam?

#### CAPUT VIII.

#### Nota quinta.

Quinta Nota est Successio episcoporum in romana Ecclesia ab apostolis deducta usque ad nos;tino

enim dicitur apostolica. Ac propterea omnes veteres hac successione, tanquam argumento evidentissimo usi sunt ad veram Ecclesiam ostendendam. Irenaeus lib. 3. c. 3. enumerat episcopos romanos a Petro, usque ad Eleutherium, qui suo tempore sedebat. Ac dicit, per hanc successionem confundi omnes haereticos. Tertullianus in lib. de praescript. Cedant, inquit, haerelici origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris habuerit auctorem et anteccssorem. Hoc enim modo romanorum Ecclesia Clementem a Petro ordinatum refert. Confingant tale aliquid haeretici. Eusebius in historia et in Chronico, et Hieronymus ac Prosper, qui Chronieum Eusebii continuarunt, diligentissime annotant successionem romanorum episcoporum, ut inde continuatio Ecclesiae manifesta sit. Epiphanius haeres. 27. quae est Carpocratis, enumerat ordine pontifices remanos, et subjungit: Et ne quis, inquit, miretur, quod tam exacte singula recensemus. Per haec enim semper claritas ostenditur.

Optatus Milevitan. lib. 2. contra Parmenianum, enumerat omnes romanos pontifices a Petro usque ad Syricium, qui tunc sedebat, ut ostendat non esse Ecclesiam apud Donatistas, qui per similem successionem ad apostolos ascendere non poterant, et subdit: Vos, inquit, vestrae cathedrae originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vendicare.

Denique Augustinus in epist. 165. ad Generosum; ad eumdem finem enumerat, pontifices romanos a Petro usque ad Anastasium, qui tunc sedebat. Et in psalmo contra parlem Donati: Numerate, inquit, sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, et in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte. Ipse est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae. Et lib. contra epist. fundamenti, cap. 4. Tenet me, inquit, in Ecclesia ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum.

Si ergo veteres tanti fecerunt ad veram Ecclesiam ostendendam continuationem 12. vel 20. vel 40. pontificum, quanti nos facere debemus continuationem non interruptam pontificum 200. et amplius? praesertim cum videamus defecisse alias apostolicas sedes, antiochenam, alexandrinam et hierosolymitanam, in quibus posteaquam a Persis, vel Saracenis, ea loca Romanis adempta sunt, quod accidit ante annos 900, aut nulla, aut obscurissima fuit successio. Et in ipsa urbe Roma toties mutatam esse formam temporalis dominii, nunc imperatoribus, nunc regibus Gothorum, nunc exarchis Graecorum, nunc etiam consulibus, sivé juste, sive injuste dominantibus, et ipsam urbem aliquoties eversam, et tamen sedem Petri numquam defecisse, neque eversam fuisse, sed immobilem semper permansisse.

Sed ut vis hujus argumenti melius intelligatur, aliqua notanda sunt. Primum est, non posse ullo modo Ecclesiam esse sine pastoribus et episcopis, ut recte docet Cypr. in epist. 9. lib. 4. ubi dicit,

Ecclesiam esse plebem episcopo adunatam et episcopum esse in Ecclesia, et Ecclesiam in episcopo. Quare Hieron. lib. contra Luciferianos : Ecclesia, inquit, non est, quae non habet sacerdoles. Id quod aperte probatur ex Paulo Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes etc. Ubi docet apostolos, futuros pastores in Ecclesia usque ad diem judicii; Tunc enim occurremus Domino in unitate fidei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Esse autem episcopos pastores hujus gregis, docet idem apostolus, apud Lucam Act. 20. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Sed nec Lutherus id negat, quin potius in lib. de Eccl.et Conc.inter notas Ecclesiae ponit, habere veros pastores. Ex quo sequitur, eam non esse veram Ecclesiam, quae aut nullos, aut non veros habet pastores.

Nota secundo, illos solos in Ecclesia semper habitos fuisse veros episcopos, qui ab apostolis per legitimam successionem et ordinationem descendisse estendebantur. Omnes autem alios fures et latrones, quippe qui non per ostium intrassent, sed ascendissent aliunde: Nam constat, Christum, a quo Ecclesia novi Testamenti coepit, duodecim apostolos tantum elegisse episcopos et sacerdoles, et eis commisisse omnem auctoritatem pascendi et gubernandi Ecclesiam; apostolos autem postea elegisse atque ordinasse alios episcopos, et eis tradidisse similem potestatem, alios deinceps ordinandi:Id quod ex historiis non solum antiquis Eusebii et similium, sed etiam ex ipsis Centuriis Magdeburgensium aperte ostenditur. Et hinc est quod Paulus, qui extra ordinem apostolus a Christo post a. scensionem in coelum factus est; non frisset agnitus in Ecclesia pro tali, nisi prius in Ecclesia baptizatus fuisset, et ab apostolis dexteras accepiscet; immo et ab illis ordinatus fuisset, ut patet ex act.9. et 13. et Gal. 1. Itaque sicut in populo Testamenti veteris, qui per carnalem generationem propagabatur, nulli erant de populo illo Dei, nisi qui descendebant a duodecim filiis Jacob; nulli sacerdotes, pisi qui descendebant a Levi per Aaron. Et idcirco diligentissime tunc conservabantur genealogiae, ut patet ex toto veteri Testamento: ita in populo Testamenti novi, qui spirituali generatione multiplicantur, nulli sunt Christiani, nisi per apostolos, vel corum successores, aut ab eis missos, conversi; nulli episcopi, nisi qui eisdem legitime succedunt, et ideo tam diligenter annotantur a nostris episcoporum successiones.

Nota tertio, duo requiri, ut aliquis episcopus dicatur ab apostolis legitime descendere, et proinde esse legitimus episcopus, Unum est successio, alterum est ordinatio. Quantum ad successionem, id requiritur, ut is qui verus episcopus haberi cupit, succedat alicui apostolo, quomodo Clemens successit Petro et Polycarpus Joanni, vel certe ut sucoedat alicui, quem aliquis apostolus fecerit episcopum, quomodo Ignatius successit Evodio et Anianus Marco, quos Petrus fecerat episcopos, vel demum, si episcopatus est novus, ut flat episcopus ab eo, qui habet apostolicam auctoritatem, qui est solus rom. pontifex. Nam, ut b. Augustinus scribit in epist. 162. in romana Ecclesia semper viguit a-

postolicae cathedrae principatus.

Ratio hujus est: Quia institutio novorum episcopatuum non potest pertinere ad ullum, qui habeat
definitam regionem, quales sunt episcopi particulares, sed ad eum qui toti Ecclesiae praeest et cui
proprie cura incumbit Ecclesiam propagandi, quales fuerunt omnes apostoli. Petrus quidem ex officio, et caeteri ex delegatione, et quicumque aliter
intrat, non est de Ecclesia apostolica, cum non possit ostendere originem suam ab apostolis. Nec tamen ob id negamus, quin etiam patriarchae et metropofitani aliquando possint nevos episcopatus erigere, quod sanctum Athanasium in oriente, et sanctum Bonifacium in Germania fecisse constat; modo
a sede apostolica facultatem habuerint.

Quantum ad ordinationem autem, requiritur, ut qui fit episcopus, ordinelur a tribus episcopis, qui et ipsi sint ab aliis ordinati, et illi ab aliis, donec ad apostolos veniatur. Id clare habetur canon. 1. apostolorum, ubi praecipitur, ut episcopus ordinetur a duobus vel tribus episcopis, idest, a duobus assistentibus metropolitano, vel a pluribus. Item Anacletus epist. 2. docet, Jacobum ordinatum fuisse episcopum Hierosolymae, a Petro, Jacobo et Joanne, et eodem modo a tribus, ut minimum, omnes alios ordinari debere. Idem habetur in concilio nicaeno 1. cap. 4. et in carthag. IV. cap. 2. Immo apostolus hoc ipsum indicat, com 1. Tim. 4. scribit: Noti negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi cum impositione manuum presbyterit Siquidem nomine presbyterii intelligit eoetum episcoporum, qui simul cum ordinante imponebant manus super caput ordinandi, ut exponunt Chrysostomus, Theopylactus et Oecumenius: Neque mirum est, episcoporam coetum vocari presbyterium; nomen enim presbyteri commune erat olim presbyteris et episcopis, ut patet ex epist. Irenaei ad Victorem, quae est apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 24. Ubi Irenaeus vocat presbyteros romanos pontifices, Victorem, Anicelum, Pium, Telesphorum et Xystum. Itaque dubium esse non potest, quin requirantur ordinarie tres, ut minimum, episcopi, ad novi episcopi ordinationem, nisi forte ex dispensatione cum uno episcopo ordinante adsint abbates infolati, qui vicem episcoporum gerant, ut aliquando fleri solet ob episcoporum raritatem.

Nota quarto, antiquos haereticos consuevisse, ut plurimum Ecclesiam imitari in ordinatione episcoperum, ut patet ex Cypriano 1. lib. epist. 3. et Augustin. epist. 165. et ideo sanctos Patres non reprehendisse in eis, nisi defectum successionis, et ex eo solum probasse, eos non esse veros episcopos, quippe qui ad Ecclesiam apostolicam non pertinerent, cum ab apostolis per successionem non ducerent originem. Nostri autem temporis haeretici neutrum habent, idest, nec ordinationem, nec successionem, et propterea longe inverecundius, quam ulli unquam alli haeretici, sibi nomen

et munus opiscopi usurpant.

Ex quo argumentum insolubile sumitur hoe mo-Bellarmini. Vol. II.

do. Ecolosia non potest esse sine esiscopis, ut ostendimus. Apud Lutheranos non sunt episcopi. nam non habent ordinationem, nec successionem ab apostolis: igitur apud eos non est Ecelesia. Et quidem quod nec Lutherus, qui habitus est episcopus wirtembergensis, nec Zwinglius, qui habitus est episcopus tigurinus, nec Occolampadius, qui in inso sepulchri epitaphio vocatur primus Basileae episcopus, nec Calvinus, qui dictus est episcopus genevensis, nec ulli alii ordinati sint a tribus episcopis, neque ex dispensatione ab uno, assistentibus abbatibus, notissimum est, nec ipsi negant. Ergo saltem Patribus nicaeni et carthaginensis concilii, immo et ipsis apostolis, qui statuerunt, episcopum a tribus episcopis debere ordinari, isti non sunt episcopi, eisque convenit, quod Cyprianus lib. de simplicitate praelatorum ait: Ii sunt. qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assu-

Respondet Brentius: Nos legitime vocati sumus a populo et magistratu, et ab eis episcopatum accepimus, et non nos intrusimus. At contra; Nam hic non disputamus de electione episcopi, quam scimus varie variis temporibus celebratam. Constat enim apostolos et veteres romanos pontifices, misisse episcopos ad varias civitates, sine ullo consensu populorum requisito. Constat etiam, aliquando populam simul cum clero episcopum elegisse, aliquando solum clerum. Caeterum quomodocumque fleret electio, semper fuit necessaria ordinatio, quam non populus, sed soli episcopi, et quidem tres ut minimum, regulariter conferebant, quod nemo nescit, nisi qui nihil legit. Dicat ergo Lutherus, a quibus episcopis ordinalus fuerit antistes wirtembergensis. Dicant etiam caeteri, a quibus fuerint ordinati: sed nec dicunt, nec dicere possunt.

Deinde, guod non successerint in episcopatu antiquis episcopis, certissimum est, tum quia in omnibus urbibus, ubi isti se fecerunt episcopos, erant antea, et sunt etiam modo in plerisque locis episcopi catholici, qui legitime successerunt antiquis; non autem succeditur, nisi episcopis defunctis, aut legitime depositis. Tum etiam, quia ipsi fatentur, se primos esse carum urbium episcopos. Certe Basileue exstat adhuc epitaphium ad sepulchrum Oecolampadii, ubi dicitur, ut paulo anté notavi, et ego ipse legi, non sine risu, Oecolampadius primus illius urbis episcopus. De istis ergo dici potest, quod ait Cyprienus lib. 1. epist. 6. ad Magnum: Novatianus, inquit, in Ecclesia non est, neque episcopus computari potest, qui apostolica traditione contempta, nemini succedens a scipso ordinatus est. Et infre: Aut pastor haberi quomodo potest, qui manente vero pastore, et in Ecclesia Dei ordinatione succedanea, praesidente, nemini succedens, et a scipso incipiens, alienus fit et profanus? Et lib. 4. epist. 2. ed Antonianum: Cornelius, inquit, episcopus factus est, cum Fabiani locus, idest, cum locus Petri, et gradus cathedrae sacerdolalis vacaret, que oscupato de

Dei voluntale, alque omnium nostrum consensione firmata, quisquis jam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est. His similia sunt, quae supra citavimus de successione legitima, ex Irenaco, Tertulliano, Epiphanio, Optato et Augustino.

Sed objiciunt primo, episcopi Papistae deseruerunt veram fidem, ergo non sunt amplius episcopi, ergo merito possunt pii ministri loca eorum

occupare.

Respondeo ad hoc Brentii argumentum (admisso quod sit dubium, ubi sit vera lides, quamquam apud nos certissinum est esse): Episcopos catholicos, qui per tot saccula possederunt sedes suas pacifice, non posse eis privari, nisi legitime judicentur et damnentur. Nam in omni controversia melior est conditio possidentis. Constat autem, episcopos catholicos in nullo legitimo judicio esse damnatos. Quis enim eos damnavit, praeter Lutheranos? At ipsi accusatores sunt, non judices. Quis enim eos constituit judices nostros? Praeterea etiam si nostri jam damnati essent, non continuo illi succedunt, cum nemo eos episcopos instituerit, qui habuerit instituendi episcopos auctoritatem: nec veri sint episcopi cum eos nemo ordinaverit, qui habuerit jus ordinandi, ut supra ostendimus.

Secundo: Objicit Brentius ibidem, idest, in prolegomenis contra Petrum a Soto. Caiphas legitime successit antiquis pontificibus, et poluisset usque ad Aaronem deducere majores suos, et tamen non petierunt apostoli, ut a Caipha ordinarentur; sed Caipha, et omnibus illis pontificibus, qui legitime succedebant invitis, facti sunt episcopi et pontifices sine ulla successione, ergo etiam modo cum ordinarii episcopi imitentur. Caipham, licet sine eorum ordinatione et successione episcopatum

gerere.

Respondeo: Sacerdotium Aaronicum fuisse, temporale, et solum durasse usque ad inchoationem novi Testamenti; deinceps autem coepisse sacerdotium secundum ordinem Melchisedech a Christo institutum, cujus sacerdotii cum primitiae fuerint apostoli, non debuerunt succedere Caiphae, sed esse principium novi sacerdotii, ut patet ex psalm. 109. Tu es sacerdos in aeternum; et ex cap. 7.ad Hebraeos. Sicut ergo ab Aaron usque ad Christum non fuerunt veri sacerdotes, nisi qui successerunt Aaroni, ita ab apostolis usque ad finem mundi non erunt veri sacerdoles, nisi qui apostolis succedent. Yerum tamen est, quod ut cum honore sacerdotium Aaronicum deserretur ad sepulturam, apostoli illud honorabant, ut patet ex Cypriano lib. 1. epist. 3. ad Cornelium, et lib. 4. epist. 9. ad Florentium Pupianum, ubi adducit illud ex Act. 23. Nesciebam fraires, quia princeps sacerdolum est.

Tertio: Objicit Calvinus lib. 4. Instit. cap.2.§ 2. et 3.cur non enumeremus etiam successiones episcoporum Africae, Aegypti et totius Asiae; et respondet ipsemet nobis insultans, quia periit ibi sa-

crosancia ista successio.

Respondeo: Vel Calvinus ex eo, quod periit successio in illis locis, vult concludere, non esse Ecclesiam, vel esse Ecclesiam; si Primum, pro nobis facit: Nam si ibi non est Ecclesia, quía ibi non est successio, ergo hic est Ecclesia, quía hic est suc-

cessio. Si secundum, respondemus, cos qui ibi ad veram Ecclesiam pertinent, non posse quidem ostendere successionem continuam episcoporum snorum particularium, sed posse ostendere successionem continuam episcoporum universalium, qui sunt romani episcopi, quibus illi subjectos se esse fatentur. Haec enim est caussa, cur veteres episcopi magis solliciti fuerint de successione romani pontificis, quam de sua. Irenaeus erat episcopus lugdunensis in Gallia, Optatus et Augustinus erant episcopi in Africa, Epiphanius Salaminae in Cypro. Eusebius Caesareae in Palaestina, et tamen nullus eorum texere voluit suae Ecclesiae successionem. sed romanae tantum Ecclesiae. Satis enim illis videbatur ostendere continuam successionem in Ecclesia principali, cujus ipsi se membra esse gau-

Quarto: Objicit idem Calvinus. In Ecclesia graeca adhuc servatur successio non interrupta episcoporum, et tamen non est illa vera Ecclesia, secundum opinionem nostram, non igitur successio est

Nota verae Ecclesiae.

Respondeo primum: Non posse ostendi in Ecclesia gracca certam successionem; nam imprimis fatetur Calvinus, in Asia et Aegypto, et proinde Antiochiae, Hierosolymae et Alexandriae interruptam fuisse successionem; sola restat constantino politana Ecclesia ex patriarchalibus, quae non videtur unquam caruisse proprio patriarcha. At constantinopolitana Ecclesia non est apostolica, nec ostendit certam originem ab apostolis; Tametsi enim Nicephorus patriarcha in Chronologia conetur deducere ab Andrea apostolo successionem episcoporum Bizantii, tamen nulli veteres id tradunt, nec unquam a Patribus Ecclesia bizantina, sive constantinopolitana dicta est apostolica, et Patres concilii constantinopolitani I. in epist. ad Damasum romanum pontificem, aperte fatentur, Ecclesium illam novellam esse. Itaque habet quidem Ecclesia constantinopolitana qualemcumque successionem a tempore Constantini hucusque, non autem ab apostolicis temporibus, quod praecipue quaeritur.

Dico secundo, argumentum a successione legitima adferri a nobis praecipue ad probandum non esse Ecclesiam, ubi non est haec successio, quod quidem evidens est; ex que tamen non colligitur necessario, ibi esse Ecclesiam, ubi est successio. Itaque hoc argumento probamus evidenter, non esse Ecclesiam apud Lutheranos. Quod autem apud Graecos non sit Ecclesia, probamus alio modo, quia nimirum convicti sunt legitime in tribus plenariis conciliis, lateranensi, lugdunensi et florentino, de schismate et haeresi: Ac praecipue de haeresi circa processionem Spiritus sancti a Filio, quam esse manifestam haeresim, Lutherani et Calvinistae et-

iam confitentur.

Adde ultimo, quod omnes Ecclesiae illae patriarchale habuerunt per longa tempora episcopos manifestos haereticos, et proinde interrupta est veterum pastorum successio.

Quinto: Objicit idem Calvinus, veteres Patres, qui ostendunt Ecclesiam ex successione pontificum romanorum, id facere, quia illis temporibus constebat non fuisse mutatam fidem et religionem in Ecclesia romana; at nunc contrarium con-

Respondeo: Vel intelligit Calvinus, eo tempore constitisse catholicis tantum, vet catholicis simul et haereticis, quod in romana Ecclesia non esset mutata religio. Si primom essumat, nihil dicit, nam etiam hoc tempore catholicis constat, non esse in romana Ecclesia mutatam religionem. Si secundum asserat, aperte mentitar. Nulli enim fuissent haeretici, si semper omnes putassent, in romana Ecclesia esse veram Adem. Praeterea Donatistae romanam Ecclesiam oppugnabant, ut nunc faciunt Luherani et Calvinistae.

Optatus lib. 2. cont. Permenianum: Unde est, inquit, quod claves regni vobis Donatistae usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris praesumptionibus et audaciis sacrilegio militatis? Et August. lib. 2. contra literas Petil. cap. 51. Cathedra tibi quid fecit Ecclesiae romanae, in qua Petrus sedit, et in qua nunc Anastasius sedet? Cur appellas cathedram pestilentiae, cathedram apostolicam? Et tamen Optatus et Augustinus a successione ista contra Donatistas argumentantur, ut supra diximus.

#### CAPUT IX.

#### Nota sexta.

Sexia Nota est Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua. Vera enim Ecclesia dicitur apostolics, teste Tertull. lib. de praescript. non solum propter successionem episcoporum ab apostolis, sed eliam propter doctrinae consanguinitatem, ut ipse loquitur, quia videlicet doctrinam retinet, quam apostoli tradiderunt. Certum autem est, antiquem Ecclesiam primis quingentis annis veram Ecclesiam fuisse, et proinde apostolicam doctrinam relinuisse. Quare laudatur Theodosius imperator a Sozomeno lib. 7. hist. cap. 12. quad hac arte compescuerit haereticos sui temporis. Jussit principes sectarum convenire, deinde petiit, an existimarent, antiquos Patres, qui Ecelesiam rexerant ante dissidium illud, quod tunc de religione ortum fnerat, recte consensisse, et vere sanctos et apostolicos fuisse, quod cum illi concessissent, subjunxit: Examinemus ergo doctrinam vestram ad illorum scripta, et si cum illis consenserit, retinealur, sin minus, abjiciatur.

Jam duobus modis possemus ex hac Nota prohare nostram esse veram Ecclesiam, non autem adversariorum. Primo, proferendo sententias veterum, quibus singula nostra dogmata confirmaremus, adversariorum refutaremus; sed hic modus
prolixissimus esset, et multis calumniis et objectionibus obnoxius. Altera via est brevior et certior, nimirum ostendendo primum ex confessione
adversariorum, nostra dogmata esse doctrinam omaium veterum. Deinde, dogmata adversariorum
habita fuisse in Ecclesia antiqua pro exploratis
haeresibus. Sic enim constabit, doctrinam nostram

conspirare cum doctrina velerum catholicorum, doctrinam vero illorum conspirare cum doctrina veterum haereticorum.

Ac primum Calvinus in sua institutione cum nostra oppugnat, passim fatetur, se repugnare toti antiquitati: Ex quo sequitur, nostra esse omnino antiquitati consentanea. Sic igitur ail lib. 2. cap. 2. § 4. Semper apud Latinos nomen liberi arbitrii exstitti, apud Graecos vero àuxeξούσιος vocabulum multo arrogantius. Et infra § 8. Ego vero neque ipse hujusmodi vocem usurpare velim, et alios, si me consulant, abstinere optarim. Ibidem dicit, omnes veteres, excepto Augustino, in hac re plus aequo extulisse humanas vires, et de libero arbitrio aut variasse, aut vacillasse, ut nihil certi ex

eorum scriptis sumi possit.

Ita profitetur, se nullum veterum, excepto Augustino, sequuturum; et paulo post etiam Augustinum deserit. Nam lib. 2. cap. 3. § 7. reprehendit illam Augustini sententiam, ex epist. 106. voluntatem nostram cooperari gratiae, non ut praeviam, sed ut pedissequam, atqui, ait Calvinus, nec ut pedissequam cooperari, sed simpliciter totum fleri a gratia. Et lib. 3. cap. 11. § 15. Ac ne Augustini quidem, inquit, sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, quia in vitae novitatem regeneramur per spiritum. Itaque in articulo de grafia et libero arbitrio fatetur Calvinus se toti antiquitati repugnare. Item lib. 2. cap. 14. § 3. Excusari non potest veterum error, inquit, qui dum ad mediatoris personam non attendunt, tolius fere doctrinae, quae in evangelio Joannis legitur, jejunium observant sensum, seseque implicant multiloquiis. Docet hoc loco Calvinus, Filium Dei subjectum esse Patri etiam ratione divinitatis; et quia omnes veteres contrarium docent, ipse ait, omnes errasse, neque corum errorem excusabilem essc.

Item lib. 2. csp. 16. § 9. Fabula, inquit, de loco subterraneo, qui dicitur limbus, tametsi magnos auctores habeat, tamen nihit aliud quam fabula est. Vocat magnos auctores, antiquos Patres; nam scholasticos doctores non solet appella-

re, nisi sophistas.

Item lib. 3. cap. 3. § 10. Ab uno Augustino inquit, sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere volunt. Porro inter illum et nos, hoc discriminis videri potest, quod ipse morbum concupiscentiae. tunc demum peccatum fieri docet, cum appetitioni cedit voluntas; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino cupidilate contra legem Dei homo titillatur, immo ipsam pravilatem, quae hujusmodi cupiditates nobis general, asserimus esse peccatum. Hic aperte omnibus Patribus se fatetur contrarium, atque ipsi etiam Augustino, in quaestione de concupiscentia, quae praecipua quaestio est. Nam ex hoc fundamento deducunt non esse in nobis veram justitiam, sed tantum imputativam, et nuila esse bona merita, immo omnia opera esse peccala.

Item lib. 3. cap. 4. § 38. Omnes fere veteres, inquit, quorum libri existunt, aut hac in parte lapsi sunt, ubi de satisfactione agitur, aut nimis

aspere et dure loquuti sunt. Item lib. 3. cap. 5. § 10. Ante mille et trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. Sed veteres omnes, fateor, in errorem abrepti sunt. Item lib. 3. cap. 15. § 2. Usi sunt, fateor, passim vetusti doctores nomine meriti. Et infra dicit, pessime consuluisse sidei sinceritati, qui hoc nomen invenit. Item lib. 4. cap. 4. § 10. Peccavit antiquitas immodica severitate, quod plus requireret in episcopo, quam Paulus requirat, ac praesertim successu temporis, coelibatum. Item lib. 4. cap. 12. § 8. Excusari nullo modo potest immodica veterum austerilas, quae et prorsus Domini praescriplo dissidebat, et erat mirum in modum periculosa, cum peccalori poenitentiam solemnem nunc in septem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indicerent. Nota, Calvino ita videri hoc asperum, quia ipse putat, per fidem sic justificari hominem, ut nihil pene luendum restet. Quod si verum esset, rectissime accusaret omnes veteres; proinde sequitur sententiam nostram de poena remanente post remissionem culpae, judicio Calvini sententiam esse omnium veterum.

Item lib. 4. cap. 12. § 20. Non in totum excusare audeo veteres; qui et superstitionis quaedam semina jecerint, et occasionem praebuerit tyrannidi, quae postea exorta est, et tunc passim invaluerat, superstitiosa quadragesimae observatio, quia et vulgus eximium aliquod obsequium praestare se Deo in ea existimabat, et pastores eam commendabant pro sancta imitatione. Et infra; Fuit igilur mera κακοζηλία et superstionis plena, quod titulo ac colore imitationis Christi jejunium ordinabant. Ibidem § 23. Quod sacerdolibus interdictum fuit conjugium, id factum est impia tyrannide. Quando autem suerit interdictum, notat ipse in margine ponens: Syricius in epistola ad episcopos Hispaniae. Porro Syricius fere ante annos 1200, sedit. Et infra subjungit de hac lege: Hacc quae videbantur reverentiam sacerdotio conciliare, magno plausu etiam antiquitus recepta esse fateor.

Idem lib. 4. cap. 15. § 20. Quod multis ab hinc saeculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum video. ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quam firma ratione possit defendi. Item lib. 4. cap. 18. § 21. Excusari non posse arbitror, veleres quin aliquod in actionis modo peccaverint; imitati sunt enim judaicum sacrificandi morem magis quam aut ordinaverit Christus, aut evangelii rutio sinebat. Haec Calvinus.

Jam Centuriatores in singulis centuriis ad finem 4. capitis, annotant, omnes fere doctores illius saeculi. docuisse ea dogmata, quae nos hoc tempore tuemur, quae ipsi naevos sanctorum Patrum vocant. Et quia de omnibus dicere nimis longum esset, annotabo solum aliqua pauca ex 2. 3, 4. et 5. Centuriis.

In secunda ergo Centuria cap. 4. col. 59. de libero arbitrio, dicunt, id ab omnibus Patribus ejus saeculi concessum fuisse: Eodem, inquiunt, modo Clemens liberum arbitrium ubique asserit, ut appareat in ejusmodi tenebris, non tantum fuisse omnes ejus saeculi doctores, verum etiam in posterioribus eas subinde crevisse et auctas esse.

Notandum autem est. Lutheranos habere articulum de libero arbitrio pro fundamento totius suae doctringe. Lutherus enim in assert.artic. 36. dicit, huno articulum esse optimum, et summum rerum suarum, adeo ut articuli de papatu, de conciliis aliisque similibus rebus nugae dici possint. Itaque in praecipua controversia, et in ipsa summa rei omnes veteres (testibus Magdeburgensibus) nobis favent. Deinde col. 60. Doctrina, inquiunt, de justificatione negligentius et obscurius ab his doctoribus tradita est. videlicet. non docent nos sola fide justificari. El Centur. 3. cap. 4. col. 83. Videas, inquiunt, in doctorum hujus sacculi scriptis, non obscura vestigia invocationis sanctorum, Et col.85. Martyrium immodice extulerunt omnes hujus aetatis doctores. Nolunt enim Lutherani esse martyrium genus quoddam baptismi, aut ullo modo expiari peccata per martyrium.

Centuria 4. col. 293. ponunt testimonia veterum fere omnium illius saeculi, ut Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Epiphanii, Ephrem, Ambrosii et Prudentii, pro invocatione sanctorum, quam ipsi tamen

idololatriam vocant.

Centuria 5. col. 500. Sicut, inquit, prioribus aliquot saeculis doctrina de libero arbitrio depravata est, ita hoc etiam etc. Et infra: Etiamsi autem interdum bene, et sane videantur loqui, tamen tandem liberum arbitrium in rebus etiam spiritualibus in sua conversione statuunt. Et col. 506. Nimirum haec aetas bonis hominum operibus adscripsit, id quod ex depravato articulo justificationis emanat etc. Et statim citant omnium veterum illius saeculi, etiam Augustini, multa testimonia, quod opera sint meritoria; quod ipsi pro magno errore habent.

Porro eleganter adversus istos, qui omnes antiquos errasse dicunt, loquitur Tertull.lib. de praescriptionibus: Age, inquit, nunc omnes Ecclesiae erraverint; deceptus sit et apostolus de testimonio suo reddendo quibusdam. Nullam respexerit Spirilus sanctus. uti cam in veritate deduceret, ad hoc missus a Christo, ad hoc postulatus de Patre, ul esset doctor veritatis. Neglexerit officium Dei villicus. Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicabat. Et qui verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint? .... Audeat ergo aliquis dicere, errasse eos, qui tradiderunt?Quoquo modo sil erralum,lamdiu utique erravit error, quamdiu haereses non erant. Aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas expectabat. Interea perperam evangelizabatur. Tot millia millium perperam tincta etc.

Nunc ad alteram partem ut accedamus, praemittendum est, in Ecclesia antiqua illos errores habitos esse communiter ab omnibus pro exploratis et damnatis hacresibus, qui ponuntur in catalogo hacresum ab Irenaeo. Hieronymo, Epiphanio, Philastrio, Augustino. Theodoreto, Damasceno, aliisque probatis auctoribus: Nam illi cum essent viri sancti et docti, numquam fuissent ausi, simpliciter in catalogum hacrescon referro ea dogmata, de

quibus in Ecclesia dubitari scivissent. Et praeterea neminem legimus, qui unquam contradixerit his Patribus, tanquam qui non juste aliquem notassent haereseos. Hoc praemisso, aggrediamur catalogum.

Simoniani docebant, salvari homines secundum gratiam Simonis, quem Deum faciebant, et non secundum opera justa, inquit Irenaeus lib. 1. cap. 20. Eunomiani similiter docebant, non posse homini ulla peccata nocere, modo fidem habeat, ut Augustinus testatur lib. de haeres.cap. 54. qui etiam lib. de fide et operibus cap. 14. dicit hanc haeresim de sola side sufficiente ad salutem sine operibus ortam esse tempore apostolorum, ex non intellecto Paulo, et propterea contra hanc haeresim stylum praecipue direxisse alios apostolos in suis epistolis, idest, Petrum, Joannem, Jacobum et Judum. At baec eadem est sententia omnium sectariorum hujus temporis.

Lutherus in lib.de captivitate babylonica cap.de eucharistia; Non alia via, inquit. polest homo cum Deo convenire: aut agere, quam per fidem; opera ille nihil curat. Ibidem : Tam dives est Christianus, ut non possit perire cliamsi velit, quantumcumque male vivat, nisi nolil credere. Etsi autem Calvinus, Brentius, et alii quidam conentur nonnihil temperare hanc sententiam, dum dicunt, opera bona esse necessaria; tanquam effectus fidei, tamen adhuc haerent in eodem errore; nam etiem posita ista necessitate, docent, opera non mereri ullo modo vitam aeternam, etiamsi Deus ea requirat, tanquam testimonia sidei. Haec autem erat ipsissima haeresis Simonis, qui dicebat, hominem salvari per gratiam, non per opera justa. Praeterea posita illa necessitate operum, docent omnes sectarii: Si quis post omnia scelera petrata habeat actum fidei, nullum ei peccatum imputeri, qued mihil est aliud, quam quod Eunomius et Lutherus docent.

Deinde Florini baeresis fuit, Deum esse caussam peccatorum, quam Irenaeus apud Eusebium lib.5. hist. cap. 20. dicebat esse plus quam haeresim, quam etiam tribuit Vincentius Lyrinensis in suo commonitorio Simoni mago. Eandem sine ullo pudore docet Calvinus lib. 1. Instit. cap. 18. § 2. Non solum permissu, inquit, sed eliam voluntate Dei, homines peccant, ita ut nihil ipsi deliberando agilent, nisi quod Deus apud se decreverit. et arcana directione constituit. Et lib. 3.cap.23. § 24. dicit Dei non solum praevisione et permissione, sed etiam voluntate in peccentum lapsum esse Adamum. El infra cap. 24. § 14. Quod, inquit, aliqui verbum Dei audire contemnunt.ipsorum est pravitas.sed in hanc pravilatem a Deo addicti sunt. ul in eis polentiam suam, et severitatem ostendat.

Idem aperte docuit Lutherus in lib.de servo arbitrio, ubi dicit: illud velle, quo Judas voluit Christum prodere, suisse opus Dei, nec suisse in manu Judae, aut ullius creaturae, mutare illam voluntatem. Similiter docuit Petrus martyr in commentario cap. 2. lib. 1. Reg. et Philippus Melanchton in commentario cap. 8. ad Romanos, ubi dicit, ita fuisse opus Dei Judae proditionem, ac Pauli conversionem; quae commentaria adeo dicuntur placuisse Luthero, ut diceret, Philippum secundum esse a Paulo: Hunc tamen errorem Philippus retractavit, tum in Locis, tum in Apologia art.19. Confessionis

Augustanae.

III. Origenis haeresis fuit perdidisse Adamum imaginem Dei, ad quam creatus fuerat, testis est Epiphanius haeres. 64. Idem docet Calvinus lib. 2. Instit. cap. 1. § 5. Per peccatum, inquit, primi hominis obliterata est coelestis imago. Item Origenis fuit error, infernum nihil esse, nisi conscientiae horrorem.teste Hieronymo in epist.ad Avitum. Idem docet Calvinus lib. 3. Instit. cap. ult. § ult.

IV. Peputiani baeretici, ut ait Augustinus lib.de baeres. cap. 27. tantum dant mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur. Lutherus artic. 13. ex iis, quos Leo X. damnavit, dicit in sacramento poenitentiae aeque absolvere posse mulierem, vel puerum, atque episcopum, vel papam:Et jam re ipsa Protestantibus in Anglia mu-

lier quaedam est summus pontifex.

V. Proclus haereticus apud Epiphanium haeres. 64. dicebat, peccatum in renatis semper vivere; concupiscentiam enim vere esse peccalum, nec tolli per baptismum, sed sopiri per fidem; Quod idem postea docuerunt Messaliani haeretici apud Theodoretum lib. 4.de haereticis fabulis. Haec est ipsissima sententia Lutheri artic. 2.el 31. atque in assertionibus eorumdem articulorum. Item Philippi in locis communibus cap. De peccato originis, et Calvini lib. 4. Instit. cap. 15. § 10.

VI. Novatianorum error praecipuus erat, non esse in Ecclesia potestatem reconciliandi homines Dee, nisi per baptismum. Postea etiam addiderunt, non debere baptizatos inungi chrismate ab episcopo.Ita refert Theodoret. lib. 3. de haeret. fabul.et s.Cornelius papa apud Eusebium lib. 6. cap. 33. hist.

Quae sententia pro parte priore expresse Calvinistarum est. Nam Calvinus lib. 4. Inst.cap.19.§ 17. sic ait, nullum esse poenitentiae sacramentum, praeter baptismum : Quod vero Hieronymus ait : Poenitentiam esse secundam tabulam post naufragium; plane impium est, et excusari non potest. Pro altera parte est omnium Lutheranorum. Lutherus de captivitate babylonica cap.de eucharistia, tria tantum agnoscit sacramenta, baptismum, poenitentiam et panem. Tamen infra cap. de extrema unctione, rejicit poenitentiam. Confessio Augustana art. 12. diserte rejicit confirmationem. Et Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. § 5. et sequent.dicit, chrisma nostrum esse oleum diaboli mendaciis pollutum, et propterea Calvinistae ex illo ocreas suas inungunt, cum possunt.

VII. Sabellius docuit, unam lantum esse personam in Deo, non tres, testis Epiphanius hacres. 57. Idem docuit nostro tempore Michäel Servelus lib. 1. de Trinitate, sine ullis ambagibus, el nunc ca

sententia in multis locis regnat.

VIII. Mauichaeorum,inquit Hieronymus in praefatione dialogorum contra Pelagianos, Est, hominum damnare naturam, et liberum auferre arbitrium. Et Augustinus de haeres. cap. 46. Peccatorum, originem, inquit, non tribuunt Manichaei libero arbitrio. Idem aperte sectarii omnes. Lutherus art. 36. dicit, liberum arbitrium esse rem de

solo titulo. In assertionibus autem ejusdem articuli dicit, esse titulum sine re, et omnia ex necessitate absoluta evenire. Et propterea libro, quem scripsit contra liberum arbitrium in Erasmum, nomen posuit, de servo arbitrio. Calvinus lib. 2. Instit. cap. 2. 3. et 4. non permittit homini liberam electionem ulla in re, adeo ut ne ipsum quidem nomen tolerare possit. Hoc tamen est magis impius Calvinus Manichaeo, quod Manichaeus Deo malo tribnat peccatorum originem. Calvinus Deo bono.

Manichaei praeterea accusabant passim Patres Testamenti veteris. ut Abraham, Sampsonem, Saram, Rebeccam, et similes, ut Augustinus testatur lib. 22. contra Faustum, et duobus libris cont. Adversarium legis et prophetarum. Idem fecit Calvinus. Nam lib. 3. cap. 2. § 31. Instit. Sara, inquit, multis modis peccavit, cum ancillam viro suo supposuit. Rebecca vero variis fraudibus, et imposturis Dei veritatem corrupit, cum malo artificio filii benedictionem procurat, maritum decipit, filium mentiri cogit. Item lib. 3. cap. 5. § 8. Superstitione et praepostero zelo non caruit faclum Judae Machabei . qui oblationem misit pro mortuis in Hierusalem. Item lib. 3. cap. 14.§ 11. dicit. Abraham fuisse idololatram. Item lib. 3.cap. 20. § 15. In Sampsone, inquit, cum ait: Robora me Domine etc. vitiosa cupiditas vindictae dominata est. Item lib. 4. c. 15. § 22. posteaquam do-cuerat, mulieri in nullo casu licere baptizare, subdit: Nec in exemplum trahi debet, quod Sephora stulta mulier filium circumcidit, in quo multis modis graviter peccavit.

IX. Donatistae Ecclesiam ex solis justis constare volebant, atque inde deducebant, Ecclesiam visibilem periisse de orbe terrarum, et in sola Africa remansisse, ut Augustinus docet lib. de unit. Ecclesiae, cap. 12. Iidem catholicos crudelissime trucidabant, oderant praecipue monachos et episcopos, quos Pharisaeos vocabant, et in primis episcopum romanum, cujus sedem cathedram pestilentiae appellabant, altaria frangebant, Ecclesias spoliabant, sacros calices vendebant eucharistiam canibus dabant, sacrum chrisma projiciebant, ut patet ex Augustino lib. 2. cont. Petilian. cap. 51. et 61. lib. 3. cap. 40. et epist, 163. et alibi. Idem ex Optato lib. 2. et 6. contra Parmenian.

Eandem esse doctrinam et vitam Calvinistarum certum est, nam Ecclesiam ex solis bonis constare, docet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 1. § 7. quod ctiam docet articul. 7. Confessionis Augustanae. Ecclesiam visibilem a multis saeculis periisse, et nunc solum esse in septentrionalibus partibus, ubi ipsi sunt, docent omnes, praecipue Culvinus lib.4. Instit. cap. 2. § 2. Porro nihil eorum, quae blaspheme, vel crudeliter, vel sacrilege dixerunt Donatistae, vel egerunt in catholicos, et sacramenta, atque altaria etc.omisisse Calvinistas, sed multo plura et majora dixisse, et egisse, patet ex historia Surii, et ex libro, qui nuper prodiit, qui inscribitur; De furoribus gallicis, et aliis auctoribus fide dignis.

X. Ariani docebant, Filium Dei esse Patre minorem, ut est apud Epiphanium haeres. 69. Deinde, jidem Ariani non recipiebant ullo modo traditiones non scriptas, ut docet Maximinus episcopus Arianorum apud August. lib. 1. cap.2. et ult. cont. Maximinum. Quam haeresim postea imitati sunt multi alii, ut Nestorius, Dioscorus, Eutyches, ut habetur in VII. synodo, act. 1. Denique iidem Ariani plura et majora sacrilegia patrarunt in sacramenta, altaria. sacerdotes, monachos, sanctimoniales etc. quam Donatistae. ut patet ex Athanasio in apologia pro fuga sua. Ruffino lib. 11. hist. cap.3. Theodoreto lib. 4. hist. cap. 19. et 20. et Victore Uticensi lib. 2. et 3. de wandalica persequutione.

Primum errorem Arinnorum aperte docent hoc tempore multi, qui Tritheitae dicuntur, at agnosci potest ex Prothesibus Valentini gentilis. Quamvis autem Lutherus, Philippus, Calvinus, et similes habeant Arium pro haeretico, tamen negare non possunt, quin in suis scriptis hujus erroris semina jecerint, unde postea orti isti novi Ariani, quos ipsimet impugnant.ut nos demonstravimus in praefat. libror. de Christo. Deinde alterum errorem docent omnes hujus temporis haeretici. Sectarii enim huius temporis omnes traditiones rejiciunt, ut patet ex Brentio in prolegomenis, Calvino lib. 4. Institut. cap. 8. § 8. et aliis. Porro illa crudelia et sacrilega facinora Arianorum, si tantum nomina mutentur, sunt illa ipsa, quae Calvinistae passim factitant.

XI. Aeriani haeretici, teste Epiphanio haeres. 75. et Augustino lib. de haeres. cap. 33. tres errores docuerunt: Orare, inquit Augustinus, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solemniter celebranda esse jejunia, sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videatur esse sub lege. Denique, presbyterum ab episcopo nulla differentia debere discerni. Addit Epiphanius, cos e contrario consuevisse feria sexta, et in quadragesima, ac praecipue in hebdomada sancta vesci carnibus et si quando jejunare volebant, potius die dominico, quam alio die jejunare solitos.

Eadem docent et faciunt Calvinistae et Lutherani fere omnes. Calvinus instit. lib. 3. cap. 5. § 6. 7. et sequentib.disputat ex professo contra orationem pro defunctis. Idem lib. 4. cap. 12. § 20. dispulat contra jejunium quadragesimae, et superstitiosum vocat. Denique lib. 4. cap. 3. § 8. inquit : Episcoporum, ac presbyterorum, pastorum. ac ministrorum eadem functio et provincia est. Centuriatores Cent. 4. cap. 5. col. 401. cum in aliorum haereticorum erroribus numerandis soleant omittere eos quos suos etiam esse agnoscunt, cum ad Aerium venerunt, quia videbant hos tres errores tantum, tamquam proprios Aerii, ab Epiphanio et Augustino annotatos fuisse, non potuerunt eos omittere: Naque posuerunt illos quidem, sed mox addiderunt, si nihil aliud sit, hos non videri errores, sed contrarios potius. Fatentur igitur, has très sententias sibi cum Aerio esse communes, neque negant, in antiqua Ecclesia pro damnatis haeresibus habitas esse. Ex quo sequitor, ut etiam Centuriatores, licet tum nondum nati, antiquae Ecclesiae haeretici fuerint.

XII. Jovinianus, non posse peccare esseruit hominem post haptismum, si vere baptizatus fuerit, idest, si revera fidem et gratiam Dei acceperit, de-



inde ciborum delectum, et jejunia non esse meritoria: praeterea conjugium virginitati dignitate et merito aequari. Unde etiani aliquot sanctimoniales ejus hortatu nupserunt. Item praemia beatorum esse paria. Denique, b. Mariam in partu carnis virginitatem amisisse: Ita referunt Hieronymus lib. 1. et 2. contra Jovinian. et Augustinus lib. de haeres. cap. 82.

Primus horum errorum est etiam Calvini, lib. 2. Instit. cap. 2. § 11. et 12. ubi dicit, veram fidem, quae a gratia separari nequit opinione ipsius, semel habitam, numquam umitti posse: et ideo non

esse, nisi electorum.

Secundus ejusdem Calvini est lib. 4. cap. 12. § 19. ubi arguit omnes veteres, quod laudaverint jejunium, quasi esset meritorium. Idem error Joviniani habetur in Confessione Augustan. art. 24. et

in locis Philippi, cap. de Mortificatione.

Tertius est error Martini Lutheri in epithalamio, ubi exponens c.7.primae ad Corinth.quatuor comparationes facit. Prima est, castitatis cum matrimonio absolute, et sic fatetur castitatem esse nobilius donum. Secunda, castitatis cum matrimonio coram Deo, et sic dicit esse aequalia. Tertia, mulieris conjugatae cum virgine, et ait: Oportet admittamus mulierem conjugatam coram Deo praestare virginibus. Quarta, status conjugatorum cum statu religiosorum et ecclesiasticorum profitentium coelibatum; et dicit, statum conjugatorum ex natura sua esse spiritualem, divinum coelestem, et quasi aurum: statum vero coelibum esse saecularem, terrenum, et quasi lutum. Similia habet Confessio Augustana, art. 23. et Calvinus lib. 4. instit. cap. 13. § 3.et sequent. De his duobus erroribus Centuriateres, Gentur. 4. cap. 5. col. 381. dicunt, perperam reprebendi Jovinianum, a Hieronymo et Augustino, cum ipsi potius, si contrarium senserunt, fuerial haerelici.

Quartus error Buceri ac Molinaei est. Hic enim Bucero auctore, in tertia unionis evangelicae parte affirmat, Jesum nascentem adaperuisse vulvam b.

Mariae.

Quintus est Lutheri in sermone de natali b. Mariae, et in commentario primue epistolae Petri, ubi dicit, omnes Christianos esse aeque sanctos ac justos, atque est mater Dei: Ex quo sine dubio se-

quitur, fore omnes aeque beatos.

XIII. Vigilantius multa etiam docuit.Primo:Sanctorum reliquias non esse venerandas. Secundo: Orationes mortuorum pro aliis non exaudiri; ex quo sequitur, frastra Sanctos invocari. Tertio: Ecclesiasticos debere esse uxoratos. Quarto: Non expedire relinquere omnia et dare pauperibus, et ad religionem, relicto saeculo, properare: Ita refert Hieronymus in libro contra Vigilantium.

Eadem emnia docent nunc sectarii. Lutherus in sermone de sancia Cruce dicit, reliquias sunctorum esse fidelium seductionem, et ideo sub terram penitus condi debere; Et in libro de abroganda missa, parte 3. affirmat, non majorem esse Deo curam de sancto sepulchro Domini, quam de bobus, de quibus apostolus ait: Numquid Deo est cura de bobus? Idem Lutherus lib. de eucharistia ad Waldenses dicit, stultam et perniciosam esse sancte-

rum invocationem. Idem in Epithalamio dicit: Matrimonium jure divido esse praeceptum omnibus, etiam ecclesiasticis et monachis, qui non sentiunt se habere denum continentiae. Vocat autem ipse donum continentiae, non gratiam, qua non consentimus tentationibus carnalibus, sed qua non tentamur, quale donum fere nulli habent. Denique, idem fere in lib. de votis monasticis ex professo dehortatur a religione, et solum permittit, ut foeminae 60. annorum, et viri 80. vel 100. annorum in monasteriis maneant. Eadem docet Confessio Augustana; nam contra sanctorum invocationes agit art. 21. contra clericorum continentiam et monachorum, art. 23.

Similiter Calvinus contra invocationem sanctorum agit lib. 3. Instit. cap.20.§ 21. Ubi etiam dicit: Papistas in suis Litaniis, Hymnis et Prosis, in quibus Sanctis mortuis nihil non tribuunt, nullam Christi mentionem facere, quod est mendacium crassissimum. Contra reliquiarum visitationem agit, lib. 4. cap.13.§ 7.et in lib.quem inscripsit, Admonitionem de reliquiis. Et reipsa Calvinistae combusserunt, et in flammam projecerunt corpora sanctorum Irenaei, Martini, Hilarii, Bonaventurac etc. Contra coelibatum elericorum et monachorum professionem disputat Calvinus lib. 4. cap. 12.et 13.totis capitibus. Denique Centuriatores non voluerunt numerare Vigilantium inter baereticos, sed scribunt de eo Centur. 4. cap. 8. col. 602. ubi dicunt fuisse contentionem inter duos sanctos presbyteros, idest Vigilantium et Hieronymum de reliquiis, invocatione sanctorum etc. sed Hieronymum clamoribus tantum egisse, Vigilantium autem solidis rationibus. Ubi etiam impudentissime censuram quandam Erasmi in librum Hieronymi contra Vigilantium tribuunt Gregorio, quasi Gregorius desiderasset in Hieronymo modestiam. Sed de his alias.

XIV. Pelagiani duo inter alia docebant. Primo, non esse in hominibus peccatum originale, et praecipue in filiis fidelium: Ita refert Augustinus lib. 6. cont. Julianum cap. 2. et 3. et lib. 4. ad Bonifacium c. 2. et 4. Secundo, per quodlibet peccatum, quamvis levissimum, perdi justitiam, ac proinde omne peccatum esse mortale. Ita refert b. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos. Primum horum diserte docent Zwinglius in lib. de baptismo, Martinus Bucerus in cap. 3. Mattheei, et Calvinus lib. 4. Inst. c. 15. § 20. nisi quod Zwinglius negat simpliciter peccatum originale in quolibet homine, et tantum vult miserias quasdam per Adamum nos contraxisse, Bucerus autem et Calvinus, solum in filiis fidelium negant peccatum originale, quos dicunt sanctos nasci, et salvari etiam sine baptismo. Errorem alterum docent omnes sectarii. Lutherus assert. art. 32. Philippus in locis cap. de discrimine peccati mortalis et venialis, Calvinus lib. 2. Instit. cap. 8. § 58. et lib. 3. sup. 4. § 28. caeteri oinnes omne peccalum natura sua volunt esse mortale.

XV. Nestoriani docuerunt, in Christo duas esse personas, et duas naturas; ita Theodoretus lib. 4. de hueret. fabulis. lidem omnes veteres contempebunt, leste Vincentio Lyrinensi, id quod egregie praestat Lutherus, Calvinus et alii omnes; Errorem autem praecipuum Nestorii docet hoc tempore Theodorus Beza sive ex ignorantia, sive ex malitia, qui in lib. de hypostatica duarum in Christo naturarum unione, dicit, se duas uniones hypostaticas in Christo ponere, unam animae cum carne. alteram divinitatis cum humanitate.

XVI. Eodem tempore fuerunt aliqui, nescio an etiam ipsi Nestoriani essent, qui docuerunt, in eucharistia non manere corpus Christi, si servetur in alteram diem, quos Cyrillus in epist.ad Calosirium episcopum insanire dicit. Hunc errorem rursum excogitavit Bucerus, docens, in eucharistia non esse Christi corpus, nisi quando sumitur. Vide Cochlaeum tract. 8. lib. 3. Miscellaneorum. Idem postea docuit Philippus Melanchthon in locis cap. de coena Domini, et Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. § 39.

XVII. Eutychiani docuerunt, unam esse in Christo naturam, sicut unam personam; ita refert Theodoretus lib. 4. de haeret. fabulis. Eandem hoc tempore multi instaurarunt. In primis Gaspar Swenckfeldius in lib. de divina majestate humanitatis Christi, asserit, post ascensionem Christi humanam ejus naturam conversam esse in divinam, et jam esse verum Deum, non creaturam. Idem, vel aliquid aliquanto pejus videtur sensisse Brentius, qui in sermone de ascensione Domini docet: Christi humanitatem ab ipsa incarnatione semper fuisse ubique. Idem docet Jacobus Smidelinus in disputatione Tubingensi cap. 34. de qua re vide libros nostros de Christo.

XVIII. Xenajas persa primus palam asseruit , Christi et sanctorum imagines non esse venerandas:testis Nicephorus lib.16.cap.27.Idem nunc Calvinus lib. 1. Instit. cap. 11. toto. Ubi etiam § 7. non vult ullo modo erigi signum crucis: in quo se fratrem diaboli ostendit, nisi quod diabolum ipsum impietate vincit. Diabolus enim crucem execratur, quia timet, et timendo honorat; Calvinus execratur, quia despicit, atque irridet. Ibi etiam § 13. dicit, primis quingentis annis nullas fuisse imagines in templis Christianorum, quod est insigne mendacium, etiam ipso Calvino teste; Nam in praefat. Instit. dicit, Epiphanium in epist. ad Joannem hierosolymitanum scribere, se in templo vidisse imaginem Christi, aut nescio cujus sancti pendere: Et praeterea Lactantius in carmine ad crucifixum, Basilius in oratione in Barlaam, circa finem; Nysse. nus oratione in Theodorum, non procul ab initio; Paulinus Natali X: s. Felicis; Prudentius de s. Cassiano; Evodius lib. 2. de miraculis s. Stephani; Athanasius, sive quicumque est auctor quaestionum ad Antiochum q. 16. docent, suo tempore imagines sanctorum fuisse in templis:istos autem omnes vixisse ante mille et centum annos, notissimum est. Adde, quod Nicephorus lib. 14. cap. 2. dícit, imaginem b. Mariae a s.Luca depictam, positam fuisse in templo, quod Pulcheria soror Theodosii Constantinopoli exstruxit in honorem b. Virginis.

XIX. Lampetiani docuerunt, monasteria debere esse libera, idest, sine votis perpetuis; ita refert Damascenus lib. de centum haeres. circa finem. Idem hoc tempore Lutherus, qui in lib.de votis monasticis dicit, non posse voveri pie in monasteriis, nisi hac forma; Voveo castitatem, paupertatem et obedientiam usque ad mortem, libere, idest, ut mutare possim, quando volo.

XX. Quorumdam, qui negabant, eucharistiam vere esse carnem Christi, et lantum esse volebant figuram, seu imaginem corporis Christi; ita refertur in VII. synodo act. 6. tom. 3. Et longe antea ex Ignatio idem refert Theodoretus in dialogo, qui dicitur Impatibilis. Hanc haeresim docent hoc tempore Zwinglius in lib. de verbis coenae Domini, et Calvinus lib. 4. Instit. cap. 17. § 12.

Habemus hactenus viginti Haereslarcharum haereses, quae damnatae sunt ab Ecclesia, quae fuit primis 700.annis, quas haereses cum nos pro haeresibus, adversarii nostri pro articulis fidei habeant, sequitur nostram doctrinam conspirare cum doctrina antiquae Ecclesiae, Adversariorum autem cum haeresibus antiquis.

#### CAPUT X.

#### Nota septima.

Septima Nota est Unio membrorum inter se, et cum capite; nam Ecclesiam esse unum corpus, unam sponsam, unum ovile, passim Scripturae docent, ad Rom. 12. Cantic. 6. Joan. 10. et in symbolo constantinopolitano, dicimus unam Ecclesiam. Praecipua autem unitas corporis consistit in conjunctione membrorum cum capite, et inter se. De utraque unione dicendum est, et primum de prima; Sed quoniam de capite Ecclesiae, qui est romanus pontifex, alibi disseruimus, bic solum, aliquot in medium allatis testimoniis Patrum, ostendemus, apud veteres semper fuisse habitam pro nota verae Ecclesiae conjunctionem cum romano pontifice.

Irenaeus lib. 3. cap. 3. aperte dicit, ad romanam Ecclesiam, propter potentiorem principaliatem, nécesse esse omnem convenire Ecclesiam, idest, eos, qui undique sunt fideles. Cyprianus lib. 1. epist. 3. Post ista, inquit, adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent, et ad Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis literas ferre, nec cogitare eos esse romanos, ad quos perfidia habere non possit accessum. Et lib. 4. epistol. 8. de cathedra romani pontificis loquens: Scimus, inquit, hortatos nos esse, ut Ecclesiae catholicae matricem et radicem agnoscerent et tenerent. Ambrosius in oratione de obitu Salyri: Rogavit, inquit, si cum episcopis catholicis, idest, si cum Ecclesia Romana consentiret.

Hieronymus in epist.ad Damasum de hyposlasis nomine: Hic, inquit.in tres partes scissa Ecclesia, me ad se rapere festinat. Ego interim clamito: Si quis cathedrae Petri jungitur. meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi haerere se dicunt. Possem credere, si hoe unus assereret; nunc

aut duo mentiuntur, aut omnes. Et in epist. superiori: Ego, inquit, beatitudini tuae, idest, cathedrae Petri communione consocior: Super illam
petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque
extra hanc domum agnum comederit, profanus
est; Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem, Metetium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non
cottigit, spargit, idest, qui Christi non est, Antichristi est. Et in epitaphio Marcellae scribit, s. Athanasium et ejus successorem Petrum, alexandrinos episcopos, persequutionem arianae haereseos
declinantes, tanquam ad tutissimum suae communionis portum, Romam confugisse.

Optatus lib. 2. contra Parmen. a principio per aliquas paginas, decet, verae Ecclesiae dotem primam, et praecipuam esse cathedram Petri, quae Romae est, et inde probat, Donatistas non pertinere ad Ecclesiam veram, quia non essent conjuncti cum Syricio, equi tunc sedebat in cathedra

Petri.

Augustinus in epist. 162. loquens de Ceciliano episcopo: Qui, inquit, posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret Romanae Ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus, per communicatorias literas esse conjunctum? Et in psal.cont.partem Donali: Venite fraires, si vullis, ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videamus praecisos ita jacere: Numerale sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede, in ordine illo Patrum quis, cui successerti, videte: Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae. Leo epist. 87. ad episcopos viennensis provinciae: Praedicationis, inquit, evangelii sacramentum ita Dominus ad omnium apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso quodam capite dona sus, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se musterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere.

His adde experientiam; Videmus enim omnes illas Ecclesias, quae ab isto capite se diviserunt, tan: quam ramos praecisos a radice, continuo aruisse. Certe Ecclesiae asiaticae et africanae, quae quondam ita florebant, ut numerosissima concilia celebrarent, et semper haberent multos homines, vel doctrina, vel sanctitate, vel utroque Dei munere clarissimos, ab eo tempore, quo a Romana Ecclesia schisma fecerunt, nulla concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines fama sanctitatis, aut doctrinae toti orbi notos, et nunc in summa ignora-

tione versantur.

Veniamus nunc ad consensionem membrorum inter se. Certum est, Concordiam esse signum regni Dei, qued stare debet in aeternum:Discordiam autem. regni diaboli, qued tandem ruere debet. Unde Matth. 12. Omne regnum in seipsum divisum, desolabitur. Et 1. Corint. 14. Non est dissensionis Deus, sed pacis. Et d. August. lib. 18. de Civit. Dei cap. 52. dicit, diabolum cupivisse per haereticos efficere, ut in Ecclesia Christi essent liberae dissensiones, quemodo erant in academiis philosophorum:ut sicut illae per multas divisiones

BELLARMINI. Vol. II.

tandem intercunt, et ab invicem consumuntur, ita fieret in Ecclesia.

Jam ex hac nota clarissimum est nostram Ecclesiam solam esse veram Dei Ecclesiam: Si quidem in nostra Ecclesia in primis omnes scriptores sacri mirifice inter se consentiunt, licet fuerint homines diversi, et in locis, temporibus, ac linguis diversi scripserint, quod pro re plane divina b. August. observat lib. 18. de Civ. Dei cap. 41. Deinde omnia legitimorum conciliorum et pontificum decreta etiam in omnibus dogmatibus intèr se conveniunt, licet edita sint a diversis hominibus, diversis locis, temporibus, occasionibus, et contra diversissimas, immo saepe contrarias haereses. Quod est apertum signum unius et ejusdem Spiritus sancti, hanc Ecclesiam gubernantis, Hoc autem esse verum, ostendit diligentia haereticorum, qui licet omnia diligenter evolverint, tamen non invenerunt quidquam ullius momenti, quod reprebendere possent; ut in disputatione de conciliis ostendimus.

Denique, nunc omnes catholici, toto orbe dispersi de omnibus dogmatibus fidei sentiant idem. Nec possunt aliter sentire, cum omnes subjiciant sensum suum sensui unius, et ejusdem summi pastoris ex cathedra Petri cum consilio aliorum pasto-

rum Ecclesiam dirigentis.

Quod autem nulla unquam fuerit secta gentilium, vel haereticorum, in qua talis consensio esset; facile potest ostendi. Ac primum de paganorum sectis, docet Augustinus serm. 11.de verbis Domini, ad camdem religionem apud cos Junonem et Herculem, aliosque deos inter se dissidentes, et etiam belligerantes pertinuisse. De philosophis notum est omnibus adeo, ut Basilius orat. 1.de opere sex dierum dicat, non esse opus, ut nos pugnemus contra philosophos, cum illi mutuis dissentionibus sufficiant ad suam ipsorum doctrinam evertendam: De quo etiam vide Theodorelum lib. de fide, et Augustiaum lib. 18. de Civ. Dei cap. 41.

Eumdem suisse morem omnium haereticorum, certissimum est; Nam Irenaeus lib. 1. cap. 21. et sequentibus docet, haeresim Simonis primi haeresiarchae mox divisam, et inde natas esse sectas Menandrianorum, Basilidianorum, Saturninianorum etc. Item lib. 1. cap. 5. scribit de Valentinianis, quod cum essent plurimi, vix duo, aut tres inter se convenichant in omnibus dogmatibus. De Donatistis scribit Augustinus lib. 1. de baptismo cap. 6. haeresim Donatistarum in multa minutissima fru-

sta concisam fuisse suo tempore.

Marcionistas mox divisos fuisse, et inde natos Lucianistas, Appellianos et Severianos docet Epiphanius lib. 1. tom. 3. contra haereses. Montanistas divisos esse in Pepuzianos, Artotyritas, Phrygastas etc. scribit Epiphanius lib. 2. tom. 1. Manichaeos quoque in sectas divisas testatur Augustin. lib. de haeres. cap. 46. Messalianos autem divisos in Martyrianos, Sathanianos, Entusiastas, docent Epiphanius haeres. 80. Theodoretus lib. 4. de haeretic. fabul. Ariani mox divisi sunt in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos, ut petet ex Ruffino lib. 10. hist. cap. 25. lidem etiam Ariani singulis fere annis fidem mutabant, ut scribit Hilarius in utroque libro ad Constantium. Pari ratione Eutychiani

ita divisi fuerunt, ut omnes fere sectae, quae postea exstiterunt in oriente, sint proles Eutychianorum, ut patet ex Evagrio lib. 3. et 4. histor. et ex Damesceno lib. de centum haeresibus.

Denique nostro tempore constat ex Friderico Staphyte in libello de Concordia discipulorum Lutheri, Lutheranos vixdum natos, dividi coepisse in Anabaptistas, Confessionistas et Sacramentarios; et rursum singulas sectas in alias et alias usque ad 34. et hoc quidem tempore Staphyli; Nune autem numerantur fere 100. diversissimae sectae ab uno Luthero prodeuntes. Id quod fit magna providentia Dei; nam hoc modo haereses seipsas consumunt; divisio enim earum non est mathematica, quae procedit in infinitum. Unde Isaiae 19. dicitur: Concurrere factam Aegyptios adversus Aegyptios. Et Hilerius lib. 7. de Trinitate: Bellum haereticorum, inquit, pax est Ecclesiae.

Adde, quod iidem etiam auctores haeretici secum non consentiunt, quae est certissima nota falsae doctrinae, ut ipsemet Lutherus ait in lib. de votis monasticis: Mendacia, inquit, certius dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt. A Deo enim ita ordinatum est, ut impii semper seipsos confundant, et quod mendacia non consonent, sed semper contra sometipsa testentur. Porro Lutheri contradictiones innumeras collegit Joannes Cochlaeus in Septicipite. Ubi ad finem adjecit 36. varias sententias unius Lutheri de uno articulo, idest, de communione sub utraque specie. Confessionem quoque Augustanam, quam ponnes pro sacrosancia habent, ila immularuni, et varia ediderunt, ut nesciant ipsi, quae sit vera Confessio Augustana, de qua re consule Harmoniam Andreae Fabritii Leodii, ubi videbis praeter caetera editionem anni 30. et editionem, anni 40. quarum una duplo est major altera.

Sed ad hoe argumentum adversarii respondent ut possunt. Calvinus in primis in praesatione Instit. dicit, non esse mirum si ex religione sua mox oriantur divisiones, et sectae contrariae. Nam id accidit etiam Ecclesiae apostolorum; Ex ca emim prodierunt Simoulani, Nicolaitae etc. semper enim diabolus, ubi videt bonum semen seminari, accedit, et superseminat zizania. Deinde, idem Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. § 14. dicit, ex hac nota colligi, non esse apud nos veram Ecclesiam. Nom tot sunt apud nos schismaticorum conventicula, et divisiones, quot sunt monasteria. Olim enim morachi vivebant quidem separati ab aliis sed non percipiebant sacramenta separatim; immo concurrebant ad Ecclesias ordinariorum ministrorum, et ibi cum reliqua plebe sacris intererant. Nunc autem singula monasteria sibi privatum altare erexerunt, et sacramenta percipiunt separati a populo christiano, quod etiam nominibus testantur, cum alii benedictini, alii franciscani, alii dominicani dicantur. Tertio addunt alii, plures apud nos esse sectas., Thomistarum, Scotistarum et similium, quam apud illos.

Respondeo ad primum: Hoe esse discrimen inter divisionem haereticorum ab Ecclesia, et divisionem ab aliqua haeresi, quod in Ecclesia catholica invenitur certa regula componendarum controversia-

rum, idest, sententia summi pastoris, vel concilii plenarii, et ideo non oritur ex doctrina Ecclesiae dissensio, sed ex sola malitia diaboli. Praeterea undecunque oriatur, mox damnatur, et ejecto haeretico scissura resarcitur, nec ulterius in ipsa Ecclesia progreditur. At apud haereticos non est ulle regula fintendarum controversiarum. Quisque enim se praeponi aliis, et quisque vult esse judex aliorum, et inde fit, ut ordinarie quaelibet nova haeresis statim pariat alias, et alias, doneo per multas divisiones consumatur, ita ut miraculum videatur. si aliqua haeresis diutius duret. Itaque Ecclesiae doctrina per se gignit unionem et conjunctionem animorum: haeresis vero per se, et ex propria sua natura divisiones et schismata germinat. Cum ergo videamus more cliarum haeresum, sectam Lutheranam mox divisam fuisse in lam multas alias sectas, et quotidie magis, et magis dividi, nec sperari ab illis ullum finem divisionum, merito judicamus eos haereticos, et tandem penitus interiturum nomen Lutheranum.

Ad secundum argumentum dico, in primis esse mendacium Calvini, quod antiqui monachi non habuerint proprium altare, sed acceperint sacramenta in Ecclesiis ordinariorum, parochorum. Nam Epiphanius in epistola ad Joannem hierosolym. testatur, se in monasterio s. Hieronymi ordinasse presbyterum Paulinianum, qui in ipso monasterio sacramenta conficeret caeteris monachis, quia s. Hieronymus prae humilitate nimia non audebat sacrificia altaris offerre. Item Cassianus collat. 18. quae est abbatis Pyamonis, cap. 45. narrat in ipsa aremo habuisse monachos suos presbyleros, etiam monachos, qui sacramenta caeleris ministrabant. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiae cap. 31: et 33. docet non solum in solitudine, sed etiam in urbibus ut Mediclani, et Romae habuisse monachos in suis coenquiis praepositum presbyterum; qui sine dubio ideo presbyter erat, ut in coenobio sacramenta conficeret, et non cogerentur monachi egredi e monasteriis ut irent ad Ecclesius. Denique Joannes Damascenas in historia de Barlanm et Josaphat scribit, Barlaam eremitam in sua cella sacrificium missae celebrasse, praesente solum ministro suo Josaphat.

Dico secundo.schismaticum non fieri ultum propter diversum altere materialiter, sed formaliter; atioqui omnes perochi essent schismatici, quia habent diversa alteria in eadem civitate. Et omnes episcopi essent schismatici, quia habent alteria diversa in civitatibus diversis. Soli igitur illi schismatici sunt, qui ita erigunt altere proprium, ut altere aliorum profanum censeant. Denique monachos hujus temperis non esse schismatices ex eo perspicuum est, qued parent uni summe pontifici, ordinantur presbyteri ab episcopis ordinariis, denique frequentantur a populis. Porro nomina illa benedictinorum, franciscanorum, dominicanorum desumpta sunt non ab auctore doctrinae, sed ab institutore severioris disciplinae, ut notom est.

Ad tertium dico, Thomistas et Scotistas non dissentire, nisi in lis rebus, quae ad fidem non pertinent, ut b. Augustinus dicit de dissentionibus doctorum sui temporis lib. 1. contra Julianum; et proplerea semper subjiciunt se, et sua Ecclesie definitioni.omnes catholici. Proinde etsi verbis interdum pugnare videant, re tamen ipsa in rebus fidei omnes conveniunt; cum omnes id unum credere se profiteantur, quod in Ecclesia catholica Romana credendum esse judicatum fuerit.

At haeretici de rebus sidei praecipuis dissentient. et unus habet alium pro haeretico, et tamen eundem Lutherum patrem agnoscunt. De quo vide Hosium . lib. 1. contra Brentium et Canisium in praefatione librorum Vegae Coloniae excusorum. Neque id adversarii inficiari ulla ratione possunt : Siquidem primo non negant, Anabaptistas haereticos esse Lutheranis et Zwinglianis, et contra; et tamen ex codem Luthero omnes prodierunt. Deinde Zwingliani sunt haeretici Lutheranis caeteris.ut patet ex testamento Brentii, et multis Lutheri libris. At Zwingliani et Calvinistae non audent Lutherum execrari, et tamen in rebus gravissimis ab eo dissentiunt, ut patet ex libris Calvini, Bezae, martyris, de coena Domini, et de loco corporis Christí.

Bursus inter Confessionistas Lutberanos, rigidi et molles gravissime contendunt. Id apparet ex libris Ioannis Wigandi et Illyrici contra Georgium Bajorem et Philippum Melanchthonem, et horum contra illos. Centuriatores in praefatione 5. Centuriae de se sic ajunt: Etsi sunt aliqui adhuc doctores Ecclesiae Dei in varits locis dispersi, tamen ii non tantum a filiis hujus saeculi, quibus hoc solemne est, sed etiam a propriis synergis et confratribus irridentur, molestantur, affliguntur, debilitantur et franguntur, dum cos stoicos et seditiosos proclamant: dum seditionis et haeresum crimina eis impingunt.

Joannes Wigandus in lib.de error.Georgii Majoris: Tu, inquit, Georgi . es ille vir, qui turbat Isräel, non nos, qui le monemus de foedis erroribus pugnantibus cum verbo Dei. Nam tu ista zizania et tetros errores in Ecclesia Dei libris editis, longe, lateque disseminus, ac plantas. Nos vero Ecclesiam Dei hortamur, ut in vera, et semel agnita, atque ascepta puritate doctrinae a Deo per salutare organim Lutherum perstet. Et infra: Non sunt lana, neque linum, de quibus hic disceptatur, sed de gravissimis doctrinae Christianae capitibus, quae a Majore, et aliis focde depraventur. Et infra post quartum errorem: Major, inquit,ingenti audacia gloriatur.se ne pilum quidem de doctrina Lutheri discessisse, et interim totam Lutheri doctrinam de servo orbitrio. reprobae menti, el diabolo in cathedra Lutheri sedem attribuit. Et infra post septimum errorem: Hos perniciosos errores, inquit, Majoris, vir Dci, Lutherus tum in scriptis suis, tum disputationibus publice refulavit et explosit.

Praeterea inter ipsos rigidos quaestio gravissima orta est de peccato originis; Nam Illyricus contendit peccatum originis esse substantiam, et contrariam sententiam vocat spectra Pelagiana. Contra vero Joannes Wigandus, Tilmannus Heshusius, et alii scribunt contra Illyricum, ut contra manifestum Manichaeum. Certe Heshusius initio antidoti con-

tra Illyricum, docet istam quaestionem ad fundamenta fidei pertinere.

Denique ex eadem provincia Saxonia, intra decem annos prodierunt contradictoriae sententiae publico nomine editae, de re omnium gravissima. Nam in synodo Dresdensi, anno 1571. celebrata, communi consensu exploserunt sententiam Brentii, Illyrici, et aliorum de persona Christi, et tamen illam ipsam sententiam a se damnatam, anno 1580. in lib. Concordiae publice receperunt; et tam synodus, quam Concordia Wittembergae impressa sunt, et ejusdem principis auctoritatem prae se ferunt.

#### C A.P U T XI.

#### Nota octava.

Octava Nota est Sanctitas doctrinae. Vera enim Ecclésia non solum est Catholica, Apostolica, Una, sed etiam Sancta ut habet symbolum constantino-politanum. Constat autem sanctam dici Ecclesiam, quia professio ejus est sancta, nihil continens falsum quoad fidei doctrinam, nihil injustum quoad doctrinam morum. Unde in psalm. 18. appellatur lex Domini immaculata, testimonium fidele, praeceptum Domini lucidum. Ex hac nota evidenter ostenditur nullam esse veram Ecclesiam, nisi nostram. Nulla enim est secta vel Paganorum, vel Philosophorum, vel Judaeorum, vel Turcarum, vel Haereticorum, quae non contineat aliquos exploratos errores, et rectae rationi manifeste contrarios.

De Paganis multorum deorum cultoribus ostendit quam absurda ac turpia senserint Minutius Felix in Octavio, Arnobius lib. 4. 5. 6. et 7. contra gentes; et Augustinus lib. 7. de Civitale Dei, per totum, nec ullus de hac re hoc tempore dubitat.

De philosophis antiquis idem docet Theodoretus in lib. de legibus, qui est nonus ad Graecos; ubi docet, Lycurgi legibus permitti adulteria: legibus Persarum, permitti incestas nuptias cum matribus, filiabus, sororibus: legibus Mussagetarum. morituros et senes a propinquis devorari:legibus Tibarenorum, dejici senes ex altis turribus: legibus Hyrcanorum, projici cadavera hominum canibus: legibus Scytharum, cum mortuis sepeliri vivos, qui ab eis dilecti fuerant: legibus Platonis, quae visae sunt omnium optimae, horrenda vitia praescribi, vel laudari, ut communionem uxorum, nefandam libidinem, extinctionem conceptuum, caedes infantium, et similia.

De Mahumetanis idem patet ex Alcorano. Nam cap. 2. docet omnes salvari in suis legibus, si eas servent, Judaeos, Christiapos, Turcas c.5. 28. 47. 48. et aliis passim docet beatitudinem futurae vitae consistere in cibo, et potu, et uxorum multitudine, nec unquam in toto Alcorano mentio fit actionum spiritualium visionis, vel amoris Dei. Cap. 43. dicit Deum, et angelos orare pro Mahumeto. Similia absurdissima passim leguntur in Alcorano.

De Judaeis, qui post Christi adventum scripserunt, manifestum est ex libris ipsorum. Nam in primis in doctrina Thalmud, quae est ipsorum verbum Dei non scriptum, inveniuntur innumerabiles er-

rores, de quibus vide Sixtum Senensem, lib. 2. bibliothecae sanctae. Rabbi Salomon, quem Judaei maximi faciunt, in comment. cap.2. Gen. in illud. Hoc nunc os ex ossibus meis; dicit Adamum cum omnibus bestiis, et feris carnaliter congressum, nec potuisse libidinem explere quousque ad Evae amplexus pervenit. Idem in cap. 28. Numer. in illud: In kalendis autem offerelis holocaustum Domino; ipse legit, holocaustum Domini, et dicit praeceptum esse offerri bolocaustum in die novilunii pro peccato Dei:quod commisit,cum diminuit lumen lunae: Quam fabulam narrat idem Rabbi Salomon in caput 1.Genes.in illud: Duo luminaria magna; Idem in caput 4. Deuteron. in illud: Creavit Deus hominem, dicit Adamum fuisse tam procerum, ut capite coelum tangeret, dum esset in terra. Similia passim occurrent in libris Judaeorum.

De Haereticis antiquis idem ostendi potest.Nulla enim fere fuit haeresis, quae non habuerit manifestos errores. Gnostici inter alia frequentari debere docebant scortationes, et luxuriam omnem exerceri, tamen vitari conceptum; Et si conceptus casu sequebatur, extrahebant de utero praegnantis, et contusum in mortario, ac melle et pipere conditum devorabant; et hoc modo magnum pascha se celebrare dicebant: Ita refert Epiphanius hacresi 26.

Carpocratiani docebant, teneri unumquemque ad omnia genera scelerum perpetranda, et si cum moriebantur, non perpetraverant omnia, dicebant animas remitti ad corpora, idque toties, donec implerent scelerum mensuram et hoc modo exponebant illud evangelii. Non exics inde, donec reddideris novissimum quadrantem: Ita refert Epiph. haeres. 27.

Montanistae sacrificium efficiebant ex sanguine anniculi infantis, quem minutis vulneribus aereis aciculis totum exprimebant incredibili crudelitate: Testis est Augustinus, haeres. 26.

Manichaei docebant, aequale peccatum esse praccidere folium de arbore; atque hominem interficere. Iidem asserebant partes divinae essentiae teneri captivas a principibus tenebrarum, et ex iis aliquas liberari, alias in aeternum damnandas: Augustinus haeres. 46.

Donatistae, ut seipsos martyres facerent, de montibus ipsi se praecipitabant, vel aquis praefocabant, vel in ignem conjiciebant, vel mortem minabantur, et inferebant lis, qui eos occidere nollent: Testis Augustinus, epist. 50. et Theodoretus, lib. 4. de haeret. fabulis. Ejus generis infinita adduci pos-

Sectarii nostri temporis docent, omnem hominem justificari sola fide speciali, qua quisque certo credit, se propter Christum coram Deo esse justum, quod cum quolibet paradoxo comparari potest. Non enim est id supra, vel praeter rationem, sed plane contra omnem rationem. Quaero enim. cum incipio credere me esse justum, vel sum justus, vel injustus; si justus, igitur non justificor per sidem, qua credo, me esse justum, quia ista sides est posterior mea justitia; si injustus, ergo ista sides est salsa, ergo non est sides divina justificans, nisi dicamus, homines justificari per mendacium: Praeterea Lutherani omnes, maxime spiritum

precum, et invocationem extollunt, et tamen hara fides tollit orationem dominicam. Nam si certo credo, me nullum habere peccatum, mentior, si cum hac fide dico, dimitte nobis debita nostra. Practerea Calvinistae Anabaptistas omnino damnant, nec censent posse eos justificari, nec salvari, nisi convertantur ab erroribus suis, et tamen sciunt Anabaptistas certo credere se esse justos, ergo coguntur dicere eos simul et justos, et non justos esse.

Praeter hoc dogma commune, singuli habent sua propria dogmata, plena manifestae absurditatis. Anabaptistae praeter alia multa habent nocturna conventicula; in quibus nuptias cáninas exercent, ut colligitur ex articulis eorum, quos Joannes Coehlaeus refutavit, ct'aperte etiam propriis sororibus junguntur. Art. 11. Anabaptistarum est: nemo debet publice praedicare art. 17. post sermonem fiat adhortatio, ut crescant et multiplicentur art. 19. licet fratri germanam sororem in uxorem accipère.

Lutherani habent quasi proprium errorem illum manifestissimum, quod infantes, dum baptizantur, utantur ratione, audiant verbum Dei, credant, diligant, quod in synodo wittembergensi anno 1536. publice definierant. Quod tamen aperte repugnat veritati, ut Augustinus epist. 57. ad Dardanum scribit, injuriam facere humanis sensibus qui hoc dicunt. Quomodo enim credibile est infantem, qui plorat, et reluctatur quantum potest, dum abluitur, intelligere, quid agatur? Porro Calvinistae habent tanquam propriam sententiam illam, non modo pietati, sed eliam rationi apertissime repugnantem, quod omnia absoluta necessitate eventiant, quodque Deus sit caussa peccatorum, a qua Lutherani pene omnes jam discesserunt.

At Ecclesia nostra catholica nullum errorem, nullam turpitudinem, nihil contra rationem docel, etsi multa supra rationem. Proinde solu est absolute sancta, eique soli convenit, quod in symbolo dicimus: Credo sanctam Ecclesiam: Quam rem ostenderunt adversus Paganos, Justinus in utraque apologia, Tertullianus in Apologetic.cap.36. et sequentibus, Arnobius lib. 1. 2. el 3. contra Genles, Minutius Felix in Octavio, Augustinus in libris de Civitate Dei. Contra Paganos autem et haerelicos omnes, idem ostendit accuratissime b. Thomas in libris contra Gentes.

Concludamus igitur cum s. Augustino lib. 2. de Civit. Dei cap. 28. Whil in christianis Ecclesiis turpe et flagitiosum spectandum imitandumque proponitur; ubi veri Dei aut praecepta insinuan. tur, aut miracula narrantur, aut dona laudan tur, aut beneficia postulantur. Et lib. 22. cap. 7 Persuadebatur verilas nova consucludini, sed non contraria rationi.

#### CAPUT XII.

## Nota nona.

Nona Nota est efficacia doctrinae. Sola enim vera Ecclesia habet doctrinam, non solum immaculatam', sed ctiam convertentem animas, ut dicitur psalm. 18.et sermonem vivum penetrantem usque



ad divisionem animae, ac spiritus, Hebr. 4. Philosophi antiqui tametsi magnam sapientiam ostentarent, et summa eloquentia leges suas populis suaderent, numquam tamen vel vicina oppida ad suas leges trahere potuerunt, ut docet Athanasius lib. de humanitate verbi, et Theodoretus lib. de legibus. Quia non erant verba eorum verba viva, sed mortua, non spiritus Dei, sed spiritus hominum. Mahumetani autem traxerunt quidem multos, sed terrore armorum, non vi et efficacia doctrinae. Quare ipsemet Mahumetus in Alcorano, cap. 18. et 19. docet bello cogendos homines ad fidem. Porro haeretici numquam leguntur convertisse ullos etlinicos, aut Judaeos ad fidem, sed solum pervertisse Christianos, quod etiam notavit Tertullianus in lib. de praescript. haeret. De verbi, inquit, administratione quid dicam?Cum hoc sit negotium illis non elhnicos convertendi, sed nostros evertendi, nostra suffodiunt, ut sua aedificant etc.

At, inquies, Freculphus in Chronico tomo. 2. 1ib. 4. cap. 20. refert ab Arianis tempore Valentis imperatoris totam gentem Gothorum a paganisme

ad fidem conversam.

Respondeo: Non ab Arlanis Gothos esse conversos, sed misere deceptos. Gothi enim cum jam de finibus suis egressi sub romani imperii auspiciis militarent, et multa praeclara de Christianis audirent, sua sponte, nemine impellente; ab imperatore petierunt episcopos, a quibus docerentur, parati ad credendum quidquid eis diceretur. Imperator vero, quia Arianus erat, Arianos episcopos misit, atque ita Gothi misere decepti, cum Christiani fleri vellent, Ariani facti sunt, non tamen ulla virtute, aut miraculis Arianorum. Quae enim difficultas est instillare venenum homini parato ad illud sumendum? Adde, quod Freculphus non integre historiam hanc refert; constat enim ex Socrate, lib. 4. cap. 27. Sozomeno, lib. 6. cap. 37. Theodorelo, lib. 4. cap. ult.majorem partem illorum Gothorum fuisse christianam et catholicam, et ab Arianis postea deceptam. Non igitur convertunt homines ad fidem haeretici, nec possunt. Nam haeretici habent quidem Scripturani, sed non habent verum sensum Scripturarum, qui proprie est gladius spiritus. Verba enim nón tam gladius, quam vagina sunt, qua gladius spiritus continetur. Cum ergo illi non pugnent gladio, sed vagina tantum, quid mirum, si non feriunt corda infidelium? Neque etiam mirum est, quod catholicos pervertant, nam proni sunt homines ad descensum, ad viam lalam et facilem, quam illi aperiunt. Et Deus id sieri sinit propter ingratitudinem eorum, qui semel sunt illuminati, ct lumini accepto bonis operibus non respondent.

At Ecclesia vere sancta et apostolica olim brevissimo tempore per homines contemptibiles externa specie, sine armis, et sine pompa verborum totum mundum traxit, idest, homines magnos, parvos, doctos, indoctos, juvenes, senes, viros, foeminas; Et traxit, non ad delicias hujus saeculi, sed ad res credendas supra omnem rationem, et ad crucem, et angustias, et vitam perfectissimam repugnantem carni et sanguini, et haec omnia propter praemium nullam in hac vita, sed solum in futura. Et hoc ita persuasit, ut maluerint plurimi potius

amfittere omnes opes, honores, amicos, affines et vitam ipsam, quam Christi fidem; De quo vide Athanasium et Theodoretum locis notatis, et Augustinum lib. 22. de Civit. Dei, cap. 5. Ubi ponit inter praecipua miracula, quod pauci apostoli sola Verbi divini efficacia sine eloquentia, aut armis totum mundum subegerint.

Deinde a tempore b. Gregorii usque ad nostra tempora conversos multos a nostris probari potest testimonio adversariorum. Nam quod sexto saeculo jussu b. Gregorii Anglos paganos non haeretici, qui tunc etiam non deerant, sed monachi pontificii ad fidem Christi converterint, testantur Centuriato-

res, Cent. 6. cap. 2. col. 37.

Deinde tempore Cononis papae, s. Kilianus a papa missus convertit Francones, ut dicunt ipsimet Centuriatores, Cent. 7. cap. 2. col. 31.

Deinde tempore Gregorii II. et Gregorii III. ac Zachariae pontificum conversa est magna pars Germaniae ad fidem, non per haereticos Iconomachos, quibus tunc mundus abundabat, sed per s. Bonifacium episcopum et martyrem, quem papa Gregorius II. miserat, ut fatentur Centuriatores, Cent. 8. c. 2. col. 20. ubi henorifice de eo loquuntur his verbis: Hoc saeculo postquam illuxit tempus, quod Dominus sua misericordia praefinivit, majori aum fructu res successit. Nam excitavit Dominus monfridum, quem Romani dixerunt Bonifacium, cum suis collegis ad Ecclesiae suae in Germania propagationem, et opus manuum eorum ipse gubernavit et promovit etc.

Hic erant obliti Centuriatores s. Bonifacium fuisse Papistam, propterea tam bene de ee loquuntur. Nam in practatione ejusdem Centuriae blasphemi, et ingratissimi in suum apostolum sie loquuntur: Hanc ad rem habet, papa suos dromones egregios, perilissimos ejusmodi aucupiorum, audaces, temerarios, qui praemis et honoribus illecti et irretiti, sedulam operam in omnibus nationibus et regnis navant. Et infra: Talis fuit dromo, Bonifacius ille, Germanorum apostolus dictus, qui in hoc summo studio, arte, ac vi incubuit, ut universam Germaniam in polestatem papae romani redigeret. Etsi autem in nonnullis locis ethnicam idololatriam abolevisse narratur, tamen religionem christianam non seminavit puram et incorruptam. Et infra: Ea fuit insolentia inflatus iste pseudoapostolus, ut non modo monitores omnes ex alto despiceret, verum etiam apud tyrannum illum romanum invidiose deferret lanquam hacreticos et turbatores Ecclesiae etc. Ecco quomodo tractant apostolum Germaniae, de quo omnes historici ejus temperis honorificentissime loquuntur.

Deinde Centur. 9. cap. 2. col. 15. fatentur, monachos Morbejenses convertisse Wandalos, et col. 18. Fatentur Bulgaros, Sclavos, Polonos, Danos, Moravos, eo saeculo conversos, subjectos fuisse romanis pontificibus. Ex quo apparet a Papistis fuisse conversos. Item Cent. 10. cap. 2 col. 18. et 19. plures reges et populos ad fidem conversos docent opera Henrici I. imperatoris, et Adalberti Boemorum, ac Methodii Moravorum archipracsulum, quos omnes Papistas fuisse negare non pos-

sunt, cum constet eos pontificibus romanis subjectos fuisse.

Denique Cent. 11. cap. 2, col. 27. docent, Hungaros magna ex parte hoc saeculo conversos, et episcopos illi genti datos, a romano pontifice confirmatos fuisse, petente hanc eorum confirmationem s. Stephano Hungarorum rege nuper converso.

Post illa tempora non desuerunt etiam in Ecclesia catholica similes conversiones, siquidem Adrianus pontifex IV. ante suum pontificatum ab Eugenio papa missus, Norvegiam ad sidem convertit, ut Platina, aliique testantur; et ni sallor, ipsi etiam Centuriatores Centuria 12. quam una cum 13. editam audio, sed nondum vidi. Ab uno s. Vincentio ordinis praedicatorum constat esse conversos ad sidem vigintiquinque millia, partim Judecorum, partim Saracenorum, ut scribit b. Antoninus 3. parte hist. tit. 23. cap. 8. § 4. qui floruit eadem aetate.

Denique, hoc nostro saeculo in novo orbe multa milia gentilium catholici converterunt. Judaeorum quoque singulis annis convertuntur et baptizantur Romae aliqui a catholicis pontifici romano addictis, nec desunt etiam Turcae, qui tum Romae, tum alibi a catholicis convertantur. Lutherani vero vix unum aut alterum converterunt, aum tamen comparent se cum apostolis et evangelistis, et habeam in Germania plurimos Judaeos, et in Polonia, et Hungaria vicinissimos Turcas. Rectissime igitur b. Augustinus lib. 13. contra Faustum, cap. 12. comparat haereticos cum perdicibus, quae congregant pullos, quos non pepererunt: cum e contrario Ecclesia sit columba foecundissima, quae quotidie parit novos pullos.

# CAPUT XIII.

#### Nota decima.

Decima Nota est Sanctitas vitae auctorum, sive primorum Patrum nostrae religionis. Ecclesia enim vera non solum habet doctrinam sanctam et efficacem, sed etiam doctores sanctos, et signorum gloria clarissimos. Nunc de probitate, postea de miraculis dicemus.

Jam ergo si quis consideret magistros. Ecclesiae catholicae, primum patriarchas et prophetas, deinde apostolos, tum doctores, qui contra singulas haereses dimicarunt, denique institutores ordinum religiosorum, inveniet omnes tam sanctos, castos, pios, sobrios fuisse, ut adversarii nihil habeant, quod reprehendant, nisi nimiam sanctitatem, ut b. Augustinus ait de monachis sui temporis, libro de moribus Ecclesiae, cap. 31. et idem Augustinus lib. 2. in Julianum de catholicis doctoribus ait; Isti sunt episcopi et pastores docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores, qui catholicam fidem in lacte sumerunt, in cibo sumpserunt, cujus lac et cibum parvis, magnisque ministraverunt. Talibus post apostolos sancta Ecclesia plan-

tatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Adde, quod Bernardum, Dominicum et Franciscum, sanctos fatentur fuisse. Lutherus cap.2.libri de captivitate babylonica, Philippus in Apolog. art. 5. et 27. et alii ex adversariis.

At ethnicorum doctores fuerunt vel poetae leves, vel philosophi superbi, utrique autem impurissimi. Nam praecipuos sapientes Graecorum supra modum impudicos fuisse, adeo, ut etiam apud suos essent infames, praecipue propter vitia contra uaturam, testis est Athenaeus lib. 13. cap. 27, et ex nostris Theodoretus libro de legibus, et aperte etiam b. Paulus Rom. 1. Mahumeto autem nihil incontinentius fingi potest, nam ipse in Alcorano cap. 43. dicit se a Deo privilegium accepisse conjungendi sibi omnes foeminas, quas dilexisset, quamvis consanguineae essent.

De haeresiarehis plurima dici possent, sed unum est vitium omnibus commune, superbia. Augustinus libro de pastoribus cap. 8. Diversis locis, inquit, sunt diversas, sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater nostra calholica omnes christianos fideles toto orbe diffusos. El cerle nulla haeresis invenitur ex intentione, et per se inventa, sed per accidens ex aliqua mala occasione.

ut solent monstra generari.

De Theobute primo omnium haereticorum scribit his verbis Egesippus apud Eusebium lib.4.hist. c. 22. Tunc, inquit, Ecclesia virgo vocabatur, quia nondum fuerat adulterini verbi subreptione corrupta: sed Theobutes quidam, quia repulsam meruit episcopatus, coepit initio perturbare omnia et corrumpere.

Post hune surrexit Simon magus, quem constat ex Act. 8. episcopalem auctoritatem ambivisse, et data pecunia emere voluisse. Ubi vero exclusus fuit, haeresim novam excogitasse, ut qui in Ecclesia non poterat, saltem extra eam principalum gareret

Paulo post Simonem exstitit Valentinus, de quo sic Tertullianus libro contra Valentinianos, non procul ab initio: Speraverat, inquit, episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat, et eloquio, sed alium ex martyrii praerogativa loci potitum indignatus, de Ecclesia authenticae regulae abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti praeumptione ultionis accendi), etc.

Exoritur deinde Marcion, de quo sic Epiphanius haeres. 42. circa initium: Aemulatione. inquit, elatus Marcion. ubi non accepit praesidentiam et ingressum Ecclesiae. excogitat sibi ipsi consilium. Et infra: Aemulatione. inquit, igitur commotus, et ad magnam indignationem. et superbiam elatus fissuram efficit. sibi ipsi haeresim erigens. ac dicens: Ego findam Ecclesiam vestram et mittam fissuram in ipsam in aeternum, et revera fissuram immisit non parvam; sed non Ecclesiam fidit, verum seipsum, et eos, qui ipsi obediunt.

De Montano șie scribit Theodoretus lib. 3. de haereticis fabul. Is, inquit, ambitione, et primum locum obtinendi cupiditate motus, scipsum Paracletum vacavit etc. Da Novaliano idem scribit ex



Cornelio in epist. ad Fabium lib. 6. hist. cap. 35. Refert, inquit, quod episcopatus cupiditate quam intra se latenter gerebat, in haec omnia deciderit. Sabellius, inquit Epiphanius, haeres. 57. ad majorem fastum ac dementiam detatus, seipsum dixit esse Moysem, et fratrem suum Aaronem. Arius, ut ait Theodoretus lib. 4. de haereticis fabul. in principio: Cum esset relatus in numerum presbyterorum alexandrinae Ecclesiae, et magnum Alexandrim in pontificati cathedra sedentem videret, invidiae stimulo percitus est; cumque adversus eum pugnae committendae materiam quaereret, occasionem inventi dogmatum impietatem.

De haeresi Semiarianorum sic loqultar Epiphanius haeres. 73. Itaque ad contentionem devenerunt, inquit, itdem rursus cum scaalibus suis, propter odia quaedam et aemulationem humanam, rixantes inter se, et de principatu litigantes. De Aerio idem Epiphanius haeres. 75. Cum autem. inquit, venisset Eustachius ad episcopatum, Aerius magis concupiscebat, sed non per-

ventt ad ipsum. Hinc orilur aemulatio.

Nestorium scribit Theodoretus lib. 4. haeret. fabularum, magnam partem aetatis egisse occupando favorem populi fusca veste, simulato pallore, compositis verbis, donec tandem ad episcopatum pervenit. De Sabbatio item haeresiarcha scribit Socrates lib. 5. hist. cap. 20. Quin etiam, inquit, adipiscendi episcopatus desiderio flagrabat. Joannem Wiclefum, quia episcopus esse non potuit, haeresiarcham factum scribit Thomas Waldens. lib.

2. doct. fid. cap. 60.

Eodem modo sectas hujus temporis exortas esse ex ambitione, superbia, invidentia, odio, adversarii certe negare non possunt. Nam initium primum omnium haeresum hujus temporis constat fuisse invidentiam' et ambitionem Lutheri, acgre ferentis munus promulgandarum indulgentiarum a sui ordinis munachis, ad monachos ordinis praedicatorum translatum fuisse, ut scribit Joannes Cochlaeus in actis Lutheri anno 1517. Unde (ut idem refert paulo post in actis anni 1519.) in prima disputatione: quae Lipsiae habita est inter Lutherum et Eckium; exclamavit Lutherus: Haee caussa nec propter Deum coepta est, nec propter Deum finictur. Idem in epistola ad Argentienses dicit, se libenter negaturum fuisse in eucharistia esse corpus Christi, si Scripturae non essent tam clarae, quia ea ratione videret se multum papatui posse incommodare.

Idem in libro contra regem Angliae tanta superbia jactat se, et sua, ut dicat reges, principes, pontifices etc. non esse dignos, qui solvant suarum corrigiam calceamentorum; et se pro sancto viro velle baberi, velint, nolint homines; et se non magni facere mille Cyprianos, et mille Augustinos. Et in libro de missa angulari, ut Patrem suum esse ostenderet eum, qui est rex super omnes filios superbiae, dicit se a diabolo doctum, quod missa esset res mala, et rationibus diaboli convictum abolevisse missam. Denique tantus fuit Lutheri fastus, ut etiam a suis tolerari non potuerit: Sic enim de co scribit Couradus Gesnerus in universali sua bibliotheca: Illud, inquit, non est dissimulandum, virum esse Lutherum vehementis ingenii, impatientem, et qui nisi per omnia sibi consentientes, ferre nesciat. Et infra: Dominus faxit, ne contentione et impudentia oris obsit Ecclesiae suae, cujus olim crepundia tam feliciter promovit.

Tigurini vero ministri in responsione ad librum, quem inscripserat Lutherus contra Zwinglium, sie ajunt: Prophetae, inquiunt. et apostoli Dei gloriae, non privato honori, non suae perlinaciae, ei superbiae studebant. Lutherus autem sua quaerit, pertinax est, insolentia nimia effertur, et in omnibus correptionibus suis plurimum matigni spiritus, quam minimum vero amici et paterni animi deprehenditur. Similes sunt Lutheri discipuli omnes, e quorum fibris si jactationes, mendacia, scommata, maledicta, eonvitia tollerentur, ex maximis voluminibus vix libelli perexigui effici possent.

Quod vero attinet ad populum, sunt quidem in Ecclesia catholica plurimi mali, sed ex haereticis nullus est bonus. Et quamquam res ipsa notissima est iis, qui norunt mores utrorumque, tamen non est contemnendum Lutheri testimonium ab ipsa. veritate extortum. Is in postilla super evangel. dominicae primae Adventus sic ait: Mundus in dies fit deterior, sunt nunc homines magis vindictae cupidi, magis avari, magis ab omni misericor. dia remoti, magis immodesti et indisviplinati. mulloque deleriores, quam fuerint in papatu. Haec ille. Testimonium hoc verum est, cui non ab. simile est testimonium Jacobi Andreae Smidelini in concione 4. super cap. 21. Lucae, cujus concionum partem habes apud Petrum Canisium lib. 1. cap. 4. de corruptelis verbi Dei. Inter alia sic loquitur de Lutheranis suis Smidelinus: Ut totus mundus agnoscat eos non esse Papistas; nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nullum exercent penilus. Jejunii loco comessationibus, et perpotationibus nocte dieque vacant. Ubi pauperibus benigne facere oportebat. cos deglubunt et exceriant. Precationes vertunt in juramenta, blasphemias, et divini nominis execrationes, idque tam perdile, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia. fastus, elatio, alque hoc universum vitae genus ab illis evangelicum dicitur institutum. Haec ille.

Addam et tertium testimonium Erasmi, qui et res eorum optime noverat, et ab eorum doctrina non omnino abhorrere visus est. Is igitur in epistofa ad Vulturium Neocomum, quam scripsit anno 1529. Circumspice, inquit, populum istum evangelicum, et observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniae, quam faciant ii, quos detestamini. Profer mihi, quem istud evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Vide, si placet, Joannem Cochlaeum praefatione libri de actis et scriptis Martini Lutheri.

#### CAPUT XIV.

#### Nota undecima.

Undecima Nota est Gloria miraculorum. Sunt autem duo fundamenta praemittenda. Unum, quod miracula sint necessaria ad novam fidem, vel extraordinariam missionem persuadendam. Alterum, quod sint efficacia et sufficientia, nam ex priore deducemus non esse apud adversarios veram Ecolesiam: ex posteriore deducemus eam esse apud nos.

Quod igitur miracula sint necessaria, probatur primo Scripturae testimonio. Exod. 4. cum Moyses mitteretur a Deo ad populum, ac diceret: Non credent mihi, neque audient vocem meam. Non respondit Deus, debent credere, velint, nolint, sed dedit illi potestatom faciendi miracula, et ait: Ut credant, quod apparuerit tibi Dominus etc. Et in novo Testamento Matth. 10. Euntes, praedicate dicentes: Appropinquavit regnum coelorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite: Joan. 15. Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.

Praeterea qui mittitur, debet ostendere testimonio ejus a quo mittitur, suam auctoritatem, alioqui
nemo tenetur eum recipere. Omnis autem, qui mittitur ad praedicandum, vel mittitur a Deo per ordinarios praelatos, vel extraordinarie a solo Deo;
et quidem qui mittitur per ordinarium praelatum,
debet ostendere testimonium ordinarii praelati,
nimirum literas ejus sigillo munitas; qui vere mittitur a solo Deo, debet ostendere sigillum Dei,
quod nihil est aliud, quam miraculum. Sic enim dicitur Marc. ult. Illi vero profecti praedicaverunt
ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis. Et Hebr. 2. Contestante Deo signis et virtutibus.

Denique adeo est hoc verum, ut non solum b. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. dicat miracula fuisse necessaria, ut mundus crederet, sed etiam Philippus Melanchton id concedat, nam in cap. 3. Matth. dicit, quando magnae sunt tenebrae, vocari novos doctores, et semper addi a Deo miracula, ut certo sciamus a Deo esse missos.

Jam quod attinet ad secundum, quod miracu-lum sit testimonium sufficiens, et ubi est verum miraculum, ibi sit vera fides, facile probari potest. Si quidem vera miracula non possunt fleri, nisi Dei virtute; dicitur enim miraculum, quod superat vires omnium creaturarum, et ideo omnibus creaturis est mirabile, et proplerea etiam in Scripturis dicuntur testimonia Dei, ut supra vidimus. Quare, quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur, Deus autem non potest esse testis mendacii, igitur quod miraculo confirmatur, verum, sit necesse est. Neque repugnat, quod vera miracula non semper fiunt ad confirmandam fidem, sed interdum ad illustrandam sanctorum vitam;nam cum miracula fiunt ad gloriam alicujus sancti demonstrandam, illa miracula ostendunt eum hominem vere esse sanctum. Cum autem nemo sit vere sanctus sine vera fide: Quia justus ex fide vivit. Hebr. 10. eadem miracula ostendunt, et confirmant veram fidem.

His jactis fundamentis facile erit colligere apud Ethnicos, Turcas, Judaeos, Haereticos non esse veram fidem, nulla sunt enim apud eos vera miracula, et tamen omnes illi novam doctrinam praedicant, et non sunt missi ab ordinariis praelatis.

De Paganis notum est, nam solum leguntur quaedam levia, quae facillime arte daemonis fieri possunt, qualia sunt quae refert Valerius Maximus, lib. 8. de statuis, de brotis loquentibus, deque virgine Vestali aquam cribro hauriente, et M. T. de augure, qui novacula cotem scidit, libro 1. de divinatione. Quae omnia quomodo a daemonibus facillime fierent, estendunt, Tertullianus in apolog. cap. 22. et 23. et b. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei, cap. 16.

De Judaeis post Christi adventum notum est, non habuisse eos ulla miracula, et id unum de piscina, quod adhuc durabat. Christo praedicante, postea interiisse.

De Mahumetanis testatur Damascenus lib. de centum haeres. circa finem, Mahumetum nullo testimonio probare poluisse suam legem. Et in Alcorano ipse fatetur Christi miracula, sibi gladium esse datum: tamen cap. 64. dicit, tantum semel in luna nescio quod miraculum fecisse, non enim elare explicat. Expositores autem dicunt aliquando lunam in duas parles fuisse divisam, tunc Mahumetum eam in manus accepisse, et reparatam ad coelum remisisse, sed nethinem fuisse, qui videret hoc miraculum, nisi auctorem, idest, Mahumetum

De falsis prophetis, et haereticis non minus est certum, eos et saepe miracula facere conatos, et semper spe sua esse frustratos. Nota est historia prophetarum Baal, qui ignem de coelo deducere voluerunt per invocationem Baal; neo tamen potuerunt: quod tamen verus propheta Helias per invocationem veri Dei nullo negetio effecit. Vide lib. 3. Regum cap. 18.

Pari ratione delusum Simonem magum scribit Egesippus lib. 3. de excidio Hierosol. cap. 2. namet mortuum excitare, et per äerem volare tentavit, sed nihil ei successit. Manichaeum frustra conatum filio regis aegrotanti sanitatem afferre scribit Epiphanius haeresi 66. Cyrolam patriarcham Arianorum plane excaecasse miserum quemdam, qui se caecum finxerat, et ab co praesidium implorabat, scribit Gregorius Turonicus lib. 2. histor. Francorum, cap. 3. Eunomianum quendam a s. Machario victum in contentione de suscitatione hominis mortui, scribit Joannes Cassianus collatione 15. cap. 3. Polychronium Monothelitam frustra sudasse in excitatione alterius cujusdam defuncti, testantur publica acta sextae synodi, act. 13.

De Donatistis quod contra se miracula fecerint, dum ampullam chrismatis projecerunt in saxa, quae angelica manu sustentata frangi non potuit, et dum eucharistiam canibus dare voluerunt, et ipsi ab iisdem canibus discerpti sunt, scribit Oplatus lib. 2. contra Parmenianum.

De Timotheo Aeluro Eutychiano scribit Theodo-

rus lector lib. 1. collectaneorum, per multas noctes cum habitu nigro indutum per cellas monachorum discurrisse, dicentem: se esse angelum a Deo missum, ut illis significaret, ne Proterio (is erat vir sanctus et catholicus episcopus Alexandriae) communicarent; sed ejus loco Timotheum' Aelurum episcopum designarent.

De quodam Iconomacho scribit Paulus Diaconus lib. ult. rerum romanarum, eum in sepulchro quodam inclusum, inde Constantinum Iconomachum laudibus in coelum vehere coepisse, ut nimirum ita quasi morluorum responsis haeresis confirma-

retur.

De nostri szeculi haereticis idem omnino constat. Nam in primis Lutherus bis tentavit miraculum facere: voluit aliquando de quadam discipula sua diabolum ejicere, sed periculum fuit, ne ipse a daemone occideretur. Vide Staphylum, qui in-

terfuit, in absoluta responsione.

Rursum (ut scribit Joannes Cochlaeus in actis Lutheri anno 1523) Nesenum in Albi misere submersum, spe miraculi Lutherus vanis immurmurationibus frustra in vitam revocare tentavit. Sed quamvis viventi miracula non successerint, idem tamen post mortem miraculo insigni claruit. Nam ejus cadaver cum deferretur in media hyeme, quo tempore corpora mortua in multos dies conservari solent, et esset inclusum in arca stamnea optime clausa; ut Wittembergae sepeliretur, tam tetrum odorem spirare coepit, ut neme eum ferre potuerit. Proinde coacti fuerunt corpus relinquere in itinere. Vide historiolam de morte Lutheri, quas solet annecti libro Cochlaei de vita et actis ejusdem Lutheri.

Aliad miraculum refert Felicianus Ninguarda in libro contra Annam Burgensem, et Lindanus in Dubitantio, et Alanus Copus lib. 6. dialogorum cujusdam ministri, qui in finibus Poloniae et Hungariae anno 1558. excitare voluit hominem, nomine Matthaeum, quem ipse persuaserat, ut se mortuum fingeret, et revera mortuum effecit. Simile narrafur de Calvino ab iisdem, sed fusius a Hieronymo Bolseco in vita Calvini, cap. 13.ex quo hinc

pauca inserere placuit..

Praeterire, inquit, non deben vafram ejus, et subtilem machinationem, qua tum usus est, cum quemdam, cui Bruleo nomen, et patria Ostunum, in vitam revocare cogitaret, molireturque, ut'sancti atque gloriosi Dei prophetae, miraculo rumque patratoris nomen sibi. et famam paret. Historia talis est; Is, quem dixi, Bruleus Ostuno Genevam demigrarat, et cum inops esset ipse, et uxor ejus, Calvini gratiam aucupabantur, ut ei commendati, peculii pauperum fierent participes. Ei Calvinus vitae subsidia benigne pollicetur, si ipsi contra suam operam sibi non negarent ad rem quamdam, quam per cos fieri vellet : sed opus esse fide, et magna taciturnitate. Vicissim illi ad id quod jubere vellet promptos se offeruntæl quemadmodum a Calvino instructus fuerat, miser hic Bruleus morbum simulat. Ministri pro concione populo commendant, ut precibus juvarent, et eleemosynis paupertati succurrent. Non diu post personam mortui induit; et mortuum se si-

Bellarmini. Vol. II.

mulat. Hic Calvinus clam admonitus, quasi tum omnium rerum ignarus deambulatam prodit; sed comitatus magna caterva amicorum, postquam eo ventum esset, ubi clamores et ejulatus uxoris, quae misellam, et desolatam egregie exprimebant, exaudiret, quidnam hoc esset, sciscitatus, domum ingreditur, ubi in genua ipse, et reliqua caterva provolvitur, precibusque alta voce profusis Deum obtestatur potentiam suam ostendere et mortuo huic vitam restituere, gloriamque suam sic universo populo declararé vellet simulque manifestum facere se (Calvinam) peculiarem, sibique gratum servum esse, et a se ad evangelit sui ministerii atque Ecclesiae reformationem singulariter, et vere vocatum. Post quas preces ad mortuum appropinquat, et miseri hominis manu apprehensa in Dei nomine imperat, ut se erigat. Repetit ilerum, saepiusque eosdem sermones voce estam allius elevata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque se commovet mortuus. Justo enim Dei judicio, qui fucos, mendaciaque detestatur, is,qui se mortuum simulabat, vere esse mortuus repertus est. El uxor, quidquid eum agitaret, quomodocumque impelleret, neque vocem extorquere, neque ut se commoveret, efficere potuit; sed totus frigebat, rigebat totus. Quo animadverso plorare, ululatus serio edere el ex animo coepit uxor, et in Calvinum invecta, impostorem eum, sicarium, latronem, qui maritum interemisset, appellans, ex ordine rem, quo modo erat gesta, clara altaque voce exposuit. Et infra: Negent hoc quantum velint Calvini mancipia, exploratum et cognitum salis fuit, verilas. que rei probata, immo per ipsammet uxorem

Possumus ergo his opponere quod ait Tertullianus in libro de praescript. Si alium Deum praedicant, cur ejusdem, rebus et literis utuntur, contra quem praedicant? Si eundem, quomodo aliter? Alioqui probent se novos apostolos: dicant Christum iterum descendisse, et dedisse eis virtutem eadem signa edendi. Volo igitur, inquit, virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem corum, qua apostolos in perversum aemulatur? Illi enim de mortuis suscita-

bant, isti de vivis mortuos faciunt.

Respondet Carrinus in praesat. institut. et alii, nos injuriam eis sacere, quod ab eis miracula exigimus, cum ipsi doctrinam antiquam, et innumeris miraculis ab apostolis et martyribus consirma-

tam praedicent.

At contra; nam ostendimus supra doctrinam eorum esse novam, et pugnantem cum tota antiquitate. Deinde constat eos saltem aliter docere, quam doceant ordinarii pastores Eoclesiae; Constat etiam eos non missos ab ordinariis pastoribus; ergo non tenemur eos recipere, nec tuto possumus, nisi suam missionem, et apostolatum probent divino testimonio.

Respondet: Joannem quoque Baptistam missum extraordinarie, et tamen signum nullum fecisse, ut dicitur Joan. 10.

At quamquam Joannes ipse non fecit miracula, tamen in eo facta sunt a Deo multa, et magna.

Primum quod natus de anu et sterili : deinde quod pater ejus obmutuit, et postea soluta est lin. gua ejus in nativitate filii, quod in utero exultavit: quod a puero in desertis locis vixit. Luc. 1. Deinde Joannes erat filius sacerdolis, et proinde sacerdos et ordinarius minister. Praeterea nihil docuit contra communem doctrinam, neque se a caeteris sacerdotibus et populo separavit. Et quamquam principes et pharisaei eum odissent, quia Christum praedicabat, tamen interrogati a Christo. Matth.21. quid sentirent de baptismo Joannis, non sunt ausi illum improbare. Denique Josephus lib. 18. antiquit, cap. 10. testatur Joannem a Judaeis habitum inter praecipuos viros, justitiae et probitatis caussa. Unde mendacium est, quod Centuriatores dicunt, Cent. 1. lib. 1. cap. 10. col. 363. Joan, habitum a sacerdotibus et pharisaeis pro haeretico.

Veniamus nunc ad alteram partem, ac nostram Ecclesiam esse veram Dei Ecclesiam demonstremus ex miraculis, quae singulis aetatibus habuit plurima, et testatissima: Ac primum de undeem primis saeculis planum est ex XI. tomis histor. ecclesiasticae Magdeburgensium. In singulis enim Centuriis illis, c. 13. annotant ex auctoribus illorum temporum omnia miracula, et in singulis saeculis inveniunt miracula plurima in confirmationem dogmatum nostrorum, ut confessionis sacramentalis, reliquiarum, imaginum. eucharistiae, pontificatus, monachatus, invocationis sanctorum etc. ipsi enim hos titulos ponunt. Et quamvis postea subjungant; illa omnia fuisse daemonum illusiones, vel falsas narrationes; tamen nibil asserunt, quo id probent, nisi quod ea miracula pugnant cum evangelio Lutheri.

Proderit tamen breviter anuotare, quomodo omnibus succulis Ecclesia miraculis claruerit, ut etiam nunc intelligamus eam esse veram Ecclesiam, quae antiquae similis est, idest, in qua durat hoc donum. Primo saeculo habemus miracula Christi,

et apostolorum in evangeliis, et actis.

Secundo saeculo habemus miracula Christianorum militum in exercitu M. Antonini, de quo vide Tertul. in lib. ad Scapulum, et in apolog. cap. 5. Euseb. lib. 5. hist. cap. 5. et Oros. lib. 7. hist. cap. 15. et ipsam epistolam imperatoris, ad Justini opera adjunctam.

Tertio saeculo habemus miracula Gregorii thaumaturgi, de quibus vide Basilium libro de Spiritu sancto, cap. 29. Gregorium Nyssenum in vita ejus. Hieronymum de viris illustribus, et Eusebium ex

versione Ruffini lib. 7. cap. 25.

Quarto saeculo habemus miracula Antonii, Hilarionis, Martini, Nicolai, et aliorum, scripta ab Athanasio, Hieronymo, Sulpitio, et aliis.

Quinto saeculo habemus miracula plurima, quae describit Augustinus facta suo tempore, lib. 22.

de Civitate Dei, cap. 8.

Sexto saeculo habemus miracula, quae narrat Gregorius in Dialogis, ubi narrat duo facta a romanis pontificibus, Joanne et Agapeto, lib. 2. c. 2. et 3.

Septimo saeculo miracula facta in Anglia a s. Augustino, et sociis, de quibus Gregorius lib.9.episl.

58. et Beda lib. 1. hist. cap. 31. Item ab Oswaldo rege per lignum crucis lib. 3. cap. 2.

Octavo sueculo miracula s. Cuthberti, et s. Joan-

nis in Anglia, teste Beda lib. 4. et 5. hist.

Nono saeculo miracula Tharasii, scripta ab Ignatio Nicaeno. Item alia innumerabilia omnis generis facta in civitate Suessionensi in translatione reliquiarum s. Sebastiani martyris, quae facta est anno Domini 826. De qua vide annales Francorum, scriptos summa fide ab auctore, qui illo ipso tempore floruit.

Decimo saeculo miracula s. Romualdi, seripta a b. Petro Damiani: Item Wenceslai regis Böemorum, s. Udalrici et s. Dunstani, de quibus vide

Surium.

Undecimo saeculo miracula s. Eduardi regis et virginis, s. Anselmi, Gregorii papae VII. et alio-

rum. Post illa undecim saecula.

Duodecimo saeculo claruerunt in Ecclesia catholica miraculis b. Malachias et b. Bernardus. De Malachia episcopo legato pont. rom. sie scribit Bernardus in vita ejus, posteaquam narravit multa ejus miracula: Quo, inquit, antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? Si bene advertimus pauca ipsa, quae dicta sunt, non prophetia defuit illi, non revelatio, non gratia sanitatum, non mulatio mentium, non denique mortuorum suscilatio.

Beatus autem Bernardus monachus, et pater monachorum, ac romanis pontificibus addictissimus, pluribus miraculis claruit, quam ullus sanctorum, quorum vitae scriptae exstant. Nam una die in constantiensi dioecesi constat eum illuminasse caeces undecim, curasse mancos decem et claudos decem et octo, ut scribit Gotfridus, qui cum ipso vixit, lib. 4. cap. 4. vitae ejus. Et praeterea omnes quinque libri plenissimi sunt miraculis, ut difficile

sit earum numerum inire.

Decimotertio saeculo claruerunt în Ecclesia catholica multi, sed praecipue b. Franciscus, cujus vilam miraculis plenissimam scribit b. Bonaventura: Item b. Dominieus; eujus vita, etsi negligentius scripta fuit, tamen constat eum tres mortuos excitasse. Claruerunt eodem saeculo miraculis b. Petrus martyr, et b. Thomas ex ordine praedicatorum, et b. Antonius, ac b. Bonaventura ex ordine minorum, de quibus vide Antoninum 3. part. hist. tit. 23. et 24. et ad finem ejus saeculi claruit miraculis plurimis s. Coelestinus V. pontifex romanus tam ante pontificatum, quam postea, ut scribit in ejus vita Petrus cardinalis Cameracensis.

Decimoquarto saeculo claruerunt miraculis etiam multi, sed praecipue, s. Catharina senensis, s. Nicolaus tolentinas, de quibus vide Antoninum,

ubi supra.

Decimoquinto saeculo claruit s. Bernardinus, item s. Vincentius vivus, et mortuus miraculis plurimis, adeo ut b. Antoninus 3. parte hist. tit. 23. dicat, constare de 38. mortuis per eum excitatis. Idem b. Antoninus eodem saeculo miraculis claruit, cujus vita exstat apud Surium.

Denique hoc nostro saeculo claruit in primis s. Franciscus de Paula plurimis miraculis, ut in Bulla



canonizationis scribit Leo X. pont. quae Bulla exstat apud Surium. Claruit etiam in Indiis omni genere miraculorum b. pater Franciscus Xaverius
societatis Jesu presbyter. Constat enim ex Indicis
literis, quas ii, qui cum eo versabantur, huc miserunt, ab eo paralyticos, surdos, mutos, caecos-esse
curatos, mortuum quoque ad vitam revocatum, et
cum mortuus deferretur ad insulam Goam ex Malacca, maris tempestatem sedatam. Denique corpus ejus post 15. menses a morte integerrimum,
et suaviter olens repertum, cum tamen jacuisset
per multos menses calce obrutum; nec dubium
est, quin usque ad hanc diem integrum et incorru-

plum conservelur.

Conferantur ista cum Lutheri vita et morte. Lutherus deserit monasterium, ducit uxorem post votum continentiae, bellum indicit papae; Francisous ingreditur ordinem religiosum, servat diligentissime votum continentiae : obligat se papae voto obedientiae peculiari, et ab eo missus in extremas mundi oras proficiscitur. Certe isti contrariis itineribus incedunt, ut necesse sit alterum eorum aberrare a recta via. Quis poterit melior esse judex, quam Deus, qui scrutatur renes et corda? Quomodo autem potuit Deus apertius sententiam suam explicare; quam tribuendo uni donum singulare miraculorum et conservando corpus ejus praeter naturae ordinem perpetuo incorruptum, cum interim alter ne unum quidem muscam excitare potuerit, et corpus ejus praeter naturae etiam ordinem subito putrescere coeperit, idque in hyeme, quando gelu omnia rigebant, et ita putrescere, ut intra arcam stamneam foetor contineri nequiverit?

Merito igitur Augustinus libro de utilitate credendi, cap. 17. et libro contra epistolam fundamenti, cap. 4. dicit, se teneri in Ecclesia vinculis miraculorum; et Richardus de s. Victore lib. 1. de Trinitate, cap. 2. audet dicere: Domine, si error est quod credimus, a te decepti sumus; ista enim in nobis iis signis et prodigiis confirmata sunt.

quae non nisì a te fieri poluerunt.

Sed respondet Calvinus in praefatione Institutionis, et Magdeburgenses in singulis fere Centuriis, miracula sanctorum nostrorum vel esse ficta, vel imaginaria, idest, vel non ita res contigerent, et falso narrari ab historicis, vel si contigerent, esse praestigias daemonum. Quocirca Magdeburgenses Cent. 5. c. 10. col. 1393. dicunt, si vera sunt, quae de miraculis b. Martini soribit Sulpitius, b. Martinum sine dubio fuisse necromenticum. Et quidem esse hace miracula ficta, non probant, sed dicunt solum.

Fuisse autem daemonum praestigias, ex eo probare nituntur, quod vera miracula confirmant evangelium, ut constat Marci ultimo; ista autem evertunt evangelium, et confirmant idololatriam, idest, reliquiarum, et imaginum cultum, sanctorum invocationem, missam, et alia id genus. Addunt secundo, ex miraculis non sumi argumentum firmum ad probandam veram fidem, id quod probant quatuor argumentis. Primo, quia etiam Antichristas faciet signa et prodigia magna, Matth. 24. Apocalyp. 13. et 2. Thessal. 2.

Secundo, quia Augustinus tractatu 13. in Joan. dicit, non esse credendum Donatistis etiamsi miracula faciant, ubi per contemptum vocat eos mirabiliarios; et libro de unitate Ecclesiae, cap. 16. postquam docuit non esse credendum miraculis Donatistarum, addit, nec etiam miraculis catholicorum: Quaecumque, inquit, taka in catholica funt, ideo sunt approbanda, quia in catholica funt: non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia haec in ea funt.

Tertio, quia olim ad sepulchrum Hieremiae flebant miracula, opera daemonum; quod inde patet, quia flebant in eorum utilitatem, qui Hieremiam pro Deo, sacrificiis, divinisque honeribus colebant:

Quarto, quin ex Svetonio constat Vespasianum imperatorem caeco lumen, et claudo gressum aliquando reddidisse. Item ex Socrat. lib. 7. hist. cap. 47. proferunt Centuriatores Magdeburgenses Cent. 5. cap. 43. col. 1463. miraculum Pauli episcopi Novatiani; nec tamen, inde colligere licet veram fuisse religionem, quam Vespasianus, aut Novatiani colebant.

Sed respondeamus ad singula. Ad primum cum negant facta esse miracula, quae a nostris referuntur, Respondeo: Impudentissime negari. Stultum enim est credere potius Calvino, et Illyrico de historiis antiquis, quibus non interfuerunt, quam Bernardo, Bonaventurae, Antonino, qui interfuerunt. Praeterea, ut s. Augustinus respondit, Paganis negantibus historias miraculorum nostrorum lib. 10. de Civit. Dei, cap. 18. si liceat absque ulla ratione negare facta olim miracula, peribit fides omnium librorum, et tolletur non solum nostra, sed etiam omnis alia religio. Omnes enim, qui Dii habentur, operibus mirabilibus, a' doctis viris conscriptis, divinitatem suam, sive veram, sive falsam, mundo persuaserunt.

Ad secundum, cum dicunt esse praestigias daemonum, Respondeo: In primis hanc esse veterem calumniam; sic enim scribae et pharisaei loquebantur de miraculis Christi, Matth. 12. et pagani de miraculis martyrum, quos magos et necromanticos vocare solebant; Et Ariani, Eunomiani, Vigilantiani de miraculis catholicorum, ut testantur Ambrosius in serm. de ss. Gervasio et Prothasio, Hieronym. cont. Vigilantium, et Victor lib. 2. de persequut. wandalica. Deinde nullam habet probabilitatem, quod ss. Martinus, Franciscus, et alii quidam, qui simplicissimi erant, magica arte uterentur.

Sed, inquiunt, ista miracula evertunt evangelium. Respondeo: Verum est, sed Calvini, non Christi; vel probent ipsi quod tam audacter affirmant. Nec minus facile refelluntur illa argumenta postrema, quibus probant, miracula non facere certam fidem.

Ad primum respondeo: Miracula Antichristi fore mendacia, ut apostolus dixit 2.. Thessal. 2. idest, non vera et solida, sed apparentia, vel mirabilia hominis, non tamen absolute miracula, qualia arte daemonis fieri possunt. Id patet ex Apocalypsis cap. 13. ubi pro maximis Antichristi miraculis ponitur, quod faciet ignem de coelo descendere, et ut imago bestiae loquatur. Haec autem faciliam esse diabolo, palam est: At miracula sanctorum

sunt illuminationes caecorum, curationes claudorum, excitationes mortuorum: quae non nisi ejus virtute fieri possunt, de quo canimus in psalmo 135.

Qui facit mirabilia magna solus.

Ad secundum dico: Miracula Donatistarum, quae Augustinus contemnit, non fuisse miracula talia, qualia sanctorum sunt, sed occultas quasdam visiones tantum, quas sine ullo teste jactabant se vidisse; qualis fuit visio Zwinglii, qui in lib. qui inscribitur subsidium de eucharistia, dicit se vidisse spiritum, sed non potuisse discernere, esset ne albus, an niger; qualis est etiam visio, quae narratur in libro, qui inscribitur querela, vel somnium Lutheri, ubi Lutherus narratur apparuisse quibusdam Lutheranis, tristique vultu conquestus, quod tam se, quam doctrinam suam discipuli sui brevi essent deserturi. Itaque non sine caussa ea miracula s. Augustinus vocat fabules.

Quod autem Augustinus maximi faciat vera miracula, patet ex lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. ubi contra paganos adducit miracula maxima, facta ad reliquias sanctorum, praecipue Stephani protomar-

tyris.

Ad id, quod Augustinus dicit, Ecclesiam non demonstrari ex miraculis, sed ex Scripturis, Respondeo: Augustinum contrario modo loqui in lib.cont. epist. fundamenti, cap. 4. et 5. ubi dicit, Ecclesiam demonstrari ex miraculis, non ex Scripturis, immo Scripturas demonstrari ex Ecclesia. Ne igitur secum pugnet, dicendum est, in utroque loco eum loqui ex hypothesi. Quia enim Manichaei admittebant miracula, et negabant Scripturas (nam veterem dicebant esse a diabolo, novam dicebant esse totam corruptam a falsariis) Augustinus in lib. cont. epistol. fundamenti Manichaeorum, ex miraculis demonstrat Ecclesiam, deinde ex Ecclesia demonstrat Scriptoram. Sed quia Donatistae credebant Scripturae tam veteri, quam novae, et jactabant suas visiones, contemnentes miracula Ecclesiae, ideo Augustinus cont. Donatistas alia via procedit, et ex Scripturis demonstrat Ecclesiam, deinde per Ecclesiam vult judicari de miraculis.

Est autem observandum, recte demonstrari ex miraculis Ecclesiam, et ex Ecclesia miracula, sed diverso genere demonstrationis; quemadmodum ex effectu demonstratur caussa, et ex caussa effectus. Nam ex miraculis demonstratur Ecolesia, non quoad evidentiam, vel certitudinem rei, sed quoad evidentiam et certitudinem credibilitatis. Cujus rei ratio est, quia ante approbationem Ecclesiae, non est evidens aut certum certitudine fidei de ullo miraculo, quod sit verum miraculum; tamen est tale, ut evidenter facial rem credibilem. Et quidem, quod non sit evidens, patet, quia tunc fides esset evidens; quod non sit certum certitudine fidei, patet, quia non constat nobis certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non esse illusionem daemonis. Daemon enim etsi non potest facere vere miracula, tamen potest facere apparenter etiam maxima quaeque.

Cur ergo (inquies) tenebantur credere Christo praedicanti, qui ejus miracula videbant? Respondeo: Quia homo non potest salvari sine fide Christi: et ideo tenetur accipere eam fidem, ut medium ad salutem suam necessarium. Noluit autem Deus obligare homines, ut crederent incredibilia, sed solum quando per miracula, et similia motiva fides facta est credibilis: at ex Ecclesia demonstratur miraculum, quoad certitudinem rei, quia, quando Ecclesia declarat miraculum factum; esse verum miraculum; certi sumus ita esse.

Ad tertium dico: Mendacium esse Calvini, quod populi coluerint Hieremiam sacrificiis, divinisque honoribus. Nam nullum testem adducit hujus rei, nisi quod in margine ponit (Hieronymus praefatione in Hieremiam). Caeterum, neque in praesatione Hieronymi in Hieremam, a se translatum, neque in praefatione Commentariorum. Hieremiae ulla mentio fit hujus historiae. Praeterea exstatalia quaedam praelatiuncula in bibliiis Benedicti, Hieremiae praefixa, ad quam videtur Calvinus respexisse. Sed ea non est Hieronymi, neque in ea fit mentio sacrificiorum, divinorumque honorum; sed solum,quod miracula facta sint ad sepulchrum ejus. Denique Epiphanius et Isidorus in vita Hieremiae, dicunt quidem miracula facta; sed de sacrificiis divinisque honoribus nihil dicunt.

Ad quartum respondeo: Nec caecum vere, nec vere claudum a Vespasiano esse curatum. Nam, ut scribit Cornelius Tacitus lib. 4. hist, interrogati medici an morbi duorum illorum curabiles essent; responderunt, esse curabiles; Medici, inquit. varia disserere: huic non exesam vim luminis, et redituram, si pellantur obstantia, illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari. Igitur mirum non est, si morbi curabiles naturaliter, opera diaboli curati fuerint. Adde, quod, ut Tertullianus docet in apologetico, cap. 22. credibile est totum illum morbum fuisse a diabolo, qui insidens in oculo unius, et alterius tibia, impediebat usum eorum membrorum: idque eo fine, ut videretur sanare, cum desineret nocere.

Ad postremum de miraculo Novatiani respondeo: Miraculum factum esse non in confirmationem fidei Novatiani, sed catholici baptismi. Id enim pro miraculo scribit Socrates, quod cum ad Paulum episcopum novatianum venisset quidam Judaeus impostor, ut ab eo baptizaretur, et apud se baptismum irrideret, continuo tota sacri fontis aqua evanut. At non fuisse hoc miraculum Novatiani erroris, sed veri baptismi perspicuum est ex eo, quod idem Socrates subjungit, cognitum paulo post fuisse, eum Judaeum jam antea baptizatum ritu catholico ab Attico episcopo constantinopolitano. Itaque Deus, quia noluit irrideri baptismum, in Ecclesia rite susceptum, non permisit impostorem Judaeum ab liaeretico episcopo iterum baptizari.

CAPUT XV.

Nota duodecima.

Duodecina nota est Lumen propheticum. Sicut enim Christus Marci ult. promittit Ecclesiae donum miraculorum, ita etiam Jöel. 2. exponente Petro Act. 2. promittit donum prophetiae, quod certe est maximum; cum certum sit, neminem cognoscere futura contingentia, excepto Deo, Isaine 41.



Annunciate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos. Et e contrario Deut. 18. ponitur tamquam nota falsae doctrinae, si prophela praedixerit aliquid, et non evenerit.

Jam apud Ethnicos et Haereticos nulla fuerunt vera vaticinia, sed multa falsa, nisi forte flerent in testimonium nostrae fidei, ut fuerunt vaticinia Sybillarum et Baluam. Etsi enim Ethnici habuerunt plurima oracula Apollinis, tamen illa, vel per am-

plurima oracula Apollinis, tamen illa, vel per ambages respondebant, quando scilicet Apollo non sciebat revera, quid essel futurum; vel ea praedicebant, quae daemones ipsi facturi erant; vel ea, quae coepta erant fieri, ignorantibus nuntiabant tamquam futura; vel demum ea praedicebant, quae naturales habent caussas nobis ignotas; illis autem notas propter majorem naturae subtilitatem. De qua re vide s. Athanasium, in vita s. Antonii, s. Augustinum lib.de divinatione daemonum, et Theodoretum lib. de oraculis.

Haeretici quoque, quotiescumque aliquid praedicere voluerunt, decepti sunt. Id patet de falsis prophetis in Testamento veteri, 3. Reg. 22. Tempore autem novi Testamenti fuit olim Montanus, qui propheta videri voluit cum duabus prophetissis Prisca et Maximilla, et praedixerunt bella, et nescio quae alia tunc futura; sed plane contrarium accidit, ut notat Eusebius lib. 5. hist. cap. 16. et 18.

Nostris temporibus Lutherus, quem Lutherani constanter prophetam Germanicum et Heliam vo-cant, apud Cochlaeum in actis Lutheri anni 1525. praedixit fore, ut, si ipse adhuc per duos anuos suam doctrinam praedicaret, evanescerent papa, cardinales, episcopi, monachi, moniales, turres, campanae, missae etc. et tamen praedicavit postea non duos, sed fere 22. annos; obiit enim enno 1546, et tamen non evanuerunt papa, cardinales, episcopi, monachi etc. Ibidem Cochlaeus refert de Thoma Muncero, qui se Gedeonem vocabat, et infinitos rusticos armaverat contra principes Germaniae, quod praedixerit, certam victoriam suis, et se in manica excepturum omnes globos tormentorum bellicorum, et tamen paulo post caesi sint fere omnes rustici, et Thomas captus, et securi percussus. Idem Cochlacus in actis Lutheri, anni 1533. scribit, tam constanter asseruisse Lutheranorum prophetas, illo anno futurum diem ultimi judicii, et ipsum etiam diem designasse, ut multi nec arare, nec serere voluerint; qui tamen mendaces inventi sunt.

At in Ecclesia catholica praeter prophetas Testamenti veteris, et eos qui fuerunt primis quingentis annis a Christi adventu, ut Agabum, de quo Actor. 11. et Gregorium thaumaturgum, de quo Busilius lib. de Spiritu sancto, cap. 29. et Antonium, de quo Athanasius in ejus vita, et abbatem Joannem, de quo Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 26. fuerunt etiam posterioribus saeculis, quibus juxta Lutheranos perierat apud Romanos Ecclesia, veri prophetae, et quidem monachi, ac romano pontitici addicti. De s. Benedictus inquit, regem de suis actibus increpavit, atque in paucis sermonibus cuncta, quae illi erant eventura, praenuntiavit dicens: Multa mala facis, multa mala feci-

sti jam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, novem annis regnans, decimo morieris. Quaq omnia completa se vidisse ibidem Gregorius testatur.

De s. Bernardo scribitur in ejus vita lib.4. cap. 3. eum quatuor hominibus pracdixisse conversionem, tribus de ea nihil cogitantibus, quarto etiam ab ea re alienissimo; Quae omnia, sicut praedixerat, evenerunt. Sed mirabile est prorsus, quod ibidem de nobili quodam viro narratur; nam cum pro ejus conversione, ut s. Bernardus orașet, guidam illius filius peteret, respondit sanctus: Ne timeas, ego illum probatum monachum in hac Claravatle sepeliam. Quot sunt in hac una sententia vaticinia? Nam et monachum illum aliquando futurum, et in ordine monastico usque ad mortem perseveraturum, et sancte ac pie diem extremum clausurum, idque ante ipsum Bernardum, et in Claravalle. et ipsius Bernardi manibus sepeliendum. Sex vaticinia sunt inter se diversa, et omnia tamen, nec sine singulari Dei providentia, impleta. Sic enim auctor pergit: Et perfectus, inquit, monachus factus est, et a Patre sancto (sicut ipse praedixerat) in Claravalle sepultus: tamquam, enim mori illo absente non posset, quinque mensibus infirmatus, et celeberrimum, immo continuum responsum mortis in seipso habens, sustinuit, donec Pater sanctus rediret, qui, ut olim promiserat. eum traderet sepulturae.

S. Franciscus (ut scribit in ejus vita b. Bonaventura) cum christianus exercitus certo die cum Saracenis pugnaturus esset, admonuit duces, ne eo die pugnarent: sibi enim a Deo revelatum, victoriam hostibus eo die cessuram. Sed cum contemnerent duces beati Francisci monita, caesi, fusique sunt Christiani inaudita strage. Addi possent multa alia ejusdem generis; fere enim nulli coluntur in Ecclesia sancti homines, qui simul cum miraculis, non etiam hoc dono clarucrint. Sed hace pauca hoc loco sufficient.

#### CAPUT XVI. ··

# Nota decimatertia.

Decimalertia Nota est Confessio adversariorum. Tanta enim est vis veritalis, ut eliam adversarios cogat interdum sibi testimonium dare, juxta illud Deut.32. Non enim est Deus noster, ut Dit eorum, et inimici nostri sunt judices. Jam nusquam inveniuntur catholici laudasse, aut approbasse doctrinam, aut vitam ullorum Ethnicorum, aut Haereticorum. Scimus anim, unem tantum esse veraun fidem, et sine ea nullam esse veraun justitiam. Itaque nos constanter asserimus, errarc omnes, qui doctrinam nostram non sequuntur. At non sic de nobis loquuntur Pagani, Judaei, Turcae, Haeretici.

De Paganis multa testimonia sunt. Plinius II. in epist. ad Trajanum, lib. 10. epistolarum scribit Christianos omnia vitia detestari. sanctissimeque vivere, et hoc solum in eis posse reprehendi, quod nimis facile pro Deo suo vitam profundant, quod-

que horis antelucanis surgant ad canendas laudes Christo. Tertullian. in apologet. cap. 1. et 2. testatur, Paganos noluisse discuti caussam Christianorum, sed damnari sine discussione, quia sciebant, se in eis nihil mali reperturos; et cap. 5. et 6. affirmat, eos imperatores, qui sunt habiti optimi, favisse Christianis; ut M. Aurelium, Vespasianum, Antoninum Pium; eos autem persequutiones movisse, qui sunt habiti pessimi, etiam ab ipsis gentilibus, ut Neronem et Domitianum.

Exstat quoque epist. Marci Aurelii imperatoris, in qua testatur, in Germania cum per dies quinque siti laboraret exercitus, et essent Romani circumdati ab incredibili multitudine Germanorum, ut esset impossibile humanis viribus evadere; tunc se ad Deos patrios confugisse, sed frustra; deinde aliquot milites Christianos, qui erant in exercitu, rogasse, ut etiam ipsi Deum suum orarent. Porro vix illos in genua ad orationem procubuisse, cum statim de ooelo in Romanos quidem jucundissimus imber descendit; in hostes vero ignis et grando permixta: cujus epistolae meminit Tertullianus in apologet. cap. 5. et in lib. ad Scapulum, et nuper inventa est; et impressa in operibus Justini.

Denique, s. Antonium, s. Hilarionem et s. Martinum fuisse honori et reverentiae Paganis, scribunt Athanasius, Hieronym. et Sulpitius, in eo-

De Jadaeis habemus in primis testimonium Jósephi lib. 18. antiquit. cap. 6. ubi affirmat, Christum plus quam hominem fuisse, et vere Messiam esse. Philo scripsit librum insignem de laudibus eorum Christianorum, qui sub Marce evangelista in Aegypto vivebant; quem librum scriptum de laude Christianorum, non de secta aliqua judaica, ut putant Centuriatores Cent. 1. lib. 2. cap. 3. col. 18. testatur Eusebius lib. 1. histor. cap. 16. Epiphanius haeres. 29. Hieronymus de viris illustribus in Philone. Sozomenus lib. 1. cap. 12. et Beda praefatione in Marcum.

Mahumetus in Alcorane, cap. 2. docet, Christianos salvari; et cap. 4. dicit, Christum maximum esse prophetarum, et ipsam Dei animam habere. Testatur quoque s. Bonaventura, sultanum Aegypli, licet mahumetanum, in summo honore ac reverentia habuisse b. Franciscum, quem tamen sciebat christianum et catholicum esse.

Idem de haereticis dici potest. Nam b. Benedictum catholicum a rege Totila ariano summo honore affectum ut verum Dei servum et prophetam, scribit s. Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 15. Et Lutherus jam haereticus existens, sic scribit in lib. contra Anabaptistas, qui in odium papae rejiciunt baptismum parvulorum: Nos, inquit, fatemur, sub papatu plurimum esse boni Christiani. immo omne bonum Christianum, alque etiam illinc ad nos devenisse. Quippe fatemur in papatu veram esse Scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum praedicandi officium, verum catechismum, ut sunt, oratio dominica, decem praecepla, articuli fidei. Dico insuper, sub papatu veram christianitatem, immo verum nucleum christianitatis esse. Haec ibi. Ubi si nobis nucleum tribuit, certe sibi nihil servat, nisi corticem vel pulamina.

Calvinus Institut. cap. 10. § 17. vocat Bernardum pium scriptorem. At certe Papista fuit Bernardus, et nemo est pius sine vera fide. Philippus in apologia art 5. et 27. Confessionis Augustanae, vocat sanctos Bernardum, Dominicum et Franciscum, quod idem facit Lutherus in libro de abroganda missa, prope finem. Item, ut scribit Cochlaeus in actis Lutheri, anni 1531, cum post multa praelia inter catholicos et haereticos Helveticos pax componeretur in 1. art. Concordiae haeretici scribebant, se velle deinceps dimittere confoederatos suos quietos circa veram, indubitatam et catholicam fidem suam; Catholici autem scribebant, se velle dimittere confoederatos suos quietos circa fidem eorum; nihil vero addebant de vera, indubitata, vel catholica.

#### CAPUT XVII.

#### Nota decimaquarta.

Decimaquarta Nota est Infelix exitus, seu finis eorum, qui Ecclesiam oppugnant. Etsi enim Deus punit suos, et flagellat, tamen tandem projicit virgam in ignem. Deut.32. Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur, et vindiclam retribuet in hostes eorum.

De misero fine Pharaonis , primi persequutoris Ecclesiae, legimus Exod. 14. de Dathan et Abiron primis schismaticis legimus Numer. 16. de Jezabel, 4. Reg. 9. De Antiocho, 2. Machab. 9. de Pilato, quod seipsum interfecerit, scribit Eusebius lib. 2. hist. cap. 7. Et cap. ult. refert breviter cladem Judaeorum, quam Josephus late prosequitor in lib. de bello Judaico. De Herode Ascalonita, qui objit scatens vermibus cum prius occidisset uxorem, et filios, et seipsum occidere voluisset, scribit Josephus lib. 17, antiquitat, cap. 9. De Herode Tetrarcha, quod amisso regno, in exilium relegatus perpetuum, miserrime vixerit. scribit idem Josephus lib. 18. cap. 14. De filia Herodiadis, vide Nicephorum lib. 1. cap. 20. De Herode Agrippa vide Actor. 12. Neronem, Domitianum, et caeteros imperatores, qui Christianos persequuti sunt, omnes vel a seiosis, vel ab ahis crudeliter necatos, vel certe misere periisse, constat ex chronicis et historiis omnibus. Nam Trajanus horrenda paralysi, et simul hydropisi extinctus est. Diocletianus imperium deposuit prae dolore, quod Christianos delere non posset. Galerius, Maximianus et Maximinus tam horrendis doloribus correpti sunt, ut etiam médici ethnici dicerent, divinam esse plagam. Vide Eusebium in Chronico, et lib. 8. histor. cap. ult. et lib. 9. cap.ult. Moxentius in flumine periit, et incruentam victoriam Constantino reliquit. Euseb. lib. 9. c. 9. ex versione Ruffini.

Veniamus ad Haeresiarchas et Apostatas. Simon magus cum volare vellet, orationibus b. Petri dejectus, tibias fregit, et paulo post cum summa ignominia obiit: Egesippus lib. 3. cap. 2. de excidio hierosolymitano, et Arnobius lib. 2. contra Gentes.

Excoriatus est a rege Persarum Manichaeus vi-

rus, non ob fidem, sed quia filium regis curaturus

occidit: Epiphanius haeres. 66.

Montanus, Theodotus et prophetissae eorum laqueis seipsos necaverunt. Eusebius lib.5.hist.cap. 16. Donatistae quidam cum eenibus eucharistiam projicerent, ab iisdem canibus lacerati sunt: Optatus lib. 2. contra Parmenianum.

Arius cum in Ecclesiam intrare vellet, subito motu alvi ad latrinas publicas accessit, et simul cum excrementis intestina omnia et animam effudit: Testis Athanasius orat. 1. contra Arianos, et Ruf-

finus lib. 10. bist. cap. 13.

Julianus apostata divinitus occisus, communi etiam caruit sepultura; nam a terra sponte aperta, absorptum, scribit Gregorius nezianzenus orat, in Athanasium, circa fin.

Valens Arianus, qui Juliano in persequatione Christianorum successit, vivus a Gothis etiam Arianis crematus est: Ruffinus lib.11.histor.cap. 13.

Nestorius lingua impia a vermibus consumpta, miserrime interiit: Evagrius lib. 1. hist. cap. 7.

Hunericus rex Wandalorum arianus, et persequutor Ecclesiae, vermibus toto corpore scatens,

consumptus est: Victor lib. 3. extremo.

Anastasius imperator, fautor haereticorum Eutychianorum, fulmine ictus interiit, ut scribunt Cedrenus, Zonaras et Paulus Diaconus in ejus vita. Tempore Leonis Iconomachi, pestilentia consequuta combustionem imaginum in foro constantinopolitano, trecenta millia hominum sustulit Constantinopoli: Vide Chronica Matthaei Palmerii anno 1241. De Constantino Copronymo, vide Paulum Diaconum.

Lutherus morte repentina sublatus est. Nam cum vesperi opiparam coenam sumpsisset laetus, et sanus, et facetiis suis omnes ad risum provocasset, eadem nocte mortuus est: Vide Cochlaeum in vita Lutheri.

Zwinglius in bello contra Catholicos trucidatus est, et paulo post Basileae frater ejus spiritualis Oecolampadius, cum vesperi sanus cubitum ivisset, mane inventus est ab uxore mortuus in lecto: Auctor Cochlaeus in actis Lutheri anno 1531.

Andream Carolstadium a daemone interfectum, ministri basileenses scribunt in epistola, quam edi-

derunt de morte Carolstadii.

Joannes Calvinus vermibus consumptus, expiravit, ut Antiochus, Herodes, Maximinus et Hunericus, testatur Hieronymus Bolsecus in ejus vita. Qui etiam addit, eum, daemonibus invocatis, blasphemantem et execrantem obiisse.

#### CAPUT XVIII.

#### Nota decimaquinta.

Ultima Nota est Felicitas temporalis, divinitus iis collata, qui Ecclesiam defenderunt. Numquam enim catholici principes ex animo Deo adhaeserunt, quin facillime de hostibus triumpharent. Notae sunt in primis victoriae in Testamento veteri Abrahae, Moysis, Josue, Gedeonis, Samuelis, Davidis, Ezechiae, Josiae, Machabaeorum. In Testamento novo Constantinus, qui primis publice ex impe-

ratoribus Ecclesiam defendit, co fere modo Maxentium vicit, quo Moyses Pharaonem. Vide Eoseb. lib. 9. hist. cap. 9. de co-sic ait Augustin. lib. 5. de Civit. Dei, cap. 25. Constantinum imperatorem, non supplicantem daemonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Universum orbem romanum unus Augustus tenuit et defendit. In administrandis et gerendis bellis victoriosissimus fuit. In tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est. Grandaevus aegritudine et senectute defunctus est, filios imperantes reliquit.

De Theodosio seniore scribit idem Angustinus ihidem, cap. 26. ei, quod vere pius et catholicus esset, adeo prospere omnia successisse, ut in praeljis hostium tela in auctores. Deo agente, retorquerentur. Addit Theodoretus lib. 5. hist. cap. 24. sanctos Joannem et Philippum apostolos apparuisse in equis albis in eodem praelio pro Theodosio impe-

ratore pugnantes.

De Honorio etiam plane catholico et romano pontifici addictissimo, ut patet ex ejus epistolis ad Bonifacium papam, scribit Augustinus lib. 5. de Civit. Dei, cap. 23. ita Deum pro illo pugnasse, ut uno praelio multo amplius, quam centum millia Gothorum prosternerentur, et rex ipse Radagaisus cum filiis caperetur, et occideretur, ex Romanis ne uno quidem vulnerato, nedum extincto.

De Theodosio juniore scribit Socrates lib.7.hist. cap. 18. exercitu ejus pugnante cum barbaris, et ipso interim in urbe precibus apud Deum vacante, circiter centum millia Saracenorum, ab angelis acta

in Euphratem, miserrime periisse.

\* Jostinianus senior, donec catholicus fuit, felicissime imperavit, ita ut Italiam, Africam, aliasque multas provincias romano imperio restituerit, ut patet ex Evagrio lib. 4. histor. cap. 16. et seq. At, ubi haereticus factus est, et edictum proponere voluit de sua haeresi recipienda, mox repentina morte sublatus est, et Ecclesiam magno metu liberavit, ut idem Evagrius scribit lib. 4. cap. ult.

Heraclius quoque, ut ex Joanne Zonara, aliisque historicis cognosci potest, dum catholicus esset, praeclarissimam victoriam de Persis reportavit, et crucem Domini recepit, quando res romanae desperatae omniao esse videbantur. At cum in haeresim incidit Monothelitarum, omnia illi infeliciter successerunt, et ipse novo atque inaudito morbi ge-

nere extinctus est.

Constat item ex Graecorum historiis, imperatores orientis ab eo tempore, quo propter dissidium circa imagines se ab Ecclesia romana separaverunt, semper in dies deterius se habuisse, donec tandem imperium penitus amiserunt. In oecidente vero ex Latinorum historiis manifeste colligitur, semper imperatores magis, vel minus floruisse; ut magis, vel minus romanae Ecclesiae addicti fuerunt.

Tempore Urbani II.ad annum Domini 1098.Christiani in bello sacro a papa indicto pro recuperatione Hierosolymae, cum essent Antiochiae in summa desperatione, eo quod prope adesset infinitus exercitus Turcarum et Persarum, et ipsi pauci essent, et dinturna fame prope enecti, ita ut etiam

viri fortissimi baculis innixi incederent, nec equos haberent, nisi paucissimos, ita ut praecipuus princeps Godefredus equo commodato uteretur, et multi principes in asinis equitare cogerentur, tandem Deus revelavit, ubi esset sacra lancea, et ea praelata, in bello victoriam dedit, ita ut occiderint centum millia Turcarum, et ex ipsis vix quatuor millia ceciderint. Cecidit etiam ros divinitus in illos, qui animis et corporibus vires addidit. Denique apparuerunt tres viri sancti pro illis de coelo pugnantes: Vide Paulum Aemilium lib. 4. Gulielmum Tyrium lib. 6. prope fin. et Dodechinum Mariani Sceti continuatorem.

Tempore Innocentii III. in Gallia ab octo millibus catholicorum caesa sunt uno praelio centum millia Albigensium haereticorum, ut scribit Aemilius lib. 6. historiae Francorum.

Nostris temporibus anno 1531. quinque praelia commiserunt pro fide catholici Helvetii cum haereticis Helvetiis, se semper Catholici vicerunt, cum tamen essent numero et armis mullo inferiores: Vide Joan. Cochlaeum in actis Lutheri, anni 1531.

Carolus V. miraculo divino victoriam retulit de Lutheranis anno 1547.

In Gallia quoque et Belgis multas victorias Catholici de Haereticls, non sine miraculo, reportarunt. Immo vix unquam fuerunt Haeretici superiores, quando justo praelio dimicatum est. Atque haec de notis Ecclesiae, et universa hac disputatione pro instituta brevitate dicta sint.

Finis quartae Controversiae generalis.

LAUS DEO, VIRGINIQUE MATRI MARIAE.

### SECUNDA CONTROVERSIA GENERALIS

# DE MEMBRIS ECCLESIAE

MILITANTIS

TRIBUS LIBRIS EXPLICATA

# **INDEX**

# LIBRORUM ET CAPITUM

### LIBER PRIMUS

#### DE CLERICIS

#### Praefatio. Ordo disputationis de clericis.

CAP.		De nomine clerici et laici. Proponitur quaestio de institutione	ČA	P. XVIII.	De coelibatu sacerdotum; silne jure divino annexus sacris ordinibus
•	•	ministrorum Ecelesiae			coclibatus, an non?
	III.	Non pertinere ad populum jus ordinandi pastores, sive ministros.	» :	. XIX.	Coelibatum jure apostolico rectissi- me annexum ordinibus sacris.
a	IV.	Non esse populi, sed episcoporum vocare ministros.	·)) )).	- XX. XXI.	Solvuntur argumenta Ca <b>lvini.</b> Solvuntur argumenta Ph <b>ilippi.</b>
))	٧.	Electionem ministrorum non fieri a solo Deo.	' ))	XXII.	Solvuntur argumenta Magdeburgen- sium.
n	VI.	Non decuisse christianos sacerdoles carnali successione propagari.	7)		De bigamia. Solvuntur objectiones Lutheri.
û	VII.	Jus eligendi ponlificem, caeterosque Ecclesiae ministros, non conve-	<b>i</b> )	XXV.	De decimis. An praeceptum de solvendis decimis
		nire populo jure divino.			possit contraria consuctudine a-
7:	VIII.	Electionem episcoporum, non perti-	•	1,11	brogari.
		nere jure divino ad clerum, sed ad summum pontificem.		· •	An laici pauperes teneantur deci- mas dare clericis divilibus.
•)	IX.	Rationem eligendi summum ponti- ficem, per solos cardinules, esse omnium optimam.	. 1)	III.	An excusari possint a peccato, qui nullas decimas solvunt, ubi non est consuetudo solvendi:
'n	X.	Ad quos electio summi pontificis per-	);	TV.	Qua ratione ostendi possit, justam
	• .	tinet, si cardinales nulli essent etc.			esse determinationem Ecclesiae.
מ	. XI.	De numero ordinum ecclesiasti-		•	- auod Christiani decimam partem
		corum.			suorum frucluum Ecclesiae tri-
"		De antiquitale ordinum.	٠.		buant.
η,		De officiis ministrorum.	-n	XXVI.	De possessionibus, quae dono laico-
D .	XIV.	De distinctione episcopi of presby-			rum possidentur a clericis.
		teri.	×	XXVII.	De donis saecularibus.
n		Solvuntur objectiones.	))	XXVIII.	An clerici sint liberi a jugo potesta-
))		De cardinalibus.		* e	tis saecularis.
D .	XVII.	De chorepiscopis.	•	·	
	•	,			•

## LIBER SECUNDUS

. DE MONACHIS

## PRAEFATIO

CAP.

I. De nomine monastices.

II. De natura, sive definitione religione religionum.

gionis.

CAP.

III. De variis ordinibus religiosorum.

IV. De confirmatione religionum.

V. De origine religionum.

CAP. VI. Mendacia deteguntur, et calumniae refutantur.

VII. Quid sit consilium perfectionis? ))

- VIII. Ponuntur variae sententiae de con-7) siliis.
- IX. Asseruntur consilia evangelica testimoniis Scripturae.

X. Idem asseritur exemplis. 7)

- XI. Idem asseritur testimoniis Patrum. 'n
- XII. Idem confirmatur naturali ratione. n

XIII. Solvuntur objectiones. 'n

XIV. Explicatur nomen et definitio voti. ď

XV. Explicatur status quaestionis.

- Ŋ XVI. Omne quod sti ex voto, esse cultum n Dei.
- XVII. Non fuisse Judaeorum proprium von ta facere, sed cum Christianis id eliam esse commune.

XVIII. Solvuntur objectiones. n

- XIX. Non esse proprie votum promission nem, quae fit in baptismo.
- XX. Paupertalem voluntariam recle Deo ŋ voveri.

XXI. De voto obedientiae. 11

- XXII. Asseritur votum continentiae cx illis-)) verbis, Luc. 1. Quomodo fiet istud etc.
- XXIII. Idem asseritur ex illis verbis, Matth. 19. Sunt eunuchi qui se castraverunt etc.
- XXIV. Idem asseritur ex verbis apostoli, 1. ad Tim. 5. Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt.

CAP. XXV. Idem asseritur ex conciliis.

- XXVI. Idem asseritur ex responsis pontificum et imperatorum.
- XXVII. Idem asseritur testimonio Patrum.

XXVIII. Idem asseritur ratione.

- XXIX. Solvitur objectio prima adversariorum.
- XXX. Solvitur secunda objectio.

XXXI. Solvitur tertia objectio.

- XXXII. Solvitur quarta objectio ex ratione naturali.
- XXXIII. Solvitur objectio quinta ex conciliis.
- XXXIV. Solvitur objectio sexta ex Patribus.

- XXXVI. Quod juniores vovere possint. XXXVI. Licere filits ingredt religionem parentibus invitis.
- » XXXVII. Licere conjugatis ex consensu vovere continentiam.
- n XXXVIII. Per vota solemnia solvi matrimonium, non consummatum.

XXXIX. De eremitis.

- XL. De habitu et tonsura monachorum.
  - XLI. Licere monachis manibus laborarc.
- XLII. Non teneri monachos ad laborem ma-
- XLIII. Licitum esse monachis vivere ex bonis patrimonialibus in communi.
- XLIV. Licitum esse monachis vivere ex rebus sponte oblatis et donatis.
- )) XLV. Licere monachis ex mendicatione vivere.
- XLVI. Solvuntur objectiones,

### LIBER TERTIUS

))

#### DE LAICIS, SIVE SAECULARIBUS

1. Ordo totius dispulationis. CAP.

- II. Proponitur prima quaestio: An polilica potestas sit bona, et Chris stianis licita.
- HI. Ex Scripturis asseritur politicus ma-'n gistratus.
- 1V. Idem asseritur exemplis sanctorum. ))
- V. Idem asseritur ex fine principa-'n
- VI. Idem asserium ratione ducta ab efn ficiente.
- VII. Idem asseritur ex antiquitate. 71

33

- 1) VIII. Principatum sive dominium in impiis esse posse.
- IX. Proponitur quaestio de potestate ma-'n gistratus.
  - X. Licere christiano principi leges condere.
  - XI. Legem civilem non minus obligare in conscientia, quam legem dirinam.

- CAP. XII. Judicia publica exercere non esse illicitum Christianis.
  - XIII. Licere christiano magistratui gladio punire perturbatores reipublicae.
  - XIV. Licere Christianis aliquando bella
  - XV. Quot sint, et quae justi belli condin. . tiones.
  - XVI. Licere bellum gerere Christianis con-D tra Turcas.
  - XVII. Ad magistratum non pertinere judin cium de religione.
  - XVIII. Ad magistratum pertinere defensionem religionis. 'n
    - XIX. Non posse conciliari catholicos cum haereticis.
    - XX. Libros haerelicorum abolendos esse.
  - Ď XXI. Posse haereticos ab Ecclesia damnatos temporalibus poenis, et etiam morte mulctari.
  - XXII. Solvuntur objectiones.

# PRAEFATIO

IN LIBROS TRES

# DÉ MEMBRIS ECCLESIAE

MILITANTIS

Ecclesia catholica, optime lector, uni trinoque Dec militans, atque, ut Scripturae loquuntur, terribilis, velut castrorum acies ordinata, tribus potissimum ordinibus militum, Christo auctore, distinguitur. Alii siquidem in hoe divino exercitu clerici, alii laici dicuntur. Quidam etiam sunt, tum ex clericis, tum ex laicis, qui certis symbolis ac functione ab utrisque distincti, tertium ordinem faciunt, ac regulares, sive monachi nominantur.

Ordo primus ac nobilissimus clericorum vel duces habet, vel ducum ipsorum famulos et administros. Licet enim imperator Ecclesiae primus ac summus, Christus ipse sit, tamen quod non solum in terris, sed etiam in coelis, et apud inferos magnos exercitus habeat, quodque solis coelestibus praesentism suam, ut par est, aspectabilem praebeat, vicarium imperatorem, se duqem exercitui, qui est in terris, apostolum Petrum, ejusque successores summo cum imperio, et potestate praefecit. Ergo romanus pontifex haeres apostolorum principis, castra coelestia in terris ducit, Christumque ipsum nebis mortalibus quodammodo repraesentat.

Proximi sunt episcopi, qui tribunorum militerium locum sortiti, imperant etiam ipsi, non totis castris, sed agmini quisque suo. Siquidem in partem sollicitudinis, ut nostri loquuntur, vocati sunt, non in plenitudinem potestatis. Sub his presbyteri, quos parechos dicimus, quasi quidam centuriones singulis cohortibus praesunt; diaconi, subdiaconi, lectores, atque administri caeteri, vel signa atque aquilas gerunt, vel tubis, ac tympanis accedunt ad praetium, vel huc atque illue celeriter discurrentes, mandata imperatoris ac ducem ad milites perferunt,

Porro laici, hoc est, populus ipse fidelia, longe lateque toto campo diffusus; atque adversus diabolum sub Christi signis in acie constitutus, quasi quadratum agmen efficit, atque statarias legiones. Omnes enim in baptismo ad Christi militiam nomen dedorunt, ejusque charactere insigniti, sacramentum perceperunt. Omnes per sacram contirmationem ad practium inuncti, crucis signo muniti, atque armis coelestibus donati, instructique sunt. Denique, omnes de mensa Domini opulentissimo commentu, amplissimacque sucreedis pignora in eucharistia percepto, bellum acternum diabolo, atque omnibus ejus copiis indixerunt.

Jam vero regulares ac monachi, neque uno in

loco degunt, neque iisdem muneribus destinantur, sed alii in montibus et turribus quasi vigiles quidam perpetuo excubant, et clamere prope assiduo hostes exterrent; alii tanquam devoti milites ante ipsam aciem longe progrediuntur, castraque hostilia audacter infestant; quidam etiam sunt, quos anachoretas nominare solemus, qui divina quadam virtute praediti, seorsim a cacteris in aperto campo, locisque desertis ad singulare pertamen hostem provocant, nec raro eumdem Christi ope gloriose prosternunt.

Haec igitur est Ecclesia Dei vivi, haec sunt castra sanctorum, tribuś militum ordinibus ab ipsa. Dei sapientia divino plane consilio disposita atque distincta, quae quidem licet adversus omnes hostiles acies insuperabilia atque invicta consistant, neque ullam sive humanam, sive diabolicam vim sub omnipotentis imperatoris praesidio pertimescant: non tamen Satanas sibi ipse deest, circuit, quaerit, observat, insidiatur, nullam nocendi elabi sinit opportunitatem. Non potest ille Dei exercitum profligare, constur tamen. Non sperat victoriam, at non desinit lacessere. Non fundet unquam Christi copias, nec delebit, at confundere et perturbere povis ac variis stratagematam formis, et libris, et sermonibus Baereticorum. non cossat. Hino emin haeretici hujus temporis plane elericos cum laiois ita confundunt, ut ne nomen quidem clericorum (de que re paulo post agemus) superasse patiantur.

Designant illi quidem certos homines, quibus docendi munus, sacramentorumque administrationem permittunt, quos etiam Ecclésiae ministros vocant. At eos nec populis cum potestate pracesse, nec legibus continentiae astringi, nec a tribunalibus politicis liberos esse volunt: Sed laidorum more, jungere vonnubid, filios procrease, saeculi hujus negotia exercere, ad forum et judicia pertrahi, invitis etiam summis antistitibus, jubent. Nam de consecratione, atque unctione pontificum, de tiaris, infulis, pedis, de pallis, tunicisque sacratis, de corona capillorum, de reliquo apparatu, qui ad officium exornandum ministrorum Dei, atque ad ornatum ecclesiasticum a cultu profano distinguendum perti-

net, nihil commemorare necesse est. Haec enim omnia adeo confidenter aspernantur, ac de medio follunt haenetici : ac si ea certissimis rationibus, cum ne probabiles quidem attulerint, superstitionem redolere judaicam demonstrassent. Monachos autem in universum omnes, sive anachoretae, sive coenobitae illi sint, nec minus omnia monastica instituta, ritus, vola, consuctudines, vestes i fanctiones, et spsa etiam, vocabula execrantur. Neque aliud esse vult Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. Monasteria coenobilarum, nisi lupanaria sceleratorum, vel conventicula schismaticorum: Anachoretas autem, Magdeburgenses Centuriatores Centur. 4. cap. 6. et 10. mostra quaedam humana, vel ursos potius, ac mysanthropos appellandos censuerunt.

Soli restant laici, quibus etsi mirum in modum adulentur Lutherani, ut ea ratione major clericis ac monachis confletur invidia, verumtamen adsunt Anabaptistae, qui nec laicis parcunt, dum jurisdictione magistratus, magistratibus urbes, urbibus genus humanum spoliant, atque ad eam formam regimen universum revocant, quae non modo reipublicae ipsorum, sed ipsi ctiam generi humaue, si passim usu recipiatur, extremam .ruinam, atque exitium possit afferre. Sed enim haud scio. plusne laicis Anabaptistae noceant vexaudo, ac detrahendo, an cumulando et blandiendo Lutherapi. Detrobunt illi populo christiano politicom potestatem, sine qua salus reipublicae terrense in spettum discrimen, interitumque vocatur. Augent contra Lutherani eumde'm populum etiam ecclesiastica potestate, ut nimirum ducantur pastores, ab ovibus, et imperent imporatoribus milites, atque interim pereat res christiana, pereat Christi regnum, percent animac, quar rum salutem propria vita, et sanguine Dei Filius e-

Quae cum ita sint, ad omnes pertinet, qui in Ecclesia catholica doctoris munere funguntur, impiis haereticorum constitus, vel Salapae potius consiliis et furori occurrere, et omnes Ecclesiae partes, omnia membra, omnes ordines pro viribus protegère, ac tueri. A nobis vero non modo charitas christiana, et onus a majoribus impositum

PRAEFATIO 147

flagitat, sed ctiam cogit ordo disputationum, ut ad eas controversias explicandas aggrediamur, quae sunt de tribus illis Ecclesiae partibus, idest, clericis, laicis, monachis, ab haereticis hujus temporis excitatae. Quando enim pro capite militantis Ecclesiae, proque ipsa Ecclesia, tum in conciliis congregata, tum etiam diffusa toto orbe terrarum, pro nostrarum virium tenuitate pugna verimus: Illud unum est reliquum, ut pro membris ejusdem Ecclesiae, pro nostra virili parte dimicemus, et Christo duce, alque imperatore, ommia hostium tela clypeo veritatis, et gladio verbi Dei discutiamus.

Ordo disputationis de clericis.

Igitur disputatio de clericis (nam ab ea exordiendum esse, tum antiquitatis, tum etiam dignitatis

ordo nos admonet) octo partibus continetur. Primum enim, de ipso nomine clericorum disserendum erit. Deinde, de vocatione, sive electione ad sacrum ministerium. Tertio, de distinctione, numero et officio ministrorum. Quarto, de coelibatu hominum sacratorum. Quinto, de solemnibus precibus, et laudibus, certis horis, certoque ordine concinendis. Sexto, de ecclesiastica tonsura, vel rasura capillorum. Seplimo, de possessione temporalium benorum, sive politico, sive ecclesiastico jure acquisitorum. Octavo, de exceptione clericorum a tribunalium civilium potestate. Nihil autem de sacramento ordinis, nihil item de ecclesiastica jurisdictione hoc loco dicendum erit, quod ea partim ad quaestiones de sacramentis, partim ad quaestiones de pontifice et conciliis perlinere videantur.



# CLERICIS

#### APUT PRIMUM

#### De nomine clerici et laici.

Quid haec nomina clerici alque laici sibi velint, nemini dubium esse puto. Tametsi enim graecam originem habeant, tamen trita sunt, ac pervulgata. Quis enim ignorat idem esse λαόν Graecis, quod populum Latinis? Idem illis, κλήρον, quod fortem, sive haereditatem nobis? Inde igitur laici dicti sunt quasi plebeji, ac populares, quibus nulla pars functionis ecclesiasticae demandata est; clerici autem quasi Domini sors et haereditas, qui divino cullui consecrati, procurandae religionis ac rerum sacrarum, Deo ipso jubente, providentiam, ac solicitudinem susceperunt: Clericus, inquit s. Hieronymus in epistola ad Nepot. interpretetur primo rocabulum suum, et nominis definitione prolata, nilatur esse quod dicitur. Si enim xxipos graece; sors latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest, pars clericorum est. Cuc autem haereditas sortis nomine appelletur, illa ratio reddi solet, quod haereditas in plures forte plerumque dividatur. Unde est illud prophetae psal. 11. Sorte divisit eis terram in funiculo distribulionis.

Accedit quod licet ad unum aliquem haereditas lota perveniat, id tamen non electione, sed forte fit: Nascuntur enim ut plurimum, non flunt hacredes. Quis autem laboravit, quis operam dedit, ut bujus potius quam illius filius et haeres nasceretur? Atque huc apostolus Paulus, Chrysostomo teste, respexit cum ait, scribens ad Coloss. Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum. El rursus

Bellarmine, Vol. H.

ad Ephes. In quo nos sorte vocati sumus. Non quod (ut Lutherani volunt) aeterna beatitudo nullis meritis acquiratur, sed quod ad gratiam et adoptionem filiorum Dei sine ullo opere nostro vocemur. Falluntur enim Pelagiani, qui priores partes nomini, posteriores vero Deo tribuunt in conversione ac poenitentia peccatoris. Quomodo enim sorte vocamur, si nos ipsi Deum ullo nostro vel opere vel constu praeveniamus?

Nemo igitur gratiam invocat, nisi praeventus a gratia, nemo eligit Deum, nisi prius electus a Reo, nemo diligit, nisi prius dilectus: Aversos ille convertit, errantes revocat, inventur a non quaeredtibus, palam apparet non interrogantibus. Quia tamen quod nobis sors est, Deo providentia, et pracdestinatio est, propterea sapienter apostolus simul jungit utrumque, cum ait: In que nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum vo-

luntatis ejus. Sed de his hactenus.

Habemus igitur quid clericorum ac laicorum nomen significet. Hinc autem prima inter nos, et haereticos quaestio nascitur, recte ne, an secus, quidam inter christianos clerici, quidam laici nominentur. Lutherani enim et Calvinistae tametsi minime negant, quod ad rem attinet, ministerium verbi et sacramentorum non ex aequo ad omnes pertinere et habent ipsi quoque suos quosdam ministros et pastores, sive (ut ipsi loquantur) superintendentes, quibus totam fere religionis suae curam permittunt: tamen quod corum contentiones et schismate ab odio clericooum et laicorum lavore initium duxerint, et vocabulum cleri non obscure excellentiam quandam, ae dignitatem prae se ferra videatur, nullo modo ferunt, ut ministri ecclesiastici, clerici: caeteri, laici appellentur.

Itaque Lutherus in lib. illo plane tartareo de abroganda missa privata par. 1. tractans illud b. Petri: Non dominantes in cleris: Quod, inquit, nostra translatio habet, non dominantes in cleris . interpretis incuria fuit, quae fecit, ut clerum hoc loco intelligerent, quos nunc a laicis discrevit impia hominum traditio. Et infra: Hoc dixisse contenti sumus, christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus, nullus unctus, nullus rasus, nullus monachus esse debeat. Et Calvinus in 4. lib. suae Institut. cap. 4. § 9. Haec, inquit, appellatio aut errore, aut certe ex prava affectione nata est, cum tota Ecclesia clerus, idest, haereditas Domini, a Petro dicatur. Et in comment. cap. 5. prioris epistol. b. Petri, Utinam, inquit, numquam Patribus venissel in mentem, ut hac voce uterentur. Haec illi. A quibus ergo libenter quaererem, quo tempore, quo loco, quibus auctoribus hané appellationem natam esse putent?

Si enim paucis ante annis, in angulo nescio quo, ab aliquo ambitioso, atque indocto artifice vocabulorum, fabricatam esse hanc vocem demonstrare possent Lutherani, possemus et nos vicissim facile credere, ex errore, aut pravo affectu, aut etiam impia traditione natam esse: Sin autem ex divinis literis deprompta haec appellatio, in ore omnium conciliorum, omnium Patrum, totius Ecclesiae, orbis terrarum universi, omnibus aetatibus, ac saeculis fuit, quis poterit satis hominum istorum audaciam, impudentiamque mirari?

Et quidem si de conciliorum decretis et sanctorum Patrum voluminibus agitur, non tam quaerendum est, ubi elericorum et laicorum nomen et distinctio habeatur, quam ubi non habeatur. Ita passim in singulis prope paginis tum Patrum, tum conciliorum veterum appellatio illa occurrit, quam ex errore, aut pravo affectu, vel impia traditione natam esse Lutherus et Calvinus affirmant.

Prodeat ex vetustis scriptoris Tertullianus, qui non modo antiquissimus, sed etiam doctissimus suit. Is igitur in lib. de monogamia hoc modo loquitor: Cum extoltimur, inquit, et inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quis sacerdotes nos Deo et Patri fecit. Cum ad peracquationem disciplinae sacerdotalis provocamur, deponimus infutas, et impares sumus. El infra: Laicis vero quia monogamia non convenit, caetera quoque aliana sunt. Quid potuit clarius adversus Lutherum et Calvinum Tertulianus dicere; quam arrogantes ac superbos esse laicos, qui extolluntur, atque i flantur adversus clerices? Sed fortasse singulorum hominum testimonium sine temeritate contemnitur.

Prodeat igitur, non ex hominibus singulis sed ex coetibus hominum, concilium I.nicaenum, occumenicum, vetustissimum, frequentissimum, celeberrimum, cujusque auctoritas tanta semper apud omnes veteres fuit, ut ab Eusebio lib. 3. de vita Constantini, et Augustino lib. 1. de baptismo cap. 18. orbis terras concilium appelletur; ab Athanasio in epistola ad episcopos Africae, et Leone epist, 53. ad Anatolium, cum oraculis Spiritus sancti; a

Gregorio vero lib. 1. epistol. 24.cum ipso evangelio conferatur. In ea igitur tanta synodo, quam neque erroris, neque pravi affectus, multo etiam minus impietatis possumus reprehendere, nisi vitiorum eorumdem Ecclesiam totam, et orbem terrae universum reprehendamus: in ea, inquam, synodo appellatio clericorum in singulis fere canonibus inculcatur. Sic habet canon primus: Si quis in aegritudinem vel a medicis sectus, vel a barbaris castratus est, placuit ut iste permaneat in clero. Si quis autem sanus seipsum abscidit, hic etiam si est in elero, cessare debet, et ex hoc nultum talem oportet ordinare. In II. vero can. III. VIII. in XVII. in XVIII.et XIX.nihil fere tractatur aliud, quam de ordinationibus clericorum, quod in omnibus omnino conciliis passim occurrit.

Quid, quod in ipsis eliam apostolorum canonibus a s. Clemente descriptis, distinctio, et nomen clericorum, et laicorum non semel legitur? Can. XII. Si quis cum damnato clerico, ut cum clerico, oraverit, damnetur. Can. XIII. Si quis clericus aut laicus a communione suspensus etc. Can. XV. Si quis presbyter, aut diaconus, aut quilibet de numero clericorum, relinquens proprium parochiam pergat ad aliam, hunc ulterius ministrare non patimur, praesertim si vocatus ab episcopo redire contempserit, verumtamen tanquam laicus ibi communicet.

Quid hic Calvinus et Lutherus dicent? Ignorabant Patres Nicaeni, ignorabat Clemens poutifex, ignorabant apostoli christianum populum simplicem esse debere, ut nullus in eo clericus nullus sit laicus? An potius impia traditione, errore, pra-

voque affectu Ecclesiae ministris ejusmodi nomen indiderunt?

At, inquiunt, non multum nos laboramus quod homines dicant; jamdudum enim valere jussimus verba hominum. Verbum Dei proferatur ad medium, si controversia finienda est. Videamus igitur quid habeat Yerbum Dei, quamquam opus non esset, cum de re constet, magnopere de nomine litigare. Apud Hieremiam cap. 12, ita Spiritus sanctus loquitur: Cleri corum non proderunt cis.

Ac ne forțe de istis josis verbis Dei litigandum sit, profero testes omui exceptione majores, Origenem, Epiphanium, Hieronymum, qui non modo Scripturarum diligentissimi tractatores, fuerunt, sed ctiam pene soli inter omnes Ecclesiae Patres he: braicae linguae, qua. Hieremiae volumen scriptum esse constat, scientiam babuerunt. Sie igitur Ori-genes hom. 7.ia Hierem exponit haec verba, cteri eorum non proderunt eis: Haec, inquit, ante me alii exposuerunt, et quia non improbo interpretationem eorum, consentiens eandem profero. Nos qui putamur aliquid esse, idest, qui in clericatus vobis ordine praesidemus, in tantum, ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis, non statim in co esse salvandos, quia clerici sumus; multi enim et presbyleri pereunt, et laici bealissimi reperiuntur.

Sanctus autem Epiphanius ad initium ejus epistolae, quam ad Joannem episcopum Hierosolymae scripsit: Oportebat, inquit, nos dilectissime, clericalus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei, et observatione diligentissima hoc esse quod dictmur. Si enim sacra Scriptura loquitur: Cleri eorum non proderunt eis, quae arrogantia clericatus conducere nobis poterit, qui non solum cogitatione et sensu, sed etiam sermone peccamus?

Bodem modo s. Hieronymus in commentario hujus loci, Dicitur, inquit, hoc et ecclesiasticis; Quid emin juvare poterit episcopi nomen, et presbyteri, vet reliquus ordo ecclesiasticus; cum magis graventur dignitatibus suis, et potentes potenter tormenta patiantur? Idem quoque Hieronymus in epist. ad Nepotianum: Obseoro, inquit, te. et repetens iterum, iterumque monebo, ne officium clericatus, genus antiquae militiae putes, idest, ne lucra saeculi in Christi quaeras militia, ne plus habeas quam quando clericus esse coepisti, et dicatur tibi, cleri eorum non proderunt eis. Habemus igitur verbum Dei, in quo, Origene. Epiphanio et Hieronymo testibus, episcopi et presbyteri, caeterique ordines ecclesiastici, clerlei nominantur.

Sed accedat postremo Dei ipsius gravissimum festimonium, non solum verbo prolatum, sed eliam horribili quodam prodigio quasi sigillo proprio consignatum. Quod enim hoc tempore Lutherus et Calvinus adversus clericos clamant, idem olim Datan et Abyron adversus sacerdotes Testamenti veteris clamabant: Sufficiat vobis, ajebant illi Num. 16. quod omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus, cur elevamini super populum Domini? Quid vero Lutherus et Calvinus dicunt? Sufficiat vobis quod omnis Ecclesia clerus, idestable reditas Domini est, cur elevamini super laicos? Cur soli vobis cleri vocabulum usurpatis?

At qualem exitum reperit contentio illa veterum schismaticorum? Acerbum omnino et luctuosum: Siquidem continuo, ut scriptura codem loco narrat, ad imperium Domini, qui schismata et seditiones adversus ministros suos ferre non potest, dirupta est terra sub pédibus corum. et aperiens os suum devoravit illos cum uxoribus; cum liberis. cum Abernaculis, cunctisque opibus.descenderuntque vivi in infernúm, operti humo, et perierunt de medio multitudinis. Haec videlicet justissima poena illorum est, qui diversos in Ecclesia gradus, ordinemque pulcherrimum, ab ipsa Dei sapientia constitutum; confundere, ac perturbare nituntur, ut ad ea inferorum detrudantur loca, ubi umbra mottis, et nullus ordo, sed sempiternus horror, inhabitat,

Sed eorum objectiunculas, licet frigidas et jejunas, breviter diluamus. Christianus populus, inquit Lutherus, simplex debet esse, ubi nemo sit clericus, nemo laicus; nam ut apostolus ait ad Galat. 3. Non est Judaeus, neque Graccus, non est servus neque liber, non est masculus neque foemina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.

Unam et simplicem christianum populum esse debere, negari non potest, sed interest qua unitate, qua simplicitate: Unus Dominus, inquit apostolus ad Ephes. 4. una fides, unum baptisme, unus Deus et Pater omnium. Hacc est unitas, hacc simplicitas populi christiani, ut unius sint omnes fidei, idem dicant, idem sentiant omnes, nec sint in eis schismata. Qua simplicitate cum omnino careant Lutherani, quippe quibus tot pene sunt sectae, quot civitates, tot symbola, quot capita, viderint ipsi quam bene christianus populus dici possint.

Porro distinctio clericorum et laicorum cum hac simplicitate non magis pugnat, quam pugnet membrorum distinctio cum corporis unitate. Unum est corpus humanum, nec tamen totum est oculus, nec totum est auris, nec totum manus, nec totum pedes, alioqui, ut verbis utar apostoli, 1. Corinth.12. Si tolum corpus oculus, ubi audilus? si lotum auditus, ubi odoratus? et si essent omnia unum membrum ubi corpus? Nunc autem mulia quidem sunt membra, unum autem corpus. Sic prorsus in Ecclesia alii clerici, alii laici, alii monachi sunt; et rursus clericorum, alii sacerdotes. alii ministri; laicorum alii principes, alii privati; monachorum alii anachoretae, alii coenobitae. Sed hace membrorum ac partium varietas est, corpus vero unum, quoniam unum omnes Dominum habemus, unam fidem, unum baptisma, unum Deum Patrem, unam Ecclesiam matrem, uno spiritu vivimus, uno pane nutrimur.

Neque vero his repugnant verba fila Pauli: Non cst Judaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque foemina. Tamelsi eadem ratione dicere potuisset, non est laicus, neque clericus. Neque enim illis verbis excludere voluit apostolus ab Ecclesia diversitatem sexuum,nationum, conditionum, sed admonere, non ista esse quae filios Dei faciant, sed fidem quae per dilectionem operatur, sic enim ait: Omnes vos filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Jesu: Quicumque enim in Christo Jesu baptizati estis. Christum induistis: Non est Judaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus neque foemina. Itaque mihil obest sexus, si adsit fides: nihil prodest, si absit; et laicus cum charitate, Dei filius est, et clericus sine charitate mancipium diaboli est. Sunt igitur in Ecclesia clerici, sunt laici, sunt liberi, sunt servi, sunt masculi, sunt foeminae: sed haeredes regni sempilerni, non islae graduum, sive conditionum; sive sexuum/differenline, sed fides cum spe et charitate constituit.

At b. Petrus in epistola sua priore cup. 5. totam Ecclesiam clerum appellat, cum ad episcopos ait: Pascile qui in vobis est gregem Dei i providentes non coacle sed spontanee neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ul dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Ex errore igitur, inquiunt, impiave traditione, aut pravo affectu ab honore clerici nominis dejecti sunt laici.

Sed haec objectio ned difficulter, nec uno modo solvitur. Primum omnino probabile est quod s. Hieronymus in epist. ad Nepolianum, et Oecumenius in commentario hujus epistolae docent, cleri appellationem hoc loco positam, non ad Ecclesiam universam, sed ad eos tantum esse referendam, qui proprie clerici vulgo nominantur. Tametsi enim ad episcopi gregem tum clerici, tum laici pertinent, tamen quia tanto majus periculum erat, ue episco-

pi clericis dominari vellent quam laicis, quanto clerici magis subjecti, atque obsequentes episcopis, ut proprii eorum administri, ex ipsa sua professione debent esse, quam laici, propterea b. Petrus episcopos monet, ut universum quidem gregem diligenter pascant, sed in pascendis laicis caveant turpe lucrum, in clericis regendis fugiant dominandi cupiditatem.

Adde, quod nomen cleri derivatum est ad Christianos a Judaeis, et sine dubio s. Petrus allusit ad levitas Judaeorum, qui Num. 18. et Deuter. 18. dicuntur esse de sorte Domini, et Dominus dicitur esse eerum sors et haereditas, quia donavit eis quodammodo partem suam, idest, decimas, et oblationes filiorum Israel. Porro levitis non respondent in Ecclesia novi Testamenti omnes Christiani, sed soli sacerdotes, eorumque ministri. Petrus igitur nomine cleri non omnes Christianos, sed solos mi-

nistros ecclesiasticos intellexit.

Quod si haec interpretatio ab adversariis obstinate rejiciatur, nihil est cur magnopere contendamus. Potest enim eadem appellatio cleri diversa ratione cum universae Ecclesiae, tum solis templi ministris aptissime convenire. Nam ut Ecclesia universa, sors atque haereditas Christi est, quod eam acquisierit sanguine suo, et simul tamen quaedam certa Ecclesiae portio, altaris ministerio consecrala, magis propria rationes sors, et haereditas ejusdem Christi dici potest, non secus atque olim synagoga Judaeorum universa in libris prophetarum passim haereditas Domini vocabatur, quod eam universam Deus ex Aegypto liberasset, et quodammodo redemisset, et tamen solam tribum leviticam, quam rebus sacris praefecerat, speciali quadam ratione sortem suam et haereditatem idem Dominus appellabat.

# CAPUT II.

Proponitur quaestio de institutione ministrorum Ecclesiae.

Sequitur altera quaestio de institutione episcoporum, aliorumque Ecclesiae ministrorum, quae
sane cum gravissima, tum etiam utilissima est,non
ad id modo, de quo agimus in praesentia, sed etiam ad veram Dei Ecclesiam cognoscendam. Illud
autem initio praemittendum est; appellatione oreationis episcoporum tria contineri; electionem, ordinationem, et vocationem seu missionem. Electio
nihil est aliud, quam designatio certae personae ad
ecclesiasticam praefecturam. Ordinatio, saera caeremonia est, qua certo ritu futurus episcopus inungitur et consecratur. Missio seu vocatio jurisdictionem tribuit, ac re ipsa pastorem ac praesulem
facit.

Existit igitur inter nos et adversarios controversia, cui potissimum jus sit in Ecclesia episcopos creandi, idest, eligendi, vocandi, atque initiandi. Rursus observandum est, electionem multis ac variis modis fieri posse: Nam aut Deus solus elegit,

quomodo Aaron, et Petrus electi suere, aut Deus per homines. Cum autem per homines Deus eligit. aut id facit naturali propagatione, quomodo sitif Aaron, et nepotes olim ad sacerdotium perveniebant, aut certe voluntaria electione. Quod si voluntaria electione, aut unius, qua ratione Clemens a Petro electus dicitur, aut-plurium; et si plurium, aut-populi, aut cleri, aut utriusque.

Sunt autem tres de hac tota quaestione sententiae. Prima Joannis Wiclef et Joannis Huss, qui teste Thoma Waldensi lib. 2. doctrin. fidei cap.39. et 40. docebant, solius Dei munus esse eligere pastores Ecclesiae; quod soli pii et praedestinati, episcopi et pastores esse possint, et solus Deus noverit, qui sint pii et praedestinati. Vide in concilio constantiensi sess. 8. et 15. articulos horum hae-

reticorum.

Altera sententia est Martini Lutheri, Joannis Calvini, Matthiae Illyrici, Joannis Brentii, Martini Kemnitii, aliorumque hujus temporis sectariorum, qui electionem et vocationem, jure divino ad Ecclesiam universam, hoc est, ad clerum et populum spectare volunt, ita prorsus ut sine populi consensu ac suffragio nemo legitime elèctus, aut vocatus ad episcopatum habeatur. Porro ordinationem, quae per manus impositionem sieri solet, solis pastoribus tribuunt. Nec enim sieri posset, ut totus populus manus imponeret, sed ita tamea ad solos pastores munus hoc referent, ut illi nomine totius cleri ac populí novis pastoribus manus imponant, ac vere dici possit totus clerus ac populus uon solum eligere ac vocare pastores, sed eosdem etiam initiare et ordinare. Sed verba ipsorum andiamus.

Martinus Lutherus in lib. de potestate papae: Hunc ritum, inquit, per multas epistolas Cyprianus commemorat, semper suffragium populi. et judicium propinquorum episcoporum, ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronunciet. Et infra: Nec referre est necesse quanto felicius hodie is ritus divinus servaretur, praesertim tot sacerdotibus malis regnantibus, et invito populo impositis. Idem, fuse alque ex verbo Dei, ut ipse jactat, in eo libro demonstrat, quem inscripsit de instituendis ministris, ad Böemos. Joannes Calvinus lib. 4. Institut. christianae cap. 3. § 15. Habemus, inquit, esse hanc legitimam ex verbo Dei ministri vocationem, ubi ex populi consensu et approbatione creantur, qui visi suerint idonei. Praeesse autem electioni debere alios pastores ne quid vel per levitatem, vel per mala studia, vel per tumultum a multitudine peccetar. Matthias Flaccius Illyricus praeter eum librum, quem scripsit de electione episcoporum, in quo totis viribus contendit, jus eligendi, atque instituendi episcopos, neque summo pontifici, neque regibus, neque canonicis permittendum, sed multitudini sidelium, cui convenit jure divino, esse restituendum; scripsit etiam multa eum collegis suis Magdeburgensibus Centuriatoribus in histor. Eccles. Centur. 1. lib .2. cap. 4. col. 391. Rabet, inquit, Ecclesia in quolibet loco, hoc est, totus coelus, tum, ut nunc vocamus, laicorum, tum clericorum conjunctim potestatem eligendi, vocandi et ordinandi ministro: idoneos. Non dissimilia sunt quae seribunt Joannes Brentius in prolegements adversus Petrum a Soto, et Martinus Kemnitius in examine concilii tridentini in disputatione de ordinis sacramento. Haec igitur corum sententia est, ex qua non obscure colligi putant, nullos esse apud nos episcopos rite vocatos, quod jamdudum nostri in episcoporum electionibus plebem excluserint a ferendo suffragio.

Contra autem doctores catholici summa consensione docent, jus episcopos ordinandi ac vocandi ad plebem nullo modo pertinere posse; jus autem eligendi fuisse aliquando, et aliquo modo penes populum, sed pontificum concessione vel conniventia, non lege divina: Ex quo nos longe verius colligemus, nullam esse apud haereticos veram ordinationem, nullam vocationem, nullam electionem, proinde, nullos episcopos, nullam Ecclesiam. Ut autem haec omnia distincte, atque ordine demonstremus, propositis aliquot sententiis seu propositionibus, disputabimus primum de ordinatione, tum de vocatione, postremo de electione.

#### CAPUT III.

Non pertinere ad populum jus ordinandi pastores, sive ministros.

Sit igitur haec prima nostra propositio seu sententia. Ordinationem tum episcoporum, tum aliorum Ecclesiae ministrorum, non ad plebem, sed ad solos episcopos pertinere. Testantur id passim divinae Scripturae, testantur decreta conciliorum, testantur veteres Patres, testantur denique mos populi Dei, et exempla majorum. Aaronem, et filios ejus sacerdotes primos Testamenti veteris, solus Moyses sacerdos et pontifex ordinavit et consecravit Levit. 8. Moysem autem sacerdotem fuisse, testatur David in psalm. 98. Moyses, inquit, et Aaron in sacerdotibus ejus. Testatur Philo lib. 3. extremo de vita Moysis: Haec, inquit, fuit vita, obitusque Moysis regis, legislatoris, vatis et pontificis. Testatur Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, testatur Augustinus in commentario psalm. 98. testatur Gregorius nazianzenus oratione ad Gregorium nyssenum, testatur denique s. Leo epist. 88. ad episcopos Germaniae et Galliae.

In Testamento novo; ubicumque mentio fit manus impositionis, quo ritu etiam apud adversarios ordinatio celebratur, semper ea apostolis, caeterisque episcopis, nunquam vero plebi tribuitur. Actor. 6. Soli apostoli per manus impositionem diaconos ordinarunt 1. Timoth. 4. Noli, inquit apostolus, negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii. Quo loco presbyterium, episcoporum coetum significat, ut testantur ompes fere interpretes, ac praesertim Graeci, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus: Non de presbyteris, inquit Chrysostomus, hic loquitur, sed de episcopis, neque enim profecto presbyteri ipsum ordinarunt. Item in eodem foco loquitur apostolus ad episcopum:

Manus cito nemini imposueris. Ac rursus 2. Timoth. 1. Resuscites, inquit, gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum mearum.

Itaque ex divinis literis satis probatur, munus ordinandi proprium esse episcoporum. Quod idem ex plurimis conciliorum decretis confirmari posset. Sed quoniam res est perspicua et notissima, eum solum canonem hoc loco ad memoriam revocabo, quo episcopum a tribus episcopis ordinandom esse, definitum est, qui canon primus est inter canones apostolorum, et rursus 4. est inter canones concilii I. nicaeni, oecumenici, maximi, ac celeberrimi. Denique 42. est concilii II. carthaginensis, trigesimusnonus III. secundus IV. et quartus VI. Quae concilia etsi non oecumenica, sed nationalia fuerint, fuere tamen frequentissima, et s. Augustini praesentia ac suffragio illustrata.

Accedat, quod veteres Patres constanter docent, solius episcopi esse initiare sacris, sive presbyteros, sive diaconos, sive ipsos etiam episcopos, neque id ullo modo presbyteris licere. Vide Epiphanium haeres. 75. quae est Aerii. Joannem chrysostomum cum caeteris Graecis in commentar. 3. et 4. cap. 1. epist. ad Timoth. Hieronymum in epistol. ad Evagrium. Augustinum in breviculo, collat. 3. cap. 5. Quod si presbyteris non licet episeopos, aut presbyteros ordinare, quod id munus solis episcopis conveniat, quanto minus id clericis inferioris gradus, aut etiam laicis licebit?

Accedat postremo antiquissima, ac perpetua Ecclesiae universae consuetudo, quae optima juris interpres esse solet. Nam, ut verbis utar evangelicis, a saeculo non est auditum, ut episcopum non episcopus ordinaret. Neque hujusce rei ultum unquam vel institutum ex disciplina, vel exemplum ex historiis, vel etiam usurpatio ex haeretica licentia proferetur. Nam apud Lutheranos quoque et Calvinistas, qui ritus ecclesiasticos pene omnes sustulerunt, ii solum manus imponunt, et pastores, seu ministros faciunt, qui pastores et episcopi, licet revera non sint, tamen haberi et appellari volunt. Quare quod attinet ad ordinationes, non clerus et populus universus, sed soli pontifices episcopos et presbyteros creant.

Sed, inquiunt: Etsi clerus ac populus per se manus episcopis non imponat, id tamen non eo fit, quod desit multitudini auctoritas, sed quod ad vitandam confusionem, quae necessario existeret, si tot manus super unius hominis caput imponendae essent, visum est melius ut paucis pastoribus ea cura demandaretur. Itaque auctoritas ordinandi ministros, totius multitudinis est, exequutio vero pastorum. Sed cum pastores, quod faciunt, totius eleri ac populi auctoritate; et nomine faciant, ipse etiam clerus et populus ordinare et consecrare ministros dici potest:

At certe falluntur, vel fallere volunt adversarii, dum ita ratiocinamer. Nam tribus modis potest intelligi, quod ipsi dicunt, auctoritate, ac nomine totius clori, et populi a pastoribus ordinari pastores. Primum, quomodo nomine totius corporis lingua loquitur, oculi vident, aures audiunt, et de caeteris membris ad eumdem modum. Quod enim pars corporis facit, toti etiam corpori tribui solet, licet

reliquum corpus neque praestet unquam, neque praestare possit, quod est illius partis proprium. Videt oculis totus homo, sed ita videt, ut nulla ratione queat lingua, manibus, pedibus, aliove membro videre. Quod si hoc modo vellent adversarii ab universa multitudine per suos pastores ordinari ministros, non esset cum eis magnopere contendendum. Nihil enim potestatis vel auctoritatis in ipsa multitudine ponerent praeter eam quam habent pastores, qui in membris, ac partibus ejusdem multitudinis numerantur. Sed nón id sorum illi quaerunt, neque hac moderatione contenti sunt.

Altero igitur modo pótest intelligi, auctoritate populi antistites a pastoribus ordinari, ut videlicet in ipso populo, remotis etiam omnibus pastoribus, sit vera ordinandi potestas, neque aliud impediat, quo minus populus reipsa pastoribus manus imponat, quam confusio multitudinis; quomodo praetores in urbibus, auctoritate ac nomine principis, pro tribunali sedent, ac jus civibus dicunt. Ita enim praetor in jure dicendo locum principis obtinet, ut possit tamen princeps, si velit, per se jus dicere.

At neque hic modus adversariis probari debet, si ipsi sibi constare velint. Nam si sola confusio multitudinis impediret, quo minus populus ordinaret ministros, posset certe idem populus munus ordinandi paucis hominibus de suo corpore, idest, etiam non pastoribus demandare. At id non modo conciliorum decretis, et perpetuae consuctudini.et omnium patrum testimoniis, sed etiam adversariorum exemplis, et verbis, et ipsi rationi repugnat. Nam ut paulo ante diximus, in baereticorum coetibus non quivis e populo, sed soli pastores manus imponere ordinandis ita solent, ut si secus fiat, irrita censeatur ordinatio, et Joannes Calvinus lib.4. Institut. cap. 3. § 16. ita omnino faciendum esse ex apostolerum consuetudine his verbis docet: Licet nullum exstet certum praeceptum de manuum impositione . quia tamen fuisse in perpetuo usu apostolis videmus. illa tam accurata corum observatio praccepti vice nobis esse debet. El infra: Hoc postremo habendum est, non universam multitudinem manus imposuisse suis ministris, sed solos pastores. Hace illo. Et sanc cum potestas ordinis, quae ad ordinandos ministros necessaria est, per ordinationem accipiatur, quis capere potest, ut vel populus universus, vel pauci de populo, nulla prius ordinatione accepta, manus imponere, et ordinare ministros possint?

Restat igitur modus tertius, quo possit intelligi quod adversarii dicunt, auctoritate multitudinis pastores a pastoribus ordinari, nimirum, licet non habeat multitudo ordinis potestatem, habeat tamen jurisdictionis, et proinde jus pastoribus imperandi, ut certis hominibus a se designatis manus imponant.

Sed quoniam de hac potestate jurisdictionis, quam adversarii populo tribuunt, in sequenti capite disputandum erit, nunc solum ex iis quae dieta sunt, quaeque ab adversariis affirmantur, argumentum, ni fallor, indissolubile colligemus, Ecclesiam eos nullam habere. Est autem hoc argumentum.

Non sunt veri pastores, qui non sunt per maus impositionem a veris pastoribus ordinati. Id Calvinns ex apostolorum perpetua consuctudine, quae nebis pro lege, ut ipse ait, esse debet, rectissime collegit. Lutherus autem, Zwinglius. Calvinus et caeteri, qui pastores primi apud suos habentur. non fuerunt per manus impositionem a veris pastoribus ordinati. Nam si secus, a quibus obsecro? a suis ne, an a nostris? Non a suis, ipsi enim sunt primi. neque enim ante Lutherum ulli fuerunt Lutherani, neque ante Zwinglium Zwingliani, neque ante Calvinum Calvinistae qui eos pastores ordinare possent. Non item a nostris, siquidem in Eeclesia catholien, unde recesserunt, neque Lutherus, neque Zwinglius, neque Calvinus episcopi fuerunt, sed tantum presbyteri. Porro presbyteri, qui Calvino ministri sunt, non pastores, non habent ordinandi potestatem: Quid facit. inquit Hieronymus in epistol, ad Evagrium.excepta ordinatione episcopus, and presbyter non facial? Et Calvinus Hierony. mo subscribens paulo ante dixit, a solis pasteribus, idest, episcopis ministros ordinari.

Adde etiam, quod ordinationem catholicam adversarii nihil faciunt. Sic enim Calvinus de nostra ordinatione loquitur lib. 4. Instit. cap. 5. § 3. Ordinatio autem nihil aliud est; quam merum ludibrium. Et Martinus Kemnitus loco notato, non magis ratas esse contendit hoc tempore catholicorum episcoporum ordinationes, quam olim fuisse apostolicis temporibus Annae et Caiphae pontificum Indocurum

Quod si primi ilti adversariorum episcopi el pastores: veri pastores el episcopi non sucrunt, certe nec secundi, nec tertii, nec caeteri, qui primis illis successerunt. Al Ecclesia sine episcopis et pastoribus esse non potest, ut idem Calvinus vere alfirmat lib. 4. Instit. cap.3. § 4. Sequentur, inquit, pastores et doctores quibus carere numquam potest Ecclesia. Hace ille. Est enim Ecclesia. ut s. Cyprianus cam definit in, epist. 9. lib. 4. plebs episcopo adunata, et pastori suo grex adhaerens. Sequitur igitur, ut adversarii, qui veros apiscopos et pastores non habent, neque veram Ecclesias habeant.

Hoc argumento s. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos. Hilarium quendam haeresiarcham apertissime confutavit; Rilarius. inquit, cum diaconus de Ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque eucharistiam conficere potest, episcopos et presbyteros non habens, neque haptisma sine sucharistia tradere. Et cum jam homo mortuus sit.cum homine pariter interiil et secta. quia post se nullum alericum diaconus potuit ordinare: Ecclesia autem non est quae non habet sacerdotes.

Unum duminast effugium invenit Calvinus; seribit enim lib. 4. Instit. cap. 3. § 4. Ecclesia constituta, nonnisi a pastoribus pastores erdinandes esse. At cum Ecclesia vel primum constituitur, vel iterum renovatur, ac restituitur, solere Deum extraordinario modo excitare apostolos et evangelisias, in querum numero se et Lutherum sine dubio vult haberi: Quamquam, inquit, non nego, quin apostolos postea quoque, vel saltem cerum loco, evan-

gelistas interdum excitarit Deus, ut nostro tempore factum est; Talibus enim, qui Ecclesiam ab Antichristi defectione reducerent, opus fuit. Munus tamen ipsum nihilominus extraordinarium appello, qui in Ecclesiis rite constitutis locum non habet. Sed hoc miserum est perfugium: Nam Ecclesia semel a Christo bene constituta non potest ruere, nec deficere ad Antichristum cum non sit fundata super arenam, sed supra firmam petram Matth. 16. Quocirca non eget novis apostolis et architectis.

Deinde, si Lutherus et Calvinus novi apostoli fuissent, venissent omnine cum signis, et miraculis apostolorum. sic enim veri Christi apostoli legationem suam probaverunt. Alioqui cur potius Lutherum recipiemus, quam Manichaeum? Calvinum, quam Arium? Eodem enim modo omnes venerunt. Adde, quod primi apostoli omnes per impositionem manuum ordinati fuerunt, Petrus quidem a Christo, caeteri a Petro, ut Joannes de Turrecremata ostendit lib. 2. cap. 32. et nos in primo libro de pontifice cap. 23. doeumus, dum sancti Petri praerogativas enumeraremus.

#### CAPUT IV.

Non esse populi, sed episcoporum, vocare - ministros.

Sequitur altera propositio: Vocatio seu missio ministrorum non ad populum pertinet, sed ad e-piscopos, et potissimum ad summum poutificem. De hae propositione satis multa dicta sunt in libro de pontifice, ubi demonstravimus ecclesiasticam jurisdictionem non esse in ipso coetu fidelium, sed in capite, idest, in summo pontifice, et ab eo ad episcopos caeteros derivari. Probatur igitur haec propositio primum ex verbo Dei; legimus enim Petro collatam potestatem, Matth. 16. et Joan. 21. Tibi dabo claves. Et: Pasce oves meas. Et rursus apostolis Joan. 20. Ego millo vos. Et: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Multitudini autem fidelium Christus, auctor omnis ecclesiasticae jurisdictionis, nibit unquam tribuisse legitur.

Deinde idem hec probatur ex apostolica consuctudine. Nam Actor 14. Paulus et Barnabas, episcopi et apostoli constituebant per civitales presbyteres, et ad Titum 1. Hujus rei gratia, inquit, apostolus, reliqui te Cretae, ul constituas per civitates presbyteros, sicul ego constitui tibi. Et ipsi etiam Centuriatores Centuria 1. lib. 2. cap. 2. falentur primos episcopos post apostolos ab apostolis constitutos.

Denique idem colligitur ex sequentibus. Demonstraturi enim sumus paulo infra, electionem ministrorum populo non convenire; ex quo certe sequitur majori ratione, vocationem eidem populo non convenire. Objectiones adversariorum omnes simul tum refellentur cum de electione disputabitur.

#### CAPUT V.

Electionem ministrorum non fieri a solo Deo.

His igitur de ordinatione, et vocatione praemissis, ad electionem, de qua praecipua quaestio est. veniamus: sitque haec tertia propositio. Electio ministrorum Ecclesiae non sit a solo Deo, ratione praedestinationis, idest, quia solus novit, qui sint praedestinati. Haec propositio asseritur adversus errores Jeannis Wiclef et Joannis Huss, qui damnati sunt in concilio constantiensi: nam sess. 8. damnatur hio articulus Wicleff, qui est octavas: Si papa sit praescitus et malus, non habet potestatem super fideles. Et rursus iste, qui est art. 40. quique ex octavo deducitur: Electio papae a cardinalibus, per diabolum est introducta. Sessione autem 15. dammantur hi articuli Joannis Huss. Articulus 22. Papa vel praelatus malus et praescitus, est aequivoce pastor. Articulus 26. qui deducitur ex 22. Non eo ioso que electores, vel major pars corum consenserit viva voce secundum rilus hominum in personam aliquam, co ipso illa persona est legitime electa: unde sive electores bene, vel male elegerint, operibus electi debemus credere. Hacc ille.

Refellitur iste error, ac sentenția nostra comprobatur. Primum exemplo ipains Dei, qui non semper eligit praedestinatos ad gubernacula politica, vel ecclesiastica. Nam 1. Reg. 10. Saulem Deus elegit, qui tamen postea reprobus fuit. Et Christus Joannis 6. Judam elegit, quem constat minime praedestinatum fuisse: Nonne, inquit, ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est.

Secundo exemplis apostolorum, qui Act. 6. elegerunt diaconos, et inter ees Nicolaum, qui postea fuit haeresiarcha. Ex quo apparet eos mon laborasse in electione, essent ne praedestinati, an reprobi, quos eligebant, cum satis intelligerent id sciri pon nosse.

Tertio ex Patribus. Origenes hom. 4. In lib. Judicam docet ac demonstrat, saepe divinam providentiam ad punienda peccata populorum efficere, ut impii sedeant ad gubernacula tum regnorum, tum etiam Ecclesiarum. Chrysostomus autem hom. postrema in epist. ad Hebr. August. lib. 2. cap. 4. contra epistolam Parmeniani: et Bernardus serm. 66. in Cantica, docent, homines malos veros episcopos esse posse si legitime eligantur, id quod cliam confirmat s. Bernardus ex testimonio illo Joan. 11. de Caipha: Cam esset pontifex anni illius prophetavit. Fuit enim Caiphas, etsi iniquos et reprobus, tamen pontifex, cum ejus dignitatis gratia Deus ei dederit, ut prophetaret.

Quarto ratione. Si solus Deus eligeret pastores Ecclesiae, aut id faceret sola sua voluntate. sine ullo signo externo et visibili, aut certe visibili aliquo signo; si primum affirmetur, quid nobis ejusmodi electio prodesset? Numquam enim sciremus quis Ecclesiae esset pastor; si secundum, aut signum illud esset prodigiosum, ac praeter ordinem naturae, ut columbae descensus, aut coelestis aliquis fulgor, aut eerte loco signi accipiendae essent

sortes, quomodo apostoli Actor, 1. cupientes s. Matthiam eligi a solo Deo, sortibus usi sunt. At prodigia illa columbae, et luminis rarissima esse solent; certe hoc tempore minime ea videmus.

Sortibus autem uti, cum humano consilio res transigi potest, nullo modo licet. Nam aut sortes existimantur gubernari a casu, aut a coelo, aut a diabolo, aut a Dee. Si a casu, stultum est homines ratione praeditos velle sortibus eligere pastores suos, el committere fortunae temeritati, quod poterant consilii maturitate definire, si a coelo, superstitionis vitium est uti sortibus in ejusmodi electionibus. Neque enim coelum vim habet moderandi liberas actiones, quales sunt jacere sortes, vel educere: si a diabolo, impium et sacrilegum est, rerum sacrarum auctorem diabolum facere: si denique a Deo, peccatum est tentationis Dei, expetere, alque expectare a Deo, ut ipse sortes dirigat, quando neque ipse id se facturum promisit, neque deest humanum consilium. Quocirca Ecclesia rationem eligendi praelatos sortibus, merito improbavil, capite Ecclesia, extra de sortileglis. Quam rationem reprehendunt etiam Hieronymus in caput 1. Jonae. et Bedu in cap. 1. Actor.

At, inquies, Salomon proverb. 16. asserit sortes a Deo gubernari, cum ait: Sortes mittuntur en sinu. a Domino autem temperantur. Respondeo: Salomonem dicere voluisse omnia gubernari a divina providentia, etiamsi nobis plane casu quodam sieri videantur, ut id, quod forte alicui contingit. Porro divina providentia in sortibus cernitur, non quod semper qui sorte eligitur sit melior, sed quod sive melior, sive pejor sit, non sine Dei providentia eligatur; qualis providentia in omnibus aliis eventibus, quamvis maxime fortuitis, cernitur. Proinde non tollit ista communis providentia easum; neque facit ut melius sit sorte praepositos Ecclesiae eligere, quam suffragiis.

Neque his repugnat exemplum s. Matthiae, qui sorte electus fuit. Nam in primis non fuerunt fortasse illae sortes proprie dictae, sed coeleste aliquod lumen super Matthiam a Deo effusum, ut indicare videtur Dionysius areopagita de Eccles. hierarch. cap. 5. par. 3. Aut certe sortes illae verae, ac proprie fuerunt, sed privilegium, atque inspiratio Dei peculiaris caussa fuit, cur iis apostoli uterentur. Quia enim apostoli caeteri a Christo electi suerant, ne videretur s. Matthias caeteris inse-rior, voluit sortasse idem Christus per se illum eligere. Itaque inspiravit apostolis, ut'sorte uterentur. Sed privilegium, ut Hieronymus notavit in caput 1. Jonne, non debet trahi in exemplum ordinariarum electionum. Aut postreme sine ullo privilegio sortibus apostoli in ea electione uti voluerunt, quod Matthias et Barsabas adeo essent pares sanctitate et doctrina, ut humano judicio discerni non posset uter præponendus esset. In einsmodi enim casibus licitus est sortium usus, tum quia non tentatur Deus, cum id ab eo exquiritur, quod humano judicio declarari non potest, tum quia nullum est periculum, quicumque sorte exeat, etiamsi plane easu exiret, quando pares sunt, de quibus praesiciendis agitur, et tollitur materia querimoniarum, nullique fit injuria.

Quapropter sortibus utendum esse in ejusmodi casibus, docet s. August. lib. 1. doctringe christianae. cap. 28. et in epist. 180. ad Honoratum. Quomodo apud Judaeos, ex multis sacerdotibus sorte eligebatur unus, qui certo tempore thus Domino adoleret; unde est illud Luc. 1. Sorte exit, ut Zacharias incensum poneret etc. Atque ad hunc ritum respexisse apostolos in electione s. Matthiae testantur Ambrosius in cap. 1. Lucae, et Beda in cap. 1. Actor.

#### CAPUT VI.

#### Quarta propositio.

Non decuisse christianos sacerdotes carnali successione propagari. Confirmatur hace sententia Primum ex figura, quae in lege naturae praecessit. Nam Melchisedech, secundum cujus ordinem Christia et christiani sacerdotes esse dicuntur, ideirco sine patres sine matre, sine genealogia fuisse describitur ad Hebr. 7. ut intelligeremus sacerdotes christianos non debere nasci, sed fieri.

Secundo idem probatur ex prophetia Isaiae 66. Assumam, inquit Dominus, ex ets sacerdotes, et levitas. In quem locum observat s. Hieronymus, ideo dixisse prophetam: assumam ex els, quia in Testamento novo, de quo apertissime eo loco loquitur Isaias, non erant sacerdotes nascituri ex una aliqua familia, sed assumendi ex omnibus gentibus.

Tertio, idem probalur ex differentia Testamenti novi ac veteris; ut enim in Testamento veteri pepulus Dei propagabatur per carnalem generationem ex Jacob, in novo autem propagatur per spirifualem regenerationem ex Christo: ita quoque par erat ut in Testamento veteri sacerdotes carnali successione propagarentur, in novo autem spirituali electione assumerentur. Item quemadmodum sacerdotium aaronicum carnale fuit, quippe quod totum in bobus, et ovibus mactandis occupabatur, christianum autem sacerdotium spirituale est, cum in hostia spirituali, ac divina sacrificanda occupetur, sic etiam aequum erat, nt sacerdotum propagatio in Testamento veteri carnalis, in novo, spiritualis esset. Adde, quod illi uxores et liberos habebant, proinde facile potuit illa ratio institui, ut parentibus filii succederent, nostri autem coelibes esse debent, praesertim secondum ritum Ecclesiae purioris. Quare non potest ullo pacto fleri, ut sacerdotium christianum successionem carnelis generationis consequatur.

Quarto idem probatur naturali ratione. Christianae enim reipub. (quae sane perfectissima est) perfectissima ratio convenit instituendi ministros: At longe melior est ratio per electionem, quam per generationem; nam si electio valeat, semper optimi et doctissimi pastores praefici possant Ecclesiis; si autem generatio locum habeat, cogemur non raro pueros habere episcopos, aut viros improbos, et imperitos.

Neque vero recte objici potest, etiam nunc eligi saepe improbos et imperitos, aut adolescentulos, ac pene pueros, id enim non accidit ex natura rei, sed vitio eligentium, quod facile emendari potest. At generatio naturaliter affert seçum ejusmodi incommoda, quae nullum omnino remedium admittunt Maneat igitur, melius esse pastores Ecclesiae eligi, quam nasci.

#### CAPUT VII.

#### Quinta propositio.

Jus eligendi summum pontificem, caeterosque Ecclesiae pastores et ministros.non convenit populo jure divino. Sed si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniventia, vel concessione pentificum. Haec propositio proprie statuitur adversus Lutheranos et Calvinistas. Et probatur Primo exemplo Aaronis, et testimonio b. Pauli; scribit enim apostolus ad Hebr. 5. Neminem assumere sibi debere honorem, nisi vocetur a Deo, tamquam Aaron; atqui Aaron a solo Moyse fuit electus in pontificem; sine ullo vel consensu, vel consilio multitudinis:

Secundo idem probatur exemplo, et verbo Christi; Christus enim Joan. 20. apostolis ait: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Quocirca voluit, ut ea potestaté, caque ratione apostoli gubernarent Ecclesiam, qua ipse cam gubernaverat eo tempore, quo praesentiam suam mundo exhibuerat. At ipse apostolos primum duodecim, ac deinde discipulos septuaginta duos elegit, sine consilio, aut suffragio

ullo multitudinis.

Tertio ex jure divino tum naturali, tum etiam scripto; nam jure divino scripto episcopi sunt pastores populi, populi sunt oves, Joan. ult. Act. 20.

1. Petr. 5. Ratio autem naturalis apertissime docet, ovibus non convenire, ut pascant, ac regant, sed regantur, atque pascantur. At eligere pastores, ad gubernationem et regimen pertinere certissimum est; non igitur populo convenit pastores eli-

gere.

Objicies fortasse, quod in terrena republica populi dicantur oves, reges pastores, et temen regis electio ad populum spectet. Respondeo: Aliam esse rationem terrenae, aliam coelestis, jdest, christianae reipublicae. Nam in terrena repub. nascuntur omnes homines naturaliter liberi, et proinde potestatem politicam immediate ipse populus habet, donec eam in regemaliquem non transtulerit. At christiana respublica numquam habuit ejusmo. di libertatem, siquidem cum ipsa natus est rex et pastor ipsius, Christus enim simul Ecclesiam in-stituit, et Petrum ei praesecit. Deinde populus in terrena republica tunc solum potest regem eligere. cum rege carét: at Ecclesia numquam rege caret, semper enim Christus vivit, semper etiam sunt in Ecclesia episcopi aliqui, qui pastores novos eligere et creare possunt,

Quarto idem probatur exemplo apostolorum, qui

BELLARMINI. Vol. II.

episcopos passim eligebant sine ullo suffragio multitudinis, ut vel ex eo constat, quod episcopos a se creatos mittebant ad populos absentes, et infideles. Neque valet quidquam responsio Kemnitii, qui in examine tridentini concilii in disputatione de sacramento ordinis scribit, episcopos, quos apostoli mittebant ad infideles, eligi solitos a plebe illius Ecclesiae, ubi ordinabantur. Nam qui dicunt jure divino pertinere electiones ad populum, eam rationem reddunt, ne populus accipiat pastorem, quem neque novit, neque cupit. Proinde volunt jure divino pertinere ad populum episcopi proprii. non alieni electionem. Deinde quo jure unus populus episcopum alterius populi eligere potest? Denique unde probat Kemnitius, episcopos, quos apostoli mittebant, a populo ejus Ecclesiae electos fuisse, ubi ordinabantur.

Quinto probator eadem nostra conclusio ex conciliorum veterum decretis, ac I. laodicenum concilium can. 13. sic habet: Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi. Nec valet Calvini responsio, qui canonem istum ita interpretatur, ut velit non excludi eo canone turbas ab electione; séd solum constitui, ut non solae turbae eligant, sed intersint etiam seniores. Cum enim semper interfuerint seniores, nihil omnino concilium statuisset, si vera esset Calvini interpretatio.

Ad haec in concilio Martini papae apud Martinum Bracarensem, cap. 1. decretorum ita legimus: Denique Non licet populo electionem facere eorum. qui ad sacerdotium promoventur, sed in judicio episcoporum sit. Item concilium nicaenum II. can. 3. sic habet: Omnem electionem, quae fit a magistratibus, episcopi, vel presbyteri vel diaconi, irritam manere. Oportet enim eum, qui est promovendus ad episcopatum, ab episcopie eligi

Denique concilium IV. constantinopolitanum quod est octavum generale, can. 28. Sancta, inquit, et universalis synodus definit, neminem laicorum principum, vel potentum semet inferre electioni, vel promotioni patriarchae, vel metropolitani, aut cujuslibet episcopi, praesertim cum nullam in talibus potestalem, quemlibet potentum, vel caeterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi, usquequo regulariter a collegio Ecclesiae suscipiat finem

electio futuri pontificis.

Sexto idem probatur exemplis, seu testimoniis veterum, qui post apestolos floruerunt. S. Hieronymus in epist. 85. ad Evagrium: Alexandriae, inquit, a Marco evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant. Haee ille. Quo satis aperte docet Alexandriae antiquissimis temporibus episcopos non a populo, sed a preshyteris eligi solitos. Ruffinus lib. 10. hist. cap. 9. scribit, Frumentium a s. Athanasio creatum episcopum Indorum, Indis ipsis en de re nihit neque scientibus, neque cogitantibus. Epiphanius in epistola ad Joannem episcopum Hierosolymae scribit a se Paulinianum, s. Hieronymi fratrem, presbyterum or-

dinatum, et directum ad monasterium, ut in eo fungeretur munere sacerdotali, cum tamen de ea re nihit ad se ejusdem monasterii fratres scripsissent. S. Augustinum Anglorum apostolum b. Gregorius episcopum designavit, atque ab arelatensi episcopo ordinari jussit, si Angli fidem reciperent, neque electionem. aut postulationem ultam Anglorum exspectavit. Vide Bedam lib. 1. historiae gentis suae. Beatus quoque Gregorius II. S. Bonifacium Germanis episcopum ordinavit nihil ea de re scientibus, cogitantibusve Germanis. Vide ipsius vitam nuper editam, atque ejusmodi exempla plurima possent afferri.

Septimo idem probatur ex incommodis, quae popularem electionem consequentur. Primum, populares imperiti sunt, nec possunt eliamsi maxime velint, judicare an aliquis sit idoneus sacerdotio nec ne. Valentinianus Augustus, ut refert Theodoretus lib. 4. hist. cap. 6. cum ad eum deferretur ab episcopis electio episcopi mediolanensis, respondit: Major res est, quam ut nobis conveniat, vos autem gratia divina praediti, et illius splendore fulgentes melius eligetis. Haec ille. At quanto magis id posset, ac deberet dicere imperita multitudo, si saperel? Quo pacto enim, quaeso, judicabunt mercatores, agricolae, caementarii, caeterique opifices, num quis habeat eruditionem, et prudentiam episcopo necessariam?

Deinde, si populus jus habeat eligendi, necesse erit, ut semper ii praeficiantur quos praefici cupient pejores et stultiores; nam major pars vincet, plures autem sunt in qualibet civitate mali, quam boni, plures stulti, quam sapientes. Quare s. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio graviter queritur, quod suo tempore episcoporum electiones in manu populi essent, ac dicit non esse mirandum, si pessimi quique praeficiantur et optimi viri interim negligantur, cum eorum sit eligere, qui nihil norunt nisi de rebus temporalibus judicare.

Denique, electio popularis obnoxia est tumultibus, ac seditionibus, ut s. Augustinus dicit in epist. 110. et 223. ubi refert historiam turbulentissimae commotionis popularis in electione Piniani. Ruffinus quoque lib. 11. hist. cap. 11. narrans dissensionem populi mediolanensis in episcopo designando. Dissentio, inquit, gravis et periculosa urbi propriae maturum parabat exitium. Sed insignis contentio praeter caeteras fuit. in electione s. Damasi, tanto enim ardore animi partes concurrerunt, út in quodam templo 137. homines necarent, ut scribunt Ammianus Marcellinus lib. 27. Hieronymus in Chronico, et Ruffinus lib. 11. hist. cap. 10.

At, inquit Calvinus, si tamest incommoda haec ratio eligendi, cur eam veteres patiebantur? Quod ergo eam non tollerent e medio, argumento est non potuisse tolli, propterea, quod esset jure divino constituta.

Respondeo: Tam rationem eligendi ad suffragia populi, paulatim in Ecclesiam irrepsisse, proinde debuisse etiam paulatim suaviterque de medio tolli; initio enim, hoc est, apostolicis temporibus, insciente populo, pastores eligebantur. Deinde coepit populus adhiberi ad testimonium dandum

de vita et moribus eligendi. Unde est illud Tertulliani in apolog. cap. 39. Praesunt probati quique seniores, honorem istum non pretio sed testimonio adepti. Tum ut populi magis diligerent suos episcopos, coepti sunt ii tantum ordinari, quos populus postulasset. Unde est illud s. Leonis in epist. 87. vel 89. Exspectarentur vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum, quae in saecerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt Patram regulas, custodiri. Ubi s. Leo populis tribuit vota, idest, desideria, et testimonia, clericis autem electionem.

Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, ut etiam jus suffragii sibi populus usurparet, at intelligi potest ex lib. 3. Chrysostomi de sacerdotio. Sed posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, et apparuit ejus rei confusio, et indignitas, tum etiam paylatim sublata est populo electio et postulatio, solumque relictum est testimonium vitae et morum. Nam etiam nunc ordinantur episcopi et presbyteri coram populo, et episcopus, qui ordines collaturus est, per diaconum populum alloquitur, ac petit, ut si quis est, qui aliquid habeat adversus ordinandos, accedat, et dicat. Superest argumenta solvere.

Matthias Illyricus in lib. de electione episcoporum collegit omnia ferme' argumenta, quae a Luthero, Brentio, Calvino, et aliis excogitata fuerant. Sex autem primo loco ex verbo Dei argumenta depromit. Primum ejusmodi est: Claves regni coelorum non soli papae aut episcopis, sed toti Ecelesiae datae sunt. Nam quod dicitor, Matth. 16, Tibi dabo claves etc. s. Augustinus tract. 124. in Joan. interpretatur dictum esse Petro, ut is personam gerebat Ecclesiae. Praeterea Matth. 18. toti multitudini dicitur: Quaecumque alligaveritis super terram etc. Illis enim hoc dicitur, quibus dicitur paulo ante: Si peccaverit in te frater tuus, vade corripe eum etc. At nomine clavium significatur omnis potestas ecclesiastica, fgitur tota multifudo fidelium potestatem habet a Christo eligendi et vocandi, atque eliam ordinandi ministros.

Respondeo: De hoc argumento multa diximus in lib. de pontifice : ideirco paucis hoc loco rem totam expediemus. Igitur verba illa Matth. 16. Tibi dabo claves, sententiae nostrae manifeste favent, neque illi repugnat s. Augustini interpretatio. Nam propterea s. Augustinus dicit, apostolum Petrom in persona totius Ecclesiae accepisse claves, quin in totius Ecclesiae commodum et utilitatem eas accepit, et etiam quia non ipse solus illis usurus erat, sed transmissurus ad successores, et communicaturus cum aliis omnibus episcopis et presbyteris

In altero autem loco: Quaecumque alligaverità etc. promittitur Ecclesiae potestas ligandi et solvendi, sed quae in praelatis sit, non in reliqua multitudine. Vere enim dicitur Ecclesia solvere et ligare, quia praelati ejus solvunt et ligant, quemomodum dicitur homo loqui et videre, licet non nisi lingua loquatur, et oculis videat. Id autem ita esse, ex ipso illo loco deducitur; nam posteaquam jusserat, ut qui correptione fraterna, adhibitis etiar

duobus aut tribus testibus, non moveretur, deferretur ad Ecclesiam, et ne quis Ecclesiae tribunal contemnendum putaret, adjecit eam promissionem: Quaecumque alligaveritis etc. quare illi Ecclesiae dicitur: Quaecumque alligaveritis, de qua dictum est: Dic Ecclesiae.

Illud autem: Dic Ecclesiae, exponitur a Chrysostomo in commentario ejus loci, ac si dictum esset: Dic praelato Ecclesiae; Caeteri quoque doctores per Ecclesiam eo leco positam intelligunt praelatum, aut concilium praelatorum: et usus Ecclesiae idem confirmat. Semper enim qui ad Ecclesiam deferuntur, ad episcopum aut concilium deferuntur. Secundum argumentum tale est: Imperat Dominus, Joan. 10. ut non audiamus vocem alienorum. Et rursus Matth.7.ut fugiamus falsos prophetas, et apostolus ad Galat. 1. jubet anathematizari eos, qui docent aliquid praeter evangelium: Igitur populus christianus divinum habet mandatum, quo tenetur bonos pastores quaerere et vocare et perniciosos rejicere.

Respondeo: Populum debere quidem discernere verum a falso propheta, sed non alia regula, quam diligenter attendendo, an is, qui praedicat, dicat contraria iis, quae dicebantur a praedecessoribus, vel üs, quae dicuntur ab aliis ordinariis pastoribus, et praesertim ab apostolica sede, et Ecclesia principali; nam imperatum est populo, ut audiat pastores suos. Lucae 10. Qui vos audit, me audit. Et Batth. 23. Quae dicunt faeite. Non igitur debet populus judi care suum pastorem nisi nova audiat, et a doctrina aliorum pastorum aliena.

Practerea, hos est quod Paulus monet ad Gal. 1. ut anathematizemus, qui docent nova et contraria iis, quae antea evangelizala sunt. Adde , quod populus cum sit rudis, non potest aliter judicare de doctrina pastoris. Si enim per se posset judicare, non egeret praedicatoribus: ex quo deducitur, :debuisse hominibus hujus temporis suspectam esse doctrinam Lutheri, Calvini, et similium, qui per se veniebant, et praedicabant nova et pugnantia cum doctrina omnium pastorum Ecclesiae. Nam cum pastor ordinarius et aliquis alius qui praedicat non vocatus, contraria docent, debet omnino populus pastorem suum potius sequi, quam illum alterum, qui non est pastor, etiamsi forle contingeret, ut pastor erraret. Nam cum ipse populus non possit de ea re judicare, cur non potius credet illi, cui jussus est obedire? Quanquam non est credibile, Deum permissurum, ut ordinarius pastor ita erret, ut decipiat simplicem populum; facile enim apparet, an doceat contraria caétéris pastoribus.

Observandum est praeterea, populum posse quidem ea regula, quam posuimus, internoscere verum prophetem a falso, sed non propterea posse falsum pastorem si sit episcopus, deponere, et alium ejus loco substituere. Nam Dominus et apostolus tantum jubent, ut falsi prophetae non audiantur a populo: non autem ut populus eos deponet. Et certe usus Ecclesiae semper hoc habuit, ut haeretici episcopi a conciliis episcoporum, vel a summis pontificibus deponerentur. Ex his secundum argumentum manet solutum.

Tertium argumentum est hoc: Episcopi non sunt

domini, sed ministri Ecclesiae, 1. Cor. 3. et 1. Pet. 5. Et praeterea Ecclesia est columna et firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. Igitur summum tribunal est penes Ecclesiam, non penes episcopos, proinde ipse potest eligere et vocare ministros.

Respondeo: Episcopos esse ministros Ecclesiae, quia pro ea laborant, non illi obediendo, sed eam regendo, eique praesidendo, ut alias diximus. Duplex enim est genus ministrorum, cum alii serviant obediendo, ut mancipia; alii imperando, ut paedagogi, et omnis magistratus; porro episcopos servire populis regendo et imperando, patet Actor. 20. et ad Hebr. 13. Est autem Ecclesia columna veritatis, quia semper audit Petrum, pro quo Dominus oravit! ne deficeret fides ejus.

Argumentum quartum sumunt ex Actor. 1. ubi non soli apostoli, sed tota Ecclesia elegit Matthiam et Barsabam, ut ex eis Deus unum assumeret.

Respondeo cum Chrysostomo in hunc locum, id factum esse ex concessione Petri, non ex necessitate: Quid, inquit Chrysostomus, an non licebat ipsi Petro eligere? licebat, et quidem maxime: Verum id non fecit, ne sui videretur gratificari. Praeterea illa non tam electio fuit, quam postulatio quaedam, qua cupiverunt a Deo aliquem eligi in locum Judae. Denique ab exemplo uno non deducitur aliquid esse de jure divino. Nos quidem efficaciter probamus, non esse de jure divino, ut populus eligat, quando exemplis ostendimus, aliquando, sine populi suffragio episcopos fuisse electos, quia non potest recte fieri contra jus divinum. At non efficaciter probamus esse de jure divino id omne, quod aliquando factum legimus.

Quintum argumentum ex Actor. 6. ubi de multitudine credentium dicitur: Et elegerunt Stepha-

Respondeo primo: Ab hoc exemplo non probari, id esse de jure divino. Secundo dico: Id etiam esse tributum populo ex concessione apostolorum, ut Lucas ipse aperte testatur. Tertio dico, locum hunc non esse ad propositum: Nos enim agimus de electione pastorum, qui praeficiuntur Ecclesiae regendae, isti autem diaconi crant praeficiendi mensis.

Argumentum Sextum actor. 14. Et eum constituissent illis per singulas civitates presbyteros, verbum graecum χεφοτονήσαντες, significat, cum elegissent per suffragia. Nam χεφοτονέω est quasi χέφαςείνω, idest, manus tendo, seu attollo in signum suffragii; ut cnim constat ex M. T. in oratione pro Flacco, signum suffragii apud Graecos erat, attollere manus. Cum ergo Paulus et Barnabas elegerint episcopos ad suffragia populi, manifestum est, eos praefuisse quidem electioni, sed non solos elegisse.

Respondeo ad hoc argumentum, quod est praecipuum fundamentum Illyrici Calvini, Kemnitii, et aliorum, verbum χειροτονέω tria significare posse. Primo, eligere per suffragia, ut ratio ipsa etymologiae docet, et usus etiam profanorum aucto-

Secundo, eligere ac decernere quocumque id fiat modo: Nam etiam si etymologia ab extensione manuum sumpta sit, tamen derivatur postea ver-

bum ad omnem electionem et sanctionem, ut multis aliis verbis accidit. Nam Actor. 1. Lucas dicit. Cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecimapostolis. Graece καὶ σύγκατε ψηφίσθη idest, suffragiis additus est. Nam ψηφίζεσθαι est dare suffragium, et ψηφίσμα est ipsum suffragium, et tamen b. Matthias non suffragiis, sed sorte electus est. Itaque ψηφίζεσθαι eo loco accipitur pro cooptare, quocumque modo id flat, et Act. 10. Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus praeordinatis a Doo. Graece: Α΄λλὰ μαρτυρίσι τοῦς πρόχε χειροτονημένοις ἀπὸ τοῦ Θεοῦ. Nec tamen Deus suffragiis elegit, quibus ostenderet Christum redivivum.

163

Tertio, significat apud ecclesiasticos, ordinare per manuum impositionem. Nam Chrysostomus hom. 14. in Acta, exponens illud: Et cum grassent, imposuerunt illis manus. Sic ait: Τοῦτο γὰρ ἐςὶ γειοοτονία. Et hom. 10. in 1. Tim. quaerit, cur apostolus, cum praecepit de episcopis, transit ad diaconos, omissis presbyteris: et respondet, quia episcopi et presbyteri sunt lidem, nisi quod episcopi ordinant, presbyteri non ordinant: Τὴν γὰο χειροτονίαν μόνη άναβεβήχασι. Eodem modo concihum picaenum in epist.ad alexandrinos apud Theodoretum lib. 1. hist. cap. 9. utitur voce yelpotovia, pro ordinatione: si igitur accipiamus illud Actor. 14. χειροτονήσαντες, secundo modo, vel tertio, argumentum solutum est; si autem accipiamus primo modo, tunc notandum est, χειροτονείν, non significare eligere per suffragia ab aliis data, sede eligere proprio suffragio, ut patet ex etymologia, et ex usu auctorum. Nam Demosthenes in oratione contra Timocratem, tribuit populo χειροτονείν. Sic enim ail: Ο δήμος τὰς ἐμάς γνώμας περί ἐσωτηρίας της πόλεως ίχειροτόνει. Similiter Cicero in oratione pro Flacco, de populo dicit; Porrexerunt manus, psephisma natum est. Cum ergo Lucas dicit de Paulo et Barnaba χειροτονήσαντας δε αυτοίς πρεσβυτέρους κατά Ε'κκλησίαν, non vult dicere, Paulum, et Barnabam ad suffragia populi creasse episcopos, sed ad suffragia propria tantum, nisi velint adversarii illud, χειροτονήσαντες referri ad populum, repugnante tota sententia Scripturae. Nam de quibus dicitur: cum constituissent presbyteros, de iisdem dicitur: Commendaverunt illos Deo, in quem crediderant, quae sine controversia ad apostolos tantum referuntur.

Argumentum Septimum suntunt Lutherus, Calvinus, Kemnitius et Illyricus ex Cypriano, qui lib.

1. epist. 4. sic ajt; Propter quod plebs obsequens praeceptis dominicis, et Deum metuens, a peccatore praeposito separare se debet, nec ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem, vel cligendi dignos sacerdotes; vel indignos recusandi, quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur etc.

Respondeo dupliciter. Primo, Cyprianum non velle dicere, descendere ex jure divino, ut episcopus a populo eligatur, sed ab exemplis divinis, ut patet ex sequentibus. Nam probare volens, hoc de-

scendere de divina auctoritate, probat solum tribus exemplis Scripturarum; quia nimirum Eleazarus, Numer. 20. coram populo ordinatus est, et similiter Matthias, Act. 1. et septem diaconi, Actor. 6. At exempla Scripturarum non faciunt rem esse de jure divino, sed praecepta Dei sunt, quae hoc faciunt.

Secundo dico: Cyprianum hoc loco nihil tribuere populo circa electiones sacerdotum, nisi ut ferant testimonium de vita et moribus ordinandorum, guod etiam nunc servantur in Ecclesia cafholica. Dicit autem Cyprianus, populum habere potestatem eligendi, et suffragium ferendi, quia potest dicere, si quid noverit boni vel mali de ordinando, et sic testimonio suo efficere, ut eligatur, vel non eligatur. Itaque habet populus, secundum Cypriani sententiam, potestalem eligendi et suffragandi per testimonium, non per calculum, more testis, non judicis. Id quod ex eodem loco perspicuum fleri potest; dicit enim debere in Ecclesia eligi episcopum, quomodo Scriptura docet fuisse electum Eleazarum. At Scriptura Num. 20. dicit, Eleazarum electum a Moyse, et nihil tribuit populo, nisi coram eo fuisse Eleazarum electum; Et Cyprianus explicans hoc, ait: Coram omni synagoga jubet Deus constitui sacerdotem, idest, instruit, et ostendit ordinationes sacerdotales. non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe praesente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicetur. Et infra: Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est, et tenendum, quod apud nos quoque, et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur, plebe praesențe, quae singulorum vilam plenissime novit, el uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit.

Argumentum Octavum sumit Illyricus ex nicaeno concilio. Nam in epist. ejusdem concilii ad Alexandrinos, apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. hist.
habentur haec verba: Dignum est, vos potestatem
habere, et eligendi quemlibet, et nomina eorum
dandi, qui clero sunt digni, et absolute facere
omnia secundum leges et sanctiones Ecclesiae. Si
quem vero cantigerit requiescere in Ecclesia,
tunc provehi in honorem defuncti eos, qui nuper
assumpti sunt, solummodo si videantur digni, et
populus eos elegerit, condecernente simul et designante maxime alexandrinae civilatis episcono.

Respondeo: Ex hoc testimonio nihil aliud colligi posse, nisi jam tum coepisse consuetudinem.
ut populus electioni admisceretur, quod nos minime negamus. Non autem inde colligitur, id esse
de jure divino, quod adversarius erat probandum.
Sed notanda est hoc loco duplex fraus Illyrici.
Nam concilium nicaenum initio hujus testimonii ab
Illyrico citati, non loquitur de plehe, sed de episcopis, atque illos dicit habere debere potestatem eligendi, et omnia faciondi secundum Ecclesiae
sanctiones: Illyricus autem sic pervertit, et immu-

tavit verba, ut videatur concilium tribuere plebi omaem potestatem gubernandi Ecclesiam. Deinde ad finem ejus testimonii concilium dicit debere eligi episcopum a populo, sed confirmari electionem ad episcopo alexandrino (nam de episcopis Aegypu agitur) et proinde tribuit concilium praecipuam auctoritatem episcopo in electionibus. Illyricus autem immutavit verba, ut videretor, episcopus nihil amplius posse; quam populus. Vide totum locum.

Argumentum Nonum Illyrici, Calvini et Kemnitii, sumitur ex epistola concilii II.generalis ad Damasum, quam refert Theodoretus lib. 5. hist.cap. 9. ubi sic legimus; Reverendissimum et Deo amabilem Nectarium episcopum ordinavimus coram universali concilio cum omni concordia, sub aspectu etiam Deo amabilis imperatoris Theodosii. universique cleri, cumota decernente pariter ciritate. Similia profert Calvinus ex Leone epist.89. et Gregorio lib. 2. epist. cap. 69. Addit Kemnitius unum testimonium ex Ambrosio lib. 10. epist. 82. et alia. quae non ex fontibus citat, sed ex decreto Gratiani, dist. 23. 24. 62. 63. 65.67, et 8. quaest. 1. can. Licet. Multa etiam ejusdem generis citat Illyricus in suo libro de electione episcoporum.

Respondeo Primo: Ex nullo horum testimoniorum colligi, esse de jure divino, ut populus eligat. Secundo, in his omnibus uno vel altero exceptis, nullam fleri mentionem electionis, sed solum postulationis vel testimonii. Tertio, nos non negare, quin aliquando populus elegerit, sicut etiam nunc in quibusdam locis eligunt reges, sed id juris habere eos, vel habuisse ex concessione pontificum. non ex jure divino. Ex quibus apperet, quam splendide mentiatur Calvinus lib. 4. Instit. cap. 5. § 2. cum dicit ritum eligendi eniscopos sine suffragio populi, pugnare cum verbo Dei, et cum multis conciliorum decretis, quae statuerunt, irritam esse electionem si aliter flat. Nam nec ullum verbum Dei attulit, nec ullum concilii decretum, nec ullum afferri potest, in quo habeatur quod ipse dicit.

Argumentum Decimum Illyrici, sumitur a consuctudine Ecclesiae. Dicit enim, fuisse usum istum in Ecclesia per annos fere 1300. et solum a tempore Friderici II.qui obiit anno 1250.introductum, ut laici excluderentur ab electione. Probat autem. quod tamdiu duraverit consuctudo eligendi ad suffragia populi, ex Gregorio IX. qui sedit tempore Priderici. Exstat enim in decretalibus epistolis a Gregorio IX. editis, tit. de electione, cap. Messana, mentio hujus rei, necnon in epistola ejusdem Gregorii ad episcopum bremensem, apud Krantium lib. 8. metropolis, cap. 3. Denique ita concludit Illyricus hoc argumentum. Quare nullum prorsus est dubium, quin electio ante annos 300, et deinceps quoque aliquendiu a laicis citra omnem controversiam sit factitata.

Respondeo: Illyricum egregie mentiri. Nam in primis, apostolorum tempore, et deinceps multis annis nihil potuit in electionibus populus, nisi testimonium vitae dare, ut ex supra dictis patet. Deinde consequentibus saeculis irrepsit plebs ad suffragia, sed nec tam longo tempore, nec citra controversiam, ut Illyricus dicit. Nam Gregorius IX. in epist. citata ad bremensem episcopum clarissi-

me dicit, canonicorum faisse electionem, licet accesseriat etiam vota, idest, desideria et postulationes populi.

Porro caput Messana, est contra ipsum Illyricum; nam in eo capite prohibetur severissime, ne laici eligant. Edicto, inquit Honorius, perpetuo prohibemus, ne per laicos cum canonicis pontificis electio prdesumatur. Quod si forte praesumpla fueril, nullam obtineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine, quae dici debet potius corrupteta. Haec ille. Non igitur citra controversiam laici ante annos trecentos eligebant. Praeterea, electio Alexandri III. ante annos 150. per solos cardinales facta est, ut cognosci petest ex Radevico lib. 2. de rebus gestis Friderici I. cap. 50. et seguentibus. Item electio Gregorii VII. ante annos quingentos, per solos cardinales facta est, ut patet ex decreto electionis illius apud Platinam. Denique, quomodo citra controversiam usque ad annum 1200. laici elegerunt? eum, ut supra citavimus, concilium octavum ante annos 700. et concilium septimum ante annos 800, et concilium Martini papae ante annos 900.et concilium laodicenum ante annos 1200, interdixerint, ne laici eligant.

Argumentum Undecimum est ejusdem Illyrici, qui politicas rationes quasdam profert, sed ineptissimas; qualis illa est, quod canonici et monachi fere semper eligant episcopos, aut abbates Papistas, raro aut numquam Lutheranos. Scilicet; valde expediret Ecclesiis et monasteries, ut ab iis gubernarentur, qui nihil oderunt magis, quam clericos et monachos. Addit etiam, valde esse incommodum, quod cum episcopi et abbates Germaniae sint etiam principes temporales, a sex tantum aut octo interdum hominibus eligantur; quasi imperator non sit princeps longe major, qui tamen a sex tantum aut septem electoribus creatur.

CAPUT VIII.

Sexta propositio.

Electio episcoporum non pertinet jure divino ad clerum, sed ad summum pontificem, ut vel ipse eligat, vel praescribat eligendi modum.

Probetur Primo: Quoniam ex evangelio nihil aliud habemus, nisi Ecclesiam-universam santo Petro esse commissam, Joan.ult.Itaque ad illum pertinet, providere Christianis de iis, qui curam co-rum gerant. Deinde, si ad clerum pertineret electio jure divino, ad tolum clerum perlineret. Non enim jus divinum definivit, ut hi polius, quam illi ex clericis eligant; at non omnibus clericis convenire electionem, satis probatur ex eo, quod eadem fere incommoda acciderent ob multiludinem clericorum, quae accidebant in electione populari. Quocirca multis jam saeculis soli clerici primarii eligunt, quod tamen fleri non potuisset, si jure divino omnes clerici electores fuissent. Denique, s. Petrus, qui jus divinum certe non ignorabat, non solum in Ecclesia romana successorem sibi delegit Clementem, neque exspectavit, utis a clericis eligeretur, sed etiam ad plurimus provincias episcopos misit. Vide Damasum in pontificali, Innocentium I. in epist. ad Decentium, et Joannem III. in epistola ad Germanos. Vide etiam de tota re Cajetanum de potestate papae et concilii, cap. 13.

#### CAPUT IX.

#### Septima propositio.

Ratio eligendi summum pontificem per solos cardinales, est omnium optima, et merito conservanda, etsi absolute posset pontifex eam mutare, si vellet.

Secunda pars est evidens, quia de jure positivo est, ut cardinales eligant. Probatur prima pars hujus conclusionis, Primo inductione. Non debet pontifex creari per sertes, nec per carnalem successionem, nec per solius prædecessoris nominationem. nec ad suffragia populi, nec ad suffragia totius cleri, ut jam probatum est ergo ad suffragia primorum ex clero: Tales sunt cardinales; sunt enim præcipui episcopi, presbyteri et diaconi, romanae Ecclesiae.

Secundo, nulli melius judicare possunt, qualis debeat esse episcopus eligendus, quam ii, qui sunt episcopi conciliari, et cum eo Eoclesiam regunt, et optime norunt ecclesiastica negotia; tales sunt cardinales, igitur ad eos rectissime pertinebit electio.

Tertio, ex duratione; nulla enim forma electionis diu durare poluit, praeter islam per solos cardidales. Constat enim ab anno 1179, usque ad hoc tempus per annos 400.semper electos pontifices a duabus partibus cardinalium, juxta decretum Alexandri III. promulgatum in concilio lateranensi ut habemus cap. Licet, extra de electione, nec tamen tunc coepit electio fieri per solos cardinales, sed diu antea videtur incoepisse. Nam in illo cap. Licet, Alexander III. aperte indicat.jam ante coepisse morem istum, ut soli cardinales eligerent, et solum se constituere, ut non sufficiat major pars cardinalium, sed requirantur duae partes. Porro ante hac lempus per 1100. annos, 17. mulationes inveniuntur, in electione romani pontificis, ut quidam annolarunt.

Quarto probatur experientia, quia numquam fuerunt pauciora schismata, quam hoc tempore. Annotavit Onuphrius in lib.de pontificibus romanis, schismata 29. in Ecclesia romana, ex quibus 26. fuerunt usque ad Alexandrum; toto reliquo tempore solum tria; ex quibus etiam tribus unum solum accidit vitio cardinalium.nimirum illud, quod factum est tempore Urbani VI. Nam illud alterum, quod accidit tempore Joannis XXII. ab imperatore Ludovico IV. excitatum est; postremum vero temporibus Eugenii a concilio basileensi.

Quinto probatur; nam haec forma eligendi temperata est ex omnibus aliis bonis et legitimis formis; sciendum est enim quinque modis praecipue consuevisse eligi episcopos. Primus modus fuit, ut ipse summus pontifex per se eligeret, qui modus praesertim servabatur olim in novis episcopatibus erigendis, novisque episcopis mittendis.

Secundus modus fuit, ut episcopum eligerent episcopi omnes ejusdem provinciae, vel major eorum pars, postulato tamen testimonio el consensu cleri et populi ejus loci, cui episcopus dabatur: et eodem modo eligebantur metropolitani et patriarchae, et ipse summus pontifex, nimirum ab episcocopis vicinis, seu provincialibus. Et hic modus antiquissimus fuit, et duravit satis diu. De hoc modo loquitur Cyprianus lib. 1. epist. 4. Apud nos, inquit, et sere per universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, episcopi ejusdem provinciae proximi quique conveniant, et episcopus deligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Idem lib. 4. epist. 2. testatur, Cornelium papam electum fuisse a plurimis episcopis. de testimonio et suffragiis totius cleri et populi. De eodem modo legimus in concilio nicaeno, can. 4. Episcopum debere constitui ab omnibus episcopis provinciae, et si id steri nequit, saltem per literas debere haberi consensum absentium omnium, vel majoris partis, ut exponit can. 6. ejusdem concilii. Idem habetur in concilio antiocheno, canon. 19. et in decretis collectis a Martino bracarensi, cap. 3.

Tertius modus fuit, ut eligeret clerus et populus civitatis. Hic modus fuit in usu tempore Chrysostomi, Ambrosii, Augustini, Leonis, Gregorii, ut pa-

tet ex locis supra citatis.

Quartus modus fuit, ut imperatores et reges, vel soli, vel cum clero et populo eligerent. Constat enim, Justinianum seniorem post recuperatam Italiam, noluisse quemquam creari romanum pontificem, sine sua approbatione, quod servatum est usque ad Constantinum IV.qui juri suorum praedecessorum in hac parte cessit, ut ex Platina, et aliis cognosci potest. Constat item, Carolo Magno jus eligendi romanum pontificem et alios episcopos concessum ab Adriano I. et deinde simile jus concessum Othoni a Leone VIII, ut patet ex Gratiano distinct. 63.can. Adrianus, et can. in synodo, si tamen hi canones recipiantur, qui a Gratiano non ex decretis pontificum, aut conciliorum, sed ex chronica Sigeberti collecti sunt.

Quintus modus fuit cut soli canonici, idest, primarii clerici episcopum eligerent, qui modus servatur a longo tempore in multis Germaniae locis.

Ex his quinque formis Prima non potest reperiri in electione summi pontificis, quia non expedit, ut praedecessor eligat successorem. Reperitur tamen aliquo mode, qualenus haec forma electionis ab ipsius pontificis decreto manavit. Secunda reperitur in hac forma, quantum ad id, quod erat in ea praccipuum; nam eligunt nunc episeopi vicini, ut tunc cligebant, nimirum sex episcopi cardinales. Tertia non reperitur, quia erat omnium maxime incommoda, ut supra ostendimus. Quarta non reperitur etiam, quia quod imperatores se miscuerint electioni, factum est vel vi, et quasi tyrannide imperatorum, ut quando graeci imperatores nolebant creari pontificem sine suo jussu, immo etiam nisi pecuniariam summam accepissent; quam consuctudinem tyrannicam fuisse affirmat s. Gregorius in

commentario psalm. 4. poenitentialis; vel quia pontifices ipsi id necessarium judicabant ad Ecclesiae defensionem, ut quando Carolo Magno et Othoni id pontifices concesserunt, si tamen concesserunt. At nunc nec imperatores tyrannice se ingerunt elecuoni, nec id réquiritur ad Ecclesiae desensionem. Immo etiam vix invenitur aliquis pius imperator, qui hoc jure sibi concesso uti voluerit, et e contrario exstat aperta renunciatio huic juri facta a Ludovico Caroli filio, can. Ego Ludovicus, dist. 63. et ab Othone I. can. Constitutio, eadem distinctione. Quinta denique reperitur; nam quod sont canonici in aliis urbibus, id sunf presbyteri et diaconi cardinules in urbe.

#### CAPUT X.

#### Octava propositio.

Si nulla exstaret pontificia constitutió de electione summi pontificis: vel casu aliquo omnes electores a jure designati; idest, omnes cardinales simul perirent, jus electionis ad episcopos vicinos et clerum romanum perlineret cum dependentia tamen aliqua a concilio generali episco-

In hac propositione non videntur omnes convenire. Quidam enim existimant, secluso jure positivo, jus eligendi devolvi ad concilium episcoporum, ut Cajetanus tractat. de potestate papae et concilii, cap. 13. et 21. et Franciscus Victoria relect. 2. quaest. 2. de potestate Ecclesiae. Alii, ut refert Sylvester verbo Excommunicatio, 9. § 3.docet, ad elerum romanum pertinere jus eligendi in illo casu. Sed conciliari possunt hae duae opiniones. Nam ad episcoporum concilium pertinet sine dubio primaria acctoritas eligendi in illo casu; siquidem, mortuo pontifice, non est in Ecclesia ulla major auctoritas, quam generalis, concilii: et si pontifex non esset episcopus romanus, nec alicujus particularis loci, sed solum generalis pastor totius Ecclesiae, ad episcopos pertineret, vel eligere successorem, vel designare electores: tamen posteaquam unitus est pontificatus orbis episcopalui urbis, immediata auctoritas eligendi in illo casu deberet ab episcopis totius orbis permitti episcopis vicinis, et clericis romanae Ecclesiae, quod probatur dupliciter.

Primo: Ouia ab omnibus episcopis vicinis et clericis romanis translatum est jus eligendi ad cardinales, qui sunt quaedam pars episcoporum et clericorum romanae Ecclesiae; ergo cardinalibus destcientibus deberet redire jus eligendi ad omnes

episcopos et clericos romanae Ecclesiae.

Secundo: Quia haec est antiquissima consuctudo, ut ex Cypriano supra ostendimus, ut episcopum tam romanum, quam alios eligant episcopi vicini, praesente clero. Nec unquam est auditum, quod episcopi, aut archiepiscopi totius orbis convenirent ad electionem summi pontificis, nisi in casu, in quo dubitatur, qui sint legitimi electores. Hoc enim dubium a concilio generali explicari debet, ut factum est in concilio constantiensi.

#### CAPUT.XI.

#### De numero ordinum ecclesiasticorum.

Seguitur tertia Quaestio de distinctione clericorum, seu ministrorum, Ecclesiae: quae sane quaestlo tribus in rebus posita est. Dissentimus enim ab adversariis de numero, de antiquitate, et de officio clericorom. Ac, ut a numero incipiamus, Joannes Calvinus lib. 4. Institut. cap. 4. et cap. 19. et Martinus Kemnitius in examine 23. sess. concilii tridentini, repraehendunt numerum septenarium ordinum, quem catholici passim asserunt, ac docent, tres tantum esse veros ordines, episcoporum. quos ipsi pastores libentius vocant presbyterorum. quos seniores, vel doctores, vel mistros verbi appellant, et diaconorum.

Ex caeteris ordinibus simpliciter auferunt ordinem exorcistae, reliquos agnoscunt quidem, sed neque ordines esse volunt, neque certo numero contineri. Dicunt enim, lectores, acolythos, ostiarios, et similes, fuisse ministros quosdam. quos pastores libere assumebant pro necessitate Ecclesiae, idest, plures aut pauciores, prout Ecclesiue magnitudo, aut parvitas requirebat. Id vero probant ex eo . quod varie a Patribus isti ordines nu-merantur. Et quidem Calvinus lib. 4. cap. 4. § 1. Hieronymum producit testem; qui in comment.cap. 19. Isaiae, quinque ordines numerat, episcopos. presbyteros, diaconos, fideles et catechumenos.

Kemnitius autem testes producit; Primo, Dionysium areopagitam qui in 5. cap. ecclesiasticae hierarchiae, tres tantum facit ordines, pontificum. sacerdotum et ministrorum. Secundo, canones apostolorum ubi numerantur quinque ordines episcoporum, presbyterorum, diaconorum, lectorum et cantorum. Tertio, Ambrosium, qui in comment. cap. 4. atl Ephes. numerat eliam quinque, sed loco cantorum ponit exorcislas. Quarto, Ignatium in epistola ad Antiochenos, et Epiphanium in fine Panarii, qui plures numerat, quam septem; addunt enim χοπιῶντας,idest,laborantes.Addit etiam Ignatins confessores. Quinto, canonistas, qui apud Gratianum dist. 23. et 25. addunt psalmistam: Non igitur, inquit Kempilius, catholicum dogma est. de septem illis ordinibus. Haec illi.

· Porro catholici certum ac statum numerum esse volunt eorum, qui proprie ordines clericorum nominantur. Est autem observandum, duobus modis accipi solere apud auctores ordinem ecclesiasticum: Uno modo proprie; alio modo communiter. Proprie illi dicuntur ordines, qui certo ritu sacro et solemni conferuntur ab episcope, et ad certum ministerium sacrificio divino exhibendum referuntur. Qua ratione septem domtaxat ordines numerantur, videlicet, sacerdos, diaconus, subdiaconus, acolythus, lector, exorcista et ostiarios. Etsi enim episcopus et presbyter distinguuntur, tamen quantum ad sacrificium, idem omnino ministerium exhibent, proinde unum ordinem, non duos faciunt. sicut eliam lector, et cantor seu psalmista.

Quare Cornelius papa in epistola ad Fabianum apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 33. dicit, in Ecclesia romana suo tempore, idest, ante annos 1300. fuisse presbyteros XLVI. diaconos septem, subdiaconos septem, acolythos XLII. exorcistas cum lectoribus et ostiariis LII. ubi nullam facit mentionem cantorum, vel laborantium. vel aliorum quos alii numerant; quia nimirum iili nec habent propriam ordinationem, nec referentur distincta ratione ad sacrificium.

In concilio item roman. sub Sylvestro cap.3.numerantur iidem septem ordines. In concilio autem carthag. IV. tan. 2. et sequentibus, praeter ordines jam nominatos in epist. s. Cornelii, et in concilio roman.additur ultimo loco psalmista, seu cantor, sed ibidem concilium monet: Psalmistam non ordinari ab episcopo, sed etiam sine licentia episcopi, sola jussione presbyteri, posse officium canendi suscipere. Isidorus lib. 7. etymol. cap. 12. et in epist. ad Ludifredum; Rabanus lib. 1. de instit. cleric. c. 6. et sequent. Amalarius lib. 2. de officiis ecclesiast.c.7.et sequen. Hugo de s. Victore lib. 2. de sacramentis par. 3. cap. 5. eosdem septem ordines numerant, et explicant; Idem facit magister sent. quem omnes theologi sequentur in 4. dist. 24.

Denique eosdem numerat concilium florentinum in instructione Armenorum, et tridentinum sess. 23. cap. 2. et Ecclesiae usus idem testatur; non enim alii ordines praeter istos conferri solent: Nam prima tonsura non est ordo, cum nullum habeat officium aunexum, sed est praeparatio ad ordines, ut catechismus ad christianismum.

Communiter autem dicuntur ordines illi omnes, qui quomodocumque dedicantur divinis obsequiis, etiam si non referantur ad sacrificium. Et hoc modo etiam monachi, virgines et viduae Deo sacratae, necnon laborantes in sepeliendis defunctis, ordines aliquando dicuntur a Patribus: Nam de ordinatione monachi scribit Dionysius c. 6. Ecclesiast. hierarch. de ordine vero laborantium in sepeliendis mortuis, Epiphanius in compendiaria doctrina. Ilabebatur enim actio quaedam religiosa, sepultura mortuorum. De ordine diaconissarum, virginum, aut viduarum, quae serviebant Ecclesiae in instructione mulierum, quae baptizandae erant, idem Epiphanius ibidem.

Ex his autem facile erit explicare loca, quae ab adversariis afferuntur contra numerum septenarium ordinum. Ac orimum ad locum Hieronymi, a Calvino adductum, Respondeo: S. Hieronym. eo loco non loqui de ordinibus clericorum, sed de ordinibus Christianorum; ideo ponit.primo loco clericos, deinde laicos, quos fideles vocat, ultimo catechumenos. Porro ex clericis nominat tres tantum. idest, episcopos, presbyteros, diaconos, quia volebat perficere numerum quinarium; Explicahat enim illud Issiae: Erunt quinque civitates in terra Aegypti loquentes lingua Chanaanitide, ac. per eas civitates Ecclesiam christianam intelligi volebat.Itaque ad perficiendum quinarium numerum, ex omnibus clericis tres primos posuit, in quibus omnes alii continentur, quos idem Hierony-mus alibi distincte ponit: Nam subdiaconorum meminit in epist. 91. in primis verbis, acolythorum meminit ac lectorum in epist. 2. ad Nepolianum:

Denique exorcistarum et ostiarlorum in commentar. cap. 2.epistolae ad Titum in postremis verbis.

Ad locum Dionysii, a Kemnitio productum, respondeo: Dionysium non voluisse exponere numerum ordinum, sed numerum hierarchiarum. Tres enim sunt hierarchiae in Ecclesia militante, ut etiam tres sunt in Ecclesia triumphante; Prima est pontificum; Secunda sacerdotum; Tertia diaconorum. Diaconi enim, etiamsi ministri dicuntur et sunt, si comparentur ad sacerdotes; tamen sunt etiam principes et praesules, si comparentur ad plebem, et ideo dicuntur hierarchae, ordines autem inferiores non praesunt populis, sed tantum ministrant diaconis et sacerdotibus.

Quod autem diaconi praesint, docent Ignatius in epist. ad Trallianos: Subjecti, inquit, estote episcopo, similiter et presbyteris, alque diaconis. Item Hieronymus in cap. 2. ad Titum: Non solum, inquit, episcopi, presbyteri et diaconi debent maanopere providere, ut cunctum populum, cui praesident, conversatione, sermone ac scientia praecedant, verum et inferior gradus, exorcistae, lectores Aedilui, et omnes omnino, qui domui Dei serviunt. Docet id eliam Joannes Chrysostom. qui homil. 83. in Matth. Diacono suadens, ut imperatorem arceat a communione', si indigne adeal: Cohibe, inquit, et coerce, majorem tu illo habes potestatem. Et haec etiam ratio est, cur episcopi ordinarie assumerent ex presbyteris, aut diaconis Ecclesiae, non ex inferioribus ordinibus, ut patet ex Leone epist. 84. ad Anastasium, cap. 6. quam etiam puto caussam esse, cur in romana Ecclesia soli episcopi, presbyteri et diaconi sint eardinales.

Ad locum ex canonibus apostolorum, Respondeo: Clementem in canonibus apostolorum nusquam voluisse omnes ordines numerare, sed data occasione, modo unum, modo alium ordinem neminasse. Eumdem autem Clementem plures ordines agnovisse, perspicuum est ex can. 15. ubi dicit: Si quis presbyter, aut diaconus, aut quilibel de numero clericorum etc.

Ad testimonium. Ambrosii respondeo: Ambrosium in commentar. cap. 4. ad Ephesios, solum quinque ordinum mentionem fecisse, quia velebat de ordinibus explicare verba illa Pauli. Alios dedit apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores, et quia Paulus solum quinque nomina posuit, ideireo conatus est etiam ipse quinque ordines numerare. Itaque per apostolos intellexit episcapos, per prophetas presbyteros, per evangelistas diaconos, per pastores lectores, per doctores, vel, ut ipse legit, magistros, exorcistas.

Ad testimonium Ignatii et Epiphanii respondeo: Illos Patres numerasse non solum ordines proprie dictos, sed etiam alios.

Ad testimonia canonistarum respondee: Illos fecere novem ordines, quia distinguant episcopum a presbytero, et lectorem a cantore, quod theologi non faciunt; sed in re non est dissensio. theologi enim solum considerant ordines, ut se hahen, ad sacrificium; quomodo (ut diximus) episcopus et presbyter, lector et cantor non distinguantur. Ca-

ponistae autem considerant ordines, ut hierarchiam constituent, et ideireo recte distinguunt eniscopam a presbytero, atque hace de primo.

#### CAPUT XII.

#### De antiquitate ordinum.

Joannes Calvinus, de ordinum, praecipue minorum, antiquitate ita loquitur lib.4. Institution.cap. 19. § 27. Primitivae, inquit, Ecclesiae incogniti fuerunt, et multis postea annis excogitati. Sed falsam esse hano Calvini sententiam testantur Clemens et Ignatius, apostolorum discipuli: Uterque enim eorum ordinum meminit. Clemens lib.8.constitut. Omnium fere ordinum etiam minorum ritus declarat. Ignatius autem in epist. ad Antiochenses ita concludit: Satuto.inquit,sanctum presbyterum vestrum, saluto sancios diaconos, saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas.

Ad hace, tempore s. Cypriani omnes ordines erant in Ecclesia, nec tamen tunc coeperunt. Nam ut de re antiqua, et ubique recepta, loquuntur auctores illius temporis, qui sane non multum aberant ab apostolicis temporibus. Cyprianus lib. 2. epist. 10. Exemplaria, inquit, eadem nunc quoque per Mettium hypodiaconum a me missum, et Nicephorum acolythum transmiss. Lib. 2. epist. 5. et lib. 4. epist. 5. scribit se ordinasse lectores Aurelium et Celerinum. Lib. 5. epist. 14. Presbyter, inquit, de clero, et exorcista, et lector Lucia-

mus scripsil.

Eodem tempore scripsit epistelam s. Cornelius ad Fabianum antiochenum, ex qua baec sunt verba apud Euseblum lib. 6. histor. eccles. cap. 33. Is ergo qui evangelium vendicabat, nesciebat in Ecclesia catholica unum episcopum esse debere, ubi videbat esse presbyteros 46. diaconos septem, subdiaconos seplem, acolythos 42. exorcialas et lectores cum ostiariis 52. Omitto concilium laodicenom, can. 24. et carthaginense IV. can. 2. et seq. in quibus omnium ordinum mentio sit, quorum hoc celebratum est apte annos 1100.illud ante annos 1200, ex quibus satis colligitur rem esse longe antiquiorem, quam putet Calvinus.

#### CAPUT XIII.

#### De officiis ministrorum.

Restat officium, in quo etiam non parum a nobis Kemnitius et Galvinus dissentiunt. Dicamus de singulis scotsim. Exordium in Ecclesia sumitur a prima tonsura, quae quidem non, est ordo, cum nullum habeat certum-officium annexum, sed est quaedam dispositie, ac praeparatio ad ordines. Profitentur enim se ordinibus initiandos, et a saeculi negotiis ad militiam ecclesiasticam transituros, qui ita tondentur. Porro de ritu tonsurae et rasurae erit infra propria disputatio.

Primus igitur ordo, ostiariorum est, de quo ordine fere convenimus. Fatetur enim Calvinus lib. 4. Institut. cap. 4. § 9. Officium ostiariorum apud

BELLARMINE Vol. II.

veteres fuisse aperire, et claudere fores Ecclesiae. proipde curam habere ipsius templi. Gaeterum postea libro codem, cap. 19. § 27. reprehendit, quod solemni ritu ostiarios ordinent episcopi apud nos. Existimat enim ipse non esse certum ordinem ecclesiasticum, sed officium tantum, quale est eorum, qui janitores sunt in profanis domibus. At nihil ipse affert, quo sententiam suam propet. Nos autem habemus testimonia supra citata, in quibus ostiariorum ordo inter ordines Ecclesiae numeratur. Ac praeterea in concil. carthaginénsi IV. can. 9. praescribitur forma, et rifus ordinandorum ostiariorum, et est ille ipse, quo nunc utitur Ecclesia: Ostiarius, inquit concilium, cum ordinatur postquam ab archidiacono instructus fuerit,qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradat ei episcopus claves Ecolesiae de altario dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae his clawibus reconduntur. Itaque Calvinus dum hace ridet, non solum modernos Papistas, ut ipse loquitur, ridet, sed etiam Ecclesiam catholicam, quae est, et quae erat in Christo ante annos 1100.

Secundus est ordo lectorum, quorum officiena erat legere ex pulpito in Ecclesia quidquid legeudum erat ex útroque Testamento; Nam etiam evangelia legi a lectoribus consuevisse testatur Cypriarus lib. 2. epist. 5. ubi loquens de Aurelio Ardinato lectore: Nihil, inquit, magis congress, suci; quae Dominum gloriosa praedicatione..confesse est, quam celebrandis divinis lectionibat personare, ci post sublimia verba, quae Christi martyrium proloquita sunt, evangelium legere, unde martures frunt. Haec ille. Credibile tamen est, lectoris officium non fuisse, ut legeret evangelium tempore sacrificii (id enim diaconorum faisse paulo post ostendemus), sed solum extra illud tempus, ...

Calvinus fatetur quidem hoc fuisse officium lectorum, lib. 4. cap. 4. Institut. § 9. Sed dicit non fuisse gradum, nequé ordinem certum in Ecclesia, sed solum solitos episcopos quibusdam ex domesticis suis ministris injungere.ut in Ecclesia legerent Scripturas, ut eo modo innotesecrent plebi, et discerent ferre conspectum hominum.

At non solum concilium carthaginense IV. can. 8. praescribit ritum solemnem ordinandi lectores, sed etiam s. Cyprianus lib. 2. epist. 5. lib. 3. epist. 22. et lib. 4. epist. 5. aperte significat, lecteratum fuisse ordinem et gradum in Ecclesia; nam passim vocat gradum et honorem ecclesiasticum. Item divit, Celerinum initio ex humilitate refugisse eum gradum, sed tandem divina revelatione admonitum acquievisse, Ad hacc excusal multis verbis, quod quosdam ordinaverit lecteres, urgente necessitate-sine consilie et consensu expresso cleri. Denique dicit, se prius quemdam, Saturum nomine, fecisse clero proximum, quod ei permisisset in paschate legere in Ecclesia, oum ordinatus non esset: deinde vero eum in clerum cooptasse, atque ad ordinem lectoris promovisse. Ubi vides aliud esse legere in Ecclesia, quod solum Calvinus agnoscitaliud vero promoveri ad ordinem lectoris.

22

Tertius ordo exorcistarum est, ad quorum officium pertinet exorcismos Ecclesiae legere super energumenos, et eo modo praeparare illos, ut sacrifici divini participes fleri possint. Olim siquidem, quia frequentissime daemones pellebantur de corporibus humanis, concurrebant plurimi energumeni ad Ecclesiam, ita ut essent quasi greges energumenorum, ac propterea iste ordo institutus fuit.

Fuisse revera ordinem certum ecclesiasticum exorcistarum, et non solum donum, et gratiam gratis datam, ut vult Calvinus, patet ex testimoniis supra citatis, Ignatii in epist. ad Antiochenos, Cornelli papae in epist. ad Fabianum apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 33. et Cypriani lib. 3. epistola 14. concilii romani sub Sylvestro can. 3. et concilii laodiceni can. 24. ubi exorcistae inter ordines numerantur; sed praecipue in ostenditur ex concilio carthaginensi IV. can. 7. ubi sic legimus: Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe, el commenda memoriae, et habeto polestatem imponendi manum super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum. Concilium item laodicenum can. 26. prohibet, ne quis exorcizet neque publice, neque privatim, nisi ab episcopo ad eum ordinem proveclus sit.

Ex quibus conciliis intelligimus, quam aperte mentiatur Calvinus, cum ait lib. 4. Institut. cap. 19. § 24. Fingitur illis exorcistis potestas data imponendi manus super energumenos. Quomodo enim fingimus, quod ex tam antiquis conciliis com probamus? Adde etiam testimonium Sulpitii, qui in lib. de vita d. Martini cap. 4. ita scribit: Tentavit Hilarius imposito diaconis officio sibi Martinum arctius implicare, et ministerio vincire divino, sed cum saepissime restitisset, indignum se esse vociserans, intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo posse constringi, si id ei officit imponeret, in quo quidam locus injuriae videretur. Itaque exorcistam eum esse praecepit, quam ille ordinationem, ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit.

Quartus ordo acolythorum est, quorum id est proprium, ut cum cereo accenso sequantur diaconum ad locum evangelli et urceolos, atque ampullas ad sacrificium praeparent, ac subdiacono porrigant. Inde enim dictus est acolythus, quasi pedissequus ab ἀκολουθέω, quod est sequor, et etiam

ceroferarius a gestando cerco.

Hic vero Calvinus risum tenere non potest, sic enim ait lib. & Institut. cap.19. § 23. Sed, inquit, in primis spectabilis est argutia, qua in acolythi nomine philosophantur, ceroferarium appellantes, verbo, ut arbitror, magico, certe inaudito gentibus ac linguis omnibus. Et supra cap. 4. § 9. Vocabant, inquit, acolythos, qui episcopo in domesticis obsequiis adessent, eumque perpetuo comitarentur, primum honoris caussa, deinde ne qua suspicio oriretur. Haec ille. Itaque vult acolythos nihil aliud olim fuisse, nisi episcoporum quasi cubicularios. At ipse quidem nullo teste probat quod dicit, proinde viderit ipse, an non finxe-

rit acolythi officium ex capite suo. Nos autem acolytharum ordinem fuisse, et gradum ecclesiasticum, probamus ex testimoniis plurimis supra citatis, Cornelii, Cypriani, concilii romani et concilii carthaginensis.

Porro ad officium ejus pertinuisse cereos et urceolos, quae Calvinus ridet testatur concilium carthaginense IV. can. 6. Acolythus, inquit, concilium, cum-ordinatur, ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, il scial se ad accendenda Ecclesiae lumina mancipari. Accipiat et urceolum vacuum, ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi. Huec ibi. Ubi etiam vides nomen ceroferararii uon esse magicum, neque omnibus gentibus et linguis inauditum, nisi tot sanctos Patres, et cum eis d. Augustinum, qui concilio intererat, magos et nullius gentis aut linguae homines esse velis. Idem quoque nomen est spud Isidorum lib. 7. etymolog. cap. 12. apud Amalarium lib.. 2. cap. 10. apud Rabanum lib. 1. de institut. clericorum. cap. 9. apud Hugonem'lib. 2. de secramentis, per. 3. cap. 5. et apud alios multos, qui neo magi erant, nec nullius gentis aut linguae.

Quintus orde subdisconorum est, ad cujus efficium proprie pertinet ministrare diacono in sacrificio, ac propterea dum ordinatur, accipit calicem vacuum et patenam, ut habemus in concilio carthaginensi IV. can. 5. et in concilio toletano IV. can. 27. Ejusdem est epistolas b. Pauli ad missam legere, ut concilium remense can. 4.docet. Meminerunt hujus ordinis omnes auctores supra citati. Proinde falsum est, quod scribit Calvinus lib.4. Institut.cap.4. § 5. Subdiaconorum officium ail aliud fuisse, nisi juvare diaconos in eleemosynis distri-

buendis, pauperibusque curandis.

Sextus ordo diaconorum est, quos oblationibus colligendis, et opibus Ecclesiae administrandis praepositos fuisse, inter catholicos et haereticos constat; id enim testantur acta apostolorum cap.6. Idem patet ex Leone in sermone de s. Laurentio. Ex quo officio fortasse factum est olim, ut diaconi insolescerent adversus presbyteros: semper enim officia pecuniaria adamata prae caeteris fuisse videntur. Reprehendunt diaconorum arrogantiam concilia nennulla, nicaenum can. 14. laodicenum can. 20. et toletanum IV. can. 38. Item Patres. Cyprian. lib. 3. epist. 9. Hieronymus in epist. 85. ad Evagrium, et lib. 14. in Ezechielem exponens caput 48, et Bernardus lib. 4. de considerat.

Sed praeter hoc officium habebant etiam diaconi alia nonnulla, quae adversarii non agnoscunt. Primo, diaconorum erat sacerdoti sacrificanti assistere, ac ministrare, et populo distribuere eucharistiam: ac propter sacrum hoc ministerium, potissimum sacram ordinationem accipiunt. Videmus enim Actor. 6. per impositionem manuum ordinari diaconos, qua sacra caeremonia non est credibile apostolos usuros fuisse, si solum ministerium measarum diaconis committere voluissent; antea enim viduae ministrabant mensis, nec tamen certo ritu ordinabantur.

Practerea Clemens lib. 2. cap. 14. constitut. si-

gnificat diaconos sacerdoti ministrare solitos in sacrificii oblatione: quod etiam aperte docet Cyprianus in serm. 6. qui est de lapsis. Idem cognoscimus ex historia sancti Laurentii apud Ambrosium lib. 1. de officiis cap. 41. Inducit enim sanctum Laurentium sic loquentem ad d. Sixtum: Quo progrederis sine filio paler? Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Tu numquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. Et infra: Cui commisisti consummandorum consortium sacramentorum . huic consortium tui sanguinis negas? Idem patet ex liturgia Chrysostomi, et ex homil. 83. super Matthaeum. Idem ex s. Gregorio, qui in epistola ad Leandrum, quae praefigitur libris ejus in Job, nihil aliud diaconatum, nisi sacri altaris ministerium vocat: Denique Isidorus, Rabanus, Amalarius, Hugo, et alii supra citati, qui describunt officia omnium ordinum, hoc docent, quod nos diximus.

Secundo: Diaconorum erat tempore sacrificii evangelium legere: Id testatur praeter supradictos auctores s. Hieronymus in epist. 48. ad Sabinianum: Tu, inquit, exanguis et pallidus, ut suspicione omni careres, evangelium Christi, quasi diaconus lectitabas. Testatur etiam s. Gregorius in synodo romana, quae habetur lib. 4. epist.cap. 88. ubi probibet, ne diaconi cantent in Ecclesia, excepto evangelio, tempore sacrificii. Idem etiam testantur concilia antiqua, vasense can. 4. et remense can. 5.

Tertio: Diaconorum erat baptizare, praedicare, reconciliare publicos poenitentes, eucharistiam deferre, et praebere laicis, ac breviter omnia facere, quae episcopi et presbyteri faciunt, excepta consecratione corporis Domini, et ordinatione clericorum, et aliis officiis, quae requirunt potestatem ordinis. Nam diacones baptizare posse, patet exemplo Philippi diaconi. Actor. 8. unde Tertullianus in lib. de baptismo: Jus, inquit, dandi baptismum summus sacerdos habet, dehinc etiam presbyteri et diaconi. Posse item diaconos praedicare docet exemplum Stephani et Philippi diaconorum, Actor. 7. et 8. Item exemplum s. Vincentii martyris; qui cum diaconus esset, praedicabat lamen, ut Augustinus testatur serm. 2. de s. Vincentio.

Denique Gregorius lib. 4. epist. cap. 88. docet, ad diaconum etiam pertinere officium praedicationis, et ipsum etiam Gregorium adhuc diaconum praedicasse testatur Joannes diaconus in ejus vita lib. 1. cap. 41. Rursus diaconos aliquando reconciliare solitos poenitentes in absentia episcopi, et presbyterorum, docet Cyprianus lib. 3. epist. 17. Item Eucharistiam praebere laicis in absentia presbyterorum posse diacones docet concilium picaenum can. 14. Testatur item Justinus in apologia secunda extrema, diaconos deferre solitos eucharistiam ad absentes.

Est tamen observandum, hace omnia, ac praecipue officium praedicandi, propria episcoporum esse, itaut ne presbyteris quidem praedicare liceat, nisi ex episcopi mandato, aut consensu. Episcopi enim proprie apostolis succedunt, apostoli autem sunt, qui Actor. 6. dicunt: Non est bonum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.

Scribit etiam Possidius in vita b. Augustini cap. 5. Valerium episcopum concessisse s. Augustino presbytero suo praedicandi potestatem, eo quod ipse cum Graecus esset, minus commode latino populo praedicare posset. Legimus quoque in concil. vasensi II. can. 2. factam ab episcoporum concilio presbyteris potestatem praedicandi. Ibidem praecipitur etiam ut diaconi, quando non est presbyter, qui praedicet verbum, homilias sanctorum Patrum loco conclonis recitent.

Septimus ordo: sacerdotum est, de quo gravis controversia inter nos et haereticos versatur, quae in sequenti capite disputanda est.

#### CAPUT XIV.

#### De distinctione episcopi et presbyteri.

Existit igitur quaestio: Sitne presbyter idem o-: mnino quod episcopus, ac praesertim jure divino. Fuit antiqua haeresis Aerii teste Epiphanio haeresi 75. et Augustino lib. de haeresibus, cap. 53. nihil interesse inter episcopum et presbyterum; quam haeresim propterea ille videtur excogitasse, ut se ipse consolaretur, quod episcopus factus non esset, ut aperte significat Epiphanius. Eamdem haeresim postea sequatus est Joannes Wiclefus teste Thoma Waldensi lib. 2. doctrin. fidei, artic. 3.cap. 60. et nostris temporibus Lutherani et Calvinistae. Siquidem Joannes Calvinus lib.4. Institut.cap.4. § 2.sic loquitur: Quibus docendi munus injunctum orat, eos omnes nominabant presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civilatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum episcopi, ne ec aequalitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore, et dignitate superior erat episcopus.ut dominium in collegas haberet, sed quas partes habet consul in senatu, ut referat de negotiis, consulendo, monenda, hortando, aliis praeeat, auctoritate sua totam actionem regat, et quod decretum communi consilio fuerit, exequatur. Id muneris sustinebat episcopus in presbyterorum coetu; atque idipsum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres. Haec ille. Non dissimilia habent Martinus Kemnitius in examine sess. 23. concil. tridentini.Necnon et Erasmus annotat. ad 4. caput 1. ad Timotheum.

At Ecclesia catholica distinctionem agnoscit, ac docet jure divino episcopatum presbyterio majorem esse, tum ordinis potestate, tum etiam jurisdictione: sic anim loquitur concilium trident. sess. 23. cap. 4. Proinde sarrosancia synodus declarat praeter caeteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Det, eosque presbyteris superiores esse etc. Et canon. 6. Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episco-

pis, presbyleris et ministris, anathema sit. Et can.

7. Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores etc. anathema sit. Eamdem sententiam docent, et defendunt theologi doctores apud Magistrum in lib. 4. sentent. dist. 24. et s. Thom. in

2. 2. quaest. 184. artic, 6.

Nos igitur omissa illa quaestione, quae ad disputationem de sacramentis pertinet; Sitne unus ordo, unumve sacramentum episcopatus, et presbyterii, aut duo: triu demonstrare conabimur. Primo, jure divino majorem esse episcopum presbytero, quad attinet ad ordinis potestatem. Secundo, majorem esse etiam quantum ad jurisdictionem. Tertio, episcopos in veteri Ecclesia non fuisse in coetu presbyterorum, quasi consules in senatu, sed quasi reges ac principes in coetu consiliariorum.

Quod ad primum attinet, facile probari potest, episcopum majórem esse presbytero, quantum ad ordinis potestatem, idque jure divino. Nam solus episcopus ordinare potest presbyteros, et eo modo generare Patres Ecclesiae; ut Epiphanius ratiocinatur adversus Aerium.' Presbyteri autem ordinare non possunt, sed solum baptizare, et eo modo filios Ecclesiae generare. Id autem ita esse docet Damasus in epist. 3. Item concilium antiochenum cap. 10. et ancyranum canone 12. Epiphanius haeresi 75. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et Occumenius, in 3. et 4. cap. 1. ad Timotheum. Item s. Hieronym. in epist.85. ad Evagrium: Quid facit, inquit, episcopus excepta ordinatione, quod presbyter non faciat? Denique s. Leo epist. 88. idem docet, et Ecclesiae consuetudo. Numquam enim est auditum, quod presbyteri presbyteros, aut diaconos, nedum episcopos.ordinaverint.

Esse autem ex jure divino, ut soli episcopi ordinent, inde colligitur, quod habebatur irritum, si quid in ea re fecissent, qui veri episcopi non erant. Sic enim scribit Gregorius III. in epist. ad Bonifaeium: Presbyteri: quos reperisti, si incogniti fuerint viri illi,qui ordinant, et dubium est cos episcopos fuisse, aut qui eos ordinaverint, si bonae actionis, virique catholici sint. et ipsi presbyferi in ministerio Christi. De sancta' lege édocti, ab episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant et consecrentur et sic ministerio sacro fungantur. Et ante eum Damasus in epist. 3. loquens de chorepiscopis, qui cum solum presbyteri essent, pontificum more ordinare audebant: Vacuum, inquit, est et inanc; quidquid in praedicto sacer: dotti summi egerunt ministerio. At certe si jure divino presbyteri ex ipsa sua ordinatione, idest, ex charactere suo sacerdolali haberent, ut ordinare possent, non esset irritum quod facerent, tametsi prohibente Ecclesia facerent. Praeterea cum ordinatio sacramentum sit (ut etiam Calvinus admittit) et sacramenta omnia a Deo sint instituta, certe qui major est ordinis potestate, quae per sacramentum ordinationis accipitur, is quoque major sit ex divina institutione necesse est.

Idem argumentum fieri potest ex confirmatione. Daptizatorum, et templorum atque altarium consecratione. Constat enim solos episcopos, ut ordinarios ministros, confirmationis sacramentum posse

conferre, necnon templa et altaria consecrare, neque id presbyteris licere, ut s. Leo docel in epist. ad épiscopos Germaniae et Galliae, et ante eum Damasus in epist. 3. de chorepiscopis, et ante utrumque Dionysius cap. 4.et 5. ecclesiasticae hierarchiae, ubi dicit solum episcopum divina ordinatione chrisma consecrare. Quin etiam videmus actor. 8: apostolos ipsos, quibus episcopi succedunt, missos, ut per manus impositionem darent Spiritum sanctum jam baptizatis.

Quod ad secundum attinet de potestate jurisdictionis, episcopos jure divino presbyteris esse majores. Probamus primo ex figura Testamenti veteris, quamquam hoc argumentum, ut etiam sequens de distinctione apostolorum et discipulorum, prebat etiam de potestate ordinis. Nam in Testamento veteri erat unus summus sacerdos Aaron, et qui ei succedebant. Erant praeterea minores sacerdotes, omnes videlicet filii Aaron, et qui ab illis descendebant. Ac denique erant levitae caeteri, qui a Levi originem ducebant, sed non per Aaronem. Constat autem jure divino fuisse distinctos hos tres gradus, pontificum, sacerdotum et levitarum; ita ut pontifex major esset sacerdotibus, et sacerdotes levilis; nam et consecrationes eorum distinclae erant, et vestes, et officia, ut patet Exod. 28. et 40. Levit. 8. et Numeri 3. 4. et 20.

Quod autem jurisdictio penes pontificem esset. non autem penes coetum minorum sacerdotum, patet ex lib. Deuteronom. cap. 17. Qui superbierit nolens obedire sacerdolis imperio, ex sententia judicis moriatur. Quod etiam fatentur Centuriotores Magdeburgens. Centur. 1. lib. 1. cap. 7. oolumn. 257. In Ecclesia, inquiunt, populi Judaici unus tantum erat lege divina sacerdos summus, quem omnes cogebantur agnoscere, eique parere. Idem quoque fatetur Calvinus Hb. 4. Institut. cap. 6. § 2. Illic inquit, unum antistitem praefecit. quem omnes respicerent, quo melius in unitate continerentur. At episcopi id sunt in Ecclesia, quod erant pontifices in testamento veteri, id presbyteri apud nos, quod illic minores sacerdoles, ut etiam id diaconi nostri, quod illorum levitae, ut docent Damasus in epist. 3. de chorepiscopis, Hieronymus in epist. ad Evagrium 85. Leo epist. ad episcopos Germaniae et Galliae 88. concilium hispalense II. can. 7. et afii permulti gravissimi au-

Et sane nulla ratio permittit, ut distinctior fuerit hierarchia in Testamento veteri, quam in novo cum illud umbrae, istud imagini comparetur ab apostolo ad Hebr. 10. Sequitur igitur, ut sicut in Testamento veteri jure divino pontifices sacerdotibus minoribus auctoritate praestabant, ita etiam episcopi in Ecclesia presbyteris praestent.

Secundo, probatur hoc idem ex distinctione apostolorum et discipulorum LXX. Nam episcopos apostolis succedere, presbyteros autem septuaginta discipulis, docent constanter omnes Patres. Vide concilium neocaeseriense can. 13.. Damasum in epist. 3. de chorepiscopis, Anacletum epist. 2. Hieronymum in epist. ad Marcellam de erroribus Montani. Augustinum tract. in psalm. 44. Leonem epist. 88. Isidorum lib. 2. de divinis officiis, Bedam

in cap. 10. Lucae, et alios. Porro apostolos jure divino majores foisse discipulis septuaginta, satis aporte colligitur. Primum, ex institutione distincta et diversa. Apostolos enim solum duodecim Dominus esse voluit, Lucae cap. 6. et eos semper fere secum habebant, ac privatim instituebat; discipules autem LXXII. Lucae 10. instituit. Praeterea Joan. 20. solis apostolis dixit: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Denique Actor. 1. Cum ex Judae apostasia numerus duodenarius imminutus esset, assumptus est Matthias, nec sine solemni quadam caere monia, cum tamen esset ille antea ex numero discipulorum.

Tertio, probatur hoc idem ex illis Domini verbis Matthaer 24. Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Haec enim verba s. Hilarius et caeteri Patres in hunc locum, de episcopis dicta esse volunt; Ex q uo intelligimus, ipso Domino instituente, episcoporum propriam esse curam, et gubernationem Ecclesiae, quo etiam pertinet locús ille Anetorum 20. Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei.

Quarto, probatur ex antiquitate; mam si jure humano episcopi presbyteris pracessent, inveniretur certe principium aliquod hujus institutiopis post apostolica tempora. At ipso tempore apostolorum is erat Ecclesiae usus, ut presbyteri episcopis subessent; nam 1. Timoth. 5. apostolus ita scribit; Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. Ubi videmus episcopum apostolorum tempore judicem presbyterorum, proinde verum principem ac superiorem.

Item Ignatius apostolorum discipulus in epist. ad Philadelphienses its scribit: Boni sunt sacerdoles, et sermonis ministri, melior autem est pontifex, cui credila sunt sancta sanctorum; cui soli commissa sunt secreta Dei. Clemens quoque Ignatii aequalis, in apostolorum canonibus canon. 40. Presbyteri, inquit, et diaconi praeter episcopum nihil agere pertentent; nam Domini populus illi commissus est, et pro onimabus eorum hic redditurus est rationem. Denique Dionysius areopagita Pauli apostoli discipulus cap. 5. ecclesiast. hierarch. describens hierarchiam divinitus institulam; primo loco pontifices, secundo sacerdotes, tertio ministres ponit. Irenaeus, qui proximus apostolicis temporibus suit, lib.3.cap. 3. Habemus, inquit, annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi , et successores eorum. Nam si recondita mysteria scissent upostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, iis vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant etc. Ubi episcopis dicit commissas esse Ecclesias, ut apostolorum successoribus. Tertullianus antiquissimus Latinorum, in libro de baptismo: Jus habet, inquit, dandi baptismum summus sacerdos, qui est episcopus, dehinc presbyteri et diaconi, sed non sine eptscopi fa-

Quantum ad tertium, quod episcoporum auctorilas non sit in coetu presbyterorum, quasi consulis in senatu, sed ut principis in concilio consilia-

riorum sibi subjectorum, primum colligitur ex testimoniis jam citatis b. Pauli; in epist. ad Timotheum, Clementis, Irenaei, Tertulliani, deinde ex conciliis. Omnia siquidem concilia, tum generalia, tum provincialia, etiam antiquissima. quorum meminit Eusebius, lib. 5. histor. cap. 23.et 25, a solis episcopis celebrata sunt.

Constat autem in conciliis maxime exerceri jurisdictionem, cum leges in eis ponantur, et poenac praevaricatoribus decernantur. Item ex eo, quod multis in locis legimus, presbyteros ab episcopis excommunicatos, nusquam autem episcopos a presbyteris. Vide concilium II. carthaginense, can. 8. et 9. Denique ex eo, quod soli episcopi solium, sive thronum habent in Ecclesia, quod est potestatis indicium, unde et imperare principum more dicuntur a Patribus. Vide Chrysost. in lib. de sacerdotio. Ambr. in lib. de dignitate sacerdotali, et Gregor. nazianz.in oratione ad principem irascentem, et populum timore pereulsum. Sed jam objectiones diluamus.

#### CADHT XV.

#### Solvuntur objectiones.

Primo loco objiciunt testimonium b. Pauli, ex quo iidem videntur esse episcopi et presbyteri, Philip. 1. Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus. Certe hoc. loco presbyteri dicuntur episcopi; non enim in una urbe multi fuissent episcopi, si episcopi nomen summum aliquem sacerdotem significaret. Deinde quare non dixit Paulus. cum episcopo, presbyteris, et diaconibus, si presbyteri ab episcopis eo tempore distinguebatur.

Respondeo: Ambrosii commentarius non refert illud cum episcopis et diaconibus, ad eos quibus scribitur, sed ad eos qui scribunt, ita ut episcopi hoc loco dicantur Paulus et Timotheus, et hic sit sensus: Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis. cum episcopis, idest, cum Paulo et Timotheo, et eorum diaconibus, gratia vobis, et pax etc. Sed nimis dura expositio videtur.

Epiphanius in lib. de haeresibus, haeresi septuagesimaquinta, dicit Paulum ita scribere solitum, quod eo tempore ob ministrorum penuriam multis in locis non essent presbyteri ulli, sed episcopi soli cum diaconibus. Possunt enim episcopi etiam presbyterorum officio fungi. At haec Epiphanii explicatio tum haberet locum, si Paulus diceret, cum episcopo et diaeonibus, aut si non ad unam civitatem, sed ad multas simul scriberet: Sed cum ipse ad unam urbem Philippensem scribat et dicat se scribere ad episcopos et diaconos; quomodo, quaeso, illa explicatio locum habere potest? Si eqim in una urbe multi episcopi esse poterant, quanto facilius unus episcopus, et aliquot presbytori

Theodoretus in commentario hujus loci, et fusius in cap. 3. primae ad Timotheum scribit, apostolorum tempore veros episcopos, non episcopos, sed apostolos dici solitos. Presbyteros autem episcopi nomine tunc appellari consuevisse. Nam ad Romanos 16. Paulus Andronicum apostolum vocat, et Philipp. 2. Epaphroditum apostolum Philippensium appellat; qui videlicet episcopi erant. Postea tamen omisso apostoli nomine, episcopos solum episcopos, presbyteros autem solum presbyteros appellari coepisse. Quae observatio Theodoreti si vera sit, non solum objectioni desumptae ex hoc loco, sed eliam ex omnibus aliis locis satisfacit; semper enim dicere poterimus, Paulum nomine episcoporum presbyteros accepisse.

Facilior est sancti Joannis Chrysoslomi et aliqrum multorum commentarius, qui docent, apostolorum tempore nomina illa, episcopus et presbyter, communia fuisse omnibus sacerdotibus, tam
majoribus, quos nunc episcopos dicimus, quam
minoribus, quos presbyteros appellamus, licet res
ipsae et potestates distinctae essent. Itaque Paulum
nomine episcoporum complexum esse omnes sacerdotes, ut hic sit sensus: Paulus et Timotheus
servi Jesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus, idest, cum

sacerdotibus, et eorum ministris?

Adde, quod videtur b. Paulus universum clerum salutare voluisse, sed ne cogeretur singulos ordines numerare, generatim id fecit. Omnes enim ordines ad duo primaria genera revocantur, ad sacerdotes et ministros, quorum illud subdividitur in duas species analogas, in summos sacerdotes, et simplices sacerdotes; istud vero in sex alias species, in diaconos, subdiaconos, acolythos, lectores, exorcistas et ostiarios. Quamvis autem nunc nomen episcopi tantum principali analogato, idest, summo sacerdoti, tribui soleat, et nomen diàconi, tantum principali ministro, tamen convenit suo modo nomen episcopi minoribus etiam sacerdotibus; nam et illi superintendunt, et regunt populum saltem in foro conscientiae, et ex delegatione episcopi, et nomen diaconi convenit suo modo ordinibus etiam inferioribus. cum omnes ministrent sacerdoti?

Altera objectio sumitur ex cap. 1. epist. ad Titum, ubi sic apostolus loquitur: Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi. Et paulo infra: Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse etc. quo loco videmus presbyteros episcopos esse. Sed eadem adhiberi potest responsio, quae ad locum superiorem adhibita est; Nomina enim eo tem-

pore communia erant.

Tertia objectio sumitur ex 3. cap. prioris epist. ad Timoth. ubi b. Paulus posteaquam praecepta quaedam episcopis dederat, continuo presbyteris omissis transiit ad diaconos. Quare videtur pro iisdem habuisse episcopos et presbyteros. Respondee: B. Paulum generatim instruere voluisse clerom universum, ac propterea sub nomine, episcudorum comprehendisse etiam presbyteros, sub nomine diaconorum omnes inferiores ministros; eadem enim praecepta omnibus convenigbant.

Quarta objectio ex cap. 4. prioris ad Timoth. ubi Paulus ait: Noli negligere gratiam Dei, quae in te est, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii. Ex quo loco Kemnitius affirmat, s. Hieronymum demonstrasse, posse episcopum a presbyteris ordinari: proinde nihil interesse inter episcopum et presbyterum. Sed impudenter mentitur Kemnilius. Nam s. Hieronymus in epist. ad Evagrium (quam Kemnitius' citat) disertis verbis affirmat presbyteros ordinare non posse: Quid facil, inquit, episcopus, excepta ordinatione, quod non chiam faciat presbyter? Adduxit autem s.Hieronymus locum illum apostoli, ut ostenderet episcopos in Scripturis interdum appellari presbyteros. Sic enim exposuit verba illa: Per impositionem monuum presbyterii, ac si dietum esset, per impositionem manuum, qua presbyteratum accepisti, cum tamen constet, Timotheum non presbyterum simplicem, sed episcopum fuisse. Quo modo etiam exposuit Anselmus, et quidam alii Latini, et ipse etiam Calvinus lib. 4. Institut. cap. 3. extremo. Quamquam nobis verior videtur Graecorum expositio, qui nomine presbyterii intelligunt chorum, sive coetum presbyterorum, idest, episcoporum, qui novo episcopo manus imponunt; sie enim exponunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et Oecomenius.

Quinta objectio ex cap. 20.Actor. utii b. Paulus millens Ephesum, vocavit ad se majores natu Ecclesiae, idest, presbyteros, et tamen dum eos alloquitur, episoopos appellat, dicens; Attendite vobis, el universo gregi, in quo vos Spirilus sanclus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei. Item ex cap. 3. prioris epistolae b. Petrus, ubi Petrus presbyleros sic alloquilur: Seniores, qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum etc. Pascite, qui in vobis est gregom Dei, providentes non coacle etc. Ubi illud seniores in graeco textu est πρεσβυτέρους, illud autem, Providentes, in graeco est entoxoroverec. Denique ex e-pist. 2. et 3. s. Joannis, in quibus apostolus se presbyterum vocat, cum sine ulla dubitatione episcopus fuerit. Sed ad baec omnia uno verbo respondetur. Nomina eo tempore fuisse communia, et propterea in his omnibus locis veros etiam episcopos presbyteros appellari. His addunt Patrum

testimonia.

Est igitur sexta objectio ex s. Hieronymo, qui in comment. 1. cap. epist. ad Titum ita scribit: Idem est presbyter qui episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephae, communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero umusquisque eos, quos baptizaveral, suos pulabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur caeteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, et schis-matum semina tollerentur. Et infra: Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiae consuctudine, ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos. ita episcopi noverint, se magis consuctudine, quam dispositionis dominicae verilate presbyteris esse majores et in commune debere Ecclesiam regere. Similia habet idem Hieronymus in epist. 85. ad E-

vagrium.

Haec s. Hieronymi verba aliqui pie interpretari conentur, ut s. Thomas, qui in 2. 2. qu. 184.artic. 6. scribit, Hieronymum loqui solum de nominibus episcopi et presbyteri, non de ipsa re. At certe verba illa citata: Communi presbyterorum consi-No Ecclesiae gubernabantur. Et illa; Magis consuctudine, quam dispositionis dominicae veritate presbyteris esse majores, eto.aliud significant quam solam communitatem vocabulorum.

Joan. Antonius Delphinus, lib. 2. de Ecclesia docet, ex Hieronym. sententia initio nascentis Ecclesiae omnes presbyteros fuisse episcopos. Non quod idem sit episcopatus et presbyteratus, sed quod utraque dignitas omnibus sacerdotibus primo illo tempore daretur. Deinde autem ad schismata evitanda coepisse aliquos solum presbytéros ordinari, et hoc modo ex Ecclesiae consueludine factum essé, ut episcopi majores presbyteris

At hace cliam solutio non plene satisfacit. Sanclus enim Hieronymus tueri conatur presbyterorum dignitatem, qualis erat suo tempore adversus insolentiam disconorum, ut palet ex epist. ad Evagrium. Inde autem demonstrare nititur dignitatem presbyterorum esse maximom, quod eadem sit cum episcopali. Nihil autem ad hoc probandum afferret, si solum doceret primos presbyteros, ideo fuisse episcopis pares, quod haberent etiam episcopalem potestatem, nec essent simplices presbyteri. Deinde, si ideo primi presbyteri fuissent pares episcopis, quia essent etiam ipsi veri episcopi: distinctio, quae ex Hieronymi sententia postea exorta est, inde accidisset, quod aliqui simplicem presbyteratum in orginatione postea accepissent. At s. Hieronymus contrarium significat, docet enim: Episcopatum esse novum, et ex Ecclesiae cunsuetudine, non simplicem presbyteratum; sic enim ipse ait: Communi presbyterorum consilio Eccleriae gubernabantur, posiquam vero unusquisque eto.

Michäel Medina in lib. 1.de sacrorum hominum origine et continentia, cap. 5. assirmat s. Hieronymum idem omnino cum Aerienis sensisse, neque solum Hieronymum in ea haeresi fuisse; sed etiam Ambrosium, Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysoslomum, Theodoreium, Oecumenium et Theophylactum. Atque ita, inquit Medina, isti viri alioqui sanctissimi, et sanctarum Scripturarum consultissimi , quorum tamen sententiam prius in Aerio, deinde in Waldensibus, postremo in Joanne Wiclefo damnavit Ecclesia. Et infra: Ergo in Hieronymo, et griecis illis Patribus olim propter eorum honorem, et reverentiam have sententia aut dissimulabatur, aut tolerabatur in illis: contra in hacreticis, quod in aliis quoque multis ab Ecclesia declinarent, tamquam haere-

tica semper est domnata. Haec ille.

Caeterum haec Medinze sententia (ut levissime dicam) valde est inconsiderata. Nam primum injuriam facit tot clarissimis Patribus, quos sine, ulla caussa, ut mox ostendam, Aerianos facit. Deinde injuriam facit Ecclesiae, quam acceptionis perso-

narum nota inurit. Nam eum omnes citati auctores post Acrium vixerint, cur, queeso, Ecclesia unam atque candem sententiam in Aerio damnavit, in Patribus toleravit?Nonne Aerio potius ignoscendum fuit, qui ante definitionem Ecclesiae peccasse videbatur, quem Patribus illis, qui demnatem jam haeresim sequuti sunt? Denique injuriam facit communi caussae doctorum catholicorum. Qua enim fronte sanctos Patres, adversus haereticos adferemus, si eam sententiam ab Ecclesia damnatam dixerimus, quae omnes fere Patres, tum graeci. tum latini docuerunt.

At (inquit Medina) Waldenses haeretici Hieronymi testimonio utebantur, idem igitur illi. et Hieronymus senserunt. Egregium profecto argumentum. Hoc modo concludere licebit etiam, idem sentire Lutherum et Paulum. Nam Pauli tostimoniis passim utitur Lutherus. Mentiuntur igitur Waldenses, cum Hieronymum auctorem segui se dicunt.

Sed instat Medina, Aerius non ignorabat, secundum Ecclesiae leges episcopum presbytero esse majorem, sed jure divino pares esse affirmabat. Quare cum Hieronymus apertissime dicat, non dominicae dispositionis verilate, sed sola consuetudine ecclesiastica episcopos majores presbyteris esse, nihil omnino inter Aerii et Hieronymi sententiem interesse videtur.

Respondeo: Tantum distare Hieronymum ab Aerio, quantum cathelicus ab hacretico, et coelum ab inferis distat. Nam in primis s. Hieronymus ubique agnoscit episcopum esse majorem presbytero, quantum ad ordinis potestatem, et hoc sine dubio jure divino, ut patet ex epist. ad Evagrium. ubi sic ait: Quid facit episcopus; excepta ordinatione, quod non facial cliam presbyter? At Aerius discrimen non agnoscebat, ut ex Epiphanio potest

intelligi, haeresi 75. Beinde quantum ad potestatem jurisdictionis, Aerius, ut cliam Lutherani et Calvinistae, non modo negabat jure divino majorem esse episcopum presbytero, sed etiam contendebat non recte facere Ecclesiam, quae episcopos presbyteris anteponat. At s. Hieronymus, etsi jure divino agnoscere non videtur discrimen inter jurisdictionem episcopi et presbyteri, tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tarquam legitime, immo et necessario ad schismata vitanda ab apostolis introductum. Non enim vult s. Hieronymus ante paucos annos ex temporum corruptela natum esse episcoporum principatum, sed ab eo tempore, quo coepit dici in Ecclesia: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae; quae verba apostoli Pauli sunt. 1. Corinth. 1. Proinde in ipsis Ecclesiae primordiis, cum adhuc viverent apostoli, in tote orbe ab ipsis apostolis, Ecclesias tum regentibus, vult s. Hieronymus jurisdictionem ecclesiasticam ad episcopos esse delatam. Itaque nihil commune est Aerio et Hieronymo. Neque ullo modo credibile est s. Hieronymum Aerii sententiam fuisse sequutum, quam sciebat jam a s. Epiphanio refutatam.

Est autem hoc loco observandum, s. Hieronymum in illa sua sententia non adeo constantem videri, ut valde probabile sit eum non omnino certum suisse. Docuit enim in explicatione capitis primi ad Titum, consuetudinem, quae episcopos presbyteris anteposuit, coepisse ab eo tempore, quo dictum est: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae, et tamen presbyteros episcopis pares esse colligere nititur ex epistola ad Titum, et ad Philippenses, et ex epistolis Petri et Joannis, quae scriptae sunt post epistolam priorem ad Corinthios, ubi illa verba habentur: Ego sum Pauli, ego Apollo etc. Deinde in libro de scripteribus ecclesiasticis in Jacobo, dicit Jacobum continuo a Christi ascensione ordinatum episcopum hierosolymorum. Non igitur suit unquam illud tempus, quo Ecclesiae sine episcopis a presbyteris gubernabantur.

Praeterea idem Hieronym. in epist. ad Evagrium, comparat episcopum Aaroni, presbyteros filiis Aaronis. Et in epist. ad Marcellam de erroribus Montani, episcopos apostolis succedere dicit. At certe Aaron jure divino major erat ordine, et jurisdictione, filiis suis, et apostoli omnibus aliis Christi

discipulis.

Denique in lib. 1. adversus Jovinianum, idem Hieronymus affirmat ab ipso Christo unum electum ex duodecim, idest, Petrum, ut capite constituto, schismatum tolleretur occasio. At si Christus voluit inter ipsos apostolos unum eminere, cur non credemus etiam voluisse eum, ut inter presbyteros unus eminerel? Ao de s. Hieronymo satis, ut etiam de Anselmo et Sedulio, qui in commentario cap. 1. epistolae ad Titum, ad verbum Hieronymi sententiam retulerunt.

Schima objectio sumitur ex Ambrosio, qui in commentar, cap. 4. ad Ephesios ita scribit: Timotheum episcopium a se creatum, presbyterum vocat, quia primi presbyteri episcopi appellabantur, ut recedente eo, sequens ei suceederet. Denique apud Aegyptum presbyteri consignant, si praesens non sit episcapus. Sed quia coeperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet episcopum, muttorum sacerdotum judicio constitutum etc.

Sed hic locus non habet difficultatem. Nam ( ut interim omittam, commentaria illa non videri ab Ambrosio edita ) auctor eprum commentariorum loquitur solum de ratione successionis episcoporum, ac docet, initio nascentis Ecclesiae, antiquissimum presbyterum consuevisse ordinari episcopum, eoque mortuo succedere solitum, sine alia electione, antiquissimum item presbyterum. Sed non negat auctor iste primum illum presbyterum. cum episcopo succedebat, debuisse iterum consecrari, et novam potestatem ac jurisdictionem accipere. Neque semel idem auctor clarissime docet, multum interesse inter episcopum et presbyterum; nam in codem commentar: cap. 4. ad Ephesios sic ait: In episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoo est, princeps est sacerdotum. Et in cap. 3. prioris ad Timotheum: Episcopi, inquit, et presbyteri una ordinatio est, uterque enim sacerdos est, sed episcopus primus est. ut omnis episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter episcopus. Hic enim episcopus est, qui inter presbyteros primus est. Denique Timotheum presbyterum ordinatum significat, sed, quia ante se alterum non habebat, episcopus erat, unde. et quemadmodum episcopum ordinet, ostendit: Neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem; nemo enim tribuit quod accepit. Haec ille. Ubi vides majorem esse episcopum presbytero, et ideo a presbytero episcopum ordinari non posse, quod presbyter non habeat episcopalem ordinationem.

Octava objectio ex Chrysostomo in commentar. cap. 3. prioris ad Timoth. ubi sic legimus homil. 11. Inter episcopum atque presbyterum interest ferme nihil, quippe et presbyteris Ecclesiae cura permissa est, et quae de episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruint. Sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plusquam presbyteri habere videntur. Idem docent, et verbis fere iisdem, Primasius, Theophylactus et Oc-

cumenius, in commentar. ejusdem loci.

Respondeo: Ex istis ipsis verbis aperte colligi, majores esse episcopos presbyteris, cum episcopi ordinare possint, presbyteri non possint, ut aucto-

res citati una voce testantur.

At, inquies, saltem quoad jurisdictionem pares sunt episcopis presbyteri, quandoquidem nihil habent episcopi, quod presbyteri non habeant, excepta ordinatione. Respondeo: Hos auctores cum nihil tribuunt episcopo, quod non sint cum presbyteris commune, excepta ordinatione, loqui de iis rebus, quae nullo modo presbyteris conveniunt. Tale autem nihil est, nisi ordinatio praecipue sacerdotum. Nam potestas jurisdictionis, ex commissione, episcopi, potest etiam presbyteris convenire, immo etiam confirmare baptizatos possunt presbyteri ex dispensatione. At ordinatio sacerdotum ita propria episcoporum est, ut nullo modo presbyteris permitti possit.

Quod autem Chrysostomus senserit, apostolorum tempore episcopum a presbytero distinctum fuisse, colligitur etiam ex homil. 1. in epist. ad Philippenses, ubi exponeus illud, cum episcopis et diaconibus: Quid, inquit, hoc sibi vult? Itane unius-civitatis plures erant episcopi? Nequaquam; sed hoc titulo designat presbyteros; tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.

Nona objectio ex Theodoreto, qui in Commentar. cap. 1. ad Philippenses aliquoties repetit, presbyteros fuisse, quos Paulus episcopos appellat. Sed hoc jam antea explicatum est. Theodoretus enim docet quidem, olim presbyteros episcoporum nomen habuisse: sed ibidem addit veros episcopos nomine apostolorum, eò tempore appellari solitos, ita ut semper et re et nomine majores fueriat episcopi presbyteris, ex sententia Theodoreti. Quare idem auctor in cap. 3. prioris ad Timotheum ita scribit: Sed tamen, etiamsi presbyteris has leges constituit divinus apostolus, clarum est, quod has leges oportet primos servare episcopos, ut qui sint majorem dignitatem assequati.

Decima objectio ex Augustino, qui in epist. 19. ad Hieronymum sic ait: Quamvis enim secundum honorum vocabula, quae jam Ecclesiae usus

obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, in multis rebus tamen Augustinus Hieronymo minor est.

Respondeo: Illud Jam obtinuit, non opponi tempori antiquo ipsius Ecclesiae, sed tempori quod fuit aute exortum Ecclesiae nostrae christianae. Itaque non est sensus, olim episcopi et praesbyteri erant aequales, sed jam usus obtinuit, ut episcopatus presbyterio major sit. Sed hic est sensus: Ante christiana tempora, nomina ista, episco-Lus et presbyter, non erant honoris vocabula, sed officii, aut aelatis, nunc autem honoris ac dignitatis nomina sunt, et secundum haec nomina Augustinus Hieronymo major est, quamvis aliis multis nominibus Augustinus Hieronymo minor sit.

Undecima objectio. Prosbyteri succedunt apostolis non minus quam episcopi, ut patet ex Clemente, lib. 2. constit. cap. 32. et Ignatio in epist. ad Smyrnenses. Non igitur sunt presbyteri episco-

pis inferiores.

Respondeo: Episcopos et presbyteros variis modis a Patribus comparari, sed semper servata proportione et distinctione. Aliquando dicunt episcopum tenere locum Dei, presbyterum locum Christi, diaconum locum apostolorum. Ita Clemens lib. 2. constitut. cap. 32. et Ignatius in epist. ad Trallianos. Aliquando episcopo dant locum Christi, presbyteris locum apostolorum, diaconis locum discipulorum LXXII. Ita Clemens loco cit. lib. 2. cap. 32. et Ignatius ad Smyrnenses. Aliquando episcopis dant locum apostolorum, presbyteris locum LXXII. discipulorum, ut Patres supra citati.

Duodecima objectio: Christus presbyteros erdinavit in coena, ut catholici omnes docent: at episcopos husquam legitur ordinasse. Non igitur episcopatus jure divino est introductus. Respondeo: A Christo b. Petrom ordinatum fuisse episcopum. a b. Petro Jacobum et Joannem, ab his tribus caeteros apostolos, ut in lib. 1. de summo pontifice

supra ostendimus.

#### CAPUT XVI.

#### De cardinalibus.

De cardinalibus romanae Ecclesiae pauca quaedam addenda sunt, ut Joanni Calvino etiam de hoc ordine clericorum breviter respondeamus. Dicemus autem primo, de antiquitate et significatione nominis cardinalium. Secundo, de antiquitate et varietate officii cardinalium, Tertio, de comparatione cardinalium cum episcopis: Haec enim tria Galvinus attingit, lib. 4. Instit. cap. 7. § 30.

Si quis autem plura cognoscere velit, legat ex theologis Alvarum Pelagium, lib. 2. de planctu Roclesiae, art. 16. Augustin. Triamphum in summa de potest. Ecclesiae, quaest. 102. Thomam Waldensem, lib.2. doctrinalis fidel, art. 3. cap.34. Joan, de Turrecremata, lib. 1. summae de Ecclesia,

cap.81.82.83.et 84.S.Antoninum in summa theologica, 3. par. tit. 21. Joan. Antonium Delphinum,

BELLARMING, Vol. II.

lib. 2. de Ecelesia. Ex canonistis, Andream Barbatium in tract. de praestantia cardinalium ad Bessarionem. Martinum laudensem in tract. de cardinalibus, Dominicum Jacobatium, lib. 1. de conciliis, art. 12. et Joannem Hieronymum Albanum in lib. de cardinalibus. Ex historicis, Onuphrium Panuinum in libello de episcopatibus, titulis et diaconiis cardinalium.

Ut igitur a primo încipiamus, Calvinus toso notato, ante Gregorii tempora dicit se non legisse nomen cardinalium: At in concilio romano sub Sylvestro can. 6. legimus septem fuisse diaconos cardinales in romana Ecclesia. Praecessit autem Sylvester Gregorium annis fere trecentis; neque tamen tunc primum coepit hoc nomen. Non enim concilium illud instituit cardinales, sed solum jussit ut praeter cardinales diaconos romanae Ecclesiae, essent etiam duo diaconi ad examen paroeciarum.

Porro nomen cardinalis idem fere significare videtur quod principalis, sive is a quo alii pendent, ut a cardine ostia dependere solent. Hinc enim et virtutes cardinales, et venti cardinales, et puncta coeli cardinalia dici solent, et Augustin. lib. 1. de baptismo, cap. 6. Primarios Donatistas, Cardinales Donatistas appellavit. Cur autem electores pontificis cardinales dicantur, non omnes explicant eodem módo.

Calvinus loco notato docet, hoc nomen tempore sancti Gregorii proprium fuisse episcoporum, proinde non recte nunc tribui presbyteris et diaconis, aut solis episcopis romanae curiae: Hic titulus, inquit, Grégorii aetate in solos episcopos competebat. Nam quoties meminit cardinalium, non romanae Ecolesiae, sed aliis quibuslibet cos attribuit, ut in summa nihil aljud sit sacerdos cardinalis, quam episcopus. Haec ille. At Calvinus in exploratum errorem incidit; nam s. Gregorius lib. 5. epist. 11. ad Fortunatum episcopum neapolifanum meminit diaconorum cardinalium, et lib. 11. epist. 34. ad Joannem episcopum syracusanum meminit presbyterorum cardinalium, et Joan. diaconus lib. 3. vitae s. Gregorii cap. 7. enumerat episcopes, quos s. Gregorius ex pre-sbyteris cardinalibus fecerat. Non igitur verum est, idem esse apud Gregorium, episcopum et cardi-

Leo IX. pont. max. in épistola ad Michäelem, cap. 32. dicit, clericos romanae Ecclesiae cardinales vocari, quod summo pontifici proxime adhaereant; qui est veluti cardo totius Ecclesiae. Nam ut in cardine ostium vertitur et regitur ac sustentatur, sic etiam a summi pontificis providentia et firmitate tota Ecclesia pendet. Haec vero explicatio recte docet, cur cardinales romanae Ecclesiae dicantur prae caeteris, et per antonomasiam cardinales, at non explicat cur simpliciter dicantur cardinales, cum constet etiam alibi esse, et fuisse qui dicerentur cardinales, ut patet ex Gregorio, locis citatis, lib. 5. epist. 11. el lib. 11. epist. 34. et ex concilio meldensi, canon. 54.

Onuphrius in libro de cardinalium titulis existimat, presbyteros et diaconos cardinales dictos esse eos, qui pracerunt aliis presbyteris vel diaconis ejusdem Ecclesiae, quasi principales presbyteri, vel diacomi in illa Ecclesia; erant enim plures presbyteri in eadem Ecclesia, sed praeses tantum di-

cebatur cardinalis.

Haec Onuphrii explicatio non videtur vera. Nam in eodem titulo plures erant aliquando cardinales, ut patet ex synodo I. sub Symmacho, in qua subscriptiones ponuntur presbyterorum romanae Ecclesiae cardinalium, et multi inveniuntur ejusdem tituli, ila ut tituli sint 28. presbyteri autem titulares 67. item ex synodo s. Gregorii, quae habetur lib. 4. registr. cap. 88. ubi ponuntur subscriptiones presbyterorum cardinalium, et inter eas tres inveniuntur tituli sanctae Balbinae, duo sancti Damasi, duo sancti Sylvestri, duo sanctorum apostolorum. Non igitur is tuntum cardinalis dicebatur, qui praeerat titulo. Praeterea, tempore s. Sylvestri, septem tantum Romae erant diaconi cardinales; nam adhuc recens erat eo tempore canon 14. concilii neocaesariensis, ubi definjtur, in qualibet civitate. quamvis magna, seplem tantum debere esse diaconos, et tamen illi omnes Romae dicebantur cardinales, ut patet ex concilio romano sub Sylvestro can. 6. Non igitur diaconus cardinalis erat, qui praeerat ahis diaconis ejusdem Ecclesiae. Adde postremo, quod juxta hane Onuphrii explicationem, nulla ratio reddi posset, cur dicerentur quidam episcopi cardinales; Non enim dici possunt episcopi cardinales, quod praesint aliis episcopis suae dioecesis, sicut presbyter cardinalis, quod praesit presbyteris sui tituli, nam non sunt in una dioecesi plures episcopi.

Existimo igitur nomen cardinalis primo impositum esse loco, et a loco derivatum ad personas. Dicebantur enim tituli cardinales, quaedam. Ecclesiae principales, ubi baptisma conferebatur; et dicebantur Ecclesiae vel tituli cardinales, ad differentianz aliorum locorum sacrorum minus principalium. Inde autem presbyter, qui eam Ecclesiam regebat, dicebatur presbyter cardinalis. Pari ratione diaconiae cardinales erant loca quaedam principalia in urbe distincta juxta numerum regionum bet qui in eis residebant diaconi, dicebantur cardinales diaconi, ab Ecolesia videlicet cardinali, quam tenebant. Sie etiam postmodum dieti sunt episcopatus cardinales; Et inde episcopi cardinales sex illi, qui ad eligendum pontificem conveniebant, et eidem pontifici a consiliis erant praeter caeteros

orbis christiani episcopos.

Quod autem a loco corperit hoc nomen, cognosci potest ex concilio meldensi, can. 54. uhi sic legimus, ut titulos cardinales in urbibus, vel suburbiis constitutos episcopus canonice.ordinet, et disponat. Item ex Joan. diacono in vita s. Gregorii, lib. 3. cap. 11. ubi sic ait: Cardinales violenter in paracciis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem Gregorius revocabat. Ubi cardinem vocat cardinalem titulum sive Ecclesiam. Ac de nomine quidem hactenus. Si quis autem velit cognoscere nomina, et numerum titulorum, diaconiarum, et episcogatuum cardinalium, Onuphrium consulat in libro de cardinalibus.

Jam de officio, et officii antiquitate breviler dicamus. Tria sunt officia cardinalium. Primum est commune cum episcopis, presbyteris et diaconis caeteris; emnes enim cardinales. aut episcopale, aut presbyterale, aut diaconale officium habent: Alterum officium est summum pontificem eligere: Postremum eidem pontifici perpetuo assistere. eumque in regenda universa Ecclesia consilio et industria adjuvare. Ex his officiis primum negari non potest, quin sit antiquissimum. Neque id negat Calvinus; quin potius hoc solum agnoscit, sic enim scribit loco citato, lib. 4. cap. 7. § 30. Et sane nihil officii tume habebant, nisi ut in doctrinae et sacramentorum administratione episcopo adessent qc subessent. Haec ille.

At Calvinus secum pugnare mini videtur; nam eodem lib. 4. Institut. cap. 4.§ 2. docet, antiquissimis temporibus eum fuisse usum in Ecclesia. ut presbyteri eligerent episcopum, et cum illo ita Ecclesiam communi consilio regerent, ut nihil plus episcopus haberet in coetu presbyterorum, quam consul in senatu: Presbyteri, inquit, ex suo numero unum eligebant, cui specialiter dabant litulum episcopi. Et infra: Quas partes habet consul in senatu eas habet episcopus in presbyterorum coetu. Haec ille. Quod isi verum est, certe sequitur, ut quad nunc Romae cardinales faciunt, dum episcopum ex suo numero eligunt, aut tanquam senatores quidam ecclesiastici cum eo Ecclesiam regunt, antiquissimum sit ac proinde o

mnia tria officia sint antiquissima.

Est autem hoc loco observandum. Omnia quidem tria cardinalium officia esse antiquissima, et ab ipso tempore apostolorum inchoata, sed tamen non esse aeque antiquum, ut soli cardinales duobus officiis posterioribus fungantur. Nam a tempore apostolorum per muitos annos, immo etiam per aliquot saccula, quia pauci erant presbyteri et diaconi, omnes simul ad electionem episcopi, et ad concilia yocabantur,, neque erat opus tunc distinguere a cardinalibus non cardinales, sicut etiam in aliis Ecclesiis non distinguebantur canenici a non canonicis. Quare Cyprianus cum aliquoties scribat ad romanum clerum, non scribit ad solos cardinales, sed ad omnes presbyteros et diaconos romanae Ecclesiae; et similiter illi cum Cypriano respondent, presbyteri et diaconi omnes respon-

dent. Vide lib. 2. epist. 7. et lib. 3. epist. 5.

Deinde autem cum crevisset multitudo cleri, vocabantur quidem omnes ad electionem faciendam. sed non omnes ad concilia vocabantur, sed aliqui principales, qui Romae, et aliis quibusdam in locis cardinales dicebantur. Id constat ex synodo Gregorii, lib. 4. registri, cap. 88. Nam solum concilio interfuerunt ex presbyteris XXXIV. et il litulares omnes, idest, cardinales. Certum autem est, tuno Romae fuisse multo plures presbyteros, quam XXXIV. Nam si tempore sancti Cornelii circa annum Domini 250. in medio persequutionum . regnantibus idololatris, tamen crant Romae XLVI. presbyteri, ut ex epistola ejusdem Cornelli refert Easebius, lib. 6, histor, cap. 33, certe multo plures erant tempore sancti Gregorii, circa annum Domini 600. quando nullus in urbe erat paganus. Denique postremis quingentis annis neque ad concilia, neque ad electionem admissi sunt omnes elerici, quod nimis multi essent, sed soli cardinales, ut supra ostendimus, cum de vocatione ministrorum ageremus.

Quantum ad tertium, de comparatione cardinalium cum episcopis, fuse tractant supra citati adctores, sed in hoc tamen fere omnes conveniunt, quod si consideremus ordinis potestatem, major sit episcopus presbytero, vel diacono cardinali. Nam episcopus ordinat presbytéros, confirmat baptizatos, aliaque id genus facil, quae cardinales presbyteri, vel diaconi facere non possunt. Qua etiam ratione summus pontifex episcopum se vocat, non cardinalem, et episcopos omnes appellat venerabiles fratres, cardinales autem dilectos filios, quomodo vocat etiam laicos.

Pari ratione, si consideremus jurisdictionem in propriam Ecclesiam, idest, episcopi, in suam direcesim, et cardinalis in suum titulum, aut diaconiam, major est épiscopus cardinali presbytero, vel diacono. Nam in primis major est ordinarie dioccesis episcopi, quam titulus cardinalistae praeterea episcopus in sua dioccesi amplissimam habet jurisdictionem tanquam proprius et ordinarius pastor, ferendi leges. dispensandi, puniendi, indulgendi etc. At cardinalis presbyter et diaconus cum in suo titulo sit veluti parochus, episcopo subjectus, nihil potest, nisi quantum episcopus ei permiserit.

At si consideremus regimen Ecclesise universalis, major est cardinalis presbyler, vel diaconus episcopo non cardinali. Nam episcopi simplices numquam adhibentur ad regimen universalis Ecclesiae, nisi rariasime, ideat cum ad generale concilium convocantur. At cardinales fere quotidie praesto sunt pontifici, neque ullum negotium majoris momenti sine corum concilto peragitur. Et quia hinc fit, ut episcopi a cardinalibus; ut summi pontificis cooperatoribus, judicentur, creentur, deponentur, non autem contra cardinales ab episcopis; propterea absolute cardinalis, episcopum non cardinalem praecedit. Atque hanc rationem ut praecipuam affert etiam Eugenius pontifex IV. in epistola ad archiepiscopum cantuariensem, quae exstat apud Dominioum Jacobatium, lib.1. de conciliis, art. 12. Et ante Eugenlum s. Bernardus lib. 4. de cansideratione, de cardinalibus loquens: Veniamus, inquit, ad collaterales, et coadiutores tuos. Hi seduli tui hi intimi tui. Et infra: An non eligendi de toto orbe, orbem judicaturi? Et in epist. 188. ad cardinales scripta: Nulli dubium, inquit, quin ad vos specialiter special tollere scandala de regno Dei, surgentes succidere spinas, sedare querelas. El infra: Agite pro loco, quem tenetis . pro dignitate, qua politetis , pro potestato, quam accepistis etc. ubi apertissime agnoscit s. Bernerdus majorem in cardinalibus, quam in episcopis potestatem.

Sed occurrit Calvinus loco notato, lib.4. cap. 7.5 30. et objicit tria testimonia: Video. taquit Calvinus, fuisse tunc episcopis minores, quos nunc longe antecellunt. Notum est illud Augustini epistola docimanona ad Hieronymum: quamquam secundum honorum vocabula, quae jam Ecclesiae usus obtinuit, episcopatus presbyterio ma-

(ll

367

711

jor sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. Hic certe romanae Ecclesiae presbyterum ab aliis minime discernit, sed omnes ex aequa postponit episcopis. Idque eousque fuit abservatum, int in concilio carthaginenst, cum duo adessent legati romanae sedis, unus episcopus, secundus presbyter, hic in ultimum locum rejectus fuerit. Verum ne nimis vetera prosequamur, exitat concilium sub Gregorio habitum Romae. in quo presbyteri ultimo loco sedent, et seorsum subscribunt, diaconi locum nultum in subscriptione habent. Haec ille.

Sed Augustini testimonium ad rem non facit; non enim negamus episcopatum presbyterio majorem esse, sed dicimus, presbyterum cardinalem episcopo non cardinali esse majorem, non quod presbyter sit major episcopo, sed quod cardinalis major sit non cardinali. Nam alioqui episcopus cardinalis presbyterum cardinalem, et presbyter cardinalis diaconum cardinalem semper praecedit.

At, inquit Calvinus, Augustinus non quemvis presbyterum, sed Hieronymum presbyterum ro-

manae Ecclesiae episcopo postponil. Respondeo:S. Hieronymum non romanae Ecciesine, sed antiochenae presbyterum fuisse;id enim ipse testatur in epist. 61. ad Pammachium, de erroribus Joannis Hierosolymae episcopi. Neque repugnat quod ipse aliquando Romae suerit, et Dainasum pontificem' juverit in epistolis scribendis, ut ipse testatur in epistola ad Ageruchiam de monogamia. Nam etsi Romae fuerit, non tamen habuit Romae titulum aliquem proprium, sive Ecclesiam regendam, ut cardinales habent; Quocirca cum jam Roma rediisset, et in Syria degeret, quando scripsit epistolam ad Pammachium adversus Joannem hierosolymitanum, non tamen ait, se romanum, sed antiochenum presbyterum fuisse. Et sone, si potuisset vere dicere, se romanae Ecclesiae presbytorum cardinalem esse, vel faisse, libenter dixisset. Cupiehat enim Joanni episcopo Hierosolymae demonstrare, se presbyterum fuisse majoris cujusdam Reclesiae, quam hierosolymitena esset; et proinde se non reliquisse suam Ecclesiam, ut in Ecclesia hierosolymitana aliquid quaererel: 06 id.inquit, et ego Antiochiam, et ille Constantinopolim, urbes celeberrimas, deseruimus, non ut te in pepulis praedicantem laudaremus, sed ut in agris el in solitudine adolescentide peccala deflentes, Cliristi in nos misericordiam deflecteremus. Haec illae. Cum igitur constet, semper romanam Ecclesiam antiochenae praelatam fuisse, certe sanctus llieronymus libenter dixisset, si id vere dicere potuisset, ob id et ego Romam, et ille Constantinopolim etc.

Neque etiam testimonium concilii VI. carthaginensi valde est ad rem. Name etsi in eo concilio presbyter romanus sederit post episcopos, tamen in concilio nicaeno, in ephesino, in calcedonensi, in VI. VII. et VIII. synodo generali, romani presbyteri sederunt ante episcopos. Sed quamquam hace ita se habeant fateor tamen, olim episcopos quoscumque praelatos fuisse cardinalibus non episcopis, immo etiam cardinalatum gradum fuisse ad episcopatum, ut Onuphrius recte docet in libro de

cardinalibus, et apertissime colligitur ex lib.1.cap. 7. vitae s. Gregorii.

Postea tamen mutatus est ordo, et coepti sunt cardinales episcopis anteponi, et episcopatus gradus esse ad cardinalatum; cujus mutationis duplex ratio assignari potest. Una, quod ad solos cardinales devoluta sit electio summi pontificis. Nam quo tempore pontifices eligebant clerus et populus, non est mirum, si non tanti fierent cardinales. At posteaquam coeperunt soli ipsi eligere, et etiam soli ipsi, ut plurimum, eligi, non sine caussa coepit dignitas cardinalitia pluris fieri, quam antea.

Altera caussa est, qued soli cardinales coeperint adesse summo pontifici in consiliis. Nam antea cardinales neque soli, neque primarii consiliarii pontificis erant; siquidem primis sexcentis, vel octingentis annis, summi pontifices ad graviora negotia Ecclesiae dijudicanda cogebant concilia nationalia episcoporum Italiae, quibus conciliis intererant quidem cardinales presbyteri, sed tamén primus locus episcoporum erat. Id cognosci potest ex tomis conciliorum, ubi plurima inveniuntur concilia romana, sive lateranensia, celebrata ab anno Domini 300. ad 800.

Quocirca non erat ratio, cur eo tempore cardinales presbyteri episcopis anteponerentur, cum eo tempore non minus, immo magis pontificem juvarent in Ecclesia universali regendà episcopi, quam cardinales. At postea creverunt negotia Ecclesiae romanae, praesertim cum accessisset principatus temporalis, tempore Pipini et Caroli Magni: proinde egebat summus pontifex consiliariorum ope multo saepius, quam antea. Neque poterat tam saepe convocare concilia episcoporum, quam necesse érat, concilia enim vix tertio quoque anno cogi poterant, pontifex autem quolibet anno saepius egebat consilio. Itaque usú docente, et necessitate cogente his postremis annis sexcentis vel septingentis coeperunt paulatim omitti concilia episcopalia, et res tota redigi ad senatum cardinalium. Potuisse autem hoc fieri, et recte factum esse, in dubium revocari non potest; nam non tenetur pontifex hos potius, quam illos in consilium adhibere.

Deinde, hac ratione multa commoda consequuta sunt. Primum, quod habeat nunc summus pontifex senatum in promptu, ita ut possit etiam singulis diebus, si velit, de rebus gravissimis deliberare. Alterum, quod hoc flat sine detrimento Ecclesiarum particularium. Nec enim possent concilia episcoporum saepe cogi sine detrimento Ecclesiarum, quibus absentia pastorum peroiciosa est. Tertium, quod habeat consiliarios magis instructos et exercitatos, cum haec sola et assidue tractent. Facta autem legitime hac mutatione concilii pontificii ab episcopis et cardinalibus ad solos cardinales; mirum esse non debet, si etiam facta est mutatio dignitatum.

Sed placet, ad finem hujus loci repugnantiam verborum Calvini in extrema disputatione cap. 7. lib. 4. Institut. annotare. Nam in ultimo paragrapho miratur cardinalium amplitudinem: Nescio, inquit, qui factum sit, ut ita subito in tantam amplitudinem emerserint. Et mox infra: Nunc adeo mutata sors est, ut facti sint regum et Caesarum co-

gnati. Nec dubium est, quin una cum suo capite sensim creverint, donce ad hoc dignitatis fastigium evecti fuerunt. Haec ille. Qui tamen continuo subjungit contrarium: Impleri, inquit, in illis oportuit quod de talibus ait Malachias. Vos recessistis de via, et offendere fecistis in lege plurimos; propterea ecce ego dedi vos contemptibiles et viles omni populo. At quomodo, quaeso, ista cohaerent, al in summum fastigium amplitudinis creverint cardinales, ita ut regum ac Caesarum cognati facti sint et tamen contemptibiles ac viles evaserint omni populo? Sed de his satis.

#### CAPUT XVII.

#### De chorepiscopis.

Diximus de distinctione et officio clerisorum eorum, qui etiam hoc tempore locum suum habent in Ecclesia; nunc addendum visum est aliquid de chorepiscopis, quorum nomen et officium olim in usu erat, nunc autem pene interisse videtur.

Igitur chorepiscopi dicebantur olim presbyteri quidam, qui in pagis, aut oppidulis curam animarum gerebant loco episcoporum, ut nunc fere parochi faciunt. Dicebantur autem chorepiscopi, vel, ut Damasus indicat in epist. 3. quasi villarum episcopi. Nam χώρα graece oppidum ac regionem significal. Vel potius, 'ut concilium neocaesariense canone 43. et antiochenum can. 8. docent; quasi vicarii episcopi, vel vicarii episcoporum, seu loco episcoporum constituti; χώρα enim locum etiam significare potest. Porro ejusmodi chorepiscopi non poterant presbyteros et diaconos ordinare, nec chrismate fidelium frontes inungere, nec templa, aut altaria consecrare. Caetera fere omnia praestare poterant, quae praestant episcopi, ut cognosci potest ex concilio ancyrano, can. 12. et antiocheno, can. 10. et hispalensi II. can. 7. ilem ex Damaso in epist. 3. Leone epist. 86. alias 88. et Joanne III. in epistola ad episcopos Germaniae et Galliae.

Sed quaestio hoc loco occurrit. An subdiaconos ordinare chorepiscopis aliquando licuerit. Nam in concilio antiocheno can. 10. id eis licuisse disertis verbis asseritur. Contra autem, id eis minime licuisse, Damasus papa in epist. 3. aeque disertis verbis affirmat; concilia et pontifices caeteri supra citati negant licere chorepiscopis presbyteros vel diaconos ordinare; de subdiaconis, caeterisque ordinibus nibil expresse dicunt.

Respondeo: Quesdam fuisse chorepiscopos, qui vere episcopalem consecrationem acceperant, seu chorepiscopi dicebantur, quod non haberent propriam Ecclesiam, sed in aliena diocesi ministrarent, quales sunt hoc tempore episcopi quidam titulares, qui et suffraganei dlei solent. Alios vero chorepiscopos fuisse, qui nihil aliud, nisi presbyteri essent, sed, ut diximus, in pagis, ac villis, seu etiam oppidulis, episcopum aliquo modo repraesentarent. De prioribus loqui videtur concilium autiochenum, ut etiam Damasus annotavit in epist.

3. sam ita incipit canon: Chorepiscopi, qui manue impositionem ab episcopis acceperunt; et, ut episcopi, sunt ordinati etc.ubi non de omnibus chorepiscopis loquitur concilium, sed de illis tantum, qui a pluribus episcopis, ritu pontificum sunt consecrati. Praeterea in eodem canone concilium non solum his chorepiscopis permittit, ut subdiaconos absolute ordinent, sed etiam ut presbyteros et diacones ordinare possint, si id episcopus luci permiserit, ex quo certe sequitur eos, chorepiscopos veros episcopos fuisse.

Porro in fine illius canonis, ubi legimus (Chorepiscopus ab episcopo loci ordinandus est) non de iisdem chorepiscopis agitur, sed de illo altero genere. Voluit enim concilium legem statuere, ut deinceps chorepiscopus ordinetur ab uno episcopo, et proinde presbyter sit, non episcopus. De quo genere chorepiscoporum loquitur. Damasus in epist. 3. cum dicit, non licere chorepiscopis ordi-

nare subdiaconos.

Caetera autem concilia et Patres, qui negant, chorepiscopis licere ordinare diaconos, et de subdiaconis ninil dicunt, videntur nomine diaconorum etiam subdiaconos accepisse, cum situterque sacer ordo, et saepe apud veteres eodem nomine appellentur. Quod si evidenter ostendi possit, concessum aliquando fuisse chorepiscopis secundi generis, ut subdiaconos ordinarent; dicendum erit, id luisse privilegium et dispensationem quandam, qualis etiam fuit quibusdam in locis, ut presbyteri, absente episcopo, confirmationis sacramentum exhiberent, ut Ambrosius scribit de sacerdotibus Aegypti, in commentario cap. 4. epistolae ad Ephesios. Atque haec de distinctione et officio clericorum.

#### CAPUT XVIII.

De coelibatu sacerdotum; Silne jure divino nexus sacris ordinibus coelibatus, an non?

Sequitor quarta disputatio, quae est de coelibatu, seu continentia hominum sacratorum, quae quidem trimembris erit. Primum enim explicandum occurrit, sitne jure divino annexus coelibatus ordinibus sacris. Deinde, si constiterit non ita esse, utrum saltem jure apostolico, ac rectissime, id factum sit. Postremo, num digami apostolica lege arceantur a sacris ordinibus.

Ac, ut a primo incipiamus, Joannes major in 4. dist. 24. quaest. 2. de jure divino esse putavit, quod votum sacerdotum solemne sit; ac proinde indispensabile esse. Idem fere docuit Clichtovaeus lib. de continentia sacerdotum, cap. 4. et sequentibus, ubi duo dicit, quae nescio, an inter se bene cohaereant. Unam est, de jure divino esse, ut qui est sacris ordinibus initiatus, non possit uxorem ducere, neque in hoc ullam dispensationem cadere posse. Aiterum est, eos, qui uxores duxerunt, non posse sacris ordinibus initiari, nisi deinceps

continere velint, esse praeceptum Ecolesiae, et a Syricio papa primum editum, nec unquam ab Ecclesia orientali receptum fuisse. Itaque licuisse in tota Ecolesia sacerdotibus uti uxoribus, quas ante ordines duxerant, usque ad tempora Syricii; in Ecclesia autem orientali, et nunc licere, et semper licuisse.

At b. Thomas in 2. 2. quaest. 88. artic. 11. diserte docet, votum continentiac esse annexum ordinibus sacris ex solo Ecclesiae decreto, ac proinde dispensabile esse. Idem docet Cajetanus in opusculis, tom. 1. tract. 27. et Sotus lib. 7. de justitia, quaest. 6. artic. 2. ubi etiam docet, quod ego verissimum puto, decretum hoc, quo votum est anuexum ordinibus, non quidem proprie divinum esse, sed tamen esse apostolicum, et in tota Ecclesia a temporibus apostolorum, longo tempore esse servatum. Sed quia hoc multis rationibus in sequenti capite contra haereticos confirmabimus, nunc solum breviter probandum est, non jure divino, sed humano dumtaxat prohibitum esse conjugium sacerdotibus, et proinde in hoc dispensari

posso.

Probatur primo, ex altero eorum, quae Clichtovaeus asserit: non est de jure divino, ut conjugati, si ordinentur, ab uxoribus suis abslineant; igitur neque est de jure divino, ut sacerdoles non ducant uxores.Nam matrimonium non pugnat cum ordinibus ratione essentiae suae, sed ratione officii seu exercitii conjugalis; si enim Deus probibuisset sacerdotibus conjugium, certe probibuisset propter actum conjugalem, qui hominem reddit totum carnalem, et ineptum ad divina; necnon propter sollicitudinem domus et liberorum, quae plurimas parit distractiones, non autem propter selum sacramentum conjugii, vel propter contractum matrimonii, qui celebratur solo consensu animorum, et est res brevissima et honestissima. Si ergo licuit sacerdotibus jure divino habere uxores, quas ante ordinationem duxerant, et eis uti maritorum more: Cur, quaesó, non licuisset etiam post ordinationem ducere? Adde, quod rationes, quas Clichtovaeus pro se adducit, omnes sumuntur a puritate munerum sacerdotalium, cui certe non repugnat, uxorem ducere, vel duxisse, sed ei cohabitare.

Non esse autem jure divino prohibitum, ne sacerdotes utantur uxoribus, quas duxerant ante ordinem, conceditur a Clichtovaeo. Sed propter quosdam alios, qui de ea re dubitant, probatur apertissime ex eo, quod Ecclesia romana multis jam sacculis permisit graecis sacerdotibus usum uxorum, quas ante ordinationem duxerant, ut patet ex capit. Cum olim, de elericis conjugatis. Adde Gregorii testimonium, lib. 1. epist. 42. ubi permittit subdiaconis, ut libere utantur uxoribus suis, quas duxerant ante ordinationem, licet prohibeat deinceps ejusmodi ordinari, nisi continentiam voveant.

Secundo probetur, quia in tota Scriptura nullum tale exstat praeceptum. Nam in Testamento veteri sacerdotibus licitum erat uxores ducere. In novo autem nihil de hac re Dominus loquulus est. Apostolus quidem in èpistolis ad Timotheum et Titum, jubet episcopos et diaconos eligi castos, sed

quod apostolus praecipit, non diviaum, sed apostolicum praeceptum est, de quo postea agemus.

Proferent illi ex Deuter, cap. 33, benedictionem Moysis, in qua dicitur levitis, idest, ut ipsi exponent, de sacerdotibus christianis... Qui dixerunt patri suo et matri. Nescio vos et filios ignoraverunt. At istud, divinum vaticinium, non divinum praeceptum est; sive enim lege divina, sive humana fiat, ut sacerdotes uxoribus careant, impletur vaticinium Moysis.

Proferunt deinde islud Christi Lucae 21. Videte, ne graventur corda vestra crapula et ebrietate et euris hujus mundi: quod ad sacerdotes praecipue spectare testatur Leo, serm. 8. de jejunio decimi mensis. Sed in hoc aperte falluntur, qui hoc argumentum adducunt. Nam Leo in isto ipso loco ad omnes sideles, Christi praeceptum pertinere dicit; sed ad nos praecipue, quibus dies Deminijam est vicinior. Deinde, cum Paulus 1. Timoth. 3. jubet episcopum eligi: Qui domui suae bene praesit. et filios habeat subditos in omni castitate; nec tamen contraria Christo doceat: certe non jubet Christus ulli. ne habeat curam uxoris ac liberorum, sed ne gravetur nimia sollicitudine.

At inquiunt, ratio naturalis dictat, ministerium purissimum a continentibus esse peragendum. Respondeo, dictare id quidem rationem, sed ut rem convenientem, non ut omnino necessariam.

Tertio probatur, ex concilio ancyrano, cap. 10. ubi dicitur posse diaconos cum licentia episcopi uxores ducere, etiam post susceptum diaconatum; ergo non est de jure divino; nec enim episcopi in jure divino dispensant. Estque hoc concilium antiquissimum et confirmatum a Leone papa, dist. 20. can. de libellis. Accedat postremo, quod concilia, et Patres in sequenti capite producendi, passim testantur, banc legem esse ecclesiasticam; quod etiam legimus in concilio tridentino, sess. 24. can. 9.

# CAPUT XIX.

Coelibatum jure apostolico reclissime annexum ordinibus sacris.

Jam véro de altera quaestione; An recte factum sit, ut coelibatus perpetuus sacris ordinibus annecteretur, duo sunt refutandi errores; unus Graecorum, alter Lutheranorum. Prior error est; Oportere clericos, antequam ordines sacros suscipiant, uxores ducere, quia post sacros ordines susceptos, non licet id facere, et nimis magno periculo fornicandi se exponit, qui sine uxore vivit.

Hujus erroris aliqui auctorem faciunt Nicolaum, unum ex septem primis diaconis. Sed quidquid de hoc sit, constat, Vigilantium hunc errorem expresse docuisse; de quo sic b. Hieronymus initio lib. contra Vigilantium: Pro nefas, inquit, episcopos sui sceleris dicitur habere consortes, si tamen episcopi nominandi sunt, qui non ordinant diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli coelibi

credentes pudicitiam. Hunc errorem receperau. Patres concilii trultani, circa annum Domini 700t ut patet ex can. 13. ubi profana illa synodus damnat nominatim canones romanae Ecclesiae, et contrarium statuit, nimirum ut clerici ante subdiaconatum uxores ducant, et cum eis vivant postea, in sacris ordinibus constituti. Tempore hujus synodi coepit mos Graecorum, qui nunc est. Auclus autem est et confirmatus tempore Leonis IX. quando dissidium Graecorum a Latinis maxima, crevit in multis aliis articulis. Unde exstat liber Humberti cardinalis en tempore scriptus de hac re, contra Nicetam abbatem, qui hunc morem Graecorum tunc acerrime defendebat.

Posterior crror longe gravior est. Non solum licere ante ordinationem, sed etiam post ordinationem. uxorem ducere. Hujus erroris fundamenta quaedam jecit Jovinianus, qui docuit, virginitatem non praestare matrimonio; inde enim sequebatur, frustra sacerdotes velle carere uxoribus. Unde etiam quaedam sanctimoniales, Joviniano audito, nupserunt, ut b. Augustinus refert lib. de haeresibus, cap. 82. Haec tamen haeresis mox extincta fuit, nec usque ad deceptionem alicujus sacerdotis

pervenit, ut ibidem Augustinus ait.

Primus autem qui docuit aperte, licere post ordinationem uxorem ducere, fuit Joannes Wiclesus, ut refert Thomas Waldensis tom. 2. de sacramentis, cap. 128. et 129. et tom. 3. de sacramentalibus, c. 66. et 67. Eum sequuti sunt Lutherus in lib. de ubroganda missa privata, Pomeranus in lib. de conjugio episcoporum, Magdeburgenses in Centrriis singulis, cap. 7. et nomination Cénturia 11. cap. 7. col. 389, ubi dicunt, hanc esse haeresim maxime pestiferam omnium, quae unquam christianum regnum perturbarunt. Item Beza et Martyr in primam ad Corinthios 7. Philippus Melanchthon in confessione augustana, art. 23. et in apologia ejusdem articuli, Calvinus lib. 4. Institut. cap. 12. § 23. Brentius in confessione wirtembergensi, capite de conjugio; Praeterea Erasmus in declamatione de laudibus matrimonii, utile esse judicat, si sacerdotibus jus conjugii concedatur, et idem sensisse videtur Panormitanus, catholicus alioqui et doctus auctor, in cap. Cum olim, de clericis conjugatis. Audio Kemnitium in tertia parte examinis concilii tridentini, de coelibatu sacerdotum copiose tractasse, sed eum librum nondum videre potui. Ac si ex alíis ejus operibus conjectura facienda est, nihil aut parum admodum addet ad ea, quae Centuriatores et Calvinus collegerunt.

Contra hos errores probandum nobis est, volum continentiae annexum esse ordinibus sacris, itu ut nec ducere uxores, nec uxoribus antea duclis uli licest post ordinationem; positivo quidem jure, sed antiquissimo et aequissimo, et quod nullo modo expediat, ut hoc tempore relaxetur.

Probatur primo, Scripturis; ac primum Paulus in epist. ad Titum. cap. 1. Oportet, inquit, esse episcopum hospitalem, benignum, sobrium, fustum, sanctum, continentem. Ubi notandum pro eo, quod nos hubemus sobrium, graece esse σώφρονα, quod; ut Hieronymus in hune locum dicit, ambiguum est, et prudentem, sobrium, eastum si-

gnificare potest; hoe autem loco significat castum. Quia vero custitas etizar conjugatis communis est, ideo apostolus addit eliam, continentem; quod ibidem b. Hieronymus exponit ab uxoris amplexibus. Idem in epist. 2. ad Tim. cap. 2. Labora, inquit, sicut bonus miles Christi Jesu, nemo mi-Hians Deo implicat se negotiis saecularibus. Hic apostorus episcopo praecipit, ut strenue militet Deo; deinde dicit, non posse eum bene militare Deo, si se implicaverit negotiis saecularibus, qualia certe esse nuplias, nemo negare potest. Nam. ut s. Basilius pulchre docet in procemio constitutionum monasticarum: Nuptiae pedicae sunt.ldem apostolus 1. ad Corinthios 7. jubet, conjugatos vacare ex consensu ad tempus ab opere nuptiarum, ut orationi instare possint; Ex quo per bonom consequentiam deducit b. Hieronymus in cap. 1. ad Titum, et lih. 1. in Jovinianum, eum praecipere episcopis, et aliis hominibus sacratis, ut perpetao a nuptiarum opere vacent, cum quotidie orationi insistere debeant. Quo eodem argumento ex hoc loco utuntur Origenes homil. 23. in Numer. et Bpiphanius haeresi Catharorum.

Praeterea in veteri Testamento, continentiam ab uxoribus videntis in primis fuisso requisitam in iis. qui Deo propinquaturi, vet rem aliquam sanctam tractaturi erant. Nam Exod. 12. praecipitur, ut comesturi agnum paschalem renes suos accingerent, quo significabatur, ut Gregorius exponit homil. 22. super evangel. debere cos carnis voluptatem edomare, qui agnum paschalem comedunt. Exod. 19. cum populus legem a Deo accepturus esset, ait illis Moyses: Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris. Quo testimonie utitur Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. ultimo, ad prebandam continentiam clericorum.

Item Exod. 28. praecipit Deus, ut Aaron et filii ejus cum ingrederentur tabernaculum, foeminalibus lineis a renibus usque ad foemora tecti essent; quo exponit Beda, lib. 3. de tabernaculo cap. 9. significatum esse, debere sacerdotem novi Testamenti aut virgines esse, aut contracta cum uxoribus foedera dissolvisse. Item 1. Reg. 21. noluit Achimelech sacerdos dare Davidi panes propositionis comedendos, nisi prius intellexisset, eum ab uxore aliquamdiu se continuisse. Ex quo deducit b. Hieronymus in cap. 1. ad Titum, perpetuam requiri in sacerdotibus continentiam, etiam ab uxoribus, qui corpus Christi, quod illo pane propositionis significabater, confiniunt, edunt, aliisque tradunt.

Denique ex lib. 1. Paralip. cap. 24. et Lucae 1. colligitur, sacerdoles veteris' Testamenti per vices suas ministrare solitos, et toto eo tempore, quo ministrabant in tabernaculo, a domo et uxere abfaisse. Ex quo deducant Syrinium papa in epistola ad Himericum, et Innocentius I. in epistola ad Victricium, necnon Beda in cap. 1. Lucae. quod si illi tempore, quo ministrabant, ab uxeribus abstinebant, omnino decere, ut sacerdotes nostri, qui non per vices, sed semper ministrant, semper ab uxeribus se contineant.

Hoc ultimum argumentum solvere constar. Cal-

vinus, lib. 4. cap. 12. § 25. ac dicit, sacerdotes leviticos ἀντιτύπους Christi fuisse, idest, figuram Christi gessisse, et quia Christi excellentiam et sanctilatem exacte referre non poterant, jussos fuisse ultra humanum morem se purificare. Nunc autem id necessarium non esse, cum per Christi adventum figurae, atque umbrae cessaverint.

At solutio parum valet. Nam sicut levitici sacerdotes, Christi ventúri figuram gerebant, ita nunc sacerdotes christiani Christum, qui venit, repraesentant. Sacerdos enim, dum sacra mysteria peragit, Christi personam sustinet, et propterea sacriticans, non dicit: Hoe est corpus Christi, sed:Hoc est corpus meum. Ipse enim Christum eo loco agit; id quod etiam vestium sacrarum ornatus designat. Deinde, non est illa primaria caussa, eur sacerdotes levitici deberent abstinere ab uxoribus. quia gerebant Christi figuram, sed quia Dominé ministrabant. Exodi 19. Sacerdotes, qui accedent ad Deum, sanotificentur, ne percutiat eos. Nam alioqui David semper erat Christi figura, et tamen tunc solum jussus est abstinere ab uxore, quando panem sanctum comesturus erat, ut diximus. Denique, si illi, quia Christum significabant. debuerunt ultra humanum modum se purificare, quanto magis purificari debebunt, qui Christum ipsum. quotidie tractant.

Probatur secundo, testimoniis conciliorum antiquorum totius Ecclesiae. Ac primum Ecclesiae orientalis. Habemus concilium ancyranum celebratum ante annos 1200. can. 10, ubi dicitur: Diaconos qui in ipsa ordinatione non protestantur se velle uxorem habere, non posse post ordinationem eam ducere: Si autem protestentur, posse ducere, quia tunc censetur episcopus cum eis dispensasse. liem concilium neocaesariense paulo post celebratum, cap. 1. Presbyter, inquit, si uccorem duwerit, ordine suo moveatur. Concilium nicaenum can. 3. interdicit episcopo, presbytero et diacono ne domi mulierem utlam habeat praeter matrem, sororem, amitam. Nulla uxoris mentio fit, quae tamen primo loco poni debuit, si cum ea habitare liceret. Item, cur prohibitur clericis cohabitatio mulierum, si uxorati esse possunt? Nonne uxores ancillas habere possunt in eadem domo? Denique synodus trullana, can. 6. prohibet, ne episcopi, presbyteri, diaconi, aut subdiaconi postordinationem suam, uxorem ducant, et can. 48. praccipit, ut episcopus non cohabitet uxori.

Ecclesiae africanae habemus insigne testimonium. Concilium enim carlhaginense II. can. 2. Omnibus placet, inqui!, ut episcopi, presbyteri, diaconi, vel qui sacramenta contrectant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant. Et ratio ibi redditur: Ut quod, inquiunt, apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus, Hoc testimonium non solum refellit Lutheranos, sed etiam eos ex catholicis, qui volunt hoc decretum de sacerdotum continentia a Syricio incoepisse. Isti enim Patres ab apostolis incoepisse dicunt. Item concilium carthaginense V. can. 3. et concilium africanum, can. 37. idem constituad.

Ecclesiae Italicae habemus concilium romanum

sub Sylvestro I. quod canon. 8. prohibet subdiaconis, ne uxores ullo modo ducere audeant.

Ecclesiae gallicae habemus concilium arelatense II. ante annos 1700. celebratum; in quo can. 2. cavetur, ne ullus conjugatus, ad sacerdotium assumatur, nisi continentiam ab uxore promiserit. Item concilium turonense I. canone 1. et 2. et turonense II. canone 20. agathense, cap. 9. et aurelianense III. can. 2. Ut nullus, inquit, clericorum a subdiacono et supra, propriae, si forte jam habeat, misceatur uxori.

Ecclesiae hispanicae habemus concilium elibertinum ante tempora Syrieii, can. 33. Placuit, inquit, in tatum prohibere episcopis, presbyteris, diaconis, ac subdiaconis abstinere se a conjugibus, et non generare filios. Toletanum II. cap. 1. et toletanum IV. cap. 26. et toletanum vIII. cap. 6. etiam subdiaconis usum uxorum prohibent.

Denique Ecclesiae germanicae Inbemus concilium aquisgranense tempore Ludovici I. cap. 6. concilium wormaciense, cap. 9. Placuit, inquit; ul episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi abstineant se ab uxoribus, et non generent filios. Denique concilium moguntinum tempore Arnulphi imperatoris, cap. 10. statuit, ut nulla penitus mulier, ne soror quidem, aut mater, cum ecclesiasticis habitare permittatur.

Ex his apparet mendacium esse apertissimum, quod Philippus dicit in ipsa confessione augustana, art. 23. cui tot principes subscripserunt, in Germania ante annos 400. primum esse legem coelibatus impositam clericis. Nam concilia citata, sunt in Germania ante annos 700. celebrata, vel etiam amplius. Nec minus mendacium est, quod in apologia dicit, legem de coelibatu clericorum in nullo concilio reperiri, sed a solo romano pontifice contra synodorum sententiam inductam esse.

Probatur tertio, testimoniis veterum pontificum. Clemens I. in canonibus apostolorum, can. 27. In nuptiis autem qui ad clerum provecti sunt, praecipimus, ut si voluerint, uxores accipiant, sed lectores, cantoresque tantummodo. Quod autem de lectoribus et cantoribus dicitur, idem de aliis minoribus ordinibus intelligitur, cum sit omnium eadem ratio, Calixius I. apud Gratianum, dist. 27. can. Presbyleris: Presbyleris, inquit, diaconis, subdiaconis et monachis concubinas habere seu matrimonia contrahere penitus interdicimus. Syricius in epistola ad Himericum, cap. 7. (quod etiam Calvinus fatetur) prohibet cum uxore com-mercium iis qui sunt in sacris. Idem paulo post confirmavit Innocentius I. in epistola ad Victricium, cap. 9. et in epist. ad Exuperium, cap. 1. Idem Leo I. in epist. 82.ad Anastasium episcopum Thessalonicae, cap. 4. et in epist. 90. ad Rusticum narbonensem, cap. 3. Idem Gregorius I. in epist. 42. lib. 1. et epist.34. libri 3. Idem Zacharias papa in epist. ultima, ad Bonifacium episcopum Germaniae, ante annos 800. Unde eliam apparet clarius Philippi mendacium.

Sed placet verba referre Leonis I. in epist. ad Anastasium, quia non solum Lutheranos, sed etiam Graecos, evidenter coarguunt. Ad Graecos enim soribit hoc modo: Omnium, inquit. sacerdetum

tam excellens est electio, ut haec, quae in aliis membris Ecclesiae vacant a culpa,in illis tamen habeantur illicita. Cum enim extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfeétde continentiae púrilatem.nec subdiaconis quidem carnal3 connubium conceditur, ut et qui habent, sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares et innupti. Quod si in hoc ordine, qui quartus exstat a capite, dignum est custodiri, quanto magis in primo, vel in secundo, tertiove servandum est, ne aut levilico ministerio, aut presbyterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria, necdum fraenasse detegitur? His sede expressa testimonia veterum imperatorum, quae exstant codice de episcopis et clericis, leg. eum qui, et sequentibas, item in authenticis de mona-

Probatur quarto, testimoniis veterum Patrum Graecorum et Latinorum. Origenes homil. 23. in librum Numeri: Certum est, inquit, quia impeditur sacrificium indesinens tis, qui conjugalibus necessitatibus serviunt, unde videtur mihi quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti et perpetuae se devoverit castitati. Eusebius lib. 1. demonstrat. evang. cap. 9. Verumtamen, inquit, eos qui sacrati sint alque in Dei ministerio, cultuque occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet etc.

Epiphanius ad finem operis contra haéreses: Sanctum, inquit, sacerdotium ex virginibus, ut plurimum, aut ex solitariis, aut si hi ad ministerium non suffecerint, de his qui se a propriis uxoribus continent, el si quis ab inilio continens viduus fuerit, habere potest locum episcopi, presbyteri, diaconi, hypodiaconi. Item haeresi 59. quae est Catharorum? Sed, inquit, et adhuc viventem et liberos gignentem unius uxoris virum Ecclesia non suscipit, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, diaconum, et presbylerum; et episcopum, et hypodiaconum: maxime ubi sinceri sunt canones ecclesiastici. At dices mihi in quibusdam locis adhuc liberos gignere presbyteros, et diaconos, et hypodiaconos; At hoc non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quae per tempus elanguit.

Chrysostomus hòmil. 2. de patientia Job: Dixit, inquit, unius uxoris virum, non ea ratione, ul id nunc in Ecclesia observetur; oportet enim omni prorsus castilate sacerdotem ornatum esse. Gregorius nyssenus libro de virginilale cap. ull. Quomodo, inquit, Dei sacerdotiv fungeris.qui ad hoc ipsum, ul munus offerres, unclus es P Quomodo haec ipsa Deo offeres, qui legi non oblemperas prohibenti, ne sacra impurus facial? Ac si Deum tibi apparere expetis. quid in caussa est our Moysem non audias, qui populo edicii, ui a muptiis purus sit, quo Dei aspeclum comprehendat? Cyrillus catechesi 12. Si. inquit, qui apud Jesum bene fungilur sacerdolio, abstinet a muliere: ipse Jesus quomodo ex viro, et muliere proditurus esset? Qecumenius in cap. 3. primae ad Timoth. in illud; Unius uxoris virum: Non statuit, inquit, ut ab uxore pendeat episcopus, aut uxorem necessario habeat, sed:si fiat, inquit, e mundanis, non sit saltem bigamus, ita tamen ut vocatus ad episcopi munus, illud compleat; quod qui habent uxores, sint tanquam non habentes.

Jam ex Latinis. Cyprianus, sive quicomque est auctor, in lib.de singularitate clericorum, affirmat sibi a Domino revelatum, non debere clericos domi suae haberermulieres; id quod etiam toto eo libro probat. Negaer obstat, quod in extremo libro (ut Petrus Martyr notavit) sie loquitur: Si quis habet matrem, vel filiam, vel sororem, vel conjugem, vel cognitam, sic habeat, ut nulla ancilla intersit etc. Nam loquitur de conjuge, quae simul voverit continentiam. Similis habetur locus in concilio II. arelatênsi , can. 3. Si quis de clericis a gradu diaconalus in solatio suo mulierem prae-<mark>ler aviam, malrem;</mark> sororem, filiam, nepte<del>m</del>, vel conversam secum uxorem habere praesumpserit, a communione alienus habeatur. Alioqui si Cyprianus uxorem clericis concederet, qua uti liceret, pugnaret cum toto suo libro, et cum ipso titulo: De singularitate cléricorum.

Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. ult. Inosfensum, inquit, exhibendum, et immaculatum ministerium, nec ulla conjugati coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio conjugati, sacri ministerii gratiam recepistis. Quod ideo non praeterivi, quia in plerisque abditioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt. Idem in epist. 82. ad Ecclesiam vercellensem: Habentem, inquit, filios, dixit apostolus, non facientem etc. Et in cap. 1. epist. 1. ad Timotheum: Deinceps, inquit, ab usu

foeminae cohibentur etc.

Hieronymus lib. in Vigllantium circa initium: Quid facient, inquit, orientis Ecclesiae? quid Aegypti, et sedis apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt. aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse deststunt? Item in fine apologiae pro libris contra Jovinianum: Episcopi, Inquit, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium pudici.

Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 20. Solemus, inquit, eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti; eamque susceptam usque ad debitum finem. Domino adjuvante perducunt. Vide totum locum. Auctor quaestionum veteris et novi testamenti, qui non est Augustinus, ut titulus praesesert, sed aliquis antiquior, quaestione ultima sub finem: Si licet, inquit, et bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet uxores habere? Et prolixe caussam reddit.

Gregorius praeter decreta supra citatalib.6, cap.
1. in lib. Regum, errare dicit eos, qui propter verbum Pauli: Unusquisque uxorem suam habeat, putant licere ecclesiasticis uxores habere. Gregorius turonicus lib. 4. hist. cap. 4. refert quendam comitem, qui dimissa uxore fuerat sacris initialus, quia postea ad uxorem redire voluit, ab omnibus

episcopis excommunicatum fuisse.

Bellarmini. Vol. II.

Isidorus lib. 2. de officiis divinis, cap. 10. Placuit, inquit, sanctis Patribus, ut qui saera mysteria contrectant, casti sint, et continentes ab uxoribus, et ab omni carnali immunditia sint liberi. Haec de subdiaconis dicit. Similia docet de diaconis et presbyteris cap. 5. et 8. Ex quibus locis intelligi possunt ea verba capitis secundi: Castimoniam corporis perpetuo servent, aut unius matrimonit vinculo foederentur. Haec enim dicuntur de clericis in universum, tum majoribus, tum minoribus. Debent enim omnes clerici aut perpetuo esse continentes, si majoribus ordinibus initiati sint, aut unius matrimonii vinculo copulari, si minoribus.

B. Anselmus in epist. 8. asserit recte a Gregorio VII. prohibitum fuisse, ne ulli interessent sacris sacerdotum conjugatorum. Beda lib. 3. de tabernaculo, c. 9. Nemo potest, inquit, vel sacerdotum suscipere, vel ad altaris ministerium consecrari, nisi aut virgo permanserit, aut contracta cum uxore matrimonii foedera solverit. Denique ut recentiores omittam, Arator subdiaconus Vigilii papae ante annos 1000.in lib. in acta apostolorum cap. 30. posteaquam explicuit rationem, cur sacerdotibus veteris legis permitteretur, ut solum ad tempus ab uxoribus se continerent, subdit:

Ecclesiae nunc alma fides sine fine pudicos

Pontifices jubet esse suos etc.

His testimoniis accedant exempla eorundem. Nam a tempore apostolorum, omnes episcopi, presbyteri, aliique ecclesiastici, quorum vitas habemus, et quos unquam laudatos audivimus, continentes fuerunt, neque ullum exemplum probati viri in contrarium afferri potest. Magdeburgenses quidem diligentissime quaesierunt omnibus saeculis aliquos, qui uxorem duxerint post susceptos ordines, et multa exempla proferunt, Centuria 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. et 11. initio capitis septimi, sed nullum eorum aliquid valet. Nam vel exempla illa debent intelligi de uxoribus, quas antea duxerant, ut de Gregorio, patre Gregorii nazianzeni, vel intelliguntur de minoribus clericis, ut quod proferunt ex concilio teletano IV. cap. 42. vel sunt exempla eorum qui reprehenduntur, ut quae proferunt ex epistola Zachariae ad Bonifacium, vel sunt expressa mendacia, ut cum dicunt Cent. 5. cap. 7. Presbyteros Macedoniae duxisse uxores, teste Innocentio L. epist. 22. nihil enim tale Innocentius dicit.Philippus in lib. de coelibatu ad regem Angliae, probat veteres episcopos matrimonio usos ex epist. Polycratis, apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 24. scribit enim Polycrates septem ex parentibus suis fuisse episcopos, seque octavum esse. At deceptus Philippus est ex versione Ruffini. Graeca enim vox συνγενών, quae est apud Eusebium, non parentes, sed cognatos significat. Sed fac esse parentes, num propterea sequitur eos in episcopatu matrimonio usos?

Ex hac autem tanta nube testium tria deducuntur. Primo, errare Clictovaeum et alios, qui putant legem continentiae impositam clericis primum a Syricio. Nam Clemens, Origenes, Eusebius, E-

piphanius, et aliqua concilia citata, antiquiora sunt Syricio. Secundo, morem Graecorum, quem nunc habent, non fuisse primis sexcentis annis. ut patet ex iisdem auctoribus, necnon ex Chrysostomo, Hieronymo et Leone locis citatis. Tertio, mendacium esse, et quidem impudentissimum Calvini lib. 4. instit. cap. 12. § 23. ubi dicit omnes veteres Patres approbasse conjugium in ordine episcopali. Nam Patres plurimi citati et concilia plurima contrarium statuunt, et nullum exemplum in contrarium adferri potest.

Probatur jam quinto ratione; cum enim conjugium vehementer impediat ecclesiastica munera, aequuum fuit, ut sacerdolibus, aliisque sacratis hominibus conjugia prohiberentur, nam ecclesiasticorum munera sunt sacrificare, orare, docere, exhortari, sacramenta ministrare, curam pauperum gerere, et similia, quae rite exerceri non possunt, ut apostolus ad Titum c. 1. docet, nisi sacerdos sit hospitalis, benignus, sobrius, justus, san-

clus, continens, doctus.

Jam vero matrimonium impedit in primis, ut Hieronymus dicit lib. 1. in Jowinianum, munus sacrificandi, quia summa quaedam puritas, et sanctitas in eo requiritur, ut Chrysostomus explicat lib. 6. de sacerdotio. In actu vero conjugii negari non potest, quin admixta sit quaedam impuritas et pollutio, non quae peccatum sit, sed quae ex peccato tamen nata sit. Quamvis enim Calvinus, loco notalo, vociferetur contra Syricium, qui conjugium sacerdotum pollutionem vocavit, tamen non solum conjugium sacerdotum, quod sacrilegium est, non conjugium, sed etiam sanctorum matrimonium sine pollutione quadam, et turpitudine non exerceri, satis testatur rebellio membrorum, et verecundia humana in illo actu, quae secretum super quaerit, ut notavit b. Augustinus lib. 14. de civitate Dei, cap. 17.

Deinde, impedit studium orationis et lectionis, in quo assidue sacerdos versari debet. Oratio enim requirit mentem elevatam, purgatam et tranquillam; actus autem conjugii, ut b. Augustinus docet lib. 14. de civit. Dei, cap. 16. maxime hebetat aciem mentis et deprimit ad inferiora, et perturbat, et animam ipsam carnalem quodammodo facit.

Tertio, impedit efficaciam praedicationis, ut Ambrosius docet lib, 1. de officiis cap. ultim. quomodo enim efficaciter exhortabitur viduas et virgines,

qui liberis perpetuo operam dat?

Quarto, impedit curam pastoralem, nam qui uxorem, et liberos habet, de illis semper cogitat, et affectus, quo oves suas prosequi deberet, in uxore et filiis totus consumitur, et tamen (ut Ambrosius docet lib. 1. de officiis, cap. 7.) plus diligendi essent filii spirituales, quam carnales.

Quinto, impedit curam pauperum, et illam hospitalitatem, et benignitatem, quam apostolus tantopere commendat; nam qui uxorem, et liberos habet, debet eis thésaurizare, et raro inveniuntur conjugati qui superfluum habeant. Adde, quod cum clericus non possit filiis, relinquere beneficia, et tamen omnis Pater cupiat bene prospectum siliis suis, cogerentur esse avarissimi et vendere sacramenta.

Sexto, impediret sacramentorum administrationemitune enim vix distinguerentur elerici a laicis, et esset sicut populus, sic sacerdos. Quod experientia testatur; nam tempore Gregorii VII.cum in Germania coepissent sacerdotes uxores ducere, tantus contemptus sacramentorum sequutus est, ut passim laici sacramenta administrarent, ut Joannes Nauclerus, et alii referunt. Itaque merito b.Epiphanius haeresi 59. dicit, propter honorem sacerdotii necessariam esse continentiam. Superest argumenta solvere. Ac primum solvam argumenta Calvini eodem ordine quo ipse proponit.

#### CAPUT XX.

# Solvuntur argumenta Calvini.

Argumentum primum. Deus reliquit matrimonium liberum;ergo nulli homini licuit id prohibere, et confirmatur ex apostolo 1. Timoth.4:ubi notam haereticorum esse dicit prohibere nuptias.

Respondeo:Concedimus totum argumentum; neque enim Ecclesia prohibet matrimonium, aut cogit ullum ad coelibatum absolute suscipiendum, sed solum requirit eam conditionem in iis, qui initiari volunt sacris mysteriis, quam si quis nolit accipere, potest non accipere, sed non initiabitur. Quemadmodum non censetur Ecclesia prohibere judicia forensia, nec officium tortoris , éti**ams**i nolit talia ab ecclesiasticis fieri. Ad locum apostoli dicimus cum Hieronymo libr. 1. in Jovinianum, et Augustino libr. 30. contra Faustum, cap. 4. et 6. Ambrosio, Chrysostomo, aliisque in hunc locum, notari ab apostolo eos, qui absolute nuptias ut malas prohibebant, quales fuerunt Talianus, Marcion et Manichaeus.

Sed forte objiciunt, quia apostolus dicit id futurum in novissimis diebus. Respondeo: Novissimos dies intelligi totam hanc ultimam actatem, quae est » Christo usque ad judicium. Nam apostelus ait: Nos sumus in quos fines sae culorum devenerunt. 1. Cor. 10. Et: Filioli novissima hora est.1. Joan. 2. Adde, quod vox graeca non est ἐσχάτοις sed υςέροις, idest, non in ultimis, sed in posterioribus temporibus. Neque id negare possunt adversarii, nisi velint Manichaeos et Encratitas ab apostolo notatos non fuisse, qui tamen apertissime nuptias prohibebant. Nec enim illi in ultimis temporibus fuerunt.

Sed objicit Petrus Martyr in lib. de coelibatu,et votis monasticis, sanctum Augustinum, qui lib. 2. de moribus Manichaeorum, cap. 18:et in epist.74. ad Deuterium, testatur Manichaeos non prohibuisse nuptias nisi electis suis, qui erant apud eos quasi sacerdoles et monachi:et tamen dicit eos notari ab apostolo, cum ait, doctrinam esse daemoniorum,

prohibitionem nuptiarum.

Respondeo: Idem Augustinus lib.30.contra Faustum, cap. 6. scribit, a Manichaeis interdictas nuptias simpliciter. quia etsi eas permittebant auditoribus suis, id faciebant, quia non poterant aliud obtinere: Nec ideo, inquit, vos dicatis non prohibere, quia multos vestros auditores in hoc obcdire nolentes, aut non valentes, salva amicitia toleratis. Hacc ille. Nos autem non solum toleramus Christianos conjugatos, sed etiam laudamus. Ac praeterea Manichaei auditoribus suis sic nuptias permittebant ad explendam libidinem, ut tamen conceptum, et liberorum procreationem cavendam esse monerent. Quod est nuptias apertissime detestari. Catholici autem ideo potissimum nuptias laudant, quod ad procreationem liberorum a Deo institutae fuisse noscantur.

Argumentum secundum. Apostolus 1. Timoth.3. et Tit. 1. cum absoluti episcopi ideam exprimeret, inter reliquas dotes et virtutes, quas in eo requirebat, ausus est conjugium ponere: ait enim, uni-

us uxoris virum esse eligendum.

Respondeo: Falsissimum est, quod apostelus inter dotes, aut virtutes absoluti episcopi ponat cenjugium: ad quod probandum sufficere deberet, quod quotquot sanctissimi episcopi hactenus fuerunt, omnes continentes fuerunt, ut supra diximus:quos certe nullo modo credibile est, aut non intellexisse verba Pauli, aut ei obtemperare noluisse. Praeterea cum idem Paulus, 1. Corinth. 7. hortetur ad continentiam, et dicat bonum esse innuptis et viduis, ut sie permaneant, et: Qui nubit bene facit, qui non nubit melius facit; quomodo credibile est eundem Paulum inter dotes, et virtutes episcopi posuisse ut uxorem habeat? Adde, quod non solum Chrysostomus et alii Patres in hunc locum docent, Paulum non tulisse legem, ut episcopi habeant uxores, sed solum ut non habeant, vel habuerint plures quam wnam: sed etiam Martinus Lutherus in propositionibus de digamia contendit ista verba: Unius uxoris virum, esse accipienda negative, non positive, its ut non teneatur episcopus habere, unam, sed teneatur non habere plutes foeminas una cum

At, inquit Calvinus, Paulus ibidem, ubi descripserat quales debeant esse episcopi et diaconi, describit etiam quales debeant esse eorum uxores. Respondeo, Paulum, ubi dicit: Mulieres similiter pudicae etc. vel loqui de mulieribus generatim, ut Ambrosius exponit; vel de diaconissis, quae viduae erant, ut Chrysostomus et Theophylactus docent; vel si loquatur de uxoribus episcoporum et diaconorum, loqui de uxoribus, quas acceperant ante ordinationem, non quas postea accepturi essent.

Argumentum Tertium. Apostolus Hebr. 13. citra exceptionem secure pronunciat, honorabile esse inter omnes conjugium: Cur non etiam inter sacer-

doles?

1

í

;)

Respondeo: Argumentum facile in ipsum retorqueri posse, si enim conjugia omnium sunt honorabilia, etiam conjugia consanguineorum in primo aut secundo gradu erunt honorabilia, et conjugia adolescentium injussu parentum contracta, erunt honorabilia, quae tamen Calvinus improbat libro 4. capite 19. § 37. instit. Dico igitur, tribus modis posse exponi illud, In omnibus, graece ev ndot. Primo, ut in omnibus, idem sit, quod omni ex parte, idest, conjugium honorabile est in omnibus, quae conjugii sunt, sive sacramentum, sive fidem, sive prolem consideres: ita Occumenius in hunc lecum. Secundo, ut omnibus, significet apud o-

mnes, idest, nemo debet conjugium reprehendere, etiamsi virginitatem ipse profiteatur; ita videtur accepisse Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. Denique, in omnibus, idest, in omnibus legitime conjunctis, quicumque illi sint, sive senes, sive juvenes, sive nobiles, sive obscuri, sive Graeci, sive Hebraei etc. Ita Theophylactus in hunc locum, et haec videtur magis literalis expositio, sed parum refert.

Argumentum Quartum. Apostoli exemplo suo docuerunt, nullius, quamvis excellentis functionis sanctitate, indignum esse conjugium, nam eos uxores non solum habuisse, sed etiam circumduxisse testatur Paulus 1. Corinth. 9. cui loco etiam addi potest illud Philipp. ult. Rogo te etiam Germane compar adjuva illas etc. Posset enim commode verti, Germana conjux, quod graece scri-

plum est.

Respondeo: Non esse omnino certum, qui ex apostolis uxorem habuerint, et qui non habuerint. Tertullianus libro de monogamia, et Hieronymus libro 1. in Jovinianum existimant praeter Petrum, cujus socrum in evangelio legimus, nullum alium apostolorum uxorem habuisse. S. Ignatius in epistela ad Philadelphienses dicit, Petrum et Paulum. et reliquos apostolos conjugatos fuisse, excepto Joanne, quamquam in vaticano codice, et quibusdam alils vetustis non habetur nomen Pauli. Clemens quoque alexandrinus libro 3. Stromatum circa medium, aliquos apostolorum, et nominatim Paulum uxorem habuisse asserit ex locis citatis. Sed quidquid de hoc sit, certum est eos ex apostolis, qui uxorem habuerunt, postquam vocati a Christo fuerunt, officio conjugali renunciasse, ut beatus Hieronymus docet lib. 1. in Jovinianum, et satis colligitur ex cap. 10. Matth. Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te. Statim enim Dominus explicans, quid sit relinquere omnia; adjicit: 0mnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxo-

Ad locum igitur illum 1. Cor. 9. ubi dicitur: Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut caeteri apostoli, et fratres Domini, et Cephas? Dico apostelum non de uxoribus, sed de piis foeminis loqui, quae sequebantur apostolos. et eis ministrabant, sicut etiam Dominum sequebantur Lucae 8. Ita fere omnes Graeci et Latini exponunt, ut Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophilactus, Ambrosius, Haymo, et alii in hunc locum. Necnon Tertullianus libro de monogamia, b. Hieronymus libro 1. in Jovinianum, b. Augustinus libro de opere monachorum, capit. 4. et 5. et certe proprietas linguae graecae hoc satis ostendit. Nam dicit ἀδελΦήν γυνάικα περιάγειν, sine ullo articulo. Si enim de uxore loqueretur, diceret: the yuvetica; uxor enim certa quaedam mulier est. Adde, quod Glemens alexandrinus, qui unus ex veteribus exposuit hunc locum de uxoribus apostolorum, ibidem addit; quod etsi nxores erant, tamen cessaverat inter eos conjugate officium, et loco sororum, non loco uxorum ab apostolis habebantur, quod nobis sufficit contra hae-

Occurrit Petrus Martyr in cap. 9. primae ad Co-

rinth.ubi probat tripliciter apostolum loqui de uxoribus. Primo, quia alioqui non diceret, sorores mulieres, sed sorores tantum, cum constel omnem sororem esse mulierem. Secundo, quia non diceret, potestatem circumducendi mulierem, quod sonat auctoritatem, sed diceret consuevisse mulieres sequi, ut legimus Luc. 8. Tertio, quia si illae mulieres aluissent apostolos ex suis facultatibus, falsum esset quod apostoli accepissent sumptus a populis, ergo loquitur de uxoribus, quae sequebantur apostolos viros suos, et non eos alebant, sed ab eis alebantur ex sumptibus populorum.

Ad Primum dico: Sic vocari sorores mulieres, sicut Act. 1. dicuntur viri fratres, nisi quod Paulus, ut saepe solet, mutavit ordinem, et dixit sororem mulierem, pro mulierem sororem. Ad Secundum dico: Potestatem, de qua Paulus loquitur, non fuisse in mulieres, sed in actionem eas circumducendi, si sequi vellent, vel si in mulieres erat potestas, dicam, apostolos habuisse auctoritatem in eas mulieres, non virorum in uxores, sed docto-rum in discipulas. Ad Tertium dico: Vel eas mulieres non fuisse divites, et non ministrasse pecunias, sed obsequium tantum, accipientes pecunias a populis, quibus apostoli praedicabant, vel fuisse divites, et aluisse apostolos, sed non semper fuisse cum apostolis, et ideo apostolos aliquando fuisse nutritos a populis, aliquando ab illis mulieribus.

Ad locum ex Phil. 4. dico duo. Primo, non de uxore Pauli hic agi, sed de viro aliquo, quem Paulus vocat Germanum comparem, seu conjugem, aut conjugalem, σύζυγος enim significat eum, qui idem jugum trabit. Vocat autem eum conjugem, vel quia erat maritus alicujus ex foeminis antea nominatis, idest, Evodiae aut Synthiches, ut Chrysostomus et Theophylactus dicunt, vel quia erat socius suus in evangelii praedicatione, ut Theodoretus, et Haymo docent; vel certe est nomen proprium viri, ut vult Oecumenius.

Quod autem ita sit, idest, quod non loquatur de uxore, suadent hae rationes. Prima, quia plurimi veterum asserunt Paulum non habuisse uxorem,ut Hieronymus in epistola ad Eustochium de virginitate. Hilarius in psalm. 127. Augustinus libro de gratia, et libero arbitrio, cap. 4. Epiphanius haeresi 58. Valesiorum, Ambrosius in c. 7. prioris ad Corinth. et in exhortatione ad virgines, Tertullianus in utroque libro ad uxorem. Item Chrysost. Theodoretus, aliique veteres omnes in hunc locum, excepto Clemente alexandrino, Secunda, quia, ut Theophylacius notavit, si de uxore loqueretur, non diceret γνήσιε, sed in genere foeminino γνησία. Non enim tam politus erat apostolus ut atticismis uteretur. Tertia, quia, ut dicit Oecumenius, non est credibile uxorem Pauli habitasse Philippis, et non potius in Judaea, vel certe in Tarso Ciliciae, unde Paulus oriundus erat. Quarta, quia, ut Ambrosius notavit in 1. Corinth. 7. Paulus adolescens a Domino vocatus est, quo tempore non est credibile eum uxorem habuisse, et cerlum est postea non accepisse. Quinta, quia, ut notavit Theodoretus, Paulus 1. Corinth. 7. ponit se inter eos qui non habebant uxores: In nuptis, et viduis, inquit, di-

co, bonum est illis si sic permanserint, sicul et ego; Quod si non se continent, nubant. At epistola ad Corinthios scripta est ante epistolam ad Philippenses, ut idem Theodoretus ostendit in praefatione commentarii in epistolas. Igitur vel Paulus accepit uxorem postquam scripserat ad Corinthios, quod est incredibile, aut non habuit uxorem cum scriberet ad Philippenses.

Dico Secundo, quod si constaret Paulum loqui de uxore sua; tamen certum etigan nobis esse deberet, eum ab uxore separatum foisse, quond thorum. Quod enim Paulus vitam continentem duxerit cum evangelium praedicabat, evidenter deducit ex 1. Corinth. 7. b. Augustinus libro de gratia et libe-

ro arbitrio, cap. 4.

Argumentum Quintum et ultimum Calvini samitur ex historia Socratis lib. 1. cap. 8. et Sozomeni lib. 1. cap. 22. ubi dicunt, quod cum nicaenum concilium legem ferre vellet, ne liceret clericis cum uxoribus suis dormire, surrexit Paphnutius confessor, et synodus tota in ejus sententiam ivit, et continentiam ab uxore in arbitrio cujusque reliquit.

Respondeo: Hoc testimonium aliquid habere momenti pro sententia Graecorum, sed nullum penitus pro errore Lutheranorum. Nam uterque auctor in eodem loco testatur Paphnutium adjecisse, bonum sibi videri, ut secundum antiquos canones prohibeatur clericis, ne post ordinationem ullo modo uxores ducant, sed solum permittantur uti illis, quas ante ordinationem acceperunt. Nonne hoc totum contra Lutheranos est, qui post sacerdotium uxores ducunt?

At neque pro Graecorum errore magnum est praesidium in hoc testimonio Socratis et Sozomeni. Nam vel totum est falsum quod isti de Paphnutio tradunt, vel certe (quod magis credo) tale aliquid tuno accidit, sed non bene ab istis narratum est. Fortasse voluerunt Patres concilii graviores poenas constituere in clericos incontinentes, quales tunc aliquos fuisse ex Epiphanio et Ambrosio locis notatis intelligi potest, et Paphnutius suasit

non esse id faciendum. At quod concilium statuerit, continentiam esse relinquendam in arbitrio clericorum nullam habet apparentiam, nec debet illis auctoribus credi. Primo, quia Sozomeni historia a s. Gregorio reprobatur, lib. 6. epist. 31. Quia, inquit Gregorius, multa mentitur. Socrates autem, ut omittam caetera, lib. 5. suae historiae, cap. 21. tria clara mendacia dicit. Primo: licuisse suo tempore unicuique celebrare pascha quando vellet, nec de bac re Ecclesiam aliquid certi statuisse. At constat, nicaenam synodum statuisse ut pascha semper celebraretur prima dominica post quartamdecimam lunam primi mensis; cujus canonis meminerunt Epiphanius haeres. 70. Audianorum, et Ambrosius lib. 10.epistola 83. Eusebius in vita Constantini, Athanasius in libro de synodis Arimini et Seleuciae. Secundo dicit, in romana Ecclesia non jejunari ante pascha, nisi tres hebdomadas, et tamen vocari quadrage-simam. At s. Leo, qui eodem tempore vixit, quo Socrates, sermone 4. de quadragesima dicit, Romae jejunari XL. dies, et idem dicit Gregorius hom.

16, in evangelia, et certissimum est. Tertio dicit, Romae non jejunari in sabbatis, cum tamen contrariam sit certum ex Augustino epistol.86.et 118. ad Januarium. Si ergo in historia sui temporis Socrates tam aperte mentitur, vel certe refert quae non scit, quae fides adhiberi illi potest in historia concilii nicaeni, quod annis plusquam centum ante

ejus aetatem celebratum est?

Praeterea, historia ista de Paphnutio manifeste pugnat cum verbis Epiphanii contra haeres. 59. ubi ail, esse contra canones ecclesiasticos, quod sacerdos vel diaconus liberos gignat; et cum verbis Hieronymi libro contra Vigilantium, ubi dicit in oriente et Aegypto non esse licitum sacerdotibus et diaconis uxoribus uti, quod sane falsum est, si nicaena synodus, in oriente paulo ante celebrata, uxorum usum illis concessit. Vel ergo Epiphanius. et Hieronymus, vel Socrates et Sozomenus mentiuntur. At certe magis credendum est Epiphanio et Hieronymo viris sanctis, et qui vicini sucrunt temporibus concilii nieaeni, quam Socrati et Sozomeno haereticis, et multo recentioribus.

Deinde, quomodo cobaeret illa narratio de Paphnulio cum canone tertio concilii nicaeni, ubi prohibetur episcopis, presbyteris, disconis, ne ullam domi mulierem habeant, praeter matrem, sororem, amitam? Et hoc argumento convictus Lutherus, in lib. de conciliis parte prima dicit, Patres concilii no luisse sequi sententiam Paphnutii, quamvis etiam contrarium Lutherus alibi scrip-

serit.

Denique, qui fleri potest, ut nec Ruffinus, qui multa de concilio nicaeno et Paphnutio scripsit lib. 1. historiae ecclesiasticae, nec ullus alius ex veteribus ante Socratem hujus rei meminerit, nec ullum vestigium tantae rei in actis concilii exstet? Quod autem quidam dicunt, Suidam, qui bujus rei meminit in vita Paphnutii, fulsse paulo post tempora Constantini, aperte falsum est; nam Suidas aliquot saeculis Socrate posterior est, quippe qui scribit etiam vitam Joannis Damasceni.

# CAPUT XXI.

#### Solvuntur argumenta Philippi.

Nunc ad argumenta Philippi veniamus. Argumentum Primum. Conjugium est de jure divino.Gen.1. Crescite et multiplicamini: Et de jure naturae, ut palet ex naturali appetitu generandi; at jus divinum et naturae non potest tolli ulla humana lege, ergo etc. Et confirmatur. Nam sicut nemo potest obligari a se, vel ab alio ad non comedendum, quia hoc esset contra naturalem inclinationem conservandi individuum, ita nemo potest obligari a se vel ab alio ad non ducendam uxorem, quia id esset contra naturalem inclinationem conservandi spe-

Respondeo: Verbum Domini non praeceptum sonare, sed naturae institutionem exprimere. Nam etiam avibus, et brutis animantibus ibidem Deus dixil: Crescite et multiplicamini; quibus tamen nihil proprie praecipi potest. Praeceptum autem naturale esse de conjugio ineundo, concedi potest, sed quia est affirmativum, non obligat nisi in casu necessitatis, idest, quando periculum immineret, ne humanum genus periret. Et per hoc re-

spondetur ad confirmationem.

Nam sicut non tenemur comedere, nisi quando periculum est, ne pereat individuum, ita non tenemur ducere uxorem, nisi quando periculum esset, ne species humana periret. Ad quod respicientes Patres dixerunt, illud: Crescite et multiplicamini, tunc fuisse praeceptum singulis hominibus quando terra erat vacua, ut in exordio mundi, et mox a diluvio. Nunc autem cum terra plena sit, coelum esse replendum, quod melius continendo, quam nubendo sit; Etsi enim hanc selutionem Philippus ridet, tamen est Tertulliani lib. de monogamia ante medium, Cypriani lib. de habitu virginum, Hieronymi lib. 1. in Jovinianum, et Augustini de sancta virginitate, cap. 9.et ipse textus boc docet; nam postquam Deus dixit: Crescite et multiplicamini, subdit, quasi rationem reddens: Et replete terram. Itaque tunc solum vim praecepti illa verba habent, cum terra est vacua. Denique, si Philippus vult jure divino et naturali quocumque tempore teneri homines omnes ad conjugium, injuriam facit Christo, Joanni, innumerisque aliis sanctissimis viris, qui sine uxore vixerunt.

Argumentum Secundum. Apostolus praecipit omnibus, qui donum continentiae non habent, ul nubant, 1. Cor. 7. Propter fornicationem au-

tem unusquisque uxorem suam habeat.

Respondeo: Apostolorum loqui de conjugatis, qui cum in paganismo uxores duxissent, post conversionem ad fidem, dubitabant an deberent uxoribus uti; iis enim respondet, ut unusquisque uxorem suam retineat et conjugale debitum invicem reddant. Ita Tertullianus lib. de monogamia, et b. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, et patet ex sequentibus. Nam paulo post addit: Dico autem non nuptis, et viduis, bonum est eis si sic permanserint. Et: Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem.

Adde etiam, non esse hoc praeceptum apostoli, sed consilium, vel permissionem potius, sicut illa ejusdem capitis: Si non se continet, nubat, et si nupserit virgo, non peccavit etc. Est enim sensus apostoli, ut Hieronymus ibidem et Chrysostomus, et Ambrosius, et alii in hunc locum exponunt: Bonum est mulierem non tangere, et vel uxorem non ducere, vel post eam ductam ex consensu ab officio conjugali abstinere; tamen si timetis fornicationem, bene facilis uxori adhaerendo, quia mellus est carere perfectione virginitatis, quam incidere in flagitia fornicationum.

Adde tertio, haec omnia dici iis, qui volum continentiae non habent. Qui enim voverunt continentiam, iis non dicitur: Unusquisque uxorem suam habeat et virgo si nupserit, non peccavit. Sed dicitur; Redde altissimo vota tua. Et: Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt. Hanc exceptionem diserte ponunt Hieronymus lib. 1. in Jovinianum in illud: Si nupserit 186 DE CLERICIS

virgo non peccavit. Chrysostomus in commentario ejusdem loci. Epiphanius haeresi 61. eadem verba exponens. Idem Augustinus in psalm. 83. tractans eadem verba: et Gregorius lib. 6. cap. 1. in lib. regum, tractans illud: Unusquisque uxorem suam habeat.

Argumentum Tertium. Lex pontificia, quae coelibatum sacerdotio adjunxit, dissentit a conciliis antiquis, proinde iniqua censenda est. Quae autem sint illa concilia, ipse non dixit. Nos tamen adducamus quaecumque adduci possunt. Primo est canon apostolorum sextus: Episcopus aut presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat.

Secundo est canon concilii gangrensis quartus: Quicumque discernit a presbytero, qui uxorem habuit, quod non oporteat eo ministrante de o-

blatione percipere, anathema sit.

Tertio est canon 13. sextae synodi, qui diserte reprobat morem romanae Ecclesiae, quo jubentur profiteri continentiam, qui sacris initiantur.

Quarto est canon 3. concilii V. carthaginensis, in quo statuitur, ut episcopi, presbyteri, diaconi se abstineant ab exoribus in propriis terminis, idest, in ordine vicis suae, ut exponunt Trullani Patres canone jam citato.

Quinto est canon Aliter, distinctio. 31. ubi Stephanus pupa dicit, in orientali Ecclesia ecclesia-sticos viros matrimoniis copulari, nec eum morem reprehendit. Ergo falsum est, quod saepe diximus, numquam esse auditum quod licuerit post sacram ordinationem uxorem ducere.

Ultimo est canon b. Augustini 35. quaest. 1. can. cum igitur, ubi dicitur: Ecclesia, post apostolica instituta, quaedam consilia perfectionis addidit, utpote de continentia clericorum etc. Ergo hoc, consilium, non praeceptum est. Hace forte sunt omnia quae ex jure canonico pro senten-

tia haereticorum adduci possunt.

Ad Primum respondet Hubertus cardinalis in lib. contra Nicetam et habetur haec responsio sub nomine Leonis IX. dist. 31. can. Omnino, apostolos jussisse ut non abjiciant clerici uxores a cura sua, et si reliquerint quoad thorum, debent enim adhuc eas alere, et eis in omnibus providere. Id quod exposuit concilium trullanum can. 48. abi dicitur; quod episcopi uxor debet in monasterio aliquo degere, et providentia episcopi viri sui frui. Necnon concilium turonense II. can. 8. ubi dicitur, quod episcopus conjugatus debet habere uxorem ut sororem, et ejus curum gerere, absque tamen ulla suspicione carnalis commercii. Adde, quod iste ipse canon pro nobis facit: nam graeca vox pro qua habemus (religionis) est ἐυλαβείας, quae cautionem proprie significat. Itaque sensus est, episcopus aut presbyter nequaquam praetextu cautionis uxorem abjiciat, idest, ne curam uxoris dimittat, eo praetextu quod tenetur ab ea se continere.

Ad Secundum dico, anathema dici eis, qui putant matrimonium ex se esse malum, et propterea existimant non licere sacra facere ei qui uxorem habuit, etiamsi ab illa se contineat. Id ita esse, patet, tum quia in ipso primo canone dicitur anathema iis, qui putant nuptias absolute esse malas,

et in hoc canone quarto non dicitur, qui uxorem habet, sed qui uxorem habeit.

Ad Tertium dico illos canones non esse ullius approbati concilii. Nam vera sexta synodus nullos canones edidit, ut patet ex VII. synodo, actione 4. et 5. Sed post VI. synodum quidam episcopi convenerunt Constantinopolt, et in palatio imperatoris Justiniani II. quod Trullum dicebatur, canones istos ediderunt nomine sextae synodi. Caeterum hos canones non solum nullus romanus pontifex probavit, sed etiam aperte improbavit Sergius papa, qui tunc sedebat, ut Beda scribit, in lib. de sex aetatibus in Justiniano, et Paulus diaconus lib. 8. capit. 9. de rebus romanis. Vocat autem Beda erraticam synodum coetum illorum Patrum, qui hos canones ediderunt. Adde, quod etiamsi isti canones aliquid valerent, nibil tamen juvarent coussam Lutheranorum, nomenim permittunt ut ulli clerico post sacrorum ordinum susceptionem liceat uxorem ducere, quod Lutherani faciunt, sed solum ut liceat uti uxore ante ordinem ducta et hoc eliam non permittunt episcopis, sed solum inferioribus clericis, ut patet ex can. 6. 12. et 48.

Ad Quartum dico, verba latina concilii non esse, in propriis terminis, sed secundum priorum staluta, vel, secundum propria statuta, idest, secundum legem conditam in conciliis prioribus carthaginensibus, ac praecipue in II. earthaginensi can. 2. Graeci autem haec verba male intelligentes verterunt, κατά τους ίδιους δρους. Quamquem etiam haec ipsa graeca verba non male reddi possent. secundum propries definitiones. Sed cum latinum sit concilium, non graecum, non multum laborandum est de graeca lectione. Prohiberi autem in hoc concilio omnem usum uxorum sacris hominibus, patet ex Augustino lib. 2.de adulterinis conjugiis, cap. 20. qui Augustinus illi concilio interfuit. Item ex eo quod iste canon loquitur eodem modo de épiscopis, et de aliis. At Patres trullani non permittunt episcopos misceri unquam suis uxoribus.

Ad Quintum dico Primum: Canonem illum forte nullius esse auctoritatis; nam nec' dicit Gratianus quotus sit Stephanas ille, qui eum canonem edidil, cum plurimi fuerint pontifices ejus nominis, nec ullius Stephani epistola exstat, ubi ille canon habeatur. Dico Secundo: Absque ullo dubio auctorem ejus canonis, cum dicit orientales clericos matrimonio copulari, non velle dicere, uxores ducunt, sed matrimoniale officium exércent, ut glossa explicat. Nam cum certum sit ex conciliis plurimis, et ex ipsa praxi, et confessione Graecorum. numquam fuisse licitum, nec num haberi licitum in Graecia, ut in sacris existentes, ducant uxores, vel ille Stephanus falsum dicit, vel tantum intelligit, ut nos diximas, matrimonio copulantur, idest, matrimonii copulam exercent. Porro hoc ipsum etsi romana Ecclesia non probat, et abusum esse judicat, tamen permittit Graecis; et si errorem alium von haberent, facile pax componeretut.

Ad Ultimum dico: Ea verba non esse b. Augustini sed Gratiani, qui sua verba cum verbis b. Augustini continuavit, ut saepe facere solet. Legantur apud Augustinum lib. 15. de civitate Dei, c. 16.

Praeterea quod Gratianus dicit, borom sensum habet; cum enim ait Ecclesiam addidisse quaedam censilia perfectionis, et in eis numerat continentiam clericorum, vult dicere, Ecclesiam imposuisse clericis continentiam praecepto servandam, quae alioqui selum erat consilium perfectionis. Nec enim credibile est tam ineptum fuisse Gratianum, ut putaverit continentiam non fuisse consilium perfectionis ante Ecclesiae definitionem.

Alium canonem profert Petrus Martyr in lib. de coelibatu, et votis, ex epistola 87. alias 85. s. Leonis, ubi sic legimus: Dicente enim apostolo, ut inter alias christianismi regulas is episcopis ordinelur, quem unius uxoris virum fuisse aut esse constaret, tam sacra semper est habita ista praeceptio, ut jam de muliere sacerdotie eligenda, eadem intelligatur servanda conditio: ne forte illa priusquam in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuisset uxorem, alterius viri esset experta conjugium. Ex hoc loco duo deducit Martyr, posse fieri episcopum, non solum qui habuerit, sed etiam qui habeat unam uxorem: et posse episcopum uxorem ducere si non habeat. At mira est impudentia bujus hominis; Nam idem Leo in epist. 84. ad Anastasium capit, 3. et 4. disertis verbis jubet, episcopum ita unius uxoris virum esse posse, ut tamen ab illa perpetuo se contineat. Quod vero in quibusdam exemplaribus legitur: De muliere sacerdotis eligenda, mendum est manifestum. Sic enim legi debet, et legitur in codicibus melioribus: De muliere sacerdotis cligendi.

Argumentum Quartum Philippi. Continentia res est difficillima, nec omnibus datur; ut patet Matth. 19. Non omnes capiunt verbum hoc. Ergo non debuit ita indifferenter omnibus clericis imponi. Respondeo: Sicut non omnium est donum continentiae, ita nec omnes debent esse sacerdotes, sed solum ii, qui videntur hoc donum habere.

Sed dices. Quid si aliquis putet se posse continere et postea experiatur se non posse, quando ordines accepit?

Respondeo: Illos habere donum continentiae, qui volunt, et cupiunt continere: quibus autem Deus dedit velle, dabit etiam perficere si ipsi velint. Proinde nemo potest dicere se non habere donum, quod se habere pulabat; nam illa voluntas continendi propter Deum est ipsum donum continentiae. Ad haec, nonne etiam conjugati saepe coguntur, vel propter absentiam, vel propter aegritudinem longissimam conjugis, abstinere se ab uxore? et tamen non licet eis aliam uxorem ducere, quantumvis urantur aestu libidinis. Quod exemplum affert d. Augustiuus lib.2.de adulterinis conjugiis, c. 19. et 20. contra eos, qui contra jus uxorem ducunt eo praelextu, quod continere non possint.

Adde, quod nemo est, qui continere non possit si velit, ut docent Patres, Tertullianus in fine lib. de monogamia, Nazianzenus orat, 31, Basilius de virgin ultra medium, Chrysostomus et Hieronymus in cap. 19. Matth. et Augustinus lib. 6. confess. c. 11. Sed oportet remedia necessaria non negligere, quae tria sunt; oratio, jejunium et periculorum evitatio. Nam tentatio carnis vel oritur ex sugge-

stione daemonis, ut patet in Antonino, Hilarione, Benedicto, et similibus, qui in eremo, et perpetuis jejuniis viventes, tamen tentabantur, et tunc necessaria est oratio, quia daemon fortior nobis est, nec possumus eum vincere nisi auxilio fortioris. qui est Deus: propter hoc dicitur Sapient. 8. Nemo potest esse continens nisi Deus det. Vel oritur ex abundantia cibi et polus; nam cum natura accepit quod sufficit ad nutritionem reliquum convertitur in materiam génerationis, inde nascitur pruritus carnis; el contra hoc necessarium est jejunium, ut carnis terat superbiam, potus cibique parcitas. Vel denique oritur ex aspectu, et colloquio foeminarum; nam res visae vel auditae, si na-turae conveniant imaginationem naturaliter movent, et imaginatio appetitum. Hinc tot leges conciliorum prohibentium clericis foeminarum contubernium; de quo etiam vide Basilium c. 3. Monast. const.

Cum igitur Lutherani haec tria abjecerint, videlicet, orationem canonicarum horarum, jejunia omnia, et etiam feria 6. carnibus vescantur, ac demum quisque domi suae mulierem habere velit, quid mirum si continere non possint? Certe Lutherus ipse in singulis prandiis et coenis, largissime epulubatur, et unum sextarium vini dulcis hauriebat, ut est in epistola quadam ad finem operis Joannis Cochlaei de vita Lutheri.

Argumentum Quintum et ultimum. Coelibatus iste clericorum prodigiosas libidines parit, mundum concubinis, et Ecclesiam scandalis replet.

Respondeo: Falsum esse, quod coelibatus ista pariat, sed abusus est coelibatus, qui ista parit. Apostolus enim 1. Cor. 7. fructus coelibatus esse dicit, cogitare quae Dei sunt, sanctum esse corpore et spiritu, sine intermissione Domino assidere: Non igitur usus, sed abusus coelibatus prodigiosas libidines parit. Si autem propter abusus res bonne tollendae essent, coelum et terra etiam tollenda essent, quia eis quidam abutuntur, putantes esse Doos; necnon decalogus tollendus esset, et omnia sacramenta, quia etiam eis multi abutuntur. Ita respondet Gregorius nazianzenus orat, in Basilium non procul a principio, illis qui execrantur philosophiam naturalem, et scripta gentilium, pro-pterea quod quidam eis abutuntur. Nec tamen admittimus tot esse concubinarios, et impuros inter ecclesiasticos, quot haeretici dicunt, qui omnes alios ex se metientes, nullos pulant esse castos. Certe plurimi sunt qui quotidie velebrant, et de quibus nulla mela suspicio auditur.

Praeter hace argumenta respondendum videtur etiam querimoniae Philippi: Olim, inquit, canones suspendebant sacerdotes, qui uxores duxissent, ab officio, vos autem suspenditis ab arboribus.

Respondeo in primis: Hinc sequi Lutherum, et alios qui post sacerdotium uxores duxerunt, suspensos fuisse ab officio ex sententia veterum canonum, et ideo cum officio fungi voluerint et tamen conjuges retinere, rebelles et contumaces fuisse adversus Ecclesiam, ac proinde merito ab arboribus suspendi potuisse. Dico praeterea: Canones veteris Ecclesiae, alios mitiores, alios severiores fuisse; Nam concilium neocaesariense canon.

niamus.

1. jubet presbyterum ordine moveri, si uxorem ducat; at concilium toletanum II. canon. 1. jubet sacerdotem, qui uxorem duxit, ut sacrilegii reum ab Ecclesia haberi extraneum, et toletanum VIII. canon. 6. jubet ejusmodi homines recludi in monasteriis, ut ibidem sub gravibus poenitentiae oneribus usque ad finem vitae degant. Adde ultimo: Presbyteros numquam in Ecclesia tam severe puniri; quia uxores ducunt, ut Philippus dicit: sed quia post votum solemne ducunt, et proinde non uxores, sed concubinas sub conjugii nomine ducunt, et matrimonium simul ac sacerdotium pollunt; cui intemperantiae cum etiam haeresim addunt, ac dicunt; vota non esse servanda, quid mirum si digni sunt, qui ab arboribus suspendantur.

Addamus Hieronymi testimonium lib. 1. adversus Jovinianum: Certe confiteris, inquit, non posse esse episcopum qui in episcopatu filios faciat alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Haec ille. Porro adulterii poenam Hieronymi tempore, et quidem ordinariam, fuisse ultimum supplicium, patet ex epist. 49. ejusdem Hieronymi, de muliere septies icta; et ex lib. 1. contra Jovinianum, ubi sic ait: Quotidie moechorum sanguis effunditur, et inter ipsas leges, secures, ac tribunalia, flagrans libido dominatur. Quare Hieronymi sententia, episcopi liberis operam dantes, non solum suspendi possunt ab officio, sed etiam, ut adulteri, capite caedi. Sed jam ad Magdeburgenses ve-

## CAPUT XXII.

#### Solvuntur argumenta Magdeburgensium.

Magdeburgenses Cent. 9. cap. 10. col. 540.541. et 542.colligunt decem argumenta contra coelibatum clericorum ex una epistola s. Udalrici episcopi Augustani ad Nicolaum papam, quae nuper excusa est Basileae, et inserta in illo opere, quod inscribitur, orthodoxologia sanctorum Patrum. Sed ex iis argumentis novem sunt eadem cum illis, quae jam solvimus, a Calvino et Melanchthone proposita, unum solum solvendum superest, quod sumitur ex quadam miserabili narratione. Scribit enim iste sanctus Udalricus hanc historiam: Beatus Gregorius magnus papa I. aliquando suo quodam decreto uxores sacerdotibus ademit. Deinde paulo post cum idem Gregorius jussisset ex piscina sua pisces aliquot capi, piscalores pro piscibus sex millia capitum infantium suffocatorum repererunt; quam caedem infantium cum intelligeret s. Gregorius ex occultis fornicationibus vel adulteriis sacerdotum natam esse, continuo revocavit decretum, et peccatum suum dignis poenitentiae fructibus purgavit. Hanc narrationem, quia vehementer odiosam reddit legem de coelibatu clericorum, saepe alibi inculcant iidem Magdeburgenses, ut Centuria 6. cap. 7. colum. 388. et cap. 10. colum. 686.

Respondeo Primo: Si quid valet hujus sancti Udalrici auctoritas, ea magis premi Lutheranos, quam nos. Nam in hac epistola fatetur, romanum pontificem esse caput omnium, et ei ab omnibus deberi obedientiam. Item asserit, pontificem debere cogere presbyteros et monachos, ne ullo modo uxorem ducant, et si duxerint post votum continentiae, debere separari.

Dico Secundo: Eam epistolam videri confictam; et confictam ab aliquo imperito defensore conjugii ecclesiasticorum. Nam in primis tempora nullo modo cohaerent: nam s. Udalricus creatus est episcopus anno Domini 924.ut Hermannus Contractus et abbas urspergensis docent, vel anno 903. ut dicitur scriptum esse in chronico augustanae Ecclesiae; Nicolaus autem papa I. obiit anno 867. ut Onuphrius annotavit in libro de romanis pontificibus: Non ergo potuit scribere episcopus Udalricus ad papam Nicolaum, qui jamdudum ebierat.

Dicent, scripsit fortasse antequam fleret episcopus. At in principio epistolae se episcopum vocat; praeterea conveniunt auctores, s. Udalricum 83. annos vixisse, 50. in episcopatu, et 33. ante episcopatum; ex quo sequitur eum natum esse anno Domini 870. vel 891. juxta alios, ergo inter obitum Nicolai, et ortum Udalrici sunt anni nt minimum tres; nam secundum alios sunt 24. Nisi ergo scripserit ipse antequam nasceretur, vel ad Nicolaum post ejus mortem, non potest esse epistola s. Udalrici ad Nicolaum.

Dicent: Non esse Nicolaum I. sed II. ad quem scribit s. Udalricus. At id minus fieri potuit; nam obiit s. Udalricus fere circiter centum annis ante initium pontificatus Nicolai II. obiit enim s. Udalricus anno 953. vel 974. et Nicolaus II. creatus est

papa anno 1059.

Dicent fortasse: Duos esse Udalricos episcopos augustanos. Unum enim ponunt Magdeburgenses Centuria 9. cap. 10. col. 540. alterum Centur. 10. cap. 10. col. 602. Sed priorem illum confinxerunt ipsi Centuriatores; non enim aliunde probant illum aliquando extitisse quam ex epistola ad Nicolaum. Munsterus enim lib. 3. de Germania catalogum recensens episcoporum augustanorum, nultum Huldericum vel Udalricum ponit ante s. Udalricum, qui vixit post tempora Nicolai, ut supra ostendimus. Quocirca Magdeburgenses illius prioris Hulderici, a se conficti, neque patriam, neque parentes indicant, neque auctorem ultum citant, qui de ejus cpiscopatu testetur, ut in aliis facere solent.

Praeterea, quod iste auctor dicit s. Gregorium ademisse uxores sacerdotibus, falsum est, et magis adhuc falsum quod resciderit hujusmodi decretum. Quod vero in piscina Gregorii sex millia capitum sint inventa, falsissimum. Nec enim ullum exstat vestigium harum rerum in omnibus b. Gregorii operibus. Immo ipse lib. 1. epist. 42 meminit decreti sui praedecessoris, qui jusserat, subdiaconos siculos separari ab uxoribus, et vivere coelibes, ut reliqui subdiaconi in tota Ecclesia vivebant, et ibidem temperat rigorem decreti. Jubet enim permitti uxores subdiaconis, qui eas duxerant ante ordinationem, sed non ordinari rursum alios nisi prius voverent continentiam. Itaque nibit ipse novi sta-

tuit, sed soluta mitigavit rigorem sententiae sui praedecessoris.

Practerea, si ex decreto Gregorii nata est illa caedes sex millium intintium, certe in Sicilia nata est, ad quam solum pertinet Gregorii decretum. Quomodo autem verisimile est paucissimos subdiaconos Siciliae brevissimo tempore sex millia infantium genuisse? Et quomodo illa sex millia capitum ex Sicilia in romanam piscinam Gregorii saltaverunt? Quomodo autem intellectum est illa esse capita filici um clericorum, non laicorum? Denique car de Listoria tam admiranda nihil scripsit Joan. Diaconus, Besta, Sigebertus, Ado, Freculphus, alique tam multi? Etique non immerito suspicatur Staphilus, hanc epistelum confictam sub nomine s. Udalrici, in responsante ad fictas dissensiones, quas inter catholicos esse falso criminatur Illyricus, qui etiam addit Augustae inter opera s. Udalrici, nullam syllabam de hac re exstare.

De tota Lac disputatione, vide Michäelem Medinam in libris quinque de continentia hominum sacrorum. Claudium Espenceum in libris ejusdem argumenti, Jodocum Clietovaeum in libro de coelibatu sacerdotum, Hosium in dialogo de hae re, Ajalam de traditionibus parte tertia, Didacum Payvam libro ultimo. Joannem Gochlaeum de votis contra Calvinum, Alphonsum a Castro lib. 13. de haeresibus, verbo sacerdotium, haeresi 4. Albertum Pighium controversia 15. Vide etiam solutiones aliorum argumentorum, quae huc etiam referri poluissent, infra lib. 2. de monachis, cap. 29.

el sequentibus.

#### CAPUT XXIII.

De digamia.

Postrema restat quaestio, num apostolica legé prohibitum sit, ne qui post primae uxoris obitum alteram duxit, ad sacros ordines admittatur. Tota autem controversia de verbis illis beati Pauli est: Oportet episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris virum. Et rursum: Diaconi sint unius uxoris viri, 1. Timoth. 3. et Tit. 1. Tres autem ejus loci expositiones praecipue reperiuntur.

Prima Lutheri est in libro de captivitate babylonica, capite de ordinis sacramento, et fusius in propositionibus de digamia episcoporum, ubi docet, b. Paulum illis verbis solum prohibuisse scortationem, et adulteria, et sensus sit: Oportet episcopum esse unius uxoris virum, idest, oportet episcopum sola uxore legitima, sive una, sive pluribus esse contentum, non indulgere scortationibos; ita ut vocabulum víri, non significet maritum, sed aliquid commune ad maritum et adulterum, et addit, non modo non esse prohibitam a Paulo pluralitatem uxorum successive, sed neque simul, nisi forte apud gentiles propter scandalum; nam apud Judaeos, ubi erat consuetudo plures uxores ducendi, non existimat Lutherus interdictum fuisse christianis episcopis multas simul uxores habere.

BELLARMINI. Vol. II.

Altera sententia. est aliorum, qui existimant a Paulo prohiberi multitudinem plurimum uxorum simul, non tamen successive. Ita docent Magdeburgensea, etsi alioqui rigidi Lutherani esse soleant, Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 451. et 452. et Calvinus in cap. 3. prioris ad Timoth. et in caput 1. epistolae ad Titum.

Tertia sententia catholicae Ecclesiae est, quae semper verba illa b.Pauli ita intelligenda esse docuit, ut prohibitum sit sacris ordinibus initiare eos, qui quovis modo bigami fuerint. Quam sententiam

probare possumus tribus argumentis.

Primo ex cap. 5. prioris ad Timotheum, ubi de viduis legimus: Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor. Ex hoc enim loco refellitur in primis Lutheri sententia; nam eadem phrasi dicitur, unius viri uxor et unius uxoris vir: certum autem est illud: Unius viri uxor, non posse significare, ut vidua non fuerit adultera, yel scortatrix; nam scortum non dicitur uxor, si ad adulterum aut scortatorem referatur, sed adultera, vel meretrix. Deinde continentia ab adulterio et scortatione, non solum requiritur in muliere quo tempore vir ejus vivit, sed etiem postea dum in viduitate degit, et tamen Paulus non loquilur hoc loco nisi de tempore quo vir ejus viduae vivebat; non enim dicitur uxor unius viri fuissc, nisi quando virum habebat. Igitur illis verbis: Quae fuerit unius viri uxor, non polest significari ut eligatur vidua quae non fuerit scortatrix, aut advitera, sed quae unum solum maritum ha-

Ex eodem loco refellitur etiam sententia Centuriatorum, Calvini, Pomeriani et aliorum, qui volunt Paulum prohibuisse, ne habeat episcopus vel diaconus duas simul uxores. Nam (ut diximus) eadem phrasi et in eadem epistola, et ab eodem apostolo jubetur esse episcopus unius uxoris vir et vidua unius viri uxor. At nulla ratio permittit, ut Paulus jubere voluerit, ne vidua eligatur, quae fuerit uxor multorum virorum simul; id enim frustra Paulus jussisset, cum nusquam, et numquam fuerit ejusmodi usus, ut una mulier esset plurium virorum uxor. Habuerunt quondam Judaei multas uxores, ut etiam nunc habent Turcae, at numquam est auditum, ut una mulier plures maritos habuerit.Nam pt ait s. Augustinus lib. 3. de doctrina christiane, cap. 12. Gur unus vir haberet plures uxores, ratio erat, ut plures filii nascerentur; at cur una mulier sit uxor plurium virorum, nulla esse petest ratio; non enim pariet mulier nisi semel in anno, sive habeat unum, sive centum viros, immo meretrices nullos pariunt ordinarie.

Altera ratio ducitur ex tempore, quo haec Paulus scripsit; nam eo tempore non erat consuetudo, neque apud Judaeos, neque apud Gentiles, et multo minus apud Christianos, ut unus vir duas simul uxores haberet; proinde quod non flebat, non erat cur tam serio prohiberetur. Et quidem quod ad Gentiles attinet, satis patet ex eo quod in imperio romano, quo tune orbis terrarum regebatur, semper infamis et prohibita fuit polygamia plurium uxorum simul. Vide ff. de his qui notantur infamia lege prima. Item, codice de incoestis nuptiis, L.

neminem et ad L. Juliam, de adulteriis, L. eum qui; Tametsi enim teges istae paulo posteriores sint apostolicis temporibus, tamen indicant probibitionem polygamiae, multo esse antiquiorem.

Primus, qui publica lege concessit polygamiam plurium uxorum simul, fuit Valentinianus senior, ut Socrates refert lib. 4. cap. 26. Sed non diu ea lex duravit, cum constaret, imperatorem non alia de caussa eam legem tulisse, quam ut tegeret in-

temperantiam suam.

Quod vero attinet ad Christianos, necnon etiam Judaeos, ex Testamento novo facile colligi potest, non fuisse apud eos consuetudinem, ut quis duas uxores haberet; semper enim de conjuge in numero singulari loquitur Scriptura Testamenti novi. Matth. 5. Qui dimiserit uxorem suam. Cap. 19. Si licet homini dimittere uxorem suam. Et ibidem: Omnis, qui reliqueril domum, vel agros, aut patrem, aut matrem, aut uxorem etc. Luc. 14. Qui non odil patrem, et matrem, et uxorem, et filios etc. 1. Corinth. 7. Unusquisque suam uxorem habeat. Item: Alligatus es uxori, noli quaerere solutionem; solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem. Ad Ephes. 5. Unusquisque uxorem suam, sicut seipsum diligat. Quin etiani Lucae 1. legimus, Zachariam uxore sterili usque ad senectulem permanente, non tamen superdu-xisse alteram, quod haud dubie fecisset, si eo tempore id fieri licuisset. Scribit quidem Josephus lib. 17. antiquit. cap. 2. Herodi regi novem uxores fuisse; At privati homines etiam apud Judaeos jamdadum desierant plures uxores accipere.

r'Teftia ratio est auctoritas Patrum, qui semper hunc locum de monogamia ita intellexerunt, ut non liceat eum episcopum vel diaconum creari, qui duas uxores, etiam diversis temporibus, habuerit. Tertullianus lib. 1. ad uxorem: Quantum fidei detrakant, quantum obstrepent sanctitati nuptiae secundae, disciplina Ecclesiae, et praescriptio apostoli declarat, cum digamos non sinit praesidere, cum viduam allegi in ordinatio nem, nisi univiram non concedit. Neque dubium est, quin per digamus intelligat cos, qui duas uxores habuerunt, non simul, sed unam post alteram; nam de hae digamia in toto libro loquitur. Hortatur enim uxorem suam, ut se mortuo non ineat secundas nuptias. Similia habet in lib. de monogamia, et in libro de exhortatione castitatis. Neque his repugnat, quod idem Tertullianus in libro de monogamia catholicis objicit, digamiam sacerdolum: Quot, inquit, ex digamia praesident apud vos? Nam vel aliqui digami ex dispensatione praesidebant: vel certe aliqui, qui alteram ha-buorant ante baptismum, qui multorum opinione non habebantur digami, etsi apud alios, in quibus Tertullianus erat, digami censerentur: vel tandem vitio et abusu id fiebet; nec enim defendimus, numquam esse factum id quod fieri non debere dicimus.

Epiphanius haeres. 59. Catharorum: Quae ad sacredotium tradita sunt, propter eminentiam celebrationis sacrorum, ea aequaliter ferri ad omnes putaverunt, cum audierint, quod oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, continentem similiter et diaconum, et

presbylerum. Revera enim non suscipit sancla Dei praedicatio post Christi adventum eos, qui a nuptiis, mortua ipsorum uxore, secundis nuptiis conjuncti sunt, propter excellentem sacerdotti honorem, ac dignitatem, et haec certo sancla Dei Ecclesia cum sinceritate observat. Haec ille. Ubi apertissime loquitur de digamia plurium uxorum successiva, cum. eos digamos appellet, qui mortua uxore, aliam ducunt, et cum Catharos reprehendat, qui ex hoc locò Pauli etiam laicis interdicebant secundas nuptias.

Afindrosius lib. 10. epist. 82. ad Ecclesiam vercellens. tractans hunc locum Pauli: Unius utoris vir. Qui, inquit, conjugitum iteraverit; culpam non habet coinquinati, sed praerogativa exuitur sacerdotis: Haec ille. Ubi apertissime rejicit Lutheri atque Calvini sententiam, qui volunt ab apostolo prohiberi vel duas simul uxores, vel adulteria; haec enim qui admittunt, culpam habent coinquinati, et non solum praerogativa exuunfur sacerdotis. Similia habet Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. ult. et lib. de dignitate sacerdotali, cap. 4.

Hieronymus in commentario primi capitis epistolae ad Titum, per unius uxoris virum monogamum intelligit. Quod autem monogami nomine intelligat eum, qui nec simul, nec successive plures habuerit, perspicuum est ex illis verbis: Apostolus, inquit, de episcopis et presbyteris hace praecipiens utique in caeteris relaxavit, non quod hortetur ad secunda matrimonia. sed quod necessitati carnis indulgeat. Haec ille. At certe non indulget apostolus laicis ut fornicentur, aut duas simul uxores ducant, sed solum, ut uxore defuncta, tterum ineant matrimonium; Igitur hoc ipsum sacerdotibus prohibet, ne plures etiam successive uxores habeant.

S. Augustinus lib. de bono conjugali, cap. 18. tractans hunc locum; Unius uxoris vir: Non'absurde, inquit, visum est, eum qui excessil uxorum numertum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quand in sacramenti amisisse non ad vitae bonae meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticae signaculum necessariam. Haec ille. Ubi cum dicit, numerum singularem uxorum excedere, impedimentum esse ordinationis, nec tamen esse peccatum, aperte indicat, se loqui de multitudine uxorum non uno tempore, sed diverso. Nam eodem tempore plures uxores habere Christiano nullo modo licet ex Augustini sententia: sic enim loquitur idem Augustinus libr. 20. contra Faustum, cap. 47. Quid, inquit, tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis uxoribus, objicitur sancto viro Jacob? Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi caussa illis mulieribus utebatur. Si morem; illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur, si praeceptum, nulla lege prohibebatur; nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia, et moribus et legibus non licet? Idem quoque habet in libro de bono conjugali, cap. 7. et lib. 3. de doctrina christiana, cap. duodecimo.

Sanctus Joannes chrysostomus hom. 2. in epist. ad Titum: Castigat, inquit, hoc ipso etiam impudicos, dum non cos permittit post secundas nu-



plias ad Ecclesiae regimen, dignitatemque pastoris assumi: nam qui defunctae uxori benevolentiam nullam servasse deprehenditur, quo pacto hic Ecclesiae praeceptor esse optimus poterit? Nostis enim profecto omnes, quod etsi per leges secundae nuptiae permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet. Nullam ergo occasionem praebere subjectis praesulem vult. Haec ille. Ubi clarissime significat, unius uxoris virum a b. Paulo dici eum, qui post obitem primae uxoris, secundam non duxit, quo modo exponunt etiam caeteri, tum Graeci, ut Theophilactus et Occumenius, tum Latini, Sedulius, Anselmus, Primasius, Haymo, s. Thomas, et caeteri in comment. hujus loci. Idem etiam disertis verbis docent veteres summi, sanctissimique pontifices; Syricius in epist. 1. ad Hemericum, cap. 11. Leo I. in epist. 85. alias 88. ad episcopos Africae, cap. 1. Gelasius 1. in epist. 1. ad episcopos Lucaniae. Bratii et Siciliae, cap. 5. Hilarius in concillo romano; et Innocentius in epist. 22. Unus est Theodorelus, quantum legere potui, ex omni numero velerum, qui per unius uxoris virum intellexerit eum, qui duas aut plures simul uxores non habet; ila enim exponit in commentario cap. 3. prioris epistolae ad Timotheum; sed non est tanta ejus auctoritas, ut tot sanctis pontificibus, et omnibus aliis Patribus anteponi debeat.

His accedit Quarto et ultimo totius Ecclesiae consueludo. Nam, ut Innocentius scribit in epist. 22. cap. 1. in toto oriente et occidente hoc servabatur, quod etiam nunc servari videmus, ut bigami non ordinentur. Neque solum ubique, sed etiam semper hoc servatum esse, planum esse potest ex Leone epist. 88. ad Afros, ubi dicit, semper hoc esse servatum; necnon ex eo, quod hujus rei mentio fit in canonibus apostolorum, can. 17. et 18. et in antiquissimis conciliis, ut neocaesariensi. can. 8. et nicaenum I. teste Ambrosio in epist. 82. Deinceps etiam semper esse servatum, patet ex decreto Gratiani, dist. 36. et ex decretalium volumine, tit. de digamis, ubi multa ponuntur testimonia pontificum, et Patrum diversarum aetatum: Quod autem semper et ubique servatum est, sine dubitatione ulla ab apostolica traditione descendit.

#### CAPUT XXIV.

#### Solvuntur objectiones Lutheri.

Sed jam ad argumenta Lutheri respondeamus. Prima Objectio. Apostolus jubet, episcopum eligi irreprehensibilem, sive, ut ad Titum loquitur, sine crimine, quod est graece ανέγηλητος. Is autem est ejusmodi, qui non potest palam argui alicujus criminis. Explicavit vero statim apostolus, quae sint crimina, quibus carere debet episcopus, et ait: Unius uxoris vir, fitios habens fideles. Igitur unius uxoris vir, non significat monogamiam, quae opponitur poligamiae plurium uxorum successive,

quae numquam fuit crimen, sed eam, quae opponitur fornicationi et adulterio, quae vera sunt crimina.

Respondeo: Potest hoc loco nomine criminis non solum peccatum intelligi, sed quidquid ab hominibus reprehendi solet; neque enim sola peccata reprehenduntur, sed etiam ea, quae signum praebent incontinentiae, aut alterius vitii: talem autem esse quamlibet bigamiam certissimum est. Nam idcirco in concilio neocaesariensi, can. 7. prohibentur sacerdotes interesse nuptiis digamorum, et etiam apud Gentiles bigami pontifices esse non poterant, ut Tertullianus refert, lib, 1. ad uxorem, et Servius in illud 4. Aeneidos.

Huic uni forsam potui succumbere culpae. Culpae, inquit, propter antiquum ritum, quo repellebantur a sacerdotio bis nuptae.

Apostolus igitur vult, episcopum nullius rei, quae malam speciem prae se ferat, apud homines posse notari, et ideo monogamum esse jubet. Ita hunc locum Ghrysostomus exponit; possumus tamen nomine criminis intelligere etiam peccatum grave ac laethale, ut vult s. Augustinus tract. 41. in Joannem, et lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 14., sed si ita accipiamus nomen criminis, non debemus, exponere verba sequentia b. Pauli, quasi iis explicetur quid sit, esse irreprehensibilem, sive sine crimine; Sed ita, ut eis declaretur, episcopum non solum sine crimine esse debere, sed etiam multis praeclaris dotibus ornatum, ut monogamia, sobrietate, doctrinae etc.

Secunda Objectio Si episcopus monogamus esse debefet, aut ratio hujus rei esset moralis, videlicet ob majorem continentiam, aut certe spiritualis sive mystica, videlicet ob significationem conjugit unius Christi cum una Ecclesia; at neutrum dici potest. Nam si ratio esset moralis, multo magis requireretur in episcopo ne esset adulter, aut concubinarius, quam ne esset bigamus, et tamen videmus adulteros, et concubinarios non repelli a sacerdotio, digamos autem repelli; Si vero ratio sit mystica, multa sequuntur absurda. Nam in primis caeterae dotes episcoporum, quae a Paulo numerantur, omnes sont morales, ut sobrietas, et hospitalitas, doctrina, et caeterae. Cur non etiam isla erit moralis: unius uxoris vir?

Secundo: Si ideo episcopus debet esse monogamus, quia ejus conjugium significat matrimonium Christi'cum Ecclesia, igitur etiam laici debebunt esse monogami, quia eorum quoque conjugium significat Christi conjugium.

Tertio: Si illa est ratio, igitur debebit episcopus ducere virginem, et eam semper virginem conservare; ita enim Christus fecit.

Quarto: Debebit episcopus priorem uxorem repudiare, et posteriori adhaerere. Nam Christus, synagoga repudiata, adhaesit Ecclesiae, quocirca episcopus, ut-Christum imitetur, non monogamus, sed bigamus erit.

Quinto: Debebit idem episcopus necessario uxorem habere, eaque ne ad punctum quidem temporis carere; Christus enim Ecclesia sponsa sua numquam caret.

Respondeo: Rationem, cur episcopi, presbyteri et diaconi debeant esse monogami, partim esse moralem, partim mysticam; tametsi enim multae rationes reddi solent a Patribus, tamen omnes revocantur ad duas illas in argumento adversarii notatas. Una igitur caussa est moralis, videlicet minor suspicio incontinentiae, sive perfectior continentia. Hanc reddit Tertullianus locis citatis, et Chrysostomus in commentario locorum b. Pauli; atque ad hanc revocatur caussa, quam reddit Epiphanius haeresi 59. ubi dicit, monogamum esse debere episcopum ob excellentiam sacerdotii. Ad eamdein revocari potest ea, quam reddit Ambrosius, lib. 1. de officiis, cap. ult. ubi dicit, monogamum esse debere episcopum, ut liberius hortari possit homines ad continentiam.

Altera caussa est mystica, videlicet perfecta significatio conjugii Christi cum Ecclesia, qui enim secundam uxorem duxit, significat quidem conjugio suo Christi conjugium, sed non ita perfecte, ut is, qui unam solam habuit; non enim significat, Christum ita esse unius Ecclesiae sponsum, ut numquam habuerit aliam.

Dices, peccat igitur, qui secundam uxorem ducit; nam falsum significat, Christum videlicet plurium esse sponsum Ecclesiarum. Respondeo: Id non sequi. Nam secundae nuptiae non sunt institutae ad signisicandum, Christum bis maritum esse, ideoque id non significant, quamquam nec significant eum esse ita unum unius, ut non habuerit aliam, sed simpliciter significant ipsam, conjunctionem unius cum una praesenti, quidquid fuerit de praeterito. Itaque nuptiae digamorum nihil falsi significant, sed carent quadam perfectione significationis, quam habent nuptiae monogamorum. Atque hanc caussam redunt sanctus Augustinus libro de bono conjugali, cap. 18. et sanctus Leo in epist. 88, ad Afros, et huc etiam pertinet ratio illa Epiphanii de excellentia sacerdotii.

Ut igitur respondeamus ad singulas partes objectionis; Si ratio. inquiunt, moralis est, igitur majori ratione prohibentur adulteria et concubinatus, quam digamia.

Respondeo: Prohiberi quidem etiam ista, non enim voluit adulteros, aut concubinarios episcopos eligi, qui jussit eligi homines sine crimine, irreprehensibiles, sobrios, castos etc. sed tamen negamus magis ista prohiberi, quam digamiam in episcopo deligendo. Nam ista prohibentur una solum ratione, et ea non primaria: digamia vero duabus rationibus prohibetur. Quod autem primaria ratio non sit illa moralis, ob signum incontinentiae, sed altera mystica ob significationem, patet ex eo, quod digami censentur etiam illi, qui unam uxorem habuerunt, sed viduam, vel alio modo corruptam, ut constat ex citatis locis canonum apostolorum. concilii neocaesariensis, Innocentii, Leonis, et aliorum, ac praeterea etiamsi longe turpior sit concubinatus, quam digamia, tamen digamia ex natura sua signum est incontinentiae magis diuturnae, firmiusque inhaerentis.

Ad primum alterius partis respondeo, recte monogamiam numerari cum caeteris moralibus dotíbus, tum quia etiam ipsa est moralis dos, tum et-

iam quia nihil incommodi habet, numerare dotem mysticam cum moralibus, cum omnes episcopo necessariae sint.

Ad secundum, negamus id sequi, ut etiam laici debeant esse monogami. Non enim necesse est, ut laici ea perfectione sint praediti, qua praediti esse debent episcopi; Quare satis est, si matrimoniam laicorum significet conjugium Christi cum Ecclesia, licet non significel illud, ut est unius cum una, ut supra diximus.

Ad tertium, negamus etiam sequi, ut episcopus debeat uxorem semper virginem servasse. Nam Christi sponsa Ecclesia duo privilegia habet; nam et virgo est, juxta illud 2. Corinth. 11. Despondivos uni viro virginem castam exhibere Christo: et simul foecundissima est, et plurimos quotidie filios parit per lavacrum regenerationis. Duo autem ista privilegia simul, nullum conjugium humanum repraesentare potest, illo excepto; quod fuit inter b. Virginem et s. Josephum. Idcirco satis est, si episcopi conjugium, alterum eorum significet, nimirum aut foecunditatem Ecclesiae, si filios ex uxore habuerit, aut virginitatem, si forte uxorem virginem conservavit, ut aliqui sancti viri fecerunt.

Ad quartum, negamus, Christum repudiasse unquam sponsam suam ut acciperet aliam. Nam Christus, ut homo, non accepit, unquam, nisi unam sponsam, idest, Ecclesiam christianam, quam ipse ex latere suo perfosso sibi formavit, ut quondam Adam, unam Evam ex latere suo eductam, uxorem accepit.Idem vero Christus, ut Deus, ab initio mundi Ecclesiam sibi conjunxit in matrimonium, neque unquam eam dimisit. Etsi enim videtur Christus repudiasse synagogam.quia sunt hoc tempore Judaei sine Deo, et quia b. Paulus ad Galat. 4.exponit de Testamento veteri illud Genes.21. Ejice ancillam, et filium ejus. Tamen revera Ecclesiam Testamenti veteris Christus non repudiavit, sed renovavit, et pulchram reddidit, et ex ancilla liberam fecit. et hoc modo ejecit ancillam, idest, statum illum servilem. Quomodo si aliquis ancillam uxorem acciperet, ac post aliquantum temporis eam liberaret, Ouare b. Paulus ad Rom. 11. Numquid, inquit, Deus repulit populum suum ? Absit. Nam et ego Isräelita sum. Nam repulit Deus plebem suam, quam praescivit etc. Itaque solum pars quaedam obstinatorum Judaeorum recessit ab unitate verae synagogae: reliqui manserunt;et per eos continuatum est conjugium Christi cum Ecclesia.

Ad quintum, negamus, episcopum semper ac necessario uxorem habere debere; immo melius facturum dicimus, si numquam uxorem duxerit. Nam cum Christus et virgo et maritus sit, si episcopus uxorem non habeat, Christum virginem repraesentabit, si uxorem habeat, Christi conjugium significabit. Itaque monogamia in episcopo requiritur, si conjugatus fuerit, non absolute.

Tertia Objectio, quod Paulus ait, 1. Timoth. 3. episcopum esse oportere unius uxoris virum; simile est ei, quod idem ait, 1. Corinth. 7. Unusquisque uxorem auam habeat. At in his posterioribus verbis non prohibentur secundae nuptiae, sed adulteria, et scortationes.

Respondeo: Probandam esse Luthero propesitio-

nem argumenti; non enim sunt omnino similes quae illae sententiae. Nam in priori determinatur numerus conjugii, cum unius uxoris mentio fit; in posteriore non determinatur; habebit enim vere unisquisque suam uxorem, si legitimam conjugem habeat, etiamsi forte non sit prima, sed secunda.

Sed instat Luterus, et probat sehtentias illas esse similes. Nam, 4. Timoth. 3. Paulus ait: Diaconi sint unius uxoris viri, ubi illud; Unius, non potest determinare numerum,, alioqui sensus esset, ut multi diaconi unam uxorem communem haberent. Ponitur igitur illa vox, unius, pro, solius, ut. sensus sit, diaconi solius uxoris suae viri sint,non mulierum caeterarum. At indigna est objectio, cui respondeatur. Quis enim non intelligit illud : Diaconi sint unius uccoris viri; divise accipi debere, non conjuncte? Iste igitur sensus est; diaconi, idest, quilibet diaconus sit unius uxoris vir.

Quarta Objectio. Apostolus Paulus 1. Corinth.7. se in numero viduorum ponit, et tamen 1. ad Corinth. 9. ait: An non habemus petestatem sororem uxorem circumducendi, sicul apostoli, et fratres Domini et Cephas? Poterat igitar Paulus, licet vidaus esset, uxorem ducere; quomodo enim poluisset sororem uxorem circumducere, si non potuis-

set eam prius ducere.

Respondeo: Hoc argumentum multis modis peccare. Primum enim b. Paulus non se inter viduos numerat, sed inter eos, qui uxore carebant, sive cam numquam accepissent, sive jam amisissent: Innuptis, inquit, et viduis dico, quia bonum est, si sic permanserint, sicut et ego. Deinde, non dicit idem apostalus, habere se potestatem sororem uxorem circumducendi, sed sororem mulicrem, ut interpretes omnes tradunt de qua re superiore quaestione disputavimus.

Objectio quinta. Poterat Paulus, si voluisset, aperte dicere, episcopum debere esse monogamum, ergo cum non dixerit, episcopum debere esse monogamum, sed unius uxoris virum, cogere voluit lectores, ut intelligerent verba sua, non de singularitate nuptiarum, quod sonal nomen monogamiae, sed de singularitate mulieris, quod significat illud: Unius uxoris vir. Non igitur interdicit episcopo b. Paulus secundas nuptias, sed aliarum mulierum commercium, praeter commercium legitimae u-

xoris.

Respondeo: Si ita cavillari liceat numquam finiendas quaestiones: Dixit apostolus; quod intelligeretur; non debuit omnes loquendi formas excutere. Adde vocem, monogamus, apud Graecos non esse in usu, sed a Latinis primum usurpari coeptam, etsi ex Graecis vocibus compositam. Proinde non eese mirum, si Paulus, qui graece scripsit, ea non fuerit usus. Adde etiam, hanc ipsam vocem, licet proprie ab unis nuptiis deductam; tamen usitate etiam accipi pro eo, qui habet unam uxorem, sive ea prima fuerit, sive secunda; ex quo sequitor, ut idem omnino sit monogamus, quod unius

Sexta Objectio, Ambrosius lib. de dignit. sacerdotali cap. 4. illa verba: Unius uccoris vir, exposuit de conjugio spiritali episcopi cum Ecclesia,

atque ait, apostolum id jubere, ut episcopus unam Ecclesiam regat, non multas. Non igitur, si Ambrosio credimus, interdicitur sacerdotibus diga-

Hieronymus quoque in epistola ad oceanum.defendit acerrime Carterium hispanum episcopum, qui duas uxores habuerat, et ad legem apostoli, in quam peccasse episcopus ille accusabatur, respondet: posse illud: Unius uxoris vir, multis modis intelligi. Nam primum hic potest esse sensus. Sit episcopus unius uxoris vir, idest, unam habeat uno tempore, et licet ea mortua alteram ducat, numquam tamen simul habeat duas. Deinde etiam, nomine uxoris accipi potest Ecclesia. ut ille sit unius uxoris vir, qui uni praepositus Ecclesiae est. Et rursus, nomine uxoris mulier potest accipi, ut idem sit unius uxoris vir, quod unius mulieris vir, ut non tam secundae nuptiae, quam multarum simul mulièrum commercium prohibeatur.

Addere possumus testimonium s. Augustini lib. de bono conjugali cap. 18. ubi opponit sacerdotem Testamenti veteris, qui multas uxores habere poterat, sacerdoti Testamenti novi, qui unam solum habere potest. At ille multas simul habere poterat, igitur iste plures uno tempore habere prohibetur,

non autem unam post alteram.

Ad Ambrosii testimonium facile erit respondere, siquidem ipse in illo ipso loco, qui nobis objicitur, scribit, ad literam prohiberi digamiam uxorum sacerdotibus. Mystice autem posse ctiam exponi de digamia Ecclesiarum; quocirca idem Ambrosius in epistol. 82. et lib. 1. de officiis cap. ult.et in comment. in Paulum, non meminit hujus mysticae expositionis, sed exponit simpliciter de vera mono-

Ad Hieronymi vero, ut respondeamus, observandum est, controversiam fuisse inter veteres Patres; An qui unam- uxorem habuit ante baptismum eaque mortua, alteram duxit post baptismum, bigamus censendus essèt, nec ne? Nam s. Hieronymus in epistola ad oceanum contendit, ejusmodi hominem non esse bigamum, propterea quod per baptismum sit factus novus homo ex veteri, et nihil ei nocere possit eorum. quae fecit ante baptismum. Et sane huic sententiae multum favet can. 17.apostolorum, qui diserte prohibet episcopum fieri, qui post baptismum bis nuplias celebravit.

Contra vero, Ambrosius Innocentius et Augustinus locis citatis contendunt, omnino habendum bigamum, qui duas uxores habuit, sive ante baptismum, sive post baptismum. Nam baptisma diluit peccala, non solvit conjugia; et renovat hominem, quantum ad vetustatem vitiorum, non quantum ad ea, quae recte se habent. Atque haec sententia tandem praevaluit.et ab universa Ecclesia recepta est. Neque obstat canon apostolicus; fortasse enim eo tempore propter hominum paucitatem dispensabant apostoli cum illis, qui ante baptismum uxorem unam, vel plures habuerant, modo non habuissent plures post baptismum. Neque enim est hoc praeceptum apostoli omnino indispensabile. Hieronymus igitur non defendit episcopum polygamum, nec docet, a b. Paulo permissam polygamiam sacerdotibus, sed solum contendit, eum, qui

unam tantum uxorem habuit, post baptismum non esse polygamum, licet habuerit alteram ante baptismum.

Et quamvis idem Hieronymus tres illas expositiones loci Paulini adducat, quae in objectione propositae sunt, non tamen eas approbat, ut veras et germanas. Nam primam illam de polygamia plurium uxorum simul, dicit se adducere, ut malo cuneo malum nodum scindat. Alteram de polygamia Ecclesiarum, dicit esse coactam, et duram expositionem: Quidam, inquit, coacte interpretantur uxores pro Ecclesiis, viros pro episcopis. Denique tertiam illam de viro unius mulieris, et simul duas superiores, rejicit, apertissime, cum sic ait: Haec universa proferimus, non quo verae et simplici intelligentiae resistamus, sed ut doceamus te Scripturas sanctas sic intelligere, ut scriptae sunt, nec evacuare baptismum Salvatoris, et totum patibuli sacramentum irritum facere. Haec ille. Ubi tres illas expositiones uni simplici et verae opponit; Quam autem xocet simplicem et veram, intelligi potest ex commentario ejus ad cap. 1. epist. ad Titum, ubi simpliciter exponit, unius uxoris virum esse eum, qui post obitum primae uxoris, secundam non duxit.

Ad locum Augustini respondeo: Antithesim sacerdotum Testamenti veteris, et novi, in eo solum positam esse, quod'illi habuerunt plures uxores, isti unam; non autem in eo, quod illi habuerunt plures simul, isti non plures simul, id quod ex duobus colligi potest: Nam Augustinus dicit, ideo sacerdoles novi Testamenti non posse habere plures uxores, quia significant Christi conjugium cum una Ecclesia; at Ecclesia una est omnino, non una post alteram. Deinde idem Augustinus ibidem dicit, non esse peccalum, habere nunc duas uxores. sed tamen esse impedimentum ordinationis. At hahere duas simul tempore novi Testamenti, peccatum esse, idem Augustinus docet lib.de bono conjug. cap. 7. Igitur cum dicit, sacerdotem Testamenti novi non posse habere, nisi unam uxorem, intelligit, nec simul, nec successive.

Septima Objectio nostra est, ut res melius intelligatur, si bigamia prohibita esset sacerdotibus ob defectum significationis, certe bigamus esset, qui plures uxores legitimas habuisset, licet cum una tantum matrimonium consummasset; nam matrimonium integrum est et perfectum etiam sine copula conjugali. At contrarium definit jus canonicum cap. Debitum de bigamis.

Ad haec, illa sola bigamia prohibita esset, quae ex duobus veris matrimoniis constaret, at non ita est; nam cap. Nuper, de bigamis, censentur bigami etiam illi, qui unam uxorem legitime duxerunt, et alteram non legitime, cum tamen posterius non fuerit verum matrimonium. Immo etiam qui post votum solemne unam uxorem ducunt, bigami censentur, et illi quoque, qui fornicariam ducunt, licet unam. Ubi nullo modo fingere licet duo matrimonia, nisi quis fornicationem matrimonium appellet. Et confirmatur; Nam si vir fornicarius decat uxorem virginem, non est bigamus; si vero vir castus ducat fornicariam, bigamus est: Non igitur fundamentum bigamiae est defectus significationis;

nam in hoc paria sunt illa conjugia, in quibus aut vir. aut mulier fornicationem admisit.

Respondeo: Tres sunt species bigamiae, ut interpretes juris canonici recte docent in titulum de digamis. Prima species est digamia vera et propria, ca videlicet, quae ex duobus veris matrimoniis oritur. Contingit autem tribus modis haec digamia. Primo, ex parte viri tantum, eum vir habuit duas veras uxores. Secundo, ex parte uxoris tantum, eum uxor habuit duos veros maritos. Tertio, ex parte utriusque, eum viduus viduam ducit; et de hae specie nulla dubitatio est. Constat enim, semper in ea defectum significationis adesse, cum aut vir non sit unus unius, aut uxor non sit una unius.

Secunda species est digamia interpretativa, idest, quae vere ex natura rei non est digamia, sed juris interpretatione habetur ac reputatur digamia. Contingit autem hace digamia: quotiescumque aliquis ducit secundam uxorem, aut uxor secundum virum de facto, non de jure, sive primum conjugium de jure, sive tamen de facto fuerit, ut patet ex tit. de digam. Licet enim hic non sit vere defectus significationis, tamen Ecclesia extendit poenam bigamorum etiam ad istos, et forte s. Paulus, cum ait: Episcopi sint unius uxoris viri, intelligi voluit id de jure, vel de facto, ita ut interdixerit, ne quis ordinetur, qui fuerit plurium uxorum vir, sive de jure, sive de facto.

Tertia species est digamia metaphorica, idest, quae consurgit ex duplici conjugio, quorum alterum non verum, sed metaphoricum fuerit. Sic enim ancyranum concilium can. 19. inter digamos haberi jubet eos, qui post votum continentiae ad matrimonium transierunt: siquidem votum continentiae genus est matrimonii animae cum Dee, licet metaphoricum. Porro isti prohibentur ordinari, non quia vere bigami sint, sed quia Ecclesia poenam bigamorum ad eos extendere voluit.

Ex his primum respondeo: Bigamiam non oriri, nisi ex matrimonio consummato. Nam, ut recte dicit Innocentius papa cap. Debitum, de digamis, matrimonium ratum, sed non consummatum significat conjunctionem Dei cum anima per gratiam; matrimonium autem consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per naturas conformitatem. Nam apostolus ad Ephes. 5. tum dixit: Sacramentum hoc magnum est, ego uutem dico, in Christo et in Ecclesia, cum paulo ante dixisset. Erunt duo in carne una. Bigamia vero nascitur ex defectu significationis conjugii Christi cum Ecclesia, non Dei cum anima.

Ad id vero, quod objiciebalur de bigamia eorum, qui habuerunt plures uxores de facto, non de jure, jam responsum est in explicatione specierum bigamiae.

Ad illud vero de eo, qui ducit fornicariam, quidam respondent, ideo bigamum esse, qui ducit fornicariam, licet bigamus non sit fornicarius, qui ducit virginem, quia episcopus repraesentat Ecclesiam, sponsa episcopi repraesentat Christum; constat autem, in ipsa Ecclesia non deesse aliquas corruptelas, in Christo vero nihil ejusmedi esse posse. At haec solutio pugnat cum apostolo Paulo, qui ad Ephes. comparat visum cum Christo, et sponsam cum Ecctesia: Viri, inquit, diligite uxores vestras. sicut Christus Ecclesiam. Alii, in quibus est Dominicus a Soto in 4. sent. dist. 27. q. 3. art.1. dicunt, caussam illius discriminis esse, quia matrimonium sumit speciem suam a termino ad quem, ac proinde matrimonium viri tunc solum vitiatur, cum in uxore est vitium; illa enim est terminus ad quem, respectu viri. Et contra, quando vitium est in viro, tune vitiatur matrimonium ex parte uxoris, et si illa esset capax ordinationis, fieret irregularis, si nuberet vira fornicario.

At hace solutio acutior, quam verior esse videtur; nam si ex termino ad quem, tantum nasceretur bigamia, certe qui duceret secundam uxorem virginem, non esset bigamus; nam in ejusmodi matrimonio nullum est vitium in termino ad quem, sed totum est in termino a quo, idest, in ipso viro, qui bis matrimonium contrahit: atqui nulla est magis propria bigamia, quam ducere duas uxores; licet virgines. Sicut igitur aeque oritur bigamia, si viduus ducat virginem, et si virgo ducat viduum, ut patet, ila quoque bigamia esset, cum vir castus ducit fornicarlam.

Respondeo igitur: Prohibitum esse ne ordinetur, qui ducit fernicariam, non quod ea sit bigamin, peque oh illud apostoli praeceptum: Unius uxoris vir, sed quia sic placuit Ecclesiae ob dignitatem sacerdotii: Nam indignum est tam gravi persona matrimonium cum fornicaria, non autem indignum est viro fornicario, si uxorem virginem ducat; Esse autem hujus rei caussam, non bigamiam, sed dignitatem sacerdotii, ex eo probari potest, quoil can. 18. apostelorum. ubi prohibetur sacerdos fieri qui duxit fornicariam; prohibetur etiam is fieri sacerdos, qui duxit ancillam, vel comoediarum actricem, ubi nullum locum habet bigamia, sed sola infamia. Atque haec de coelibatu dicta sufficiant.

Sequerentur nunc disputationes, quinta et sexta videlicet; quinta de horis canonicis, et sexta de ritu tonsurae, sive rasurae clericorum; sed quia de horis canonicis in disputatione de oratione commodius tractari poterit, de ritu vero tonsurae disseremus in sequenti libro, qui erit de monachis, nunc ad septimam disputationem nos conferemus.

# CAPUT XXV.

#### De decimis.

Septima quaestio erat de temporalibus bonis clericorum; Sunt autem tria bonorum genera, de quibus ambigi potest, an clericis convenient. Primo loco sunt decimae, quae debentur clericis ex justitia. Secundo, sunt, agri, domus ac possessiones caeterae, quas dono laicorum, maxime principum, Ecclesia possidet. Tertio, sunt bona, quae habentur titulo plane saeculari, ut haereditate paterna, emptione, venditione etc. de singulis ordine disemus. Ac primum, de decimis quatuor invenio errores.

Primus error suit Joan. Wiclest, qui, ut resert Wald. lib. 2. doctrinalis sidei art. 3. cap. 64. et 65. docebat decimas esse puras eleemosynas, et nullo jure deberi sacerdotibus. Eundem errorem sequentur hodie Anabaptistae, Trinitarii: Nam in libello, quem edideruat anno 1568. Albae Juliae do antithesibus veri et salsi Christi, tertiam autithesin saciunt hanc: Falsus Christus, sicut ipse est Deus aeternus, et ditissimus, sic dedit suis sacerdotibus decimas, et multa bona temporalia. Christus autem verus, qui homo temporalis, et pauper fuit, pauperes etiam vult ministros.

Error est manifestus, facile enim doceri potest, esse de jure naturae et divino, quod aliquid solvant laici sacerdotibus, et praeterea de jure ecclesinstico, ut id quod solvitur sit pars decima. Quod sit de jure naturae, probatur : Nam certe ratio dictat, ut iis, qui pro populo laborant, populus alimenta praebeat: Unde enim deducimus deberi regibus tributa, et militibus stipendia, et judicibus, aliisque ministris publicis salaria, inde etiam deducere possumus, deberi sacerdolibus decimas. vel aliquid earum loco. Itaque tempore legis naturae videmus Abraham dedisse decimas Melchisedecho sacerdoti, qui tunc erat Genes. 14. In quem locum scribens Chrysostomús hom. 35. in Genes. dicit Abrahamum hoc facto doctorem nostrum fuisse, ac monuisse quod nos facere debeamus.

Quod autem de jure divino sit, probatur ex utroque Testamento, ac primum Levit. ult. Num. 18. Malach. 3. et alibi, Deus jussit decimas levitis dari, quae quidem praecepta licet non obligent Christianos, ut judicialia erant, obligant tamen quatenus moralia, idest, quod pars aliqua fructuum sit sacerdotibus danda; Id enim aperte docet Clemens lib. 2. constitut. apostol. eap. 29. 38. et 39. et lib. 8. cap. 36. ubi dicit, etsi Christiani sint liberi a caeremoniis legis veteris, non tamen a decimis et oblationibus, immo nunc magis teneri ad haec omora Christianos, cum debeat eorum justitia abundare plus quam Scribarum et Pharisaeorum.

Item b. Hieronymus in cap. Malach. 3. sic ait: Quod, inquit, de decimis, primiliisque diximus. quae olim dabantur a populo sacerdotibus, atque levilis, in Ecclesiae quoque populis intelligite, quibus praeceptum est non solum decimas. et primilias dare, sed et vendere omnia quae habent, et dare pauperibus. Quod si facere nolumus, saltem Judaeorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, et sacerdotibus ac levitis honorem debitum deferamus: quod qui non fecerit, Deum fraudare, et supplantare convincitur. Ubi tamen nota, quod etsi b. Hieronymus dient esse proceptum, vendere omnia et dare pauperibus, tamen intelligit esse praeceptum non absolute, sicut de solvendis decimis, sed si quis persectus esse velit; nam de isto subdit: Quod si facere nolumus etc. De decimis autem dicit: Quod qui non fecerit, Deum fraudare, et supplantare convincitur.

Item b. Augustinus serm. 219. de tempore eundem locum Malachiae tractans: Deus, inquit, qui dignatus est totum dare, decimam a nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam; sie enim per prophetam ipse promisit, dicens: Inferte omnem decimam in horreis meis, ut sit cibus in domo mea, et probate me in his, dicit Dominus. Forte non est b. Augustini iste sermo, tamen insignis est sine dubio, et antiqui alicujus Patris; nam inde tanquam ex Augustin. multa sunt adscripta in decreta 16. q. 1.

Item b. Gregorius hom. 16. in evangelia: Sicut, inquit, offerre in lege jubemini fratres carissimi decimas rerum, ita ei offerre contendite, et decimas dierum. Deinde in Testamento novo habemus Matth. 22. Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo. In quem locum Hieronymus et Augustinus lib. 50. homil. hom. 48. dicunt praecipere Dominum; ut reddantur Caesari tributa et Deo decimae. Praeterea Matth. 10. Dignus est operarius mercede sug 1. Corinth. 9. Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario, sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum allari participant: Ila et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annunciant, de evangelio vivere. Et ibidem: Quis militat suis stipendiis unquam; Et si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?

De quo loco tractans Augustinus tract. in ps. 146, et inde exponens illa verba psalmi: Oui parat terrae pluviam, producens in montibus foenum, dicit populos, qui tanquam terra accipiunt pluviam doctrinae a sacerdotibus, debere illis producere foenum temporalium bonorum: Accipe, inquit, pluviam et da foenum; etenim ista omnia.quae Ecclesiae ad necessitates servientium Deo dantur a divitibus, quid sunt nisi foenum? Et infra: Debetur pluviae fructus, debetur servo cibus sicut Dominus ait: Manducate quae ab ipsis sunt; et ne putarent aliquid de suo donare; dignus est, inquit, operarius mercede sua. El infra: Exime aliquam partem reddituum tuorum; decimas vis, decimas exime; quanquam parum sit; dictum est enim, quia Pharisaei decimas dabant, et quid ait Dominus? Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisacorum, non intrabilis in regnum coelorum.

Nota, tempore b. Augustini multos in Africa non consuevisse decimas solvere, sicut modo in quibusdam aliis partibus, et ideo eos b. Augustinum ad decimas cohortari, sicut etiam facit hom. 48. ex lib. 50. homiliarum: Majores nostri, inquit, ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant et Caesari censum reddebant. Modo autem quia discessit devotio Dei, accessit indictio fisci: Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur.

Superest, ut jura ecclesiastica proferamus. Ac primum multa sunt antiqua concilia, in quibus id aperte praecipitur, ut aurelianense I. cap. 17.ante annos mille. Item matisconense II. cap. 5. eodem saeculo celebratum, dicit leges divinas de solvendis decimis longis temporibus in Ecclesia custoditas, etiam deinceps esse custodiendas. Forojuliense cap. ult. idem habet. Moguntinum tempore Caroli Magni cap. 38. Moguntinum sub Rabano, cap.

10. Moguntinum tempore imperatoris Arnulphi, cap. 17. excommunicari jubet ees, qui decimas dare naglexerint. Remense, cap. 38. tempore Caroli Magni, Valentinum tempore Lotharii, cap. 10. arelatense IV. cap. 9. cabilonense II. cap. 19. metense cap. 2. triburiense, c. 13. quae omnia ante annos 700. vel 800. vel mille acta sunt.

Praeterea sunt concilia generalia, lateranense sub Innocentio III. cap. 53. 54. 55. et 56. statuit, ut decimae ante tributa; et census persolvantur, et alia quaedam in concilio viennensi, ut habetur in Clement. Cupientes, de poenis, excommunicantur ipso facto religiosi, qui in concione aliquid dicunt, unde retrahunt populum a solvendis decimis. Concilium constantiense, sess. 8. damnavit articulum Wicless, quod decimae sint purae eleemosynae. Ac demum concilium tridentinum sess. 25. cap. 12. docet solutionem decimarum debitam esse Deo; et jubet ut excommunicentur, qui eas subtrahunt, aut ne ab aliis dentur impediunt, nec debere absolvi, denec integre restituant. His accedant plurima decreta pontificum summorum, quae habentur 16. qu. 1. et 7. et extra de decimis, necnon in Sexto et Clementinis, et extravagantibus eodem titulo.

Altor error est ejusdem Wiclefi, quod scilicet decimae non modo sint purae eleemosynae, sed etiam nullo modo dandae sint malis sacerdotibus. Existimavit enim Wiclefus, eum qui eleemosynam facit peccatori, in peccato ejus communicare. De quo errore plura dicemus in tractatu de eleemosyna: nunc breviter refellitur error praesens. Primo, ex illa Matth. 22. Reddite quae sant Gaesaris, Gaesari, et quae sunt Dei, Deo. Ubi ita s. Hieron. scribil: Qued ail, inquit, reddite quae sunt Caesaris, Caesari. nummum, tributum et pecuniam; el quae sunt Dei, Deo, decimas, primitias et oblationes ac victimas sentiamus. At certum est tempore Domini non solum. Caesarem impium, et inflidelem, sed etiam sacerdotes improbissimos ae depravatissimos fuisse. Secundo ex Innocentio III. in epist, ad episcopum vercellensem, et habetur cap. Tua nos, de decimis: Praetextu, inquit, nequiliae clericorum nequeunt decimas, nisi quibus ex mandato divino debentur, pro suo arbitrio erogare, cum nulli sit licitum aliena cuique concedere praeter Domini voluntatem. Denique tertio, quia decimae non dantur clericis, quia boni sunt, sed quia clerici sunt, sicut tributa dantur regibus, non quia probi, sed quia reges.

Tertius error est quorumdam, qui dicuntur Fraticelli, sive pseudoapostoli, qui inter alios errores, quos refert Joannes de Turrecremata lib. 4.par. 2. cap. 37. Summae, docebant non posse percipere decimas eos, qui non vivunt in paupertate more apostolorum; error est sine ullo fundamento; Nam ratio, cur debeantur clericis decimae, est, quia laborant in populi utilitatem: Haec autem ratio non minus in divite quam in paupere inveniri potest; Accedit quod Dominus Matth. 22. jussit dari decimas sacerdotibus Judaeorum, qui in paupertate non vivebant.

Quartus error est multorum canonistarum, qui contendunt decimas, etiam quoad determinationem

quantitatis, esse de jure divino; nec posse ulla humana lege aut consuctudine aliam statui quantitatem. Ita Gloss. in cap. 1. de decimis, in Sexto, Innocentius in rubric. de decimis, Panormitanus in cap. In aliquibus, de decimis, et Hostiensis in sua summa tit. de decimis, § 7. quos alii fere omnes sequuntur. Argumentum eorum est, quia plurimi canones, ac praesertim cap. In aliquibus, de decimis, dicunt decimas deberi jure divino. At sine ullo dubio error est manifestus, ut non solum theologi omnes, sed etiam ex canonistis docent Sylvesir. verbo decima, qu.4. et Navarrus cap.21. num. 28. nec semel tantum, sed bis peccant multi canonistarum; semel, quia falsum defendunt: Iterum, quia damnant fere haereseos omnes theologos, qui contrarium sentiunt; cum e contrario ipsorum sententia facillime convinci possit erroris.

Probatur igitur praeceptum de solvendis decimis, quantum ad determinationem talis quantitatis non esse nunc de jure divino. Tale praeceptum nusquam invenitur Christianis impositum, nec in neva, nec in veteri lege; et quod non in nova, patet; quod non in veteri, probatur; nam praeceptum legis veteris, quoad illam determinationem, non erat morale, nec proprie caeremoniale, sed judiciale, ut Alexander docet 3. par. quaest. 51, in 3. et b. Thomas in 2. 2. quaest. 87. artic. 1. quos o-

mnes theologi sequenture

Quod non sit morale, patet, quia moralia semper obligaverunt, lex autem de decimis non fuit ante tempora Moysis; Nec ratio dictat, ut sacerdoti dentur decem partes, sed ut detur quantum satis est ad ejus sustentationem. Unde Genes 28. Jacob vovit se daturum decimas Deo omnium quae possideret, si Deus eum dirigeret in via etc. At impium fuisset vovere decimas cum tali conditione, si absolute fuisset obligatus eas solvere. Praeterea si moralis fuisset ista determinatio decimarum, certe etiam morale esset praeceptum, quod ibidem additur, ut qui decimas habent, nullum aliud patrimonium habeant, atque ita jure divino tenerentur clerici dimittere patrimonium.

Quod autem non sit proprie caeremoniale, sed judiciale, probatur. Nam non ordinatur immediate ad colendum Deum, sed ad aequitatem inter homines constituendam. Ideo enim jussit Deus dari decimam partem omnium bonerum levitis, non octavam aut vicesimam, ut esset proportio inter opes levitarum et aliorum. Erat enim familia Levi una ex duodecim tribubus Isiael, vel potius ex tredecim; nam etiamsi duodecim fuerint filii Israel. tamen Joseph duas tribus fecit, idest, Ephraim et Manasse, et secundum aequitatem tertiam decimam partem bonorum habere debuissent, tamèn quia erant caeteris pobiliores, et quia Deus praevidebat, non defuturos transgressores, qui non integre solverent, idcirco attribuit eis partem decimam, idest, amplius quam caeteris, ut sic ad aequalitatem venicelur, non obstantibus transgressoribus.

Neque obstat quod Innocentius papa cap. Tua nos, de decimis, dicit decimas Deum requirere ad prefessionem supremi dominii. Ex quo videtur sequi, quad sit praeceptum caeremoniale; nam non dantur decimae immediate et per se ad hunc finem.

Bellarmim. Vol. II.

ut profiteanter, qui eas dant, se agnoscere supremum dominium Bei, sicut faciunt qui sacrificium offerunt, sed solum mediate et per aliud, quia nimirum dantur Deo per suos ministros; dantur enim sacerdotibus ut ministris Dei. Constat autem ex fide catholica legem veterem post Christi adventum esse abrogatam, quatenus positiva erat, ut apostolus Gal. 3. Ephes, 2. Hebr. 7. et alibi diserte docet, et idem confirmat decretalis unica, de purificatione post partum, quam canonistae ignorare non possunt. Non igitur lex illa de solvenda decima parte bonorum, cum sit judicialis ad Christianos pertinet, ex vi Testamenti veteris.

Ad argumentum ipsorum respondemus, quod cum sacri canones dicunt, jure divino deberi decimas, tribus modis intelligi possunt. Uno modo, ut sensus sit, deberi jure divino quoad substantiam, non quoad quantitatem, sive jure divino addita Ecclesiáe determinatione, sicut dicimus festa jure divino sanctificanda esse etiam nunc; et hoc modo intellige concilium matisconense II. cap. 5. ubi dicit, legem divinam de solvendis decimis esse servandam.

Altero modo, ut sit sensus, Deum imposuisse decimas Christianis non verbo, sed exemplo. Nam dum eas Judaeis imposuit, simul ostendit, quid etiam Christianos facere par esset; Quemodo quidem Patres dicunt, quadragesimam indictam esse a Domino, quia nimirum exemplo nos docuit jejunare quadragesimam. Vide Ambrosium serm. 36.

Tertio modo, ut si sensus, deberi jure divino, idest, juxta determinationem quantitatis, quae habetur in jure divino, quamquam non ex vi juris divini, sed ex vi juris ecclesiastici; et boc modo intelligi debent verba capitis, in aliquibus, de decimis, quae talia sunt: Illae quippe decimae necessario solvendae sunt, quae debentur ex lege divina, vel loci consuctudine approbata. Est enim. sensus. Illae decimae necessario solvendae sunt, quae debentur, vel juxta' quantitatem lege divina determinatam, quam Ecclesia innovavit; ut sit, ubi solvuntur integrae decimae; vel juxta quantitatem consuetudine loci determinatam, ut sit, ubi solvitur minus quam decima, et tamen vocatur decima. Et nota ex hoc textu, quo canonistae maxime nituntur, sumi argumentum optimum contra ipsos; Si enim decimae quoad quantitatem deberentur jure divino. ubique integrae solvendae essent, nec diceret textus iste, alicubi debere solvi juxta consuetudinem. Atque haec de erroribus. Sequitur ut dubia quaedam explicemus.

#### **DUBIUM PRIMUM**

An praeceptum de solvendis decimis possit contraria consuetudine abrogari.

Respondeo: Certum est, praeceptum de solvendis decimis, qua parte divinum et naturale est, non posse ulla lege humana vel consuetudine contraria aboleri. Ac proinde certum est, Ecclesiam habere jus petendi decimas, etiam ubi consuetudo est ut non solvantur; In hoc enim omnes theologi et canonistae conveniunt. Dubium autem est, an praeceptum de decimis, quatenus positivum et humanum est, possit mutari consuetudine. Sotus lib. 9. quaest. 4. art. 1. de justitia, dicit non posse, et

hanc putat mentem esse b. Thomae.

Contrarium puto verum cum Sylvestro, verbo Decima, quaest. 4. et Navarro cap. 21. num. 28. Nec dubito hanc esse mentem b. Thomae; Nam b. Thomas in 2. 2. quaest. 67. artic. 1. docet, praeceptum de decimis, quatenus humanum est, posse ab Ecclesia mulari, ita ut teneatur populus non decimam, sed duodecimam, vel octavam solvere. At non minorem vim habet consuetudo legitime praescripta, quam lèx quaelibet humana, ut, cum caeteris, docet ipse etiam Sotus lib. 1. quaest. 7. artic. 2. de justitia. Praeterea b. Thomas quodlibet 2.art. 8.posteaguam docuit consuetudine numquam abrogari legem de solvendis decimis, subjungit rationem, quia lex ista divina et naturalis est. Ergo b. Thomas non negat legem de decimis. quatenus ecclesiastica est, posse mutari consuetudine, sed solum quatenus naturalis et divina est.

His accedit cap. In aliquibus, de decimis, phi dicitur solvendas esse decimas secundum determinationem aut legis divinae, aut consuetudinis approbatae. Hic tamen observandum est, quod sicut consuetudo tollit legem, ita lex tollit consuetudinem, si justis caussis feratur ab eo, qui habet auctoritatem. Itaque ubi nuno est consuctudo solvendi solum tricesimam aut quinquagesimam, loco decimae, non tenetur solvere quidquam amplius; Tamen si nunc pontifex, aut concilium justis de caussis iterum legem ferat, ut integrae decimae solvantur ubique, non obstante consuetudine, sine dubio tenerentur omnes solvere; sicut omnium judicio tenentur solvere, qui in eis locis agunt, ubi non est consuetudo solvendi minus, quam decimam.

#### DUBIUM II.

An laici pauperes teneantur decimas dare clericis divitibus.

Ratio dubitationis est, quia sicut laicus tenetur alere sacerdotem, quia sacerdos est, ita sacerdos

tenetur alere laicum, quia pauper est.

Respondet b. Thomas quodlib. 6. art. 10. sine dubio debere pauperem laicum dare decimas clerics diviti, quia obligatio decimarum ad justitiam commutativam pertinet, in qua non consideratur conditio personae, sed acqualitas rei ad rem; qui enim v. gr. emit, debet solvere quantum res valet, sive ipse sit dives, sive pauper. Neque argumentum in contrarium valet, quia non tenetur clericus hunc pauperem potius alere, quam alium.

#### DUBIUM III:

An excusari possint a peccato, qui nullas decimas solvunt, ubi non est consuetudo solvendi.

Respondeo: Tribus modis peccare posse, qui nullas decimas solvunt. ut Sylvester, ubi supra, et alii docent. Primo, si Ecclesia propter defectum decimarum notabiliter patiatur, tunc enim sive i-psa decimas petat, sive non, tenetur populus o-mnino ei providere. Secundo, si Ecclesia jure petat decimas, sive egeat notabiliter, sive non, tenetur populus solvere, etiamsi consueverit non solvere. Tertio, si populus eo animo esset, ut non solveret, etiamsi justissime eas a se peti intelligeret.

Extra hos casus sine ullo dubio excusantur, quia, ut b. Thomas dicit, Ecclesia dum non petit decimas, censetur eas condonare; non autem peccat, qui non solvit debitum sibi condonatum. Alioqui apostolus peccare fecisset Corinthios, qui stipendia sibi debita ab eis accipere nolebat, ne impedimentum poneret evangelio 1. Cor. 9. S. etiam Augustinus in peccato fovisset populum suum, quem ad solvendas decimas non cogebat, etiamsi bortaretur, ut patet ex tract. in ps. 146. et ex hom. 48. ex 50. homiflis.

#### DUBIUM IV.

Qua ratione ostendi possit, justam esse determinationem Ecclesiae, quod Christiani decimam partem suorum fructuum Ecclesiae tribuant.

Non disputamus, an hoc sit justum, quia Ecclesia statuit; id enim insolentissimae insaniae esset, ut b. Augustinus scripsit in epist. 118. sed qua ratione id esse justum ostendi possit. Nam in veteri lege ideo justum erat, quia levitae erant pars duodecima, vel tertiadecima totius populi Hebraeorum. At clerus in nova lege non videtur centesima pars Christianorum; qua igitur aequitate decimam partem habere debet omnium bonorum, quae sunt in in orbe Christiano? Cajetanus in 2. 2. qu. 87. respondet, se non posse aliam rationem reddere, quam ideo justum esse, ut clerus habeat decimam partem, quia debet pauperes alere, qui sine utlo numero sunt? Sed quamvis haec ratio optima sit, cum videamus canones passim id praecipere, ut elerici ex decimis alant pauperes, tamen non est hacc sola ratio, cur justae sint decimae.

Primum enim non est verum levitas fuisse tertiamdecimam partem populi judaici, et nostrum clerum non esse centesimam partem populi Christiani; Nam Hebraei numerati sine levitis Num. 1. erant sexcenta tria millia, quingenti quinquaginta, et non numerabantor pueri ante annos viginti, neque senes; nam cum his sine dubio erant plus quam duplo plures, idest, circiter mille millia et trecenta millia. Levitae autem emnes ab infante usque ad senem numerantur Numer. 3. vigintiduo millia tantum. Jam igitur addendo levitas caeteris Hebraeis, et dividende totum numerum per vigintiduo millia, efficiuntur partes divisae sexaginta, ergo levitae non erant pars tertiadecima, sed vix sexagesima totius populi. Porro clerus Christianorum forte major est, quam sexagesima pars Christiani populi. Nulla est enim fere ampla familia, ex qua non sit aliquis ecclesiasticus, et nullus est pagus, ubi non sit tempļum unum, aut plura et aliquot sacerdotes.

Deinde, christianus clerus majoribus laboribus et sumptibus obnoxius est, quam tribus levitica erat apud Judaeos, ut omittam dignitatem sacerdotti nostri incomparabiliter majorem quam sacerdotti Aaronici. Tunc unum erat templum, unus pontifex et pauci quidam sacerdotes ex sola familia Aaron, qui per vices in templo ministrabant, reliqui omnes erant turba famulorum. At nunc sunt innumera templa conservanda sumptibus Ecolesiae, sunt etiam plurimi episcopi et praelati, necnon innumeri sacerdotes, qui docti esse debent, et proinde multum in studiis ex patrimonio sue insumere et postea non per vices, sed perpetuo Ecclesiae ministeriis adesse, quos certe honeste pro status sui conditione vivere oportet ex Ecclesiae benis.

His accedit, quod multi sunt liberi a solvendia decimis, multi ex malitia non solvunt, aut certe non plene et fideliter. Saepe etiam reges et principes non solum non solvunt, sed etiam impetrant ab Ecclesia decimarum partem in subsidium belli, aliorumque publicorum sumptuum.

Denique, cum populus Christianus debeat esse perfectior, quam Judaicus, ut dicitur Matth. 5. si ille decimam suorum bonorum dabat Deo, cur non tantundem saltem faciet Christianus? Itaque verum est quod loco notato dicit b. Thomas, hanc deferminationem Ecclesiae respectu populi esse humaniorem ac benigniorem, quam rigor justitiae absolutae pateretur.

#### CAPUT XXVI.

De possessionibus, quae dono lateorum possidentur a clericis.

De possessionibus ecclesiasticis fuit error Joannis Wicleff, apud Thomam Waldensem lib. 4. doctrin. fidei artic. 3. qui docebat non licere clericis habere ullas possessiones et peccasse tam qui eas donaverunt Ecclesiae quam qui eas receperunt. Fundamenta ejus hace sunt. Primum, quia sacerdotes Testamenti veteris prohibebantur habere possesnes; ut patet Namer. 18. Diait Dominus ad Aaron, in terra corum nikil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars et hacreditas tua. Item Deut. 10. Quamebrem non habuit Levi partem, nec possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio ejus est. Et Josue 13. Tribui

autem Levi non dedil possessionem, queniam dominus Deus Israel ipse possessio ejus.

Secundum, quia Matth. 10. Dominus jubet apostolis, ul minil possideant, non pecuniam, non duas tunicas etc. Ibidem dicit: Non est discipulus super magistrum. Christus autem nullam possessionem habuit. Item Luc. 14. Nisi quis renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. At certe clerici omnes discipuli Christi esse debent.

At hune errorem manifestum esse, probatur. Primo, de sacerdotibus, et levitis. Testamenti veteris: Nam etsi in partitione terrae non erant habituri agros et vineas, erant habituri tamen et possessuri urbes ad habitandum, et suburbana ad alenda pecora. Poterant etiam agros et vineas emere, et etiam ex eblationibus populi habere, ut modo habet Ecclesia: Nam Numer. 35. dicitur: Praecipe filiis Isräel, ut dent levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, et suburbana earum per circuitum, quae a muris civilatum forinsecus per circuitum mille-passuum epatio tendentur. Et Josue 21. id legimus impletum.

Neque obstat quod Lyranus in Numer. 35. dicit eas urbes fuisse sacerdotum, quoad usum, dominium autem earum fuisse penes alios. Et probat de Hebron, quae data est sacerdotibus, Josue 21. et tamen dominus ejus erat Caleb de tribu Juda, Josue 14. Hoc non obstat: Nam Lyranus fallitur, ut patet ex Levit. 25.ubi legimus urbes et suburbana sacerdotum esse eorum possessionem, et posse illas vendere, et redimere domos, ut alii faciebant, et de Hebron legimus Josue 21. solos, agros et vineas, quae erant in territorio Hebron, fuisse Caleb, urbem autem et suburbana sacerdotum. Item Levit. ult.praecipitur, ut si quis agrum Domino voverit, eum sacerdotes possideant. 3. Reg. 2. dicit rex Abiathar sacerdoti: Vade ad agrum tuum. Item Hieremias sacerdos erat, et tamen Hierem.32.scribit ipsemet se emisse ac possedisse agrum, qui fuerat patruelis sui. Et Actor. 4. legimus Barnabam fuisse levitam et vendidisse agrum quem habebat.

Ex his facile est respondere ad primum argumentum Wiclefi. Quando enim Scriptura dicit, saccerdotes non debuisse habere quidquam, sed Dominum esse eorum haereditatem, vult dicere non debuisse eos habere quidquam more aliorum, tanquam filios Jacob, et ex paterna haereditate: sed solum habere debuisse ea, quae debebantur Deo, cujus ipsi ministri erant; et sic factum est; Nam tota terra Palaestinae quasi quaedam haereditas divisa fuit in duodecim partes pro numero taibuum, exclusa omnino tribu Levi, quae erat decimatertia.

Nam etsi duodecim tantum fuerint filii Jacob, tribus tamen fuerunt XIII, quia Joseph duas tribus faciebat, nimirum Ephraim et Manasse. Deinde terra jam divisa, et Levi exhaeredato, Deus voluit sibi tanquam proprio regi Judaeorum dari loco tributi decimam partem omnium fructuum, et 48. civitates cum suburbanis suis, et haec omnia donavit ipse levitis; Quae portio levitarum, ut supra diximus, major fuit quaeumque portione aliarum tribuum; Nam habuerunt decimam partem, cum ipsi vix essent sexagesima pars totius populi, et hoe si-

gnificant illa verba: Ego Dominus haeredilas levitarum sum. Ubi nota miram Dei providentiam erga sacerdotes; Jacob exhaeredavit filium Levi, propter peccatum ipsius, ut patet Genes. 49. Dividam illos in Jacob, et dispergam eos in Isräel. Deus autem ratam habnit sententiam Isräelis, sed eam implevit cum summo honore levitarum, et totius populi utilitate; Nam dedit ipse levitis suam haereditatem, et totus populus maximum commodum inde consequutus est. Si enim fuissent levitae col·lecti in unum locum, ut erant aliae tribus, non potuissent omnes populi facile ab eis doceri: dispersi autem in omnes tribus, facile omnibus adesse, cosque instituere in lege Domini potuerunt.

Probatur jam hoc idem de sacerdotibus novi Testamenti: Nam etsi in Scripturis nihti legimus de possessionibus Ecclesiarum, legimus tamen in antiquissimis pontificum, et conciliorum decretis, et in libris sanctorum Patrum. Pius papa I. in epist. 2. dicit, sacrilegium esse, qui Ecclesiae praedia et donaria diripit. Urbanus I. in epist. ad omnes episcopos dicit, initio Ecclesiae consuevisse pios homines vendere possessiones, et pretium donare Ecclesiis. Deinde tamen judicatum esse commodius, si possessiones ipsae donarentur Ecclesiae, ut eo modo non solum praesentibus, sed

etiam futuris provideretur.

Sunt etiam concilia omnium Ecclesiarum, quae prohibent alienari possessiones Ecclesiae, et earum curam episcopo committunt. Vide concilium antiochenum, cap. 25. et ancyranum, cap. 45. Item concilium carthaginense IV. cap. 32. et carthaginense V. c. 4. Item concilium hispalense I. cap. 1. toletanum IV. canon 32. et 68. Item agathense cap. 49. et 51. Item moguntinum sub Arnulpho imperatore c. 12. Denique romanum VI. sub Symmacho. Praeterea meminerunt ecclesiasticarum possessionum Ambrosius epist. 32. Chrysostomus hom. 37. ad populum antiochenum: Augustinus serm. 1. et 2. De communi vita clericorum: Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap.9. Gregorius lib. 4. epist. 33. et alii Patres passim.

Ad illud Matth. 10. Nihil tuleritis in via etc. Respondeo; Illa verba dici apostolis pro eo tempore, quo in itinere erant futuri in terra promissionis, ante Christi passionem; tunc enim ut expeditiores essent, non debuerunt ferre secum quidquam, praesertim cum neque pauperum, neque Ecclesiarum tunc curam haberent. At ubi coeperunt apostoli post Christi ascensionem figere sedes in certis locis, et habere curam Ecclesiarum et pauperum, non timuerunt recipere bona temporabia, ut patet Act. 4. 5. et 6. ubi apostoli recipiebant multas pecunias, ut inde alerent et se, et alios.

Ad illud: Non est discipulus super magistrum, Respondeo: Dominum loqui co loco de tribulationibus, a quibus non fuerunt immunes apostoli, cum eorum Dominus, et magister multa passus sit; Neque esse ditiorem, est esse majorem, sed potius minorem; Nam apud Deum ille est major, qui est melior; melior autem est, qui est panperior, cum Dominus dicat: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes etc. Matth. 19.

Ad postremum respondet Augustinus epist. 5. ad Marcellipum, Dominum loqui de praeparatione mentis. Nam ibidem explicans quid sit renunciare omnibus, dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem, et matrem, et uxorem, adhuc autem et animam suum, non potest meus esse discipulus. Et tamen non tenemur, nec possumus, parentes, filios, uxorem, et multo minus vitam odisse, nisi in praeparatione animi.

#### CAPUT /XXVIL.

#### De bonis saecularibus.

Quantum ad tertium de saecularibus bonis, Thomas Waldensis lib. 4. doct. fidei art. 3. cap. 42. docel, clericos debere bona propria vel erogare pauperibus, vel in commune ponere, et probat aliquot sententiis Patrum, qui non permittunt clericis, ut habeant ulla bona propria, qualia sunt patrimonialia, sed solum bona communia, nimirum ecclesiastica. Origenes hom. 16. in Genes. exponens cap. 47. de sacerdotibus Pharaonis. Hieronymus in epist. ad Nepotianum de vita clericorum, ubi dicit clericum, qui habet partem in terra, non futurum partem Domini, nec Dominum partem ejus. Similia et duriora habet b. Bernardus in declamatione super illud Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia: Clericus, inquit, qui habet partem in terra, non habebit partem in coelo.

Verumtamen certum est, non obligari clericos propter clericatum ad dimittendum patrimonium. Probatur primo Scriptura: Nam 1. Timoth. 3. jubet apostolus eligi Episcopum hospitalem, et qui domui suae bene praesit, et filios subditos habeat. At haec omnia praesupponunt divitias proprias. Praeterea Philemon habuit servum, et dives erat, ut apparet ex epistola ad Philemonem, et tamen episcopus erat, ut Hieronymus et Anselmus docent in eam epistolam; Hieronymus enim vocat eum evangelistam, Anselmus, vero nominatim epi-

Scopum.
Praeteres Eus

Praeterea Eusebius lib. 3, histor. cap. 19. scribit de consanguineis Domini, quod habuerint possessiones quasdam, licet modicas, ex paterna haeroditate, et tamen fuerint Ecclesiae duces, idest, episcopi. Item can. 40. apostolorum sic ait: Sint manifestae res episcopi, si tamen habet proprias, et manifestae dominicae, ut potestatem habeat de propriis moriens episcopus, sicut voluerit, et quibus voluerit derelinquere. Idem habet concilium agathense canon 48. et Martinus Bracarensis, can. 45. suorum decretorum, et hispalense concilium 1. can. 1.

Praeterea Ambrosius in epist. 33. ad Marcellinam, dicit se, cum rogaretur ut Ecclesiam unam Arianis traderet, obtulisse patrimonium suum, patrimonium autem Christi se tradere noluisse.B.Augustinus serm. 1. de moribus clericorum, dicit eos clericos, qui professi fuerant vitam commu-

nem, si postea resilvant a proposito, et propria habere velint, graviter peccare propter voti violationem: Ubi indicat alios clericos, qui non vovorunt vitam communem posse habere propria. B. Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. 12. dicit sine ullo peccato posse olericum vivere ex proprio patrimonio.

Ad looum Origenis, Hieronymi et Bernardi responderi potest, loqui eos de illis clericis, qui dant operam augendis opibus; et non contenti rebas necessariis, etiam superflua retinent. Illi enim proprie dicuntur habere, vel quaerere possessionem in terra, qui non contenti victu, et vestitu, semper flagrant habendi cupiditate. Certe Hieronymus cum dicit elericum non debere quidquam in terra possidere, addit: Ut possit, inquit, cum propheta dicere; pars mea Dominus, et ut sit verus levita. At prophéta David, qui sit: Pars mea Dominue, rex ditissimus erat, et similiter veri levitae divites erant externis opibus, sed non affecta.

Posset autem dubitari, an qui bona patrimonialià habet, possit simul bona ecclesiastica habere? Nam s. Prosper lib. 2. de vita contemplat. cap.9.10.11. et 12. docet non posse ciericum sine gravissimo peccato vivere ex bonis ecclesiasticis si habeat bona propria, unde sufficienter alatur, et probat hac ratione: Bona ecclesiastica non dantur clericis in praemium laboris, sed solum, ut sustententur, et necessaria ad vitam habeant, quia praemium laboris est vita aeterna, et simonia esset dere spiritualia pro temporalibus. Et confirmatur ex can. 41. apostolorum, ubi dicitur, ut episcopus accipiat ex bonis Ecclesiae pro sua sustentatione si tamen indiget: Et idem reperitur in concilio antiocheno cap. 25. quare qui ex patrimonio vivit, nec eget sustentatione, non potest percipere fructus bonorum ecclesiasticorum. At contrarium docet Glossa, et Joannes de Turrecremata in can. Clerices , 1. q. 2. et ratio est, quia Matth. 10. dicitur: Dignus cet operarius mercede sua, et 1. Corinth.9. Quis militat suis stipendiis unquam? Ergo potest clericus laborans pro Ecclesia percipere alimenta, et parcere sais propriis rebus. Adde, quod praxis est, et fuit pro hac opinione secunda, nam b. Prosper loco notato dicit sententiem suam visam esse duram permultis, et ideo duram, quia nova esset. Itaque etiam tunc plurimi clerici patrimonium suum servabant, et nihilominus portionem decimarum habere volebant.

Ex his opinionibus prima est tutior, etsi secunda fertasse est verior, nisi hoc modo concilientur, ut dicemus s. Prosperum loqui de illis, qui plane sufficientem habent sustentationem ex patrimonio, aut beneficio, tunc enim alterum est superfluum, et proinde pauperibus debitum. Alios vero auctores loqui de illis, qui neque ex patrimonio, neque ex beneficio sufficientem omnino sustentationem habent: hi enim utrumque retinere possunt, modo ex utroque nihil accipiant ultra sustentationem decentem, juxta conditionem proprii status. Quod enim vere superfluum est, dandum esse pauperibus, theologi communiter docent. Vide quae seripsimus in 3. tom. lib. ult. cap. 7.

#### CAPUT XXVIII.

An clerici sint liberi a jugo potestatis saecularis.

Postrema restat quaestio de libertate ecclesiastica, de qua in hac ultima editione paulo fusius disputare institui, quod animadverterim his proximis annis non defuisse, qui testimoniis huius libri abuti voluerint ad oppugnandum ecclesiasticam liber-

Primam igitur Haeretici permulti contendunt, clericos tum majores, tum minores, jure subjectos esse debere saeculari potestati tum in solvendis tributis, tum in judiciis et caussis.Marsilius de Padua, et Joannes de Janduno docuerunt, ipsum etiam Christum non fuisse liberum a solvendis tributis, et quod fecit Matth. 17. cum tributum solvit, id fecisse non voluntate, sed necessitate. Ita refert Joan. de Turrecr. Hb. 4. Summ.de Eccles. par. 2. cap. 37.

Joannes Calvinus lib. 4. Instit. cap. 11.9 15.docet, clericos omnes, praeterquam in caussis mere ecclesiasticis subjectos esse debere legibus et tribunalibus saecularium magistratuum. Idem docet Petrus Martyr in cap. 17. ad Romanos, ubi etiam addit, principes non potuisse concedere clericis privilegium, ut non subjicerentur magistratibus politicis, cum id sit contra jus divinum. Et ideo non obstante concessione principum, debere clericos subjectos esse magistratibus saecularibus. Joannes Brentius in prolegomenis, et Melanchthon in locis cap de magistratu, in rebus etiam et caussis ecclesiasticis subjiciunt clericos politicis tribunelibus.

Ex catholicis nonnulli censent, jure divine liberos esse clericos, et eorum bona a potestate principum saecularium. Ita docet Glossa, et nonnulli ex canonistis in can. Si imperator, dist. 96. et in cap. Quamquam, de censibus in 6. et ex theologis Joannes Driedonus lib. 1. de libertate christiana cap. 9. Nonnulli vero existimant, elericos liberos esse partim jure divino, partim jure humano, idest, in caussis ecclesiasticis, et spiritualibus jure divino; in aliis, jure humano. In his videntur esse Franciscus Victoria de potestate Ecclesiae, Relect. 1.quaest.ult.Dominicus a Soto in 4.dist.25.quaest. 2. art. 2. Joannes Medina in codice de restitutione queest. 15. et ex canonistis Didacus Covarruvias in lib. practicarum quaestionum cap. 31.

Sit igitur prima propositio: In caussis ecclesiasticis liberi sunt clèrici jure divino a saecularium principum potestute. Vocantur caussae ecclesiasticae, quarum cognitio non pendet a legibus civilibus, sed ab evangelio, vel a canonibus pontificum, aut conciliorum, quales sunt controversiae de fide, de sacramentis, et aliae id genus.

Probatur primum ex divinis literis. Nam ex doctrina scripturarum sanctarum regimen ecclesiasticum est distinctum a politico, et illo etiam sublimius, ut a nobis demonstratum est in lib.1.de summo pontifice cap. 7.et lib. 5. cap. 7. Ergo caussae ecclesiasticae judicari non debent a politicis magistratibus. Praeterea secundum scripturas tota auctoritas regendi Ecclesiam a Christo commissa est apostolis, et praecipue Petro: ergo in rebus ecclesiasticis laici omnes, etiam principes, sunt oves et subditi, non pastores et judices, ut locis netatis demonstratum est.

Secundo probatur ex concilis. Nam in milevitano, can. 13. et matisconensi, can. 8. cleriei graviler puniuntur, si caussam Ecclesiae ad impera-

toris terreni judicium deferant.

Tertio ex Patribus. Severus Sulpitius in lib. 2. sacrae historiae refert s. Martinum aliquando exclamasse, novum esse et inauditum nefas, ut caussam Ecclesiae judex sacculi judicaret. Item s. Ambrosius in epist. 78. ad Theophilum, et s. Augustinus in epist. 162. repraehendunt cos, qui caussas Ecclesiae terrenis judicibus judicandas exponunt.

Quarto ex apostolorum exemplo. Apostoli enim Ecclesias gubernaverunt, quo tempore nulli erant principes christiani, proinde numquam ad eos caussam Ecclesiae judicandam detulerunt. Et si apostolus Paulus 1. Cor. 6. jubet lites etiam civiles Christianorum non deferri ad judicium Ethnicorum, quo modo permisisset ad eos deferri lites ecclesiasticas? Ultimo ex Justiniano seniore imperatore, qui idem affirmat Novella 83.

Secunda propositio, Non sunt exempti clerici ab obligatione legum civilium, quae non repugnant sacris canonibus, vel officio clericali. Loquimur hic potissimum de legibus politicis, quae dirigunt actiones humanas in commerciis temporalibus, ut cum princeps, vel magistratus constituit pretia rebus venalibus; vel jubet noctu neminem incedere cum armis, vel sine lumine, vel non asportore frumentum extra provinciam, et his similia. Nec volumus dicere, his legibus teneri clericos obligatione coactiva, sed solum directiva, nisi eaedem leges ab Ecclesia approbatae fuerint. Quod si de iisdem temporalibus rebus disposuisset etiam lex ecclesiastica, eam sequi deberent clerici, et tune legem civilem ne directive quidem observare tenerentur.

Probatur igitur clericos ad observationem legum civilium directive teneri in defectum legis ecclesiasticae. Nam clerici praeterquam quod clerici sunt, sunt etiam cives et partes quaedam reipublicae politicae: igitur ut tales, vivere debent civilibus legibus. Non sunt autem aliae, ut nunc ponimus, nisi quae a politico magistratu sunt latae: igitur illas clerici servare debent, alioqui magna perturbatio, et confusio in republica oriretur, si clerici non servarent civiles leges in commerciis civilibus et humanis.

Secundo probatur ex confessione pontificum, et imperatorum. Nicolaus I, in epist. ad Michäelem prope finem dicit, Deum divisisse pontificiam auctoritatem ab imperiali, ut et christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur. Imperator Valentinianus in epist. ad episcopos Asiae, quam refert Theodoretus lib. 4. hist. cap. 7. scribit, probos episcopos non solum Dei, sed etiam regum legibus obtemperare. Denique s. Joannes chrysostomus

in cap.13.ad Romanos, dicit Christi evangelio non tolli politicas leges, et ideo debere etiam sacerdotes et monachos eis parere.

Tertia propositio. Non possunt clarici a judice saeculari judicari, etiam si leges civiles non servent. Probatur primo ex concilie chalcedonensi can. 9. ubi sic legimus: Si clericus adversus clericum habet negotium, non relinquat episcopum suum, et ad saecularia judicia non recurrat. Concilium agathense can. B2. adhuc clarius in hace verba loquitur, Clericum nullus praesumat apud saecularem judicem, episcopo non permittente, pulsare. Idem babent concilium carthaginense lertium can. 9. toletanum tertium can. 13. matisconense can. 8. constantiense sess. 31. Vide etiam quae adducuntur paulo infra pro quinta propositione.

Secundo probatur ex imperatorum constitutionibus. Nam eximit Justinianus clericos et monachos a saeculari judicio in Novellis 79.83.et 123, quamquam non eximit in caussis criminalibus, sed in civilibus tantum: in criminalibus autem vuit a practore cognosci caussam.non tamen condemnari clericum, nisi prius ab episcopo fuerit degradatus. At nihilominus lex caronica simpliciter exemit clericos in omnibus caussis tum civilibus, tum criminalibas, et perspicuum est ex epistola Caji papae ad Felicem episcopum, item ex epist. 2. Marcellini, et ex lib. 11. Registri s. Gregorii epist.54. ad Joannem Defensorem. Debet autem lex civilis cedere legi canonicae, cum possit sûmmus pontifex imperatori praecipere in iis praesertim, quae ad Ecclesiam pertinent.

Tertio probatur ratione. Nam omnino absurdum est, ut ovis pastorem suum quocumque modo judicare praesumat. Itaque non sine magna laude refert Ruffinus lib. 10. hist. cap. 2, et post eum b. Gregorius fib. 4. epist. 75. vocem illam Constantini ad episcopos, Vos dii estis a summo Deo constituti, aequum non est, ut homo judicet deos.

At objicit Calvinus lib. 4. Institut. cap. 11. § 15. epistolam Constantini imperat. ad nicomedienses, quam refert Theodoretus lib. 4. histor. cap. 20. ubi dicit Constantinus se Eusebium episcopum nicomediensem in exilium ejecisse, et subjungit: Si quis episcoporum inconsulte tumultuatus sil, ministri Dei, hoe est, mea executions illius audacia coercebitur.

Respondeo: More solito Calvinum imponere simplicibus. Nam Constantinus in illa epistola scribit, se quidem ejecisse in exilium Eusebium episcopum, sed addit, eum ante fuisse a nicaeno concilio depositum ab episcopatu propter haeresim.Nos autem non negamus, quin debeat magistratus saecularis punire clericos, quando ab Ecclesia damnantur, et degradantur, et judicibus saccularibus traduntur. Verba autem Constantini, quae Calvinus subjungit, ab ipso depravata sunt. Non enim minatur eo loco poenam Constantinus episcopis, sed laicis; dicit enim se graviter animadversurum ia plebem nicomediensem, si iterum redire velit ad episcopos haereticos, a concilio generali damnatos et non aequiescat suscipere probum et catholicum antistitem. Haec enim sunt verba ejus, Sin

autem quisquam (non diek, episcoporum, ut Calvinus addidit) temeritate et audacia accensus, eas Becleriae pestes, idest, episcopos artanes, vel memoria, vel laudibus celebrare aggradiatur, confestim opera ac diligentia ministri Dei, hec est, mea, poenas suae inscitiae dabit.

Objicit secundo Petrus Martyr Jure divino subjecta est omnis anima sublimioribus potestatibus, idest, regibus, ut constat ex epist ad Rom. cap. 13. Ergo non potuerunt reges eximere ullos Christianos a sua potestate. Et confirmatur argumentum ex doctrina cutholicorum, qui ea ratione probant, non posse ullum eximi a potestate papae, quia jure divina omnes homines subji-

ciuniur papae

Respondeo: Nibil ea ratiocinatione concludi. quamvis enim jure divino sit omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta, ac per hoc etiam regibus dum sublimiores potestates sunt: tamen fieri potest, ut qui nunc est sublimior potestas, paulo post non sit, ut si ipse subjiciat alteri partem sui regni, vel jure belli, aut also justo titulo regnum, vel regni partem amittat. Quoniam ergo clericos partim ipsi principes subjecerunt in omnibus caussis, etiam temporalibus et civilibus episcopis suis: et postremo summus pontifex clericos omnes exemit a subjectione principum saecularium, sequitur nt respectu clericorum non sint principes, superiores potestates, ac proinde non teneantur clerici principibus parere neque jure humano, neque jure divino, nisi quantum ad leges quasdam directivas

Ad confirmationem respondeo: Non esse candem rationem pontificatus et regnorum. Nam regna non sunt immediate a Deo instituta, sed ab hominibus, et ideo ab hominibus mutari possunt in alias regiminis formas: Pontificatus autem a Deo immediate est institutus, et ideo non potest ab hominibus immutari.

Quarta propositio: Bona clericorum tam ecclesiastica, quam saecularia libera sunt, ao merito esse debent a tributis principum saecularium. Quod libera sint de facto, perspleuum est ex concilio lateranensi sub Alexandro III. part. 1. cap. 19. ex concilio lateranensi sub Innocentio III.cap. 46. Item ex cap. Ecclesia sanciae Mariae, de constitut, ex cap. Quamquam, de cens. in 6. ex extravaganti, Quod olim, de immunit. Eccles. Item ex cap. Quia nonnulli, et cap. Clericie, de immunit. Eccles. in 6. Praeterea, ex legibus principum, quae habentur in codice Theodosiano, lib. 16.tit. 2.lege 16. et 26. et in codice Justiniani, lege sancimus, de sacrosanetis Ecclesiis, et in lib. 10. hist. Eusebii cap. 7. ex versione Christophorsoni. Ubi tamen. est ebservandum, ante Justiniani tempora legibus priorum principum immunes fuisse clerisos a tri-butis personalibus, ut etiam indicat s. Hieronymus in commentario ad cap. 17. Matthaei: non tamen fuisse liberos a tributis, quae pendi selent ratione possessionum, ut colligitur ex sancto Ambrosio in oratione de tradendis basilicis, ubi dicit, Agri Ecclesia solvunt tributum; et ex Theodoreto lib. 4. hist. cap. 7. ubi scribit, Valentinianum seniorem in epistola ad episcopos Asiae illa verba

posuisse, Boni episcopi tributa pensitant regibus.

Quod autem hace exemptio jure facta sit, et quo jure, humano ne solum, an etiam divino, in se-

quentibus propositionibus exponemus.

Objicit adversus hanc propositionem Marsilius de Padua exemplum Christi, qui tributum solvit, nt habemus Matth. 17. Sed facilis est responsio. Christus enim solvit tributum, quia voluit, non quia debuit. Id quod ex eodem loco intelligi potest. Nam cum dictum esset Petro ab iis, qui exigebant tributum. Magister vester non solvit didrachma? Dominus Petro ait: Ouid tibi videtur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis? Respondit Simon, ab alienis. Ait Dominus, ergo liberi sunt filii. Sed ut non scandalizemus eos, vade ad mare, et.mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderii, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro me, et pro te. Duse sunt autem interpretationes ejus loci; Ergo liberi sunt filii; et secundum utramque rectissime Dominus ostendit, se liberum fuisse a tributo solvendo. Prior expositio est sancti Hilarii, qui docet, agi hoc loco de tributo, quod imposuerat Deus omnibus filiis Isrāel Exod. 30. in usum templi, quod tribatum proprie erat didrachma. Et secundum hano expositionem, quae verissima nobis videtur, vis argumenti haec est: Reges terrae non exiguunt tributum a filiis suis, sed ab alienis: igitur neque rex coeli exiget tributum a me, qui sum ejus proprius et naturalis filius. Posterior interpretatio est s. Hieronymi, qui verba Domini de tributo, quod Caesari solvebatur, exponit; quae sententia minus probabilis esse videtur, quia tributum, quod solvebatur Caesari, tempore Christi, non erat didrachma, sed denarius, ut perspicuum est ex cap. 22. Matth. Oslendile mihi numisma census. Al illi obtulerumt ei denarium. Neque potest ulla **s**olida ratione demonstrari, consuevisse didrachmi tributum Caesari solvi, nisi post Christi- ascensionem in coclum; scribit enim Jesephus in lib. 7. de bello judaico cap. 26. post eversum templum, a Vespasiano imperatore, institutum fuisse, ut tributum didrachmi, quod Judaei omnes templo solvebant singulis annis, deinceps in capitolium deferretur. Sed famen ex hac etiam sententia recte colligitur, Christum non fuisse ullius tributi debitorem, quamvis enim non esset filius Caesaris,qui tributum, juxta hanc sententiam, exigebat: erat tamen filius Dei, cujus ministri sunt omnes reges et principes terrae, ut legimus Sap. 6. et Rom. 13. neque debent ministri regis a filio regis tributum petere. Praeterea tributa solvuntur regibus ratione vitae hujus corporalis, timoribus, et periculis obnoxiae, ut s. Thomas docet in 2. 2. q. 104. art. 6. ad primum. Et ideo justi etiam homines, licet secondum animam liberi sint a servitute peccati, tamen ratione corporis, cujus redemptionem adhuc expectant, ut ait apostolus ad Rom. 8. subjecti sunt tributis, et potestati civili. At Christus non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus liber erat, non servus; nequé redemptionem, sed solam resurrectionem corporie expectabat; carebat enim omni morbo concupiscentiae, et omni lege peccati, neque periculis, aut injuriis obnoxius erat, nisi quantum ipse permittebat. Oblatus est, inquit Isaias c. 53. quia ipse volutt. Itaque nulli regi tributum debebat, qui nullius regis defensione indigebat; et merito damnata est, ut haeretica, sententia Marsilii Paduani a Joanne XXII. pontifice in extravaganti. Licet, quam refert Joan. de Turrecremata lib. 4. Summae de Ecclesia, part. 2. cap. 37

201

Quinta propositio, Exceptio clericorum in rebus politicis tum quo ad personas, tum quo ad bona introducta est jure humano pariter et divino. Et quidem quod jure humano introducta sit, patet ex iis testimoniis, quae attulimus in tertia, et quarta propositione probanda. Quod autem sit ettiam introducta jure divino, probandum est hoe loco. Sed antea tamen observandum est, nos per jus divinum non intelligere praeceptum Dei proprie dictum, quod extet expresse in sacris literis: sed quod ab exemplis vel testimoniis testamenti veteris, vel novi per quandam similitudinem deduci possit. Atque hinc fortasse conciliari poterunt theologorum et juris peritorum sententiae. Illi enim cum negant, exemptionem clericorum esse juris divini, praeceptum divinum proprie dictum expresse in scripturis extare negant: isti vero cum affirmant, eandem exemptionem esse juris divini, id solum affirmant, quod theologi minime negant, deduci per similitudinem ab exemplis et testimoniis sacrae Scripturae, Deum voluisse, ut clerici et ipsorum bona libera essent a potestate et jurisdietione laicorum.

Certe Germinianus, Ancharanus et alii insignes doctores, exponentes caput. Quamquam. de censibus in 6. notant, in eo capitulo haberi textum expressum, quo immunitas ecclesiasticorum dicatur esse juris divini. Sed quomodo id sit intelligendum, a Glossa petendum esse monent. Glossa vero in idem caput, docet, esse juris divini eam immunitatem, quia deducitur, ab exemplo Josephi patriarchae, qui exemit sacerdotes Aegyptiorum Gen. 47. et Artaxerxis, regis Persarum, qui exemit sacerdotes isräeliticos 1. Esdrae 7. Nam ut recte ait Alexander pontifex-in concilio lateranensi, unde extat cap. Non minus, de immunit. Eccles. Non decet Ecclesiam Dei minus liberam esse tempore principum ohristianorum, quam fuerit tempore Pharaonis.

His igitur notatis, probatur nostra propositio, primo testimoniis Scripturae divinae. Nam praeter loca jam citata ex Genesi, et ex libro Esdrae, habemus alia duo non minus illustria. Siquidem in lib. Numerorum cap. 3. Deus non semel, sed saepius repetit, levitas proprie suos esse, atque eos sibi ex omni populo delegisse. Et in eodem loco dono dari jubet omnes levitas Aaroni, et filiis ejus, idest, summo sacerdoti et successeribus ejus. Quos enim sibi ipse delegit ad ministerium templi, rerumque sacrarum, soli pontifici, qui locum Dei repraesentabat in terris, subjectos esse voluit, ac per hoc a jurisdictiome terrenorum principum liberavit. Constat autem id esse nunc in Ecclesia clericos, quod erant levitae in testamente veteri,

et pontificem Christianorum non minoris esse auctoritatis, sed longe majoris in Ecclesia Christi, quam fuerit Aarun in synagoga Judaeorum. Nunc (inquit s. Leo serm. 8. de passione Domini) et ordo clarior levitarum, et dignitas amplior seniorum, et sacrutior unctio sacerdolum.

Sequitur igitur ut quemadmodum in testamento veteri liberi erant levitae jure divino a potestate principum saecularium: ita sint etiam clerici in testamento novo.

Alius locus est is, quem supra tractavimus ex cap. 17. Matth. ergo liberi sunt filii. Nam cum filii regum a tributis eximuntur, non ipsorum personae tantum, sed etiam servi et ministri; atque adeo ipsorum familiae a tributis eximuntur. Certum est autem clericos omnes proprie ad familiam Christi, qui filius est regis regum, pertinere. Atque id videtur Dominus significare voluisse, cum ait Petro; Ut autem non scandalizemus eos, sumens staterem da illis pro me, et pro te: quasi diceret, et se et familiam suam, cujus praesectus erat Petrus, liberos a tributis esse debere. Quod etiam intellexisse videtur s. Hieronymus in commentario ejus loci, cum dicit: Clericos propter honorem Domini tributa non solvere; et s. Augustinus lib. 1. quaest. evangel. quaest. 23. cum seribit, in omni regno terreno non esse vectigales filios regni illius, sub quo sunt omnia regna terrae.

Secundo probatur eadem propositio ex testimoniis sacrorum canonum. Concilium tridentinum generale nustris temporibus celebratum sess. 25. cap. 20. de reformatione, sic loquitur, Ecclesiae et personarum Ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus instituta est. Concilium coloniense paulo ante ipsam tridentinam synodum celebratum, part. 9. cap. 20. Immunitas. inquit, ecclesiastica vetustissima res est, jure pariler divino et humano introduct**a , guae** in duobus polissimum sita est, primum ut clerici eorumque possessiones a vectigalibus et tributis, aliisque muneribus laieis libera sint, deinde ne rei criminis ad Ecclesiam confugientes inde extrahantur. Concilium lateranense sub Leone X. celebratum, sess. 9. Cum a jure, inquit, tam divino, quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit, innovamus omnes, el singulas constitutiones; el concilium lateranense sub Innocentio III. cap. 43.; Nimis, inquit, de jure divino quidam laici usurpare conantur, cum vires ecclesiasticas nihil temporale oblinentes ab eis ad praestanda sibi fidelitatis juramenta compellunt. Bonifacius VIII. in capit. Quamquam, de censibus in 6.tanquam de re nota et explorata loquitur, cum ait, jure divino et humano clericos et corum bona libera esse a saccularium potestate. Joannes item VIII. can. si imperator. dist. 96. Non a legibus, inquit, publicis, non a potestatibus saeculi, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus christianae religionis clericos et sacerdotes voluit ordinari et discuti. Et quod de personis affirmat Joannes pontifex, affirmavit multo ante Symmachus papa cum tota synodo tertia romana de bonis ecclesiasticis. Solis, inquit, sacerdotibus disponendi de rebus

Ecclesiae indiscusse a Deo cura commissa est. His addi potest Innocentius IV. pontifex, quamvis non ut pontifex, sed ut doctor particularis de hac re scripserit. In commentario enim ad cap. 2. de majoritate et obedientia posteaguam docuerat, clericos exemptos fuisse a potestate laicorum per summum pontificem imperatore consentiente, addidit, hanc non esse plenam exemptionem, et ideo dicendum esse, clericos ab ipso Deo fuisse exemplos. Hoc testimonium Innocentii ea de caussa addendum putavi, quoniam Covarruvias in lib. practicarum quaestionum cap. 31. scribit, praedictum pontificem in loco a nobis citato affirmasse, exemptionem clericorum non esse juris divini, quod falsum esse verba citata palam ostendunt, et ante nos in hanc eandem sententiam Innocentium allegavit Panormitanus in cap. Nimis, de jurejuran : ubi etiam idem auctor recte refellit eos, qui per jus divinum intelligunt jus canonicum. Et fortasse ad ejusmodi explicationes excludendas concilium tridentinum non utitur vocibus juris divini et humani quae possent trahi ad significandum jus canonicum et civile, sed ait, ordinatione divina, et ecclesiasticis sanctionibus immunitatem Ecclesiae, et personarum ecclesiasticarum fuisse institutam.

#### CAPUT XXIX.

# An exemptio clericorum sit juris divini naturalis.

Disseruimus hactenus de jure divino positivo; nunc de jure naturali disserendum est, quod plane divinum esse in dubium revocari non potest, cum jus naturale sit illud, quod est ab auctore naturae in animis nostris impressum. Sed antequam explicare incipiam, an ad hoc jus pertineat exemptio clericorum, distinguendi sunt gradus juris naturalis. Tres enim sunt gradus naturalium praeceptorum. Primus est eorum, quae ita perspicue sunt impressa in cordibus hominum, ut solo lumine rationis, sine ulla disciplina vel arte, immo sine novo discursu rationis judicentur ab omnibus justa;talia sunt prima quaedam principia, ut bonum esse appetendum, malum fugiendum, conservandam vitam cibo et potu, propagandam et educandam sobolem ad conservandum genus humanum, Deum esse colendum, non esse faciendum alteri quod tibi non vis fieri. Haec maxime proprie sunt praecepta juris naturae, de quibus ita loquitur sanctus Ambrosius in epist. 71. ad Irenaeum., Lex naturae, quam Deus singulorum infudit pectoribus, non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturae fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur; et sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 8. Lex, quae in corde scribitur, omnes continet nationes; et nullus hominum est,qui hanc legem nesciat. El idcirco justum judicium Dei est scribentis in corde humani generis; quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris; et sanclus Augustinus in tract. psalmi 57. Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc et antequam lex BELLARMINI. Vol. II.

daretur, nemo ignorare permissus est, ul esset unde judicarentur et quibus lex non esset data. Nec dissentiunt Graeci, ut Chrysostomus hom. 54. in Genesia, nec scholastici, ut s. Thomas in 1.2. quaest. 94. art. 2. neque etiam ipsa jura, ut patet ex can. Jus naturale distint. 1. et l. 1. ff. de just. et jure. Secundus gradus est eoram praeceptorum, quae deducuntur ex illis primis principiis, tanquam conclusiones proximae, et quasi naturaliter fluentes per facilem, evidentem et necessariam consequentiam, ut non sit opus arte vel disciplina, sed simplici discursu, qualem omnes homines habere possunt: talia sunt omnia praecepta decalogi. Nam ex illo principio in corde omnium impresso. Deum esse colendum, sequitur continuo non esse colenda idola, neque esse pejerandum. Ex illo altero principio, quod tibi non vis fleri, alteri ne feceris, sequitur non esse occidendum, non esse moechandum, non esse farandum etc. Et sane aliqua hujus generis praecepta aliquando ob nimiam hominum excaecationem delets sunt de cordibus hominum. ut patet ex lib. 6. Caesaris de bello gallico, ubi legimus apud Germanos furtum non fuisse vitium, sed virtutem; et ex sancto Hieronymo lib. 2.in Jovinianum et ex Theodoreto lib. 9. ad Graecos, qui referunt multa vitia contra naturam, quae a populis quibusdam, et etiam a legislatoribus eorum tanquam licita et justa approbabantur. Sed quamvis ejusmodi praecepta a nonnullis ignorarentur, vere tamen et proprie ad jus divinum naturale pertinent, ut docet s. Thomas in 1. 2. quaest. 94. art. 5. et q. 100. art. 8. ubi scribit, in praeceptis decalogi, quia sunt proprie juris naturalis, nullam cadere posse dispensationem. Et certe sicut ea, quae deducuntur per necessariam consequentiam ex articulis fidei, pertinent ad fidem, quia non possunt negari, quin articuli ipsi negentur: ita quae deducuntur per necessariam consequentiam ex primis principiis juris naturalis, pertinent etiam ad jus naturale, quia non pussunt destrui, quin destruatur natura. Tertius gradus praeceptorum naturalium est eorum, quae deducuntur quidem ex principiis juris naturae, sed per consequentiam non absolute necessariam, nec omnino evidentem, et ideo egent humana constitutione. Et haec sunt quae theologi proprie referent ad jus gentium, et ea dislinguunt a jure civili, quod jus civile non deducatur ex jure naturae per modum conclusionis, deductae ex principiis, sed per modum determinationis eorum, quae generatim praecipiuntur a jure naturae. Quae doctrina est sancti Thomae in 1. 2. quaest. 95. art. 2. et 4.et quamvis idem s. Thomas in praedicta q. 95. art. 4. Isidorum sequutus dicat, jus gentium esse speciem juris positivi; contra vero in 2. 2. g. 57. art. 3. et clarius lect. 12. in lib. 5. Ethic. dicat esse speciem juris naturalis, et alleget jureconsoltos veteres, qui jus naturale aliud esse docebant, quod est commune omnibus animalibus, aliud quod est commune omnibus hominibus; tamen non pugnat ipse secum, nec Isidorus cum jureconsultis pugnat. Nam et idem s. Thomas in 1. 2. q. 95. art. 4. ad primum, scribit jus gentium est aliquo modo naturale, et aliquo modo positivum, ac per hoc est medium inter jus naturale

purum et jus civile. Jus enim naturale purum est illud, quod nullo modo pendet ex humana constitutione; jus civile autem quod ex sola hominum constitutione pendet, et ideo pure positivum dici potest. Jus vero gentium partim est naturale, partim positivum, quia pendet quidem ab humana constitutione, idest, a consensu omnium gentium, sed non pendet ab auctoritate principis, vel magistratus particularis. Ex quo sequitur, ut ea quae sunt de jure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, ideo prohibeantur quia sunt mala: contra autem quae sunt de jure civili, quia sunt pure positiva, ideo sint mala, quia prohibentur. Rursus, sequitur, ut ea quae sunt de jure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, non possint a principibus vel magistratibus abrogari, vel immutari: contra autem, quae sunt de jure civili, quia sunt pure positiva, sicul a principe, vel magistratu constituuntur, ita posse a magistratu, vel principe abrogari. His ita explicatis, dicendum videtur. Exemptionem ecclesiasticorum non perlinere ad primum, vel secundum naturalium praeceptorum gradum, nec tamen esse juris tantum positivi sive canonici, sive civilis, sed referendam esse ad tertium gradum praeceptorum juris naturae, sive, quod idem est, ad jus gentium. Haec mihi videtur esse sententia fere omnium theologorum et canonistarum, et in re non arbitror dissentire Joannem Driedonem, qui in lib. 1. de libertate christiana cap. 9. oum canonistis dicit, exemptionem clericorum esse juris divini naturalis, a Victoria in relectione prima de polestate Ecclesiae q. ult. et Soto in 4. sentent. dist. 25. g. 2. qui dicunt, esse juris humani ac positivi. Nam Joannes Driedo non dicit esse juris naturalis, quia sit primum aliquod principium juris naturae, aut conclusio proxima, et quesi naturaliter deducta ex primis principiis, sed dicit esse juris naturalis, quia est omnino conformis et consentanea rationi naturali. Victoria vero, et Sotus negant esse juris divini naturalis, quia per jus naturale intelligunt jus pure naturale, quo modo etiam negat idem Sotus jus gentium esse naturale; tamen iidem auctores, et maxime Solus, addunt hanc exemptionem esse omnino consentaneam rationi, et ipsi naturae. Neque dicere volunt solum, esse rationabilem, idest, non contrariam rationi, sic enim nihil dixissent, cum omnis justa lex etiam pure positiva non debeat esse contraria rationi; sed dicere volunt, esse deductam ut conclusionem ex jure naturae, et vim babere ex jure naturae, et ideo addunt, in hanc exemptionem consensisse omnes gentes, ac propterea non posse mutari, vel abrogari a regibus et principibus, etiamsi omnes simul conjuncti eam abrogare conentur. Neque dissentit s. Thomas, licet in comment. ad c. 13. ad Rom. scripserit, clericos privilegio principum liberos esse a tributis; nam in eodem loco addit, id factum esse ob naturalem aequitatem.

Hanc igitur sententiam probare possumus his argumentis. Primo ex consuetudine omnium gentium, quod enim ubique fit, ex natura ipse descendit, quae omnibus communis est, constat apud Hebraeos, Levitas fuisse liberos a tributis ex cap. 30. Exod. et c. 1. Numer. Constat apud Aegyptios sub rege

Pharaone sacerdotes fuisse exemptos, ex cap. 47. Gen. Constat idem de sacerdotibus Hebraeorum sub rege Artaxerxe ex lib. 1. Esdrae cap. 7. Idem cognosci potest de sacerdotibus gentilium ex Aristotele in lib. 2. Oeconom. ex Caesare lib.6.de belle Gallico, ex Plutarcho in Camillo, et ex aliis. Apud Christianos imperator Constantinus, qui primis fuit imperator aperte christianus, continuo natura docente ecclesiasticos immunes a communibus reip. oneribus declaravit, ut patet ex epistola ejus ad Avilinum apud Eusebium lib. 10. hist. eccles.cap. 7. quod idem multi alii imperatores fecerunt. Et notanda sunt verba Justiniani 1. Sancimus 2. C. de sacrosanct. Eccles. Nam ubi exemisset Ecclesias. ait: Cur enim non facimus discrimen inter res divinas et humanas; et cur non competens praerogativa coelesti favori conservetur? Quibus verbis ostendit, exemptionem illam non fuisse arbitrariam et liberam, sed debitam et necessariam.

Alterum argumentum ducitur a similitudine, quam potestas ecclesiastica et saecularis habent cum anima et corpore humano. Nam ( ut ostendimus in lib. 5. de summo pontifice, ex s. Gregorio nazianzeno, Hugone de s. Victore, aliisque insignibus auctoribus) non potest melius intelligi quo modo, se habeat potestas ecclesiastica ad saecularem quam ex modo, quo se habet in homine spiritus ad carnem; Spiritus autem ita se habet ad carnem, ut quamvis non impediat actiones ejus, cum bene se habent, eam tamen regat et moderetur, et aliquando cohibeat, aliquando excitet, prout ad finem suum expedire judicat. Contra vero, caro nullum habet imperium in spiritum, neque eum ulla in re dirigere, vel judicare, vel coercere potest. Sie igitur potestas ecclesiastica, quae spiritualis est, ac per hoc naturaliter saeculari superior, saecularem potestatem, cum opus est, dirigere, judicare et cöercere potest; ipsam vero a saeculari dirigi, vel judicari, vel coerceri nulla ratione permittitur. Tertio probatur ex nominibus patris et pastoris, qui-bus tum in sacris literis, et in libris sanctorum Patram, tum ex communi Christianorum consuetudine sacerdotes ornantur. Natura enim docet, ut silii parentibus obediant, atque ab iis se corrigi acquo animo ferant, non autem ipsi parentibus imperare, eosque corrigere, vel judicare velint. Multo etiam magis eadem duce et magistra natura oves a pastoribus reguntur et gubernantur, et quando aberrant, vel sibilo, vel baculo reducuntur in viam; et plane contra naturam esset, si ovis pastorem regere, vel gubernare videretur. Quartum argumentum peti potest a nomine et officio clericorum, clerici enim sunt ministri Dei, consecrati ad obsequium solius Dei, atque ad hoc ipsum ab universo populo Deo oblati, unde et clerici dicuntur tanquam ad sortem Domini pertinentes, ut s. Hieronymus docet in epist. ad Nepotianum. Certe autem in ea, quae sunt oblata et consecrata Deo, et quasi propria ipsius Dei facta sunt, nullum jus habere possunt principes eseculi. Id quod et lumen rationis ostendit, et Deus ipse in Scripturis sanctis non obscure tradit, cum ait Levilici ult. Quicquid semel Deo fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Quis autem dicere audeat, jus esse

profano homini in ea, quae sancta sanctorum, idest, sanctissima dici meruerunt? Qua ratione bona etiam temporalia clericorum, bona dominica proprie dicuntur in cap. 4.apostolico, et ideo tanquam Deo sacra jurisdictioni laicorum subjecta esse non possunt.Quintum argumentum ducitur a signis et prodigiis, quae non raro Deus ostendit in eos, qui Ecclesiarum immunitatem violare praesumpserunt.De qua re multa legi possunt apud Tilmannum Bredembachium in lib. 5. sacrarum collationum. Sed extat insigne testimonium Basilii Porphirogeniti. Graecorum imperatoris apud Balsamonem in nomocanone Photii, in commentario canonis primi synodi constantinopolitanae primae et secundae, quam nos Latini octavam synodum appellamus. Refert enim idem Basilius caussam omnium calamitatum ejus temporis in legem quandam Nicephori Phocae praedecessoris sui contra Ecclesiae libertatem latam. Ex quo, inquit, lex ista robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum usque diem vitae nostrae contigit, sed potius e contrario nullum omnino genus calamitatis defuit. Itaque legem illam merito irritam esse voluit, ac penitus abrogavit.

#### CAPUV XXX.

#### Solvuntur argumenta contraria.

Sed operae pretium erit ad eas objectiones breviter respondere, quas Didacus Covarruvias loco citato, et Joannes Medina in codice de restitution. q. 15. ( qui liberius aliis auctoribus loquuti sunt ), in medium protulerant. Objiciunt ergo primo, nullam extere legem divinam qua clerici eximantur a jurisdictione principum laicorum. Sed jam ostendimus extare non pauca testimonia Scripturae veteris, ex quibus per probabilem consequentiam ducatur argumentum ad prebandum jure divino clericos liberos esse a jurisdictione principum saecularium. Neque obstat, quod testamentum vetus abrogatum jam sit per testamentum novum. Nam tametsi abrogata sint caeremonialia, judicialiaque praecepta: non tamen sunt abrogata moralia, idest, quae continent vel declarant jus naturae. Et praeterea cum caeremoniae Judaeorum figurae fuerint rerum nostrarum, ut apostolus docet 1. Cor. 10. Gal. 4. et Hebr. 7. non male ducimus argumenta per similitudinem a ritibus judaicis. Denique non sola testimonia Scripturae veteris, sed etiam rationes ex jure naturae depromptas adduximus, jus autem naturae non humanum, sed divinum est, cum ab ipsius naturae auctore manaverit. Secundo objiciunt leges multas Justiniani ex codice et authenticis, ex quibus cognosci potest, olim clericos imperatoris jurisdictioni fuisse subjectos. Sed facilis est responsio. Nam si hoc argumentum vim ullam haberet, probaret etiam in rebus ecclesiasticis et spiritualibus non esse liberos, clericos jure divino a potestate principum laicorum: constat enim non solum ex codice et authenticis, sed multo magis ex nomocanone Photii, non paucas leges Justiniani de rebus plane ecclesiasticis, et spiritualibus disponere.

Covarruvias autem et Medina, ut etiam omnes theologi et canonistae, summo consensu docent in rebus ecclesiasticis et spiritualibus liberos esse clericos a potestate principum saeculi jure divino. Coguntur igilur ipsi etiam nobiscum dicere leges illas procedere de facto non de jure, et toleratas aliquando á summis pontificibus, numquam autem approbatas. Non tamen negaverim, multas quoque esse civiles leges imperatorum, quas non minus clerici, quam laici sequi debeant. Ecclesia enim pro cursu temporalium tantummodo rerum, ut loquitur Nicolaus I. papa in epistola ad Michäelem, imperialibus utitur legibus. Quod idem habemus in multis canonibus distinctionis decimae apud Gratianum, et capite 1. de novi oper. nunciat. et alibi. Quae tamen omnia intelligi debent de iis legibus, quae non sunt contrariae ecclesiasticae libertati, et quo ad directionem, non quo ad coactionem, ac denique cum adsunt aliae conditiones, quas notant doctores, ac praesertim Felinus in cap. Ecclesia s. Meriae, de constit, quaest. 1. Tertie objiciunt exemplum apostoli Pauli, qui cum esset praesul ecclesiasticus, non timuit appellare Caesarem, atque ab eo judicari se debere libere confiteri, ut s. Lucas refert Act. 25. Sed hanc objectionem Covarruvias omnino debuisset omittere; Nach b. Paulus, ut constat ex cap. ult. Actorum, coactus est appellare Caesarem, oppressus videlicet calumniis Judaeorum, et injustitia praesidis romani, qui solum Caesarem supremum judicem agnoscebant. Itaque ipse quoque de facto saltem, si non de jure, Caesarem judicem agnoscere debuit, nec sine risu exceptus fuisset, si b. Petri supremi principis ac judicis sui corem Gentilibus, vel Judaeis mentionem facere voluisset.

Quarto objiciunt testimonia sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Scribit enim b.Petrus in epist. priore cap.2. Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi tanquam praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis; et b. Paulus in epist. ad Rom. cap. 13. Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ia quem locum scribit s. Joannes chrysostomus, haec dici non tantum latcis, sed etiam clericis et monachis, et ipsis etiam apostolis et evangelistis. Respondeo: Sententias apostolorum generales esse. Quamvis enim nominatim in eis flat mentio regum, quoniam eo tempore valde necessarium erat diligenter monere Christianos, ut regibus obedirent, ne fidei praedicatio impediretur, tamen absolute verba illa tam b. Petri, quam b. Pauli nihil aliud significant, nisi debere omnes homines suis legitimis superioribus subditos esse, eisque debitam obedientiam exhibere. Quare non potest ex his testimoniis apostolicis probari olericos principibus saeculi, vel ipserum legibus obtemperare debere, nisi prius probetur, reges saeculi esse legitimos superiores et judices clericorum. Quod certe probari non poterit nisi probetur, oves pastoribus, filios parentibus, et temporalia spiritualibus praceminere. Nee tamen Chrysostomo contradicimus. Quamvis enim judicem proprium clericorum et monachorum solum pontificem esse dicamus, tamen fatemur, reges, non solum laicorum, sed etiam

clericorum et monachorum reges esse. Unde etiam non sine caussa in publicis precibus oramus pro rege, vel pro imperatore nostro. Nam cum reges bella gerant non solum pro laicis, sed etiam pro clericis et monachis, proque omnium pace, et tranquillitate invigilent, debetur eis ab omnibus honor, juxta illud b. Petri, 1. epist. cap. 2. Regem honorificate. Debitur etiam obedientia, cum eorum leges non sunt contrariae sacris canonibus, et cum de rebus lisdem nulla exstet canonica dispositio. Ac demum quoad directionem ut supra diximus, non ad coactionem. Praeter haec argumenta objicit Joannes Medina loc. cit. quaedam alia, quae Covarruvias fortasse, ut leviora praetermittenda putavit. Sed nos ea quoque breviter diluamus. Ait igitur Medina in lege naturae primogenitos omnes fuisse sacerdotes, nec tamen exemptos a majorum suorum potestate. Item in lege scripta levitas, quibus nunc succedunt clerici, non solum Aaroni pontifici subjectos fuisse, sed etiam Moysi, qui princeps erat civilis totius populi Judaeorum. In lege quoque evangelica Christum ipsum, qui caput erat omnium sacerdotum, Pilato subjectum fuisse, juxta illud. Non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Joan. 19. Denique ita ratiocinatur Medina: Lex evangelica, baptismus, ordo clericalis, non liberant jure divino a debitis antea contractis, ut a debito servitutis, a debito pecuniario, a debito conjugali, ergo nec a debito subjectionis et obedientiae civilis, sed clerici ante clericatum subjecti erant potestati et jurisdictioni principum et magistratuum saecularium, non igitur liberi sunt jure divino ab eadem potestate et jurisdictione post clericatum. Sed ad haec omnia facilis est et expedita responsio. Nam de primogenitis in lege naturae non probavit Medina eos civilibus magistratibus fuisse subjectos. Nos autem probare possumus, non fuisse; quoniam iidem primogeniti sacerdotes et principes esse solebant, docet s. Hieronymus in quaestionibus haebraicis ad cap. 49. Genes. quae est etiam communis Hebraeorum sententia, et exprimitur ab ipsa paraphrasi. Caldaica eodem loco in benedictione Ruben. Porro Moyses, cui subjecti erant levitae, non solum princeps civilis totius populi, sed etiam summus sacerdos erat, et Aarone major, quamvis extraordinaria potestate. Unde dicitur in psal. 98. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; et novimus Aaron a Moyse consecratum; et denique testatur Philo in extremo libro de vita Moysis fuisse Moysen pontificem, regem et legislatorem Hebraeorum. Quid igitur mirum, si levitae Moysi subjecti erant, non minus quam Aaroni, cum Moyses non minus quam Aaron sacerdotio fungeretur. Christum autem Pilato subjectum fuisse de facto solum, non de jure certissimum est. Et potestas desuper data, quam in Pilato Christus agnoscit, non potestas judiciaría, sed permissio intelligenda est, ut sancti Patres docent, Chrysostomus et Cyrillus; de qua Dominus ait Luc. 22. haec est hora vestra, et potestas tenebrarum. Et certe ferendum non esset, si Medina cum Marsilio Paduano Christum, Dei filium naturalem, principibus terrenis jure subjectum fuisse dicere velles. Ratiocinatio denique ejusdem Medinac aut

nihil probat, aut plus quam ipse velit probat. Nam si paria sunt eximere a debito servitutis, vel pecuniario, vel uxorio; et eximere a debito subjectionis, et obedientiae civilis: sicut non potest summus pontifex eximere homines Christianos a debito servitutis, vel pecuniario, vel uxorio sine consensu partis, quoniam alioquin injuriam facere videretur;ita non potuisset idem semmus pontifex eximere elericos a jurisdictione principum saecularium, sine ipsorum consensu. Atque hoc est contra omnes theologos, a quibus nec ipse Medina dissentit. Non igitur sunt illa paria, ac per hoc Medinae argumentum non recte concludit. Ratio vero discriminis inter illa debita haec est, quod majus omnino sit vinculum inter creditorem et debitorem, Dominum et servum, virum et uxorem; quam inter principem, vel magistratum et civem. Itaque clericatus non eximit a debitis illis prioris generis, et ideo non poterit fleri clericus is, qui servus est, nisi prius a Domino liberetur, neque is qui est alligatus uxori, nisi uxor consentiat, et ipsa quoque votum continentiae emittat, neque is qui tantum pecuniae debet, ut restituere nequeat, si clericus flat, nisi a creditore debitum remittatur. At idem clericatus eximit a subjectione civili, et transfert in subjectionem ecclesiasticam, etiam non consentiente, vel repugnante superiore civili; quoniam unusquisque circa statum propriae personae liber est, sicut potest relinquere patrem et matrem, et adhaerere uxori, juxta verbum Domini Matth. 19. ita potest relinquere principem saeculi, et in sortem Domini transire, atque ad Dei servitutem accedere, seque totum episcopo in clericatu, vel abbati in monastica professione committere. At, inquit Medina, lex evangelica, et baptismus non eximunt a jurisdictione civili, igitur neque eximit clericatus. Respondeo: Non esse eandem rationem legis evangelicae et baptismi, ac ipsius clericatus. Nam lex evangelica, et baptismus non excludunt, immo necessarium esse volunt principatum civilem, ut adversus Anabaptistas nos alio loco probavimus. At clericatus, ut etiam monachatus, non posset suo munere recte fangi, nisi liber esset et immunis a jurisdictione civili; et ordo ipse naturae pervertetur, si pastores ovibus, parentes filiis, et spiritualia corporalibus subjicienda sint. At, inquies, injuria flet principibus si inviti suo jure priventur, quod in clericos ante clericatum habebant. Respondeo: Nullam ipsis injuriam fieri, quia qui jure suo utitur, nullam facit injuriam. Utitur autem jure suo, qui eligit statum quem sibi magis convenientem esse censet, quamvis per accidens sequatur, ut princeps subdito suo privetur. Nam etsi quis justa de caussa domicilium suum in aliam civitatem, vel provinciam transferat, desinet subditus esse priori principi, nec tamen injuriam illi fecisse videbitur. Ultima objectio Medinae illa est, quod non repugnet rationi, ut homines addicti obsequio Dei et spiritualibus funetionibus subsint in rebus temporalibus et civilibus regi vel magistratui saeculari. Ex quo sequitur, ut si exempti sint, id facta sit concessione principum, non jure divino. Addi potest confirmatio ad hoc argumentum, ut nihil difficultatis subterfugere videamur. Nam sicut princeps saecularis, ut chri-

stianus et in rebus spiritualibus est ovis, et filius sacerdotum: ita e contrario sacerdotes ut cives, et in rebus temporalibus videntur posse dici oves, et quasi filii principum saecularium. Item quia una tantum est Ecclesia, continens clericos et laicos, et Ecclesiae caput est summus pontifex ideo subsunt omnes eidem summo pontifici tum clerici, tum la-ici, igitur eodem modo quoniam una est civitas continens laicos et clericos, et civitatis caput est princeps saecularis, ideo subjecti debent esse omnes tam laici, quam clerici principi saeculari in iis, quae pertinent ad bonum regimen civitatis. Respondeo: Hoc argumento probari, exemptionem clericorum, non esse de jure naturae primario, quod nos supra in duos gradus distinximus, sed esse de jure naturae secundario, quod etiam jus gentium appellari diximus. Nam ut s. Thomas recte docet in 2. 2. quaest. 57. art.3. jus naturae primarium respicit rem absolute consideratam, jus naturae secundarium, sive jus gentium respicit rem in ordine ad certum finem et ideo pendet ex discursu rationis.Licet igitur non repugnat rationi absolute, ut clericus subsit in rebus civilibus principi sae-culari; tamen repugnat in ordine ad officium clericorum rite administrandum. Nam ut alia omittam, turpissimum esset, ut etiam Sotus annotavit, si magistratus episcopum corrigere, vel punire posset, a quo ipse corrigendus et puniendus est. Et quis ferrel, si hodie sacerdos ad suum tribunal magistratum vocaret, cras autem magistratus vocarei sacerdotem ad suum? Et nonne omnis reverentias quam necessario debent laici sacerdotibus, periret, si eos pro imperio cöercere possent? Hinc

igitur ante omnes principum leges, humanum genus ratione docente constituit, ut ubique sacerdotes immunes essent a jurisdictione principum laicorum. Ad primam confirmationem respondeo: Principem quidem ovem, ac filium spiritualem sacerdotis esse: sed sacerdotem nullo modo filium vel ovem principis dici posse: quoniam sacerdotes, et omnes clerici suum habent principem spiritualem, a quo non in spiritualibus solum, sed etiam in temporalibus reguntur. Neque fieri potest, ut duos agnoscant principes in rebus temporalibus, cum, juxta evangelium, nemo possit duobus Dominis servire. Ad alteram confirmationem respondeo: Ecclesiam vere unam tantum esse, et nullo modo duas, civitatem autem unam esse materialiter et duas formaliter. Nam Ecclesia continet omnes Christianos catholicos, sive sint clerici, sive laici. Si quis autem consideret coetum laicorum, non ut Christiani sunt, sed ut cives, vel quocumque alio modo, is coetus Ecclesia dici non potest. Non igitur duae fingi possunt Ecclesiae, ac multo minus esse. At coetus laicorum et coetus clericorum formaliter duae civitates dici possunt, quoniam in ipsis etiam temporalibus rebus diversas leges habent, diversum principem, diversa tribunalia et tamen materialiter unam quoque civitatem faciunt, quia unam urbem inhabitant et sub ejusdem principis protectione vivunt, qui sicut pro labore, ac sollicitudine, quam pro communi bono suscipit, a laicis tributa recipit ita recipit a clericis auxilia longe majora publicarum precum et sacrificiorum ad Deum.



# LIBER SECUNDUS

# DE MONACHIS

#### **PRAEFATIO**

Disservimus libro superiore de episcopis et clericis, idest, de prima et nobilissima parte corporis ecclesiastici. Sequitur, ut de altera parte Ecclesiae, hoc est, de iis hominibus disseramus, qui evangelica Christi sequuti consilia, vitae genus arctioris, ac sublimioris instituunt, quam aut lex divina, vel humana praescribat, aut etiam multorum mortalium infirmitas patiatur. De quo hominum genere disputationem ingrediar si pauca prius de hujus ipsius disputationis utilitate, vel potius necessitate, dizero.

Quamquam enim monastica vitae instituta, non ad omnes Christianos pertinent, defensio tamen tam magnae et tam excellentis partis catholicae nostrae Ecclesiae, ad eos omnes communiter pertinet, qui christianam rempublicam salvam cupiunt-Haeretici enim dum hanc partem petunt, ac ut monasticen vituperent, portentosa mendacia quotidie de monachis fingunt et quacumque oblata occasione in monachos invehuntur, atque eos in odium vulgi rapiunt et primarios Antichristi satellites vocant, non eo certe spectant, ut ordines solum hominum religiosorum disjiciant, monasticenque de medio tollant, sed ut Ecclesiam totam hac ratione perturbent, ac laedant, eamque (si fieri possit) a

fundamentis evertant. Intelligunt enim, si contra monachos caussam obtinuerint, idest, si pepulo Christiano persuaserint, non a Christo institutos, sed a malo daemone excogitatos ordines religiosorum fuisse; se continuo id effecturos, ut universa Ecclesia, quae una voce et consensu tot jam saeculis monasticen approbávit, vano errore delusa, pro Christo Antichristum coluisse et a rectae fidei, veraeque doctrinae tramite quam longissime aberrasse videatur.

Neque vero novum est hoc haereticorum adversus monachos bellum, neque recens mali daemonis artificium, per monasticae vitae oppugnationem Ecclesiam universam petere. Sicut enim quotquot fuerunt unquam pit scriptores, tum sermonibus, tum scriptis libris, hoc genus vitae laudibus in coelum tollere conati sunf, sic nulli fere nunquam haeretici existiterunt, qui vel nomen monachorum patienter audire potuerint: Quando vos (inquit, b. Augustinus in psalm. 132.) recte haereticis de Circumcellionibus insultare coeperitis, ut erubescendo sanentur: illi vobis insultant de monachis. Primo, si comparandi sunt, vos videte, quid opus est, ut verbis nostris comparentur ebriosi cum sobriis, praecipites cum consideratis, furen-

212 PRAEFATIO

tes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere consueverunt, quid sibi vult nomen monachorum? Quanto melius dicimus nos, quid sibi vult nomen Circumcellionum? Et rursus, de Petiliano haereticorum principe, idem Augustinus lib. adversus Petilianum 3. cap. 40. Deinceps, inquit, perrexit ore maledico in vituperationem et monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitae a me fuerit institutum.

Jam vero Ariani tanto furore bacchabantur in monachos.ut ipsas etiam desertissimas solitudines locaque maxime abdita et recondita penetrarent, ut monachos quaererent, raperent, atque occiderent. Sic enim de Lucio episcopoo ariano scribit Ruffinus lib. hist. 11. cap. 3. Inde, inquit, ad monasteria furoris sui arma convertit, vastat eremum et bella quiescentibus indicit. Ter mille simul, aut eo amplius, viros per totam solitudinem secreta et solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur. Mittit armatam equitum ac peditum manum. Tribunos, praepositos et bellorum duces, tamquam adversus barbaros pugnaturus, elegit. Qui cum venissent, novam belli speciem vident, hostes suos gladiis objectare cervices et nihil aliud dicere, nisi, Amice, ad quid venisti? De Valente imperatore pariter Ariano in Chronico b. Hieronymus annotavit, usque adeo illum odisse monachos, ut lege lata. monachos omnes aut arma sumere, militesque fieri, aut fustibus caedi, mactarique decreverit.

Sed nimis longum esset, si omnia veterum haereticorum, ac praesertim imperatoris Constantini Copronymi et caeterorum veterum iconomachorum in sanctos illos monachos, aut improbe dicta, aut crudeliter facta commemorarem. Quid igitur, ut ad posteriora tempora descendamus, Joannes Wiclef de religiosorum ordinibus sensit? Nempe omnes ad unum a diabolo in Ecclesiam introductos, et Augustinum, Benedictum, Bernardum ad inferos esse damnatos, nisi poenitentiam egerint, quod monachi et patres monachorum fuerint. Sic enim habent articuli ejus postremi in concilio apud Constantiam reprobati. Quid Martinus Lutherus? Nonne tertio quoque verbo in omnibus scriptis suis, quae sane quamplurima exstant, monasticen lacerat?

At, ut alia praetermittam, quae suo loco postea afferentur, certe in epithalamio illo suo, plus quam credi possit, obscoeno et sordido, quod in caput septimum epistolae prioris ad Corinthios scripsit, qui coelibem vitam in monasteriis ducunt, eos omnes idolo Moloch corpora sua cremare confirmat. Et in eodem libro, statum religionis nihil valere, sed ethnicum, terrenum, saecularem, ac veluti lutum esse dicit, cum e contrario statum conjugii spiritualem, coelestem, divinum, atque aureum esse praedicet. Joannes Calvinus libro Institutionum 4. cap. 13. rem totam breviter ita definit, ut esse velit monasteria lupanaria; vota monastica retia Satanae; monachos omnes sophystas cucullatos. qui ab Ecclesia dissensionem feceriat, et se totos diabolo consecraverint. Philippus Melanchthon in apologia pro Confessione Augustana, articulo de votis, vota atque opera monachorum nunc observationes fatuas, nunc hypocriticas simulationes, nunc etiam traditiones pharisaicas atque mahumeticas vocat. Magdeburgenses Centuriatores in 10. cap. 4. Cent. posteaquam multorum veterum eremitarum vitas et res gestas breviler descripserunt, in haec verba sermonem claudunt: Sed quis, inquiunt, non haec hominum monstra execretur, ut inimicos humanae societatis et contra totam secundam tabulam delinquentes? Ut illud interim omittam, quod parte non modicam ingentium illorum voluminum in monachorum vituperatione consumunt, quos ubique hypocrisis, ubique superstitionis, ubique impietatis accusant.

Sed quid, obsecro, Lutheranos in tam apertum, tamque implacabile bellum contra monachos impulit? Quid eis monachi nocuerunt? quid rapuerunt? quid illis debent? Nonne, si saperent, ingentes gratias potius regno monachorum, ut ipsi vocant, agere deberent? Ex quo nimirum apostolus ille Germanicus, tertius Helias, totque alii illustres prophetae, atque evangelistae, tamquam ex equo Trojano prodierunt. Unde enim habeat Lutherum, Pomeranum, Bucerum, Pellicanum, Munsterum, Menium, Musculum, Miconium, Oecolampadium, Martyrem, Ochinum? Nonne ex monasteriis? Quamquam si verum fateri volumus, non monasteria tot nobis haereticos peperunt, sed ipsa

potius pestis haereseos monasterioram desertores fecit.

Sed quid miramur, si filii tenebrarum lucem religionis aequisoculis intueri non queunt: si desertores militiae, castra sangtorum oderunt: si fugitivi ac perfidi, stantes in acie commilitones suos exhorrent; si denique principis tenebrarum, primique coelestis militiae desertoris ae transfugae, discipuli ejus filii opera imituatur? Nom ( ut apud Athanasium magnus ait Antonius ) omnes quidem Christianos diabolus odit, sed probos monachos, Christique virgines tolerare mullo modo potest. Hine illae voces abbatis Sereni apud Cassianum Collat. 7. cap. 23: In ipsis, inquit, coenobiis, in quibus commorabantur octo vel decem, ita daemonum atrocitas grassabatur et frequentes, ac sensibiles sentiebaniur aggressus, ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim alifs dequetantibus somnum, alii vigilias celebrantes, psalmis et orationibus, seu lectionibus inhacrebant, cumque ikos ad soporem naturae necessitas invitaret, expergefactio ad corum, qui dormituri erant, custodiam, similiter excubiae tradebantur.

Habetis, suid haeretici tam veteres, quam recentes et quid ipse etiam pater corum diabeius de monachis censeat. Nunc de iisdem quid censeant Patres, quid etiam Christus et Deus, merito a me requiri, alque exspectari video. Sed quoniam plurima hujus generis testimonia in ipsa disputatione sacpius nobis erunt necessario afferenda, nunc duobus tantum duorum clarissimorum utriusque Ecclesiae luminum testimoniis contentus; rem totam, quam brevissime fleri poterit, expediam. Prodeat igitar in primis totius Greciae eximium decus s. Joannes chrysostomus. Is enim et pro vitae monasticae defensione tribus integris libris acerrime decertavit, et abique solitadines, ac monasteria ita splendide, magnifice que laudat, ut illa regnis alque imperiis, et ipsi etiam paradiso, ac coelo non dubitet anteponere. Denique homil. 8. in Matthaeum: Si quie, inquit, nune ad Aegypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem illum eremum videbit dignierem et innumerabiles angelorum coétus in corporibus fulgere mortalibus. Est enim

BELLARMINI. Vol. II.

cernere tota illa regione diffusium exercitum Christi, et admirabilem illum regium gregem i virtutumque coelestium conversationem in terris micantem. Atque hace non in viris colum; verum etiam in foeminis splendere conspiciale. Non ila variis astrorum choris coelum refulgel, ut Aegyptus innumeris monachorum, ac virginum distinguitur, atque illustratur habitaculis. Quanta est hace laus? et a quanto viro, quanta verborum majestate profecta? Sed jam b. Augustinum totius occidentis clarissimum lumen audiumus.

Is igitur in libro de moribus Ecclesiae primo. cap. 31. monachorum vitam, tum eremitarum,tam coenobitarum. Manichaeis perfectionem jactantibus objiciens: Nihil, inquit, de iis dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa intervalla temporum affertur et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhaeserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quae nisi sanctorum intellectu percipi non potest; Nihil, inquam', de his loguar: videntur enim nonnullis res humanas plus quam oporteret, deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis corum animus in orationibus prosti et vila ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Sed hic disputare longum et supervacaneum puto. Nam hoc' tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et hanorandum videlur, oratione no: stra videri qui potest? Sed si hoc excedat nostram tolerantiam, quis non illos miretur et praedicet, qui contemptis alque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus. Nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vilam el intensissimam in Deum, gratissimum ipsi munus offerunt, a quo ista posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Patres vero non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, mulla superbia consulunt his, quos filios

214 PRAEFATIO

vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna eorum in obtemperando voluntate. Ac demum post alia multa finem faciens, ait: Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque digne valeo et vereor, ne judicare videar, per seipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putavero. Quam dissimilia sunt haec verba catholicorum Patrum iis, quae ex Luthero et Calvino paulo ante recitavimus? Nimirum, hic fides, ibi perfidia; hic sapientia, ibi stultitia; hic gravitas, ibi furor; hic Deus, ibi diabolus loquebatur.

Neque vero Deus per voces et scripta solum catholicorum Patrum, sed ctiam ipse per se sanctitali, alque praestantiae ordinum religiosorum testimonium tulit. Quid enim de hoc vitae genere Deus censeat, testantur in primis divinae illae.amplissimaeque promissiones, quae partim in prephetis, partim in evangeliis exstant, quibus (Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18. Isaiae 56.) centuplum in hoc saeculo, sedes honoraria in judicio, locus et nomen in regno coelorum majus, atque nobilius, quam filiorum et filiarum șit, hujus disciplinae cultoribus Dominus pollicetur. Testantur deinde hoe idem divina signa, alque prodigia. Certe enim post apostolica tempora splendore maximorum signorum, judicio orbis terrae, semper clarisşimi habiti sunt magnus Antonius, uterque Macharius, Hilarion, Benedictus, Bernardus, Franciscus, Dominicus. At ii omnes sine controversia professione monachi fue.

Quantae igitur et quam projectae est audaciae sanctissima instituta, a Deo ipso. de coelo signis, atque prodigiis clamente et approbante, confirmata, adhuc tamen animis obfirmatis contemnere, improbare, rejicere, conspuere, lacerare? Ut interim omittam, quod haec ipsa instituta longe ante Helias et Joannes adumbrarunt, Christus consuluit, apostoli coluerunt, sancti fere emnes adamarunt. Exceptis enim sacris martyribus, rari omnino in numerum sanctorum relati leguntur, qui ex monasteriis non prodierint. Ut-mihi jam monasticae vitae approbatio inter eas notas ac symbola, quibus Reclesiam catholicam ab omnium baereticorum

conventiculis internoscimus, atque distinguimus, principem locum tenere, clarissimeque eminere videatur. Quod sanctus ille alexandrinae Ecclesiae episcopus Petrus probe intellexit, cum auctore Theodoreto lib. hist. 4. cap. 20. ex eo potissimum demonstravit, Lucium quemdam non episcopum, non catholicum, sed haereticum, hostem, lupum et invasorem esse, quod eum aulli monachi de more Ecclesiae sacres hymnos concinentes, ad solium pontificale deduxerint. Existimabat enim magnus ille pontifex, ita partem verae Ecclesiae esse ordines monachorum, ut episcopus Ecclesiae haberi non posset, qui secum monachos habere noluisset.

Quae cum ita sint, intelligi profecto facile potest, ita caussam monachorum cum Ecclesiae caussa esse conjunctam, ut nemo unquam Ecclesiae hostis fuerit, qui non bellum godem tempore monachis omnibus indixerit. Quare a nobis mater nostra Ecclesia catholica petere mihi videtur, ne nos ab hostibus diligentia, studioque vinci paliamur, sed quantum illi dies ac nocies legendo et scribendo laborant, ut aliquod Ecclesiae, vel ejus partibus ac membris detrimentum afferant, tantum nos opera et laboris in omnibus Ecclesiae partibus sartis tectisque conservandis collocemus; praesertim cum nos apud Deum clarissima justitiae, fideique corona, illos poena sola perfidiae, atque scelerum apud inferos maneat. Nunc ad rem ipsam proprius accedamus.

Omnis haec de monachis disputatio septem praecipuis capitibus, sive quaestionibus continetur. Quibus quaestionibus uma eademque opera explicabuntur nomina, origo, natura, partes, proprietates et actiones vitae religiosae; et simul ad ea omnia respondebitur, quae adversarii nostri in monachis et eorum ordinibus reprehendunt.

Prima igitur quaestio erit de origine, ratione et varietate religionum. Neo enim verentur adversarii, asserere, ordines religiosorum, rem esse recens in Ecclesia invectam, et idem esse dicere: Ego sum ordinis b. Augustini, ego Benedicti, ego Dominisi, ego Francisci, ac dicere: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae: qued apostolus in Coriethiis gravissime reprehen-

dit, ut etiam illos proptèrea seditionis, schismatis, chi semper idem vestimenti genus, eadem forma, atque haereseos notare non vereatur.

Secunda quaestio erit de consiliis evangelicis, quae sunt quasi bases et fundamenta totius monastici aedificii. Horrent enim haeretioi ad vocem consiliorum et operum supererogationis, tanquam ad ingentem blasphemiam. Id quod necessario faciunt; cum enim arbitrentur ipsi, praecepta divina non posse a quoquam, tametsi justissimo, unquam impleri, non possunt non vehementer mirari, cum nos dicere audiunt, veros religiosos non solum praecepta, sed etiam consilia adimplere et plus facere, quam Deus praecepit.

Tertia quaestio erit de votis monasticis. Cum emim adversarii putent, nihil Deo placere, nisi quod ipse fleri jussit, omnia vota, quae de rebus a Deo non imperatis suscipiuntur, tanquam superstitiosa et inania reprehendunt. Immo aperte votum continentiae sacrificium idoli Molach, votum paupertatis meram stultitiam, votum obedientiae summam temeritatem esse volunt.

Quarta quaestio erit de votis, quae filii invitis parentibus et conjuges invito altero conjuge, aliquando suscipiunt. Nam cum Deus mandaverit, honorari parentes, et non separari quos Deus conjunxit, graviter nos accusant, quod filios invitis parentibus monachos fieri patiamur et matrimonia, licet nondum consummata, tamen rata et firma, propter monasticam professionem dissolvamus.

Quinta, de solitudine et summa vitae sèveritate eremitarum. Eremitas enim adversarsi ursos ao misanthropos vocant propter solitudinem, propter eam autem severitatem, qua plurimi eorum numquam cilicium exuebant, solis radicibus vescebantur, humi cubantes somnum brevissimum capiebant: nonnulli etiam integris hebdomadibus jejunabant: alii ferreis catenis se onerabant: quidam in editis columnis perpetuo consistebant; eos omnes execrantur tanquam sui ipsorum homicidas, et illius apostolici praecepti transgressores: Habeto honorem corpori; quo praecepto nullum ipsi religiosius ac sanctius colunt.

Sexta, de habitu et tonsura. Miram enim superstitionem in eo positam esse eredunt, quod monachi semper idem vestimenti genus, eadem forma, eodem colore, eadem magnitudine gerant et eodem semper modo, qui sunt ejusdem ordinis, tondantur.

Septima, de opere monachorum. Existimant enim adversarii, de natura et ratione verae monasticae professionis esse, ut monachi omnes labore manuum victum quaerant et idcirco eos omnes, qui id non faciunt, tanquam suae ipsius professionis corruptores, falsosque ac degeneres monachos arguunt, et malum et illicitum esse docent, tam sponte sua ad mendacitatem devenire, quam mendicatione victum cosligere.

Scripserunt de hoc argumento s. Joannes chrysostomus in tribus libris contra vituperatores vitae monasticae; Joannes Cassianus in libris de institutis coenobiorum; Albertus Magnus in defensorio mendicantium; b. Thomas in opusculo 19. quod est contra impugnantes religionem; b. Bonaventura in apologia pauperum et libro de paupertate Christi; Thomas Waldensis lib. 3. et 4. de dectrina fidei, et de sacramentalibus, tit. 9. Albertus Pighius controversia 14. Alphonsus Vievesius Philippica 20. Alphonsus a Castro in libris contra baereses, verbo Mendicitas, verbo Monachus et verbo Volum; Joannes Bunderius in suo compendio concertationum, titulo 34. Conradus Koellim in eversione epithalamii Lutherani; Joannes a Daventria. in refutatione Confessionis Augustanae; Joannes Eckius in enchiridio et in conclusionibus de votis; Franciscus Orantius lib. 5. de locis catholicis; Gaspar Schatzgerus lib. 1. cap. ult. et lib. 2. cap. 1. suarum controversiarum; Joannes Hoffmeisterus contra art. 27. Confessionis Augustanae; Jacobus Latomus libro de monachorum institutis et votis; Joannes Cochlaeus tibro de votis, et in discussione artic. 27. Confessionis Augustanae; Jodocus Clictovaeus lib. 3. Antilutheri; Alanus Copus dialogo 2. Matthaeus Galenus de origine monastices; Richardus Coenomannus in antidoto ad censuram Erasmi in regulam s. Augustini; Franciscus Turrianus iibris duobus de votis monasticis; Gulielmus Lindanus lib. 4. cap. 98. Panopliae.

## CAPUT PRIMUM

De nomine monastices.

Explicaturus igitur primo loco naturam, partitionem, atque ortem religionum, et simul haereticorum mendacia et calumnias refututurus, a nomine, ut par est, exordiar. Nomina apud Graccos quinque inveniuntur. Vocant enim professorem hujus vilae θεραπευτήν, ασκητήν, ικέτην, Φιλόοοφον, μοναχόν: Latini retinuerunt ultimum graecum vocabulum, et addiderunt regularem et religiosum: Θεραπευτής significat cultorem. Utitur hoc nomine Dionysius, cap. 6. ecclesiasticae hierarchiae, ubi dicit ab apostolis fuisse monachos vocatos θεραπευτάς. eo. quod ipsi pure praeter caeteros Deum colant. Utitur eodem nomine Philo initio libri de vita contemplativa supplicion, ubi dicit, eos vocari Aspazerrάς, vel qued Deum diligentissime colant, vel qued animas suas celant et curent a morbis vitiorum; nam depareuths significat et cultorem et medicum; dantic significat pugilem sive exercitatorem, quo nomine passim utitur Basilius, qui etiam sermones suos de rebus monasticis vocat asceticos. Dicuntur autem monachi pugiles, vel exercitatores, quia totum eorum officium deberet esse virtutem palaestra, cum alii homines exerceant se in bello, in mercatura etc. ἐκέτης supplicem significat, quo nomine utitur Philo, qui librum de vita monachorum sui temporis, inscripsit de vita contemplativa supplicum. Dicuntur autem supplices a praecipuo munere, quod est orare et laudare Deum.

Philosophi dicuntur monachi passim a Chrysostomo in libris contra vituperatores vitae monasticae, et a Nilo, qui librum suum de monastice, inscripsit de christiana philosophia. Dicuntur autem monachi philosophi, ut Nilus indicat, quia eum locum tenent apud Christianos, quem philosophi apud ethnicos. Philosophi enim dicebantur apud ethnicos, homines quidam severi contemptores re-

rum temporalium et toti sapientiae studio dediti. Nomen monachi frequentissimum est apud omnes Patres graecos et latinos. Quid autem significet, non codem modo explicatur ab emnibus.

B. Hieronymus in epist. ad Heliodorum, videtur velle nomen monachi propriissime convenire eremitis, qui soli habitabant: Interpretare, inquit, vocabulum monachi, hac est, tuum; quid facis in turba, qui solus es? At non ita esse, tum ex eo cognosci potest, quod eremitae coeperunt a Paulo prima eremita, ipso Hieronymo auctore in ejus vita. Nomen autem monachi invenitur apud Dionysium areopagitam, qui fere 300. annis Paulum primum eremitam antecessit, tum ex eq, qued omnes veteres, et ipse etiam Hieronymus in epist. ad Eustochium de servanda virginitate nomen monachi tam eremitis, quam coenobitis volunt esse commune.

B. Augustiaus in pealm. 132. exponens illud a Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in anum; dicit hec dulcissimum canticum excitasse homines et de saccularibus monachos fecisse, nihilque aliud significare monachum, quam hominem in tali unitate et communitate eum aliis ejusdem-instituti viventem, ut cum illis omnibus unum cor habeat, et unum ac solum hominem faciat. Secundum quam significationem nomen monachi solis coenobitis conveniret. At verissima explicatio hujus nominis est apud Cassianum et Dionysium. Scribit enim Cassianus collat. 18. abbatis Pyamonis, cap. 5. inde monachos dictos, quod a conjugiis abstinerent, et a parentum se consortio, ac mundi hujus conversatione secornerent, ut nimirum soli Deo per contemplationem inhacrerent. Quod idem tradit Dionysius cap. 6. eoclesiasticae hierarchiae, ubi dicit, monachos appellari, quod

rebus divisibilibus relictis, monadi, idest, divinitati soli placere contenderent.

Ex quo sequitur, proprie monachos non esse , nisi eos religiosos, qui soli vitae contemplativae dant operam, quales sunt cassinenses, cistercienses, carthusiani, camaldalenses, atque alii id genus. Quod intelligentes s. Thomas, s. Bonaventura, et alii doctores posteriores, non vocant monachos, dominicanos et franciscanos et similes, qui non soli contemplationi insistunt, sed in actione versantur, juvantes episcopos et clericos in concionibus, et sacramentis, sed regulares, vel religiosos appellant. regulares quidem, quod certe regulae vivendi addicti sint, quo nomine passim utuntur concilia. Religiosos autem, quod se totos Dei obsequio mancipaverint, ut recte explicat b. Thomas 2.2. quaest. 186. art. 1. Religio enim est virtus, qua Deo debitum cultum exhibemus. Quare sicut omnes probi Christiani dici possunt religiosi, si Deo serviant, ut eorum vocatio requirit: ila illi per antonomasiam dicuntur religiosi, qui nulli rei serviunt, nisi Deo. Et licet hoc nomen videatur novum, tamen revera est omnium antiquissimum; respondet enim proprie illi graeco θεραπευτής, quo Dionysium et Philonem usos fuisse docuimus. Haec de nomine.

#### CAPUT II.

#### De natura, sive definitione religionis.

Quantum ad rem attinet, religio, ut hic a nobis accipitur, sic definiri potest: Religio status et hominum ad perfectionem christianam per paupertatis, continentiae et obedientiae vota tendentium.

Sunt autem hoc loco annotanda quaedam. Primum illud est, veram perfectionem in charitate consistere; perfectio enim uniuscujusque rei in eo posita est, ut fini suo ultimo quam arctissime conjungatur. Finis autem hominis Deus est, charitas vero maxime unit hominem cum Deo, juxta illud 1. Joan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in co. Et Coloss. 3. Charitas est vinculum perfectionis, idest vinculum, quod ligans hominem reddit perfectum: vel ( ut Chrysostomus exponit) vinculum quod ligans et continens in homine omnes virtules, hominem reddit perfectum. Ut enim spiritus humanus ligat et continet omnes humores, et partes alioqui dilapsuras, ita Spiritus sanctus inhabitans corda nostra per charitatem continet omnes virtutes alioqui facile dilapsuras. Quod etiam idem apostolus ostendit, cum ait 1. Cor. 13. Charitas patiens est, benigna est, et quae sequuntur.

Itaque Irenaeus lib. 5.ante med. exponens illud apostoli 1. Thessal. ult. Ut integer spiritus vester et anima et corpus conservetur; dicit hominem perfeetum tribus constare, corpore, anima et Spiritu sancto inhabitante per charitatem. Ut enim si desit ei corpus, vel anima, erit imperfectus in genere naturae: ita si desit charitas, erit imperfectus in genere moris: Quo modo locum illum Pauli intelligunt etiam fere omnes Graeci, Chrysostomus, Theodorelus, Occumenius, Theophylactus et cum eis Hieronymus in epist. ad Hedibiam, quaest.ult. Denique quod charitas sit christiana perfecto ex eo patet, quod ad eam omnia referentur Matth. 22. In his duobus mandatis universa lex etc. 1. Ti-

moth. 1. Finis praecepti charitas.

Nota secundo, ex b. Thoma in opusc. de perfectione, quatuor esse gradus charitatis, proinde etiam qualuor esse gradus perfectionis; dicitur enim perfectum id, cui nihil deest in ordine ad aliquem finem. Quare, non repugnat aliquid esse perfectum et imperfectum, si comparetur ad diversos gradus, seu etiam fines. Primus gradus charitatis est dili-gere Deum quantum est diligibilis, idest, infinito amore. qui gradus soli Deo convenit, et idcirco solus Deus in ordine ad ipsum gradum perfectus est; angeli et sancti homines, quicumque illi sint, impersecti sunt; sed haec impersectio non est proprie dicenda privatio, aut vitium, sed simplex negatio.

Secundus gradus est, diligere Deum, non quantum est diligibilis, sed quantum potest creaturadiligere, ita ut semper actu de Deo cogitet et sine intermissione in eum per affectum scratur et ne primos quidem motus cupiditatis sentiat contra Deum. In hoc gradu versantur beati, quorum comparatione omnes alii sunt imperfecti. Quare Phil. 3. apostolus, qui dixerat: Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus. Idem ail: Non quod jam

acceperim, aut jam perfectus sim.

Tertius gradus est, diligere Deum, non quantum est diligibilis, nec quantum potest creatura quaelibet absoluté diligere, sed quantum potest creatura mortalis, quae a se removit omnia divini amoris impedimenta et totam se Dei obsequio consecravit. Qui in boc gradu versantur, imperfecti sunt respecta beatorum, sed perfecti respecta aliorum hominum, etiam justorum et piorum. Et haeo est perfectio, de qua loquantur theologi, cum dicunt, statum episcoporum esse statum perfectionis adeptae, et statum religiosorum esse statum perfectionis acquirendue. Hoc enim interest inter episcopos et religiosos, quod'religiosi non tenentur continuo esse perfecti, sed tantom aspirare ad perfectionem. Versantur enim in exercitatione virtatis et remotione impedimentorum. At episcopi deberent esse perfecti, idest, ad eum gradum charitatis pervenisse, ad quem religiosi per sua vota et exercitia tendunt. Propterea in definitione diximus, religionem esse statum hominum ad perfectionem tendentium.

Quartus gradus est, diligere Deum 🔒 non quantum potest creatura vel absolute, vel in hac vila diligere, sed tamen ita, ut nihil aeque, aut magis, quam Deum diligat, idest, nihil admittat contrarium divinae dilectioni. Et hic gradus praeceptus est omnibus, et quamdam habet perfectionem, licet respectu superiorum, sit imperfectus. Unde 1. Joan. 2. dicitur: Qui servat verbum ejus , vere in hoe charitas Dei perfecta est. Et tamen Matth. 19. Dominus ei, qui dicebat se omnia praecepta servasse ail: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc. Loquitur enim Joannes de isto quarto gradu: Dominus autem de tertio, de quo nos in definitione religionis et in tota hac disputatione agemus.

Neta tertio, instrumenta aptissima, atque utilisma ad hanc perfectionem acquirendam, esse illas tres virtutes, paupertatem, continentiam et obedientiam; nam ut quis perfecte Deum diligat, debet et se fotum Deo tradere, et omnia impedimenta removere. Utrumque consequimur per has virtutes. Tradimus anim Deo nos totos, quando tradimus animum, corpus et res externas; nihil enim habemus aliud. Tradimus autom animum per obedientiam, corpus per continentiam, res externas per paupertatem. Item per has virtutes removentur omnia impedimenta divini amoris: Radix, enim, omnium malorum est cupiditas, 1.Tim. 6. quemmadmodum: Radix omnium bonorum est charitas, ut Augustinus adjungit serin. 12. de verbis Domini.

Omnis autem mala cupiditas ad tria capita revocatur, ad luxuriam, avaritiam, superbiam: quod et auctoritate et ratione probatur. Nam 1. Joan. 2. dicitur.: Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae. Ratione, quia in homine duplex est appetitus, concupiscibilis, et irascibilis ille appetit bonum absolute, iste bonum arduum. Rursum ille prior duplex est, naturalis et animalis.

Naturalis appetit ea bona, quae sunt necessaria ad naturam conservandam tam in individuo, ut cihum et potum, quam in specie, ut actum generationis. Qui appetitus eum est inordinatus, dicitur
incentinentia, et a Joanne copeupiscentia carnis.
Animalis appetitus dicitur ille, quo appetimus ea,
quae sunt bona secundum existimationem, ut pecunias, vestes, lapides pretiosos et similia, quae
non appetuntur a bestiis, quibus non inest appetitus nist na turalia, et hic appetitus cum est inordinatus, dicitur avaritia, vel curiositas, et a Joanne
concupiscentia oculorum.

Denique appetitus irascibilis appetit excellentiam quae apprehenditur ut res maxime ardua, et cum est inordinatus, dicitur a Joanne superbia vitae. Hos igitur tres fontes impedimentorum obstruunt tres virtutes, concupiscentiam carnis continentia, concupiscentiam oculorum parpertas, superbiam vitae obedientia.

Nota quarto, non sufficere ad religionem has tres virtutes, nisi accedat votum, idest, sacra promissio Deo facta, qua quis obstringat se perpetuo ita victurum. Religio enim est status quidam: status autem significat rem immobilem et perpetuam. Quare fieri poterit, ut aliquis sit perfectus, et tamen non sit in statu perfectionis, quemadmodum e contrario non raro accidit, ut multi tam episcopi, quam religiosi sint in statu perfectionis, et non sint perfecti. Ex his poterit tota definitio salis intelligi.

#### CAPUT III.

#### De variis ordinibus religiosorum.

Quantum ad tertium, veteres duo tantum agnoscunt/genera religiosorum; unum anachoretarum, sive eremitasum; alterum caenobitarum. Ita enim docet Hieronymus in epist. ad Eustoch. de virgini-

tate, Augustin. Hb. 1.de moribus Ecclesiae cap. 31. et Cassianus collat. 18. cap. 4. Itaque errat Isidorus lib. 2. de divinis officiis cap, 45. ubi tria facit genera monachorum, eremitas, anachoretas, coenobitas; nam tidem sunt anachoretae et eremitae.

Addit quidem Hieronymus tertium genus, et Cassianus tertium et quartum, sed illa non sunt vere genera religiosorum, sed quaedam relaxatione et corruptiones religionum. Nam tertium genus vocant eorum, qui in coenobiis vivunt, sed adhuc aliquas proprias relinent facultates, nec in omnibus obtemperant praepositis; quae sine dubio est corruplio vitae coenobilieae. Quartum genus vocant eorum, qui ex monasteriis ad eremum transeunt. non ut sanctius, sed ut liberius vivant, nimirom excusso jugo superiorum et legum coenobiticarum quae est corruptio vitae eremiticae. Quare ista duo a Patribus vocantur deterrima genera monachorum. Possumus nos cum b. Thomae et scholasticis paulo plenius et subtilius explicare formas et genera religionum juxta fines, ad quos instituenter. Omnis igitur religio ad perfectionem charitatis refertur, ut dictum est.

Possumus nutem tribus modis Deum diligere, cique servire: Uno modo, per contemplationem ipsum Deum in se diligendo, eique inhaerendo: Alio modo, per actionem Deo in membris ejus serviendo, ut alendo pauperes, suscipiendo peregrinos etc. Tertio modo, per utrumque simul Deo obsequium praestando, idest, per contemplationem, quae in actionem prodeat, sive per actionem, quae necessario requirat contemplationem. Quod fuciunt, qui concionibus, et sacramentorum administratione populo serviunt.

Juxta hos fines tria sunt genera religionum. Unum earum, quae profitentur vitam contemplativam solum, quod genus in multas formas dividi potest juxta varias constitutiones et regulas, quas sequentur. Alii enim sequentur instituta s. Antonii, alii s. Pachomii, alii s. Basilii, alii s. Benedicti, alii s. Romualdi, alii s. Brunonis etc.

Alterum genus est earum religionum, quae profitentur vitam activam, quod in tot formas dividitur, quot sunt opera charitatis. Quidam enim militando, atque Ecclesiam armis protegendo serviunt Deo. Quales sunt equites hierosolymitani, s. Jacobi, s. Joannis et alii quidam aegrotos curande in xenodochiis, quidam mortuos sepeliendo, et alii aliis rationibus dum in proximos benevolentiam ostendunt, Deo gratum obsequium praestant.

Tertium genus est corum, qui profitentur vitam mixtam, quod etiam in varias formas dividitur juxta varias corum institutiones. Quidam enim sequuntur regulam s. Augustini, quidam s. Dominici, quidam s. Francisci etc.

Quod autem haec ordinum varietas fuerit in usu in veteri Ecclesia, et utilissima sit, facile probari potest. Nam, ut ex Hieronymo, Augustino, Cassiano locis notatis patet, semper fuerunt tam eremitae, quam coenobitae, qui vitam contemplativam profitentur. Quod etiam fuerint, qui vitam activam exercerent, patet ex Cassiano collat. 14. quae est prima abbatis Nestoris cap. 4. ubi dicit, ex religiosis sui temporis alios dedisse operam contem-

plationi, alios curando xenodochio, alios alendis pauperibus, alios miserorum suscipiendo patrocinio etc. Quod denique fuerint, qui vitam mixtam sequerentur, perspicuum est tum ex eodem Cassiano ibidem, ubi dicit, quosdam etiam religiosos dedisse operam instruendis et docendis imperitis, tum ex b. Augustino, qui in duobus sermonibus de communi vita clericorum asserit, se instituisse in suo episcopatu religionem regularium clericorum.

Quod autem in his tribus generibus religionum multae essent diversitates, juxta varias observationes et ritus vivendi, docet Epiphanius in fine hibrorum contra haereses, ubi dicit, quosdam religiosos ex instituto sur ordinis abstinuissa a carnibus, alios etiam ab ovis, alios etiam a piscibus, alios etiam a pane. Rursum, quosdam nudis pedibus ambulasse, alios saccum interitus gestasse, alios

humi cubasse etc.

Jam vero quod haec varietas institutorum in eadem fidei consensione nihil obsit christianae religioni, sed potius valde prosit, huic intelligi potest, quod hac ratione provisum est omni hominum generi, ut nemo sit, qui velit ad perfectionem tendere et non possit. Varia enim sunt hominum ingenia, variae propensiones, nec pares omnibus vires. Unas diligit solitudinem. alius gaudet frequentia; unus libenter orat, alius libentius legit, vel operatur etc. Si ergo omnis religio requireret solitudinem, vel omnis communionem et frequentiam, aut si omnis religio abstinentiam a carnibus indiceret, vel nulla indiceret etc. pauci admodum religiosi esse possent. Nunc autem in tanta varietate religionum potest omnibus satisfieri.

Altera ratio esse potest, quia cum omnis ordo initio ferveat, ac multos homines excitet ad pietatem; paulatim autem postea fervorem illum remittat, Deus subinde novos ordines excitando, quasi perpetuo fervorem in Ecclesia sua nunc per hos, nunc per illos conservat. Certe si quis legat vitam, et res gestas sanctorum Antonii, Benedicti, Bernardi, Brunonis, Francisci, Dominici et aliorum, qui aut novos ordines instituerunt, aut veteres jam pene collapsos restituerunt, is fatebitur esse verissimum, quod diximus de mirifico ardore in studium pietatis et multorum hominum conversione a peceatis ad Deum per novos ordines religiosos.

CAPUT IV.

#### De confirmatione religionum.

Oritur hoc loco brevis quaedam dubitatio, an religionum institutio libera sit, an vero egeat summi pontificis confirmatione, sed facilis est solutio. Duo siquidem in omni religione inveniuntur; essentia ipsa religionis, quae in tribus votis sita est; et determinatio illius essentiae ad certum modum vivendi. Et quidem essentia religionum in evangelio fundamentum habet, ut paulo post demonstraturi

sumus: proinde ex hac parte non egent religiones pontificum approbatione, Modus autem ille varius, quo tria vota suscipi possunt, non ita perspicue in evangelio elucet, et non parum ex prudentia et directione humana pendet. Quare pontificis confirmatione indigere potest et nunc re ipsa, propter jus positivum novas religiones prohibens, omnine indiget. Itaque Antonius, Basilius, Augustinus, Benedictus, auctores religionum fuerunt, noc ultam leguntur, a pontifice approbationem quaesivisse, propterea quod nondum exstaret jus ecclesiasticum id praecipiens. Condendi autem novi juris haec fuit occasio.

Ad annum Domini circiter 1170. pauperes de Lugduno ordinem quemdam religiosum instituerunt, sed multis admixtis superstitionibus et hacresibus. Quocirca a Lucio-III. Alexandri III. successore hacreseos damnati fuerunt, et secta corum reprobata ut scribit abbas urspergensis in Chronico anni 1212. Illi vero postmodum, idest, tempere Innocentii III. sedem apostolicam adeuntes dia institerunt, ut idem auctor ait, ut reconcitarentur et religio ipsorum confirmaretur, nec tamen impetrarunt.

Inde igitur factum est, ut b. Franciscus et b.Deminicus volentes similiter novos ordines instituere, et metuentes, ne sibi accideret, quod videbant accidisse Waldensibus, noluerant confidere suo judicio sed a pontifice confirmationem petiverunt et impetraverunt. Paulo autem post in concilio lateranensi generali considerans Innocentius III. periculum, quod imminebat Ecclesias, si unicuique liceret novam religionem excogiture, prohibuit, ne deinceps ullus novus ordo institueretur, nimirum sine approbatione apostolicae sedis, ut habemus cap. In. de relig. dom. Quod decretum renovavit Gregorius X. in concilio lugdunensi, ut habemus cap. unico, de relig. tom. in 6.Atque hinc coepit esse necessarium, quod antea erat liberum.

CAPIT V

De origine religionum.

Quod ad quartum attinet de origine, adversarii tria docent. Primo, religiones incoepisse demum quarto saeculo, idest, post annum Christi 300.primosque auctores fuisse Antonium, Macharium, et similes. Ita docent Magdeburgenses Centur. 4.c. 6. col. 464. Coepit, inquiunt, hoc saeculo primum monastice etc. Idem repetunt saepissime.

Secundo, religiones coepisse partim casu, partim errore, partim prava imitatione. Centur. 4.cap. 6. col. 470. dicunt Magdeburgenses, non sponte sua ad solitudinem concessisse primos eremitas, sed casu quodam, nimirum, ut fugerent persequutionem. Id, quod scribit de Paulo primo eremitab. Hieronymus in ejus vita. et Sozomenus lib. 1. cap. 13. iidem autem Magdeburgenses Cent. 5.cap. 6. col. 700. Coepii, inquiunt, monachatus partim

obscuratione doctrinae de justificatione, et veris cultibus Dei, partim ex prava aemulatione Essenorum.

Tertio, addunt Philippus in apologia pro art.27. confessionis augustanae, et Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. § 10. fuisse quidem apud veteres quarti et quinti saeculi aliquos monachos, sed eos, qui nunc sunt. nihil cum illis habere commune, et ideo vere dici posse, monachatum, qualis nunc est, rem novam et recentem esse.

Nos ergo primo ostendemus religiosam vitam diu ante quartum saeculum incoepisse. Secundo, originem ejus non fuisse casum, vel errorem, vel pravam imitationem, sed perfectionis desiderium. Tertio, religiones, quae nunc sunt, easdem esse quoad essentiam cum iis, quae erant temporibus antiquissimis. Dicimus itaque primum vitam religiosam adeo esse antiquam, ut quaedam ejus adumbratio fuerit in lege naturae ante diluvium: major quaedam expressio in lege Moysis: perfectio autem apostolorum tempore.

Habemus in primis Genes. 4. de Enos: Iste coepit invocare nomen Domini. Ex quo loco colligunt
auctores, hunc Enos instituisse peculiarem aliquem
cultum et sublimiorem, quam esset religio vulgi:
nam ante Enos certe etiam Adam, et Abel, et Seth
Deum invocaverunt: et tamen iste dicitur primus
coepisse invocare nomen Domini. Vide de hac re
Waldensem lib. 3. doctr. fidei, art. 1. cap. 1.

Habemus deinde Num. 6. vota Nazaraeorum, qui seipsos Domino consecrabant; ad quorum exemplum etiam in Ecclesia quosdam seipsos totos divino cultui devovere seribit Origines hom. 11. in Le-

Habemus deinde in eodem Testamento veteri, Heliam et Helisaeum, ac filios prophetarum sine uxoribus et divitiis in hoc mundo vixisse. De quibus b. Hieronymus in epistola ad Rusticum, quae est ordine quarta: Filii prophetarum, inquit, quos monachos in veteri Testamento legimus, aedificabant sibi casulas. prope fluenta Jordanis; et turbis urbium derelictis, polenta et herbis agrestibus victitabant. Et epist. 13. ad Paulianum, de monachis loquens: Noster princeps, inquit, Helias, noster Helisaeus, nos ri duces filii prophetarum, qui habitabant in agris et solitudinibus, et faciebant sibi tabernacula prope fluenta Jordanis.

Habemus etiam Hierem. 35. insignem commendationem nepotum Rechab, qui cum eis pater, sive avus praecepisset, ut domos non aedificarent, agros non seminarent, vineas non plantarent, vinum numquam biberent, vitam durissimam quasi extra mundum agerent, omnia diligentissime observarunt. Quos etiam monachorum nostrorum figuram gessisse scribit Hieronymus in eadem ad Paulinum epistola.

Denique Joannem Baptistam monachorum et eremitarum principem fuisse, scribunt fere onnes Patres. Nazianzenus orat. in Basilium, s. Basilium, quia monachus fuerat, cum Joanne Baptista comparat. Chrysostomus hom. 1. in Marcum, Sicut, inquit, sacerdotum principes sunt apostoli, sic monachorum princeps Joannes Baptista est. Hie-

BELLARWINE. Vol. II.

ronymus ad Eustochium de servanda virginitate, de eremitis disserens: Hujus vitae, inquit, auctor Paulus, illustrator Antonius, et ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista. Idem docent Cassianus collat. 18. cap. 6. Sozomenus lib. 1. hist. cap. 12. Isidorus lib. 2. de divinis officiis cap. 15. et b. Bernardus serm. de excellentia Joannis Baptistae.

Veniamus ad novum testamentum, et ostendemus ante annum 300. fuisse monachos in Ecclesia Primum id probatur ex Athanasio in vita b. Antonii, ubi Athanasius docet, ante Antonium non fuisse quidem eremitas, sed tamen monachos fuisse, qui in agris, civitatibus vicinis, monasteria sua constituebant: et Antonium, cum is monachus fieri vellet, ad senem quemdam accessisse, qui ab ineunte aetate monasticen exercuerat. Ex quo sequitur et b. Antonium non fuisse primum monachum et ante annum Domini 300. fuisse monachos; nam Antonius floruit initio IV. saeculi; anno enim 300. erat annorum 40. ut colligitur ex Chronico Hieronymi, et tamen ipso adolescente inveniebantur multi monachi senes.

Quoniam autem Magdeburgenses Cent. 4. cap. 10. col. 1306. subdubitant, an haec vita sit ab Athanasio scripta, facile id probari potest: Nam scripsisse Athanasium vitam Antonii, testantur Nazianzenus, in Athanasio, Hieronymus de viris illustribus in Antonio, in Evagrio et in Athanasio, Russinus lib. 1. hist. cap. 8. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 6. Paulinus in vita Ambrosii, Palladius in historia Lausiaca, cap. 8. et Socrates lib. 4. c. 18. Quod autem haec ipsa, quam habemus sit illa ipsa Athanasii, patet ex eo, quod est revera insigne volumen, ut Hieronymus dicit fuisse librum illum Athanasii; Item continet plurima illa miracula, quorum meminit Augustinus. Praeterea recenset historiam illam de anima Ammonis, quam Palladius et Socrates ex libro Athanasii de vita Antonii referunt. Denique nihil in contrarium asserunt Centuriatores, nisi judicium suum; stultum autem est sine ulla ratione, vel conjectura, vel auctoritate id in controversiam vocare, de quo nemo dubitat.

Probatur secundo ex Damaso, qui in vita Dionysii papae scribit, hunc ipsum Dionysium ex monacho ad pontificatum assumptum fuisse. Constat autem ex Chronico Eusebii, Dionysium Romae sedisse anno Domini 266. non ergo monachi coeperunt post annum Domini 300.

Tertio probatur ex Cypriano et Tertulliano, qui etiam antiquiores Dionysio papa fueruni. Scribit enim Tertullianus librum de velandis virginibus et Cyprianus Tertullianum sequutus scribit librum ejusdem argumenti, quem de habitu virginum inscripsit. Uterque autem loquitur de virginibus religiosis et per solemnem professionem Deo consecratis. Nam Tertullianus distinguit in eo lib. inter virgines mundi, idest, saeculares et virgines Dei, idest, sanctimoniales, de quibus ait: O sacrilegae manus, quae dicatum Deo habitum detrahere potuerunt! Quid pejus aliquis persequutor fecisset, si hoc a virgine electum cognovisset? Et infra, eas alloquens: Nupsisti, inquit, Christo, illi tradidisti carnem tuam etc. Similia habet Cyprianus.

Quarto, probatur ex Dionysio areopagita, Tertulliano antiquiore; is enim epistolam scribit ad Demophilum monachum, et libro de Eccles. hierarch. cap. 6. prolixe explicat monasticae, professionis formam.

Fatentur Magdeburgenses vere de monachis scribere auctorem eius libri, sed eum negant esse Dionysium Pauli apostoli discipulum, Centur. 1. lib. 2. cap. 10. colum. 624.quod idem negant Laurentius Valla, et Erasmus in annotat. ad cap. 17. Act. Item Lutherus, Calvinus et omnes haeretici. At opera ista nomine Dionysii citant tres veteres pontifices, Gregorius I. hom. 34. in evangelia, Martinus I. in concilio romano et Agatho in epistola ad imperatorem Constantinum IV. Item Nicolaus papa I. in epistola ad Michäelem imperatorem citat epistolam s. Dionysii areopagitae, ad Demophilum monachum. Item duo generalia concilia VI. actor. 4. et VII. canon. 2. Praeterea doctores plutimi, ut s.Maximus, qui annotationes scripsit in Dionysium, Sophronius patriarcha Hierosolymae in oratione pulcherrima, quae habetur act. 11. sextae synodi, Damascenus lib. 1. cap. 12. de fide, Euthymius. Panopliae part. 1. lit. 2. Anastasius bibliothecarius in epistola ad Carolum Calvum, Hilduinus in epistola ad Ludovicum Pium, et alii posteriores omnes. Non est autem ullo modo verisimile tot Patres non potuisse videre id, quod nunc Valla et Erasmus vidisse se dicunt.

Deinde sic possumus ratiocinari: Auctor horum librorum non potest esse recentior, quam sit b. Gregorius, ut notum est, cum a Gregorio ipso citetur. Rursum non potest esse recentior, quam sit Hieronymus: Nam Gregorius eum citans vocat antiquum et venerabilem patrem, non autem vocaret antiquum hominem, suo saeculo proximum. Non potest cliam floruisse paulo ante Hieronymum, idest IV. saeculo: Nam sine dubio tunc Hieronymus posuisset eum inter scriptores ecclesiasticos; non enim potuisset ignorare scriptorem, qui sua memoria extitisset. Et praeterea notus fuisset eadem ratione Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, aliisque Patribus, quibus tamen incognitus fuit, quantum ex corum operibus colligi potest. Quare necesse est, ut Anastasius dicit, auctorem esse antiquissimum et suppressum suisse ab haereticis, ac tantem Romae repertum suisse tempore beati Gregorii, vel paulo ante,

Ex quo solvitur argumentum Vallae, Erasmi et Centuriatorum, qui hoc utuntur tanquam praecipuo argumento, quod Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, et maxime Hieronymus numquam citent hos libros. Hoc enim argumentum eorum nobis maxime favet: Nam cum isti Patres non citent haec opera, signum est auctorem hunc non extitisse ipsorum tempore, et cum constet ex Gregorio eum non esse illis posteriorem, sequitur necessario esse longe antiquiorem. Unde etiam Valla testatur, plurimos viros doctissimos sensisse haec opera non esse quidem Dionysii areopagitae, sed tamen auctoris fere aeque antiqui, nimirum Apollinaris Hierapolitae, vel, ut alii volunt, Dionysii Corinthii, quorum uterque floruit anno Domini 174. ut Eusebius testatur in Chronico. Hoc autem etsi

non est verum, tamen nobis sufficit ad asserondam antiquitatem monastices.

Quinto probatur ex Philone Judaeo, qui etiam Dionysio areopagita fuit antiquior. Philo igitur in lib. de vita contemplativa supplicum, prolixe admodum describit vitam et mores monachorum et sacrarum virginum, quos instituit in Aegypto s. Marcus evangelista, ubi aperte ponit professionem continentiae et paupertatis, jejuniorum, psalmodiae etc.

Magdeburgenses Centur. 1. lib. 2. cap. 3. pag. 18. fatentur Philonem haec scripsisse, sed eum non esse lequutum de Christianis, sed de Essenis, quae erat secta Judaeorum omnino similis nostris religionibus. Hoc autem non probant alia ratione, nisi quia nondum Christiani talia exercitia habuerunt. Quod si eis objiciamus, hoc esse petere principium, respondebunt; ut solent, nos agere sophistas.

Probemus igitur breviter non dialectica ratiocinatione, sed testimoniis Patrum, Philonem de Christianis esse loquutum. In primis Eusebius lib. 2. histor. cap. 16. dicit Philonem Romae s. Petrum vidisse, atque ejus adhaesisse colloquiis, verbum Dei praedicantis et eorum vitam qui in monasteriis degunt, luculenter scripsisse. Item Epiphanius haeresi 29. quae est Nazaraeorum, de hoc tibro Philonis loquens: Monasteria ipsorum, inquit, in vicinia circa Mariam paludem recensens, non de aliis narravit, quam de Christianis.

Praeterea Hieronymus de vir. illustr.in Philone, posteaquam docuit Philonem de Christianis esse loquutum, subjungit: Ex quo apparet, inquit, talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur, et cupiunt. Praeterea Cassianus lib. 2. c. 5. de institutis coenobiorum asserit, a s. Marco aegyptios monachos accepisse primam vivendi normam. Id quod non potest Cassianus didicisse, nisi ex hoc libro Philonis. Idem asserunt disertis verbis; Beda prologo in Marcum, Sozomenus lib. 1.cap. 12.et Nicephorus lib. 2. cap. 15.

Dicet fortassis aliquis, similia narrat de Essenis Josephus lib. 2, de bello judaico cap.7. et lib.18. antiq. cap. 2. iis.quae narrat Philo. Constat autem Josephum de Judaeis loqui, cum affirmet tres esse Judaeorum sectas, Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum.

Respondeo: Duas esse de loco isto Josephi opiniones. Quidam enim asserunt non loqui de eisdem Josephum et Philonem. Nam Josephus lib. 18. antiq. cap. 2. asserit Essenorum sectam antiquam apud Judaeos fuisse: Philo autem indicat se loqui de disciplina suo tempore exorta. Praeterea multa tribuuntur Essenis a Josepho, quae sunt manifeste erronea et superstitiosa, quorum nihil tribuit Philo suis therapeutis. Unde s. Nilus initio asceticorum suorum, asserit Essenos (de quibus videlicet Josephus loquitur) habuisse quidem mores similes moribus monachorum, sed quia fide in Christum caruerunt, nihil eis profuisse sanctos mores.

Alii docent tam Philonem, quam Josephum de Christianis loqui, quibus favere videtur b. Hieronymus in epist. ad Eustochium de servanda virginitate. ubi de monachis loquens: Tales, inquit, Philo, Platonici sermonis imitator, tales Josephus, graecus Livius, in secunda judaicae captivitatis historia , Essenos refert. Quam sententiam tuetur Matthaeus Galenus lib. de orig. monastices cap.5. et ad ea, quae objiciuntor ab aliis, de erroribus, quos tribuit Josephus Essenis et de eorum antiquitate, respondet. Josephum non fuisse consequutum exacte mysteria nostrorum monachorum, et ideo frequenter lapsum esse et eos confudisse cum antiquis Judaeis. Fuerunt enim tria genera ejusdem fere nominis, nimirum Esseni Samaritani, de quibus Epiphanius haeresi 10. Item Esseni Judaei, de quibus Epiphanius haeresi 19. quos tamen ipse Ossenos vocat. Denique Esseni Christiani, ex Judaeis conversi, quos Epiphanius Esseos, vel Jesseos vocat haeresi 29. Credibile igitur est, Josephum confudisse nostros Jesseos cum suis Essenis, praesertim cum eo tempore Christiani pro Judaeis haberentur. Utraque solutio probabilis est.

Sexto probater ex apostolorum exemplo, qui vere primi fuerunt monachi christiani; nam quod vitam coenobiticam instituerint, ubi essent omnia communia, patet ex actis apostolorum cap. 4. Quod ea ratio vivendi non fuerit omnium Christianorum, sed eoram tantum, qui volebant perfectius vivere, pa-1et ex c. 5. Act. ubi cum Ananjas fraudasset de pretio agri et decipere voluisset apostolos, audivit a s. Petro: Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate? Quod eliam volo ad eam perfectionem se obligarint apostoli, docet Augustinus lib. 17. de Civ. Dei cap. 4. Hoc votum. inquit, potentissimi voverant etc. Quod denique ab apostolorum exemplo coeperint religiones, testantor plurimi Patres, ut Eusebius lib. 2. hist. cap. 16. Hieronymus de viris illustribus in Philone, Augustinus serm. 2. de vita communi clericorum, Possidius in vita Augustini, Isidorus lib.2. de offic. cap. 15. Denique Cassianus collat. 18. cap. 5. Itaque, inquit, coenobitarum disciplina a tempore praedicationis apostolicae sumpsit exordium.

At Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 6. col. 506. objiciunt Chrysostomum, qui hom. 25. in epist. ad Hebraeos: Neque vestigium, inquit, monachi tunc erat, sed omnia ad saeculares loquebatur b. Paulus.

Respondeo: Chrysostomum loqui solum de Ecclesia Corintbiorum. Exponit enim illa verba Pauli 1. Corinth. 5. Si quis frater nominatur in vobis etc. ac dicit Paulum nomine fratris non intelligere solos monachos, sed quoslibet fideles, quia tune ne vestigium quidem erat monachi apud Corinthios. At non propterea seguitur, non fuisse tunc monachos in Palaestina et in Aegypto. Quod autem Chrysostomus non neget apostolorum tempore fuisse monachos, patet ex plurimis ejus testimoniis. Nam hom. 17. ad populum de monastice loquens: **Tanti est.** inquit, philosophia a Christo introducta. Certe si Christus introduxit monasticen, jam erat tempore Pauli apostoli. Hom. 11. in acta dicit.monachos sic vivere, ut olim initio Ecclesiae vivebant fideles omnes, in Hierusalem. Item hom. 69. in Matth. dicit monachos etiam habitu imitari aposto-. los. Denique lib. 3: cont. vituper. vitae monasticae, non procul a fine, asserit ea ab apostolis impleta, quae nunc a monachis implentur.

Nunc quod attinet ad secundum, non occasione persequutionum et casu exortam esse vitam monasticam, facile demonstrabitur. Nam de coenobitis non est dubium, cum exstiterint ante omnes persequutiones. De eremitis idem probatur; nam etsi Paulus primus eremita occasione persequutionis solitudinem colere coeperit, tamen Antonius non tali occasione coepit, sed solo studio vitae purioris, ut ex Athanasio in ejus vita perspicuum est. Vita autem eremitica non a Paulo, sed ab Antonio introducta est; etsi enim Paulus primus omnium in eremo vixerit, tamen non habuit ipse discipulos, nec fuit notus, nisi paulo ante mortem. Antonius autem vere princeps eremitarum dici debet, quippe qui nec ab alio didicit et ipse docuit omnes. Quare recte Hieronymus in vita Pauli dicit, Antonium merito vocari auctorem vitae eremiticae, non tam quod ipse omnes praecesserit, quam quod ab ipso omnium incitata sint studia. Quocirca uterque dici potest primus eremita, Paulus quidem tempore, Antonius autem magisterio.

Quod etiam caussa instituendae vitae religiosae non fuerit obscuratio doctrinae de justificatione; vel prava Essenorum imitatio, ex iis, quae diximus, manifestum est: Nam auctores religionum fuerunt primum apostoli, ac deinde Antonius, Basilius, Augustinus doctissimi et sanctissimi homines, quos non possumus ignorantiae et pravae aemulationis accusare. Nam Basilium fuisse auctorem cujusdam ordinis monastici testatur Nazianzenus in ejus vita: Augustinus vero a se institutum monasticum ordinem fatetur lib. 3. contra literas Petiliani c. 40. Certe autem inter Graecos vix invenietur aliquis Basilio doctior, ut nec Augustino inter Latinos.

Quantum ad tertium, quod essentia monastices eadem sit nostrorum et antiquorum monachorum, plurimis testimoniis probari posset, quae postea afferentur in disputatione de votis. Nunc, quia Calvinus et Melanehthon per antiquos monachos intelligunt eos, qui erant tempore sanctorum Augustini et Basilii, ex his duobus probemus sententiam nostram.

Essentia vitae religiosae in tribus illis virtutibus, obedientia, paupertate, castitate, ab omnibus hujus temporis religiosis constituitur. Idem flebat ab antiquis: Nam Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiae cap. 31. vitam coenobitarum explicans; Primum ait, eos spretis mundi hujus illecebris in vitam castissimam et sanctissimam congregari. Secundo addit, a nullo quidquam possideri proprium. Tertio adjungit, Patres nulla superbia consulere iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate.

Basilius autem in praefatione constitutionum monasticarum, de monacho futuro sic loquitur: Nuplias, inquit, veluti compedes fugit, his autem relictis, vitam suam Deo consecrat et castitatem profitetur, ut neque facultas ipsi sit conversionis ad nuptias. Item. c. 22. constitutionum, de obedientia fusissime disputat, ac tandem concludit, ila oportere monachos obedire praeposito, ut oves pa-

stori, atque ut instrumentum fabro: Non curiose, inquit, investigando praecepta, ubi peccato fuerint pura, sed cum omni alacritate ac studio explendo ea quae sunt demandata. Denique cap. alt. disserit de paupertate, ac docet, monachum ab omni prorsus privata rerum materialium possessione liberum esse debete.

Porro fuisse olim etiam cucullas et reliquum habitum monasticum, necnon psalmodiam, jejunia, ciborum delectum, aliaque id genus instituta, cognosci potest, tum ex Epiphanio in compendiaria doctrina, tum ex Joanne Cassiano in libris de institutis coenobiorum.

#### CAPUT VI.

#### Mendacia deteguntur et calumniae refutantur.

Quantum ad quintam partem quaestionis, referemus breviter mendacia quaedam manifesta, vel absurdissimas sententias trium praecipuorum hujus temporis haeresiarcharum, Lutheri, Melanchthonis, Calvini, quas in disputationibus suis contra monasticen protulerunt; horum enim mendaciorum refutatio plus valet ad eos confundendos, quam multa subtilissima argumenta.

Lutherus igitur in epithalamio. Primo asserit, mulieres nonnisi ad matrimonium creatas fuisse. At si ita est, non igitur in coelo ullae erunt mulieres, ubi non nubent neque nubentur, et incidemus in haeresim Origenistarum, qui in futuro saeculo negant futuram sexuum distinctionem, quam Hieronymus refellit in epistola contra errores Joannis hierosolymitani. Frustra etiam fuerunt in hoc mundo tot millia sanctissimarum virginum, si mulier non est ad aliud creata, quam ad nuptias.

Secundo dicit, idem esse consultare, sit ne ducenda uxor, et sit ne comedendum et bibendum. At de priore omnes sapientes consultant, etiam ethnici, ut patet ex Gellio lib. 1. cap. 5. de posteriore,

soli stulti, vel ne stulti quidem.

Terlio dicit, Moysem praecepisse omnibus Judaeis malrimonium, ita ut nullo modo licuerit in veteri
Testamento carere uxore. Quomodo igitur Helias,
Helisaeus, Hieremias, Joannes Baptista uxoribus
caruerunt? Caruisse enim probat Hieronymus lib.
1. contra Jovinianum. Sed Lutherus hoc praeceptum non in divinis literis reperit, sed ex Rabinorum deliriis sumpsit. Nam Rabbi Salomon in cap.
9. Gen. vult esse reum homicidii, qui liberis non
dat operam et Rabbi David Kimhi in cap. 56. Isaiae
ait, sententiam esse antiquorum Judaeorum, eum
qui non relinquit filium, esse tanquam excommunicatum a Deo.

Quarto dicit, et saepissime repetit, et inculcat Paulum, cum ait, se potuisse circumducere sororem mulierem 1. Corinth. 9. voluisse dicere, se potuisse ducere uxorem, quasi περιάγειν et γαμείν, idem significent, quae est imperitia, vel malitia intolerabilis.

Quinto dicit, virginitatem quidem praestare conjugio, tamen mulierem conjugatam meliorem esse coram Deo, quam sit virgo; quae quam bene cohaereant, ipse viderit. Certe aliter loquitur b. Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 31. Cum ergo, inquit, perpetuae continentiae professores se conjugatis comparantes, secundum Scripturas compererint eos infra esse et opere et mercede et voto et praemio, statim veniat in mentem quod scriptum est: Quanto major es, tanto humilia te in omnibus.

Idem Lutherus lib. de votis monasticis. Primo dicit. Ecclesiam primitivam et novum Testamentum in totum ignorasse vovendae cujusque rei usum. At b. Mariam vovisse continentiam docet Augustinus de sancta virginitate cap. 4. Quomodo, inquit. att Maria, fiet istud; quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Vovisse etiam apostolos, aliosque multos in primitiva Ecclesia, paupertatem et continentiam, infra ostendemus in quaestione de votis. Immo Lutherus ipse in hoc ipso libro paulo inferius dicit. In baptismo omnes Christianos vere vovere omnia praecepta. At hoe votum primitiva Ecclesia non ignoravit, nisi etiam baptismum ignoraverit.

Secundo dicit, formam vovendi hanc esse debere, si pie vovendum sit: Voveo castitatem, paupertatem et obedientiam usque ad mortem libere, idest, ut mutare possim quando volo. At si usque ad mortem continentiam polliceris, quomodo libere? si libere, quomodo usque ad mortem?

Tertio dicit, Christum numquam consuluisse, virgnitatem, sed ab ea potius deterruisse, et apostolum, cum ait: De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, voluisse dicere, non consulo, sed absterreo. Quid ista glossa praeclarius? Adde quod idem Lutherus in assertione articuli 30.ait nullum esse consilium evangelicum,

nisi unum virginitatis.

Quarto dicit, unam vitam non esse meliorem alia coram-Deo, sed omnia paria, cum Joviniano; et quia noverat a b. Hieronymo Jovinianum confutatum, dicit Hieronymum ut placeret amicis ea dixisse et Scripturae loca inconsiderate undique corrasisse, et ea ad suum propositum detorsisse: Ne dicam, inquit. depravasse. Et Jovinianum ab eo non solida eruditione, sed sola auctoritate sua superatum, et tandem concludit: Quis scit si Hieronymus hac parte fuerit unus illorum de quibus in Ezechiele dicit Dominus: Propheta cum erraverit et mendacium loquutus fuerit, ego Dominus decepi prophetam illum? At Augustinus epistol. 29.ad Hieronymum, libros Hieronymi contra Jovinianum vocat suavissimam, praeclarissimamque disputationem, et epist. 28. Joviniani librum vaniloquia nominat.

Quinto dicit, optimam formam religionum suluram, si ad professionem nemo admittatur ante annum 70. vel 80. At hoc absurdissimum est et indignum quod resellatur. Certe Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitati, de coenobitis loquens: Senibus, inquit, et parvulis saepe sit prandium, ut aliorum sessa sustentetur

cetas, alierum non frangatur incipiens. Ex quibus verbis duo colligimus; unum, fuisse tempore s. Hieronymi in monasteriis homines omnium aetatum, senes, pueros et mediae aetatis viros; alterum, minus aptos esse ad labores monasteriorum homines nimium senes, aut nimium juvenes, quandoquidem oporteat his prandia praebere, jej unantibus caeteris.

Philippus Melanchthon in Confessione Augustana art. 27. et in apologia ejusdem articuli. Primo dicit, tempore s. Augustini monasteria fuisse libera collegia, non astricta ullis votis. At Augustinus in psal. 75. ait: Nemo positus in monasterio frater dicat, recedo de monasterio, neque enim soli qui sunt in monasterio, perventuri sunt ad regnum coelorum, et illi.qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei, sed illi non voverunt tu vovisti. Et in psal. 99. de apostatis ait: Dum non perseveraverit implere quod vovit, sit desertor tam sancti propositi et reus voti non reddici.

Secundo dicit, monasteria olim fulsse scholas sacrarum literarum et aliarum disciplinarum. At Basilius in constitutionibus monasticis, Cassianus de institutis coenobiorum, Hieronymus in epist. ad Rusticum et in alia ad Paulinum de institutione monachi, Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiae cap. 31. aliique veteres dum describunt instituta monasteriorum, meminerunt orationis, jejuniorum, psalmodiae, continentiae, obedientiae, paupertatis. De scholis literarum et dialecticae aliarumque disciplinarum ne verbum quidem.

Tertio dicit: S. Bernardum et Franciscum ob solam corporis utilitatem religionem suscepisse; corporis vero utilitatem vocat carere impedimentis conjugii, curis liberorum educandorum et similibus, quae quidem non immerito ad corporis quandam utilitatem pertinere dicuntur. Sed quod s. Franciscus nudis pedibus ambularet, una sola tunica, eaque cilicina et asperrima uteretur, humi cubaret, totas nocles vigilaret, fere semper jejunaret, pane solo et aqua ut plurimum sustentaretur quis nisi insanus ad corporis utilitatem referret? Porro s. Bernardus non solum durissime vixit, sed etiam ser. 30. in Cantic. et alibi passim aperte docet, non esse monachi. sed medici, corporis utilitatem et bonam habitudinem curare, monachi vero esse spiritus utilitatem quaerere et carnem crucifigere et corpus castigare, ut spiritus vivat et valeat.

Quarto dicit: Monachatum esse nuper inventum; quod quantum sit mendacium, jam a nobis demonstratum est, cum ab apostolorum tempore cum deduxerimus. Praeterea libenter discerem, quid vocet Philippus, Nuper: nam etiamsi negat apostolorum tempore fuisse monachos et rursum asserit monachos nostros non esse similes iis, qui fuerunt Augustini tempore, tamen non negat, nec potest negare quin saltem monachatus qui nunc est, coeperit a tempore s. Benedicti; id'enim Lutherani omnes admittunt cum videant adhuc exstare et servari regulas ab ipso conditas et habitari monasteria, quae ipse fundavit. At s. Benedictus ante annos mille floruit. Nisi ergo apud Philippum mille anni sint, ut dies unus, juxta Scripturas, viderit

ipse quam sit verum, nuper coepisse monachatum.

Quinto dicit, nos asserere vitam monasticam mereri justificationem et remissionem peccatorum et applicatam aliis eos salvare, et longe meliorem esse ipso baptismo. At haec mera calumnia est, nulli enim catholici ita docuerunt, unquam. Dicimus quidem opera religionis, idest, caste vivere, nihil proprii retinere, obedire majoribus, bona esse opera et meritoria vitae aeternae, si a justis fiant et conducere ad satisfactionem pro peccatis, sicut caetera omnia bona opera; at mereri justificationem nullius dicit.

Dicimus etiam, posse religiosos facere alios homines participes suorum bonorum operum,ut possunt omnes alii fideles: est enim communicatio inter membra ejusdem corporis: At posse monachum salvare alios suis operibus, idest, mereri illis gratiam, vel gloriam, nemo catholicus dixit unquam.

Denique dicimus, inter baptismum et professionem religionis esse quandam similitudinem; quod sicut in baptismo renunciamus diabolo; et incipimus novam vitam, ita per professionem religionis renunciamus saeculo et multis licitis voluptatibus, et incipimus novam vitam; et sicut in baptismo remittuntur perfecte omnia peccata, quoad culpam et poenam, ita in professione religiosa, quando debita intentione suscipitur, pie creditur remitti omnis poena temporalis, pro qua alioqui satisfaciendum esset, eliam culpa remissa; non tamen propterea anteponimus, vel aequamus baptismo professionem monasticam; baptismus enim non solum poenam, sed etiam culpam tollit, idque certo scimus; professio autem monastica non tollit culpam, sed solam poenam, et hoc ipsum non certo asserimus, sed pie credimus, neque est hoc nostrum inventum. Nam in primis testatur Athanasius in vita Antonii, b. Antonium in visione audivisse sanctos angelos dicentes, omnia peccata sibi remissa fuisse, quando monasticam vitam suscepit.

B. Hieronymus in epist. 25. de obitu Blesillae: Cum, inquit, propitio Christo ante quatuor ferme menses secundo quodam modo se propositi baptismo laverit. et ila deinceps vixerit, ut calcato mundo semper monasterium cogitaverit.

B. Bernardus lib. de praecepto et dispensatione non procul a fine: Audire, inquit, et hoc vultis a me unde inter caetera poenitentiae instituta monasterialis disciplina meruerit hanc praerogativam, ut secundum baptisma nuncupetur, arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularem excellentiam vitae spiritualis, qua praeminens universis vitae humanac generibus, hujuscemodi conversatio professores et amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit; immo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, et quasi denique secundo baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra, quae sunt super terram, Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis ejus etc. Et serm. 30. in Cantica, laborem monasticum martyrii genus esse di-

cit; nemo autem ignorat martyrium genus esse baplismi. Denique etiam b. Thomas 2. 2. quaest. ult. artic. 3. docet recte credi per monasticam professionem satisfieri pro omnibus peccatis, et esse

hanc professionem alterum baptisma.

Idem Melanchthon in locis communibus capite de discrimine consiliorum et praeceptorum dicit. Primo, deplorandam esse nostram caecitatem, quod mendicitatem, aut simile opus non mandatum, ornemus majoribus titulis, quam legem divinam, cum nullum opus possit cogitari majus, quam quod in primo praecepto flagitatur: Diliges Dominum Deum tuum etc.

Ad hanc calumniam breviter respondemus, neminem esse catholicorum, quis impliciter praeponat consilia praeceptis, Immo b. Thomas in 2. 2, q. 184. artic. 3. contrarium docet; vult enim perfectionem christianam essentialiter consistere in observatione praeceptorum, instrumentaliter in observatione consiliorum.

Possumus tamen anteponere consilia praeceptis tribus modis. Primo, comparando singula consilia non cuicumque praecepto, sed praeceptis illis, quae versantur circa eandem materiam; v. gr. circa materiam externorum operum versatur praeceptum: Non furaberis; circa eandem versatur consilium: Vende omnia, et da pauperibus; certum est, consilium hoc esse perfectius praecepto, non furaberis. Similiter consilium virginitatis perfectius est praecepto: Non moechaberis, et sic de aliis.

Secundo, comparando non consilia cum praeceptis, sed statum hominum servantium praecepta et consilia, cum statu eorum, qui sola observant praecepta. Neque enim dubitari potest, quin sit res longe melior et perfectior status prior posteriore, quandoquidem ille istum includit, non contra. Unde Dominus ei, qui dicebat servasse se omnia praecepta, dixit: Si vis perfectus esse, ven-

de omnia quae habes etc.

Terlio, comparando consilia cum quolibet praecepto, etiam cum illo: Diliges Dominum Deum tuum; sed considerando in consiliis non opera externa consiliorum, sed charitatem, quam praesupponunt, et ad quam ducunt, illo enim praeceplo, Diliges Dominum Deum tuum, non praecipitur charitas infinita, sed certus quidam gradus, nimirum lanta charitas, ut per eam nihil Deo aeques vel anteponas. At major gradus charitatis requiritur, ut propter Deum renuncies omnibus opibus et voluptatibus alioqui licitis; dicit enim Augustinus ser. 18. de verbis apostoli de virginibus loquens: Major amor majus imposuit onus.

Secundo dicit Melanchthon, falso nos putare legem Dei tantum de externa disciplina concionari, ut illa lege: Non occides, prohiberi injustam caedem, non autem privatam cupiditatem vindictae, malevolentiam, injusta odia etc. et hoc deducit ex eo, quod non putamus esse peccata primos motus concupiscentiae, quibus non consentimus. In qua re ter ipse peccat. Primo, quod mentitur nos non agnoscere pro peccalis nisi externa opera, quod est tam ingens mendacium, ut fere sit incredibile. Secundo, quod hoc deducit ex eo, quod docemus involuntarios motus animi non esse peccata, quasi

nulli sint actus interni nisi involuntarii. Tertio. quod hoc ipse asserit, nimirum involuntarios motus esse peccata, immo etiam naturalem propensionem, et naturales potentias, quibus caro concupiscit contra spiritum, vult esse peccata, quod est contra omnem rationem. Nomine enim peccati omnes intelligunt actum malum et voluntarium, unde b. Augustinus in extremo lib. de perfectione justitiae, dicit, eum, qui nullo modo consentit illicitis molibus concupiscentiae, etiamsi eos sentiat, non debere dicere Deo: Dimitte nobis debita nostra, sed solum quod sequitur: Ne nos inducas in tentationem.

Jam Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. § 3. dicit nos pollutionem vocare conjugium, quod Deus instituit. Mendacium est. Nos enim quod Deus instituit. vocamus sacramentum, et magnum sacramentum cum Paulo, non pollutionem. At concupiscentiam, et membrorum inobedientiam, quam Deus non instituit, et sine qua tamen non consummatur conjugium, vocamus pollutionem et morbum, qui non peccatum sit, sed ex peccato natus sit. Vide Augustinum de nuptiis et concupiscentia.

Secundo, dicit ibidem § 8. olim pios homines, qui monachi fiebant, nihil aliud intendisse, quam ut se monastica disciplina ad Ecclesiae gubernationem praepararent: quod est mendacium contumeliosum in omnes sanctos, qui ex monasteriis ad episcopatum vocati sunt, qui, si Calvino credimus, ambitiosissimi fuerunt, cum e contrario constet eos omnes invitos ex monachis episcopos factos. Certe b. Augustinus ser. 1. de communi vita clericorum affirmat se monachum non episcopum esse voluisse, et ideo numquam ivisse ad loca, quae episcopo carebant, ne forte ibi episcopus esse cogeretur. Chrysostomus et Basilius quam vehementer fugerint episcopatum, ut perpetuo in monasterio viverent, ex lib. Chrysostomi de sacerdotio facile potest intelligi. Hieronymus in epistol. ad Pammachium contra Joannem Hierosolymae episcopum, asserit se invitum a Paulino episcopo presbyterum esse creatum, cum non presbyter, sed monachus tantum esse decrevisset, Gregorius in epistola ad Leandrum, quae habetur initio moralium, miserabiliter deplorat casum suum, quod cum elegisset perpetuo vivere in monasterio, tamen compulsus fuisset pontificatum suscipere.

Et quoniam Calvinus pro se adducit epist. 81. Augustini ad monachos insulae Caprariae, cum tamen locus, quem adducit, magis nobis, quam illi faveat, ipsum locum proferamus: Vos autem fratres, inquit, exhortamur in Domino, ut proposilum vestrum custodialis, et usque in finem perseverelis, ac, si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed mili corde obtemperetis Deo, nec vestrum olium necessitatibus Ecclesiae praeponalis, cui parturienti. si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inveniretis. Ex hoc loco probat Calvinus, consuevisse olim, ex monasteriis episcopos et clericos aliquando peti, ex quo vult esse consequens, eos, qui monachi flebant, ideo fleri solitos, ut se ad episcopatum, et similia ecclesiastica munera praepararent: Sed hoc non esse consequens, nemo non videt, et verba illa Augustini contrarium indicant. Nam in primis si monachi illi insulae Caprariae se praeparabant ad ecclesiastica munera, quid opus fuit eos hortari, ne recusarent ea munera, si quando ad ea vocarentur? Deinde, cur Augustinus eos hortatur, ut propositum suum custodiant, et usque in finem perseverent, si non erant ibi perpetuo mansuri, sed solum ad tempus, donec videlicet se praeparassent ecclesiastico ministerio?

Tertio, dicit ibidem § 10. Augustinum cum legitimum monachatum nobis deformat, omnem rigidam exactionem voluisse abesse earum rerum, quae nobis verbo Domini liberae relinquuntur. Hoc mendacium esse, patet ex locis supra allegatis ex Augustino in ps. 75. et 99. et aliis infra citandis.

Quarto, dicit ibidem, Augustinum requirere in monachis, ut omnia sua instituta referant ad eam pielatem, quam Dous omnibus commendavit, idest, ad charitatem Dei et proximi; nostros autem monachos nescio quam novam pietatem sibi finxisse. cujus meditatione sint omnibus perfectiores. Hoc quoque mendacium est, et solum vere dicit Calvinus, nescio quam novam pietatem etc. Vere enim nescit, quam novam pietatem monachi finxerint; nihil enim finxerunt novi, cum omnibus suis votis nihil aliud cupiant, quam perfici in charitate.Quod vero monastica vita sit perfectior vita saecularium, quod tantopere exhorret Calvinus, Augustinus apertissime docet in epist. 89. q. 4. ad Hilarium. ubi sic ail: Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinuit; ibi'enim diwit: Si vis ad vilam ingredi, serva mundala; hic aulem: Si vis perfectus esse, vende omnia quae habes etc.

Quinto, dicit ibidem § 11. vitam monasticam nusquam esse vel una syllaba a Domino approbatam. Hoc mendacium refellit Augustinus loco jam citato, et Chrysostomus hom. 17. ad populum: Tanti est, inquit, philosophia a Christo introducta.

Sexto, dicit § 12 nulli unquam veterum venisse in mentem, dicere Christum aliquid consuluisse, sed omnes una voce clamare, nullam penitus voculam a Christo emissam, cui non sit necessario obtemperandum. Hoc impudentissimum est mendacium; ipse enim nullum adduxit testem ad suam sententiam confirmandam. Nos autem in sequenti quaestione adducemus omnes veteres, qui revera una voce clamant, multa esse consilia evangelica. Nunc sufficiat locus Augustini citatus.

Seplimo, dicit ibidem, monachos, ut videantur aliis perfectiores, promittere se consilia evangelica servaturos, de non jurando, de inimicis diligendis, de non appetenda vindicta. At neque ista ulli monachi voveni, et nos ea non consilia, sed praecepta esse dicimus.

Octavo, dioit § 14. Patres toto pectore abhorruisse ab illa blasphemia et sacrilego dogmate, quo professio monastica secundum baptisma nominatur. At nos ostendimus, Athanasium, Hieronymum, Bernardum, Thomam, non abhorruisse ab illa sententia. Ipse vero pro se nullum adduxit.

Nono, dicit ibidem, tempore Augustini veros monachos totos se ad charitatem proximi accommodavisse, nostros autem a tota Ecclesia discessionem fecisse. Id vero probat dupliciter. Primo, quia veteres monachi ad eandem Ecclesiam cum caeteris Christianis conveniebant, et cum iisdem sacramenta participabant; nostris autem proprias habent Ecclesias, propria altaria etc. Secundo, quia 1. Corinth. 1. apostolus vocat schismaticos eos. qui dicebant: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae; At monachi dicunt; Ego sum Augustini, ego Benedicti, ego Francisci.

Hic est mendacium duplex: Nam in primis falsum est, veteres monachos non habuisse proprias Ecclesias, altaria, sacramenta: Nam olim tam eremitae, quam coenobitae fere omnes extra urbes procul a reliquis hominibus habitabant, et quia non poterant ad Ecclesias episcoporum vel parochorum convenire, habebant singula monasteria suum abbatem, presbyterum, a quo sacramenta percipiebant. Id manifeste indicat Augustinus tum lib. 1. de moribus Ecclesiae cap. 31. et 33. tum in epist. 81. ad Eudoxium presbylerum et abbatem in insula Capraria; item Epiphanius in epist. ad Joannem hierosolymilanum, ubi dicit, se ordinasse Paulinianum presbyterum monasterii bethleemitici, quia s. Hieronymus ejus monasterii praepositus, prae nimia humilitate non audebat sacramenta fratribus ministrare. Idem apparet ex collationibus Cassiani fere omnibus, ac praecipue 18. cap. 13.

Deinde, falsum est monachos nostros discessionem secisse ab Ecclesia, cum videamus, eos eumdem pontiscem agnoscere, quem reliqua Ecclesia; ab iisdem episcopis ordinari, a quibus caeteri clerici; denique eldem populo communicare, cui caeteri christiani. Si autem, quia habent Ecclesias, et altaria, schismatici essent, essent etiam schismatici omnes parochi; nulla enim est paroecia, quae non habeat Ecclesiam et altaria distincta ab Ecclesia, et altaribus aliarum paroeciarum.

Ultimo falsum est, eodem sensu, monachos dicere: Ego sum Augustini, ego sum Benedicti, quo Corinthii dicebant: Ego sum Pauli, ego Apollo; Isti enim in duobus errabant, dicendo: Ego sum Pauli, ego Apollo. Primo, quia putabant, vim sacramenti baptismi pendere a probitate baptizantis, et ideo gloriabantur, se filios esse spirituales excellentium virorum, ut exponit Augustinus tract. 5. in Joann, et alibi. Et patet primo ex verbis sequentibus: Num Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Secundo ex eo, quod toto illo capite, et tribus sequentibus, ad hunc errorem tollendum, Paulus docet, apostolos solum esse ministros Christi, Christum autem esse, qui vere, et ex potestate omnia facit, et ideo Deum elegisse indoctos et viles, per quos mundum converteret, na salus ab hominibus pendere vide-retur. Tertio ex eo, quod hinc intelligimus, quomodo vere schismala sacerent, qui dicebant: Ego sum Pauli, ego Apollo; nam tot baptismata faciebant, quot erant baptizatores, et proinde tot sides et Ecclesias.

Secundo errabant, quod temere judicabant de praedicatoribus suis, et alios aliis praeferebant, ut patet ex illis verbis cap. 4. Nolite ante tempus judicare etc. Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer etc. At monachi cum dicunt: Ego sum Augustini, ego Benedicti, solum hoc dicunt ad distinctionem ordinum indicandam. Quod si aliqui ex simplicioribus religiosis interdum contendunt pro gloria suorum ducum, et b. Franciscum propter stigmata b. Dominico anteponunt, vel e contrario, male faciunt, et incidunt in posteriorem reprehensionem apostoli, 'sed nec isti propterea schismatici sunt, nec oportet propter paucos idiotas, universos ordines religiosorum infamare.

Decimo dicit, § 19. olim nefas fuisse, mulierem admittere ad votum continentiae ante annum 60. Sed aliud indicat summa illa sollicitudo veterum, Cypriani, Chrysostomi. Ambrosii, Hieronymi, in sacris virginibus custodiendis; si enim sanctimoniales omnes excederent annum 60. non magna custodia indigeret earum pudicitia.

#### CAPUT VII.

Quid sit consilium perfectionis.

Sequitur nunc quaestio de consiliis perfectionis, quam secundo loco tractandam proposuimus. Ac primum explicandum erit, quid sit consilium perfectionis, et in quo differat a praecepto. Secundo, quid sentiant haeretici, et quid catholici. Tertio, probanda verifas. Quarto, solvenda argumenta.

Quantum ad primum: Consilium perfectionis vocamus opus bonum, a Christo nobis non imperatum, sed demonstratum; non mendatum, sed commendatum. Differt autem a praecepto ex parte materiae, ex parte subjecti, ex parte formae, ex parte finis. Ex parte materiae dupliciter. Primo, quia materia praecepti est facilior, consilii difficilior; illa enim sumpta est ex principiis naturae, haeć superat quodammodo naturam: Nam ad servandam conjugi fidem natura inclinat, at non ita ad abstinendum a conjugio. Ambrosius lib. 1. de virgin. Quis, inquit, humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis inclusit legibus? Aut quis naturali voce complecti. quod supra usum naturae sit? E coelo accersivit, quod imitaretur in terris. Et Hieronymus, sive quicumque fuit auctor, sermone de assumptione: Profecto, inquit, in carne praeter carnem vivere non terrena vita est, sed coelestis.

Secundo: Quia materia praecepti bona est, consilii melior et perfectior, loquendo de praeceptis, quae circa eandem materiam versantur, circa quam versantur consilia; consilium enim includit praeceptum, et aliquid supra praeceptum addit. Augustinus ser. 18. de verbis apostoli; Illae autem, inquit, amantes. quibus terrenae nuptiae. viluerunt, quae terrenos amplexus non desideraverunt, usque adeo acceptarunt praeceptum, ut non recusarent consilium; ut plus placerent, plus se ornaverunt.

Ex parte subjecti differunt consilia et praecepta, quod praeceptum commune sit omnibus, consilium non item. Augustinus ser. 61. de tempore: De virginitate dicitur: Qui potest capere, capiat; de justitia non dicitur: Qui potest facere, faciat, sed: Omnis arbor, quae non facit fructum bonum exscindetur, et in ignem mittetur.

Ex parte formae, quod praeceptum vi sua obliget, consilium in arbitrio hominis positum sit. Hieronymus in epist. ad Eustochium de servanda virginitate: Ubi consilium. ibi offerentis arbitrium, ubi praeceptum datur, ibi necessitas est servientis. Et Augustinus de sancta virginitate cap. 30. Neque enim, inquit. sicut non moechaberis, non occides, ita dici potest, non nubes; illa exiguntur, ista offeruntur: si fiunt ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur.

Ex parte finis, sive effectus, quod praeceptum observatum habet praemium, non observatum habet poenam: Consilium autem si non servetur, nullam habet poenam, et si servetur, majus habet praemium. Augustinus de sancta virginitate, cap. 14. Praecepto quisquis non obtemperat reus est debitor poenae. Et infra: Sed quoniam devitatis remissisve peccatis, adeunda est vita aeterna, in qua est quaedam egregia 'gloria, non omnibus in aeternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda; cui consequendae, parum est, liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voveatur, quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis: Consilium, inquit apostolus do etc.

#### CAPUT VIII.

#### Ponuntur variae sententiae de consiliis.

Quantum ad secundum, quatuor sunt de hac re sententiae, tres falsae, una vera. Quidam enim volunt ea. quae nos vocamus consilia, ut voluntariam paupertatem et continentiam, non esse consilia, sed praecepta. Alii, non esse consilia nec praecepta, sed res indifferentes. Alii, non esse consilia nec praecepta, sed mala et prohibita. Alii denique, esse consilia.

Prima opinio est vetustissima eorum, qui se apostolicos dicebant, qui teste Epiphanio haeresi 61. et Augustino haeresi 40. affirmabant, non posse salvari eos, qui non viverent in coelibatu et paupertate, more apostolorum. Idem, ex parte, docuerunt Encratitae, auctore Tatiano s. Justini discipulo, qui docebant omnes Christianos debere a nupliis abstinere et coelibes vivere, ut Irenaeus testatur lib. 1. c. 30. Item Pelagiani, qui teste Augustino, epist. 89. et 106. negabant spem salutis iis, qui non renunciarent actu omnibus quae possidebant. Quod idem aut sensit, aut sentire se simulavit Julianus apostata; nam, teste, Nazianzeno orat. 1. in Julianum, lege lata decrevit, ne Christiani ulla se ratione defenderent, etiamsi spoliarentur, vel occiderentur injuste et rationem legis red-

τ.

dens, dicebat: velle se Christianos cogere, ut evangelium observarent, quo praeceptum esset, ut Christiani nibil possiderent et percutienti unam maxillam, alteram praeberent.

Secunda opinio fuit Joviniani, Vigilantii, Lampetianorum. Jovinianus enim docuit, nullum esse consilium, neque praeceptum continentiae, cum ejusdem meriti sint virgines et conjugatae, ut Hierodymus lib. A. in Jovinianum et Augustinus haeresi 82, testes, support Vigilantius idem asseruit de pappetute; value ut Hieronymus refert in libro contra Vigilandium, asserebat ille melius esse opes suas possidere; et ex iis eleemosynas facére, quam omnia simul dimittere, Lampetiani idem senserunt de obedientia; nam, ut scribit Damascenus haeresi 98. volebant Lampetiani, monachos in coenobiis liberos esse debere, nec pendere ex praepositi alicujus arbitrio....

Tertia opinio est Joannis Wicless et Lutheranorum, qui primi coeperunt religiones ut malas, vituperare. Joannes Wiclef articul. 21. in concilio constantiensi, sess. 8. dieit, eos qui ingrediuntur religiones eo ipso reddi ineptos ad servanda mandata Dei, ex quo sequitur, continentiam, obedientiam et paupertalem religiosam non consuli a Deo, sed prohiberi. Lutherus in epithalamio et libro de votis monasticis. Philippus in locis communibus, cap. de discrimine praecepti et consilii et in apologia Confessionis Augustanae, art. 27. Petrus Martyr in libro de coelibatu et votis monasticis. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 13. Brentius in Confessione Wirtembergica, capite de votis monasticis, et alii haeretici in genere docent, nullam esse consilium evangelicum. Quamvis enim Lutherus in assertione art. 30. admiserit unum consilium, idest. virginitatem, tamen revocavit postea sententia in epilhalamio.

In particulari tria dicunt. Primo, vitam pauperem et coelibem ducere sub obedientia praelati, esse meram impietatem et superstitionem si id flat ad colendum Deum, idest, si quis putet haec placere Deo: et esse per se meritoria. Secundo dicunt. voluntariam paupertatem et obedientiam exhibitam ei, cui alioqui non debetur, si non assumatur ad colendam Deum, non esse quidem impiam, 'tamen esse stultam et inanem et proinde malam. Satis enim esse, ferre pauperiem, quam necessitas adfert et obedire parentibus et magistratibus. Tertio dicunt, continentiam, si non assumatur cum opinione cultus, sed ut instrumentum ad expeditius obeunda monera evangelii, esse bonam et laudabilem et sic laudari ab apostolo, 1. Corinth. 7. tamen non esse possibilem, nisi illis, qui sciunt, se habere peculiare Dei donum, quod tam rarum esse velunt, ut Lutherus in epithalamio dicat, neminem posse continere, nisi divino miraculo. Et ubi est unus continens, ibi esse plus quam centum millia, quibus matrimonium necessarium sit.

Quarta sententia est catholicorum omnium, multa esse vere et proprie consilia évangelica, sed praecipue tria; Continentiam, obedientiam et paupertatem, quae nec sint praecepta, nec indifferentia, sed Deo grata et ab illo commendata.

BELLARMINI. Vol. II.

#### CAPUT IX.

Asseruntur consilia evangelica testimoniis Scripturae.

Quae sententia ut ad tertium veniamus, probatur primo, Scripturis. Secundo, exemplis primitivae Ecclesiae. Tertio, testimoniis veterum. Quarto, rationibus.

Primum testimonium est Isaise 56. Non dicat euntichus. Ego lignum aridum, quia haec dicit Dominus eunuchis: qui custodierint sabbatha mea et elegerint quae ego volui, et servaverint foedus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus nomen aeternum dabo eis, quod non peribit.

Quod hic agatur de continentibus voluntariis, non de abscissis, vel sic natis, qui necessario continent, docent Hieronymus et Cyrillus in huno locum, Augustinus libro de sancta virginitate, cap. 24. et Basilius in libro de vera virginitate, Ambrosius in exhortatione 'ad virgines,' et Gregorius 3. parte pastoralis, cap. 29. et patet ex praemio, quod eunychis promittitur. Nec enim ulla tatio est, cur abscissis vel natis eunuchis promittatur major gloria, quam sit filiorum et filiarum Dei. Addit autem subtiliter Augustinus. Si quis contendat, Isaiem loqui de veris eunuchis, adboc juvari caussam nostram; nam si eunuchis, qui continent se, quia non possunt aliud facere, promittitur major gloria, quam justis conjugatis: certe majore ratione promittitur iis, qui se continebunt, etiamsi possent non conlinere.

Quod autem continentia eunuchorum hoc loco non imperetur, sed consulatur, docent idem auctores et probat Hieronymus ex illis verbis: Qui elegerint quae ego volui. Illi enim dicuntur eligere, qui non coguntur praecepio. Itaque sensus est; Qui elegerint quae ego volui, idest, qui transcendentes ea, quae praecepi accomodans me humanae imbecillitati, sponte sua elegerint perfectiora, quae ego cupio et vellem. Praeterea idem patet ex eo, quod qui elunuchi non sunt, etsi postponuntur eunuchis, tamen non excluduntur a regno coelorum, immo filii et filiae vocantur; Ergo non tenentur omnes esse eunuchi, ergo non est praeceptum.

Quod autem continentia non solum sit utilis in hac vita, ut adversarii dicunt, sed sit vere meritoria gloriae singularis, quod tanquam blasphemiam horrent, patet ex illis verbis: Nomen aeternum dabo eis, quod non peribit, quod sic exponit Augustinus de sancta virginitate cap.25. Quid, inquit, tergiversaris impia caecitas? Quid temporalem tantummodo utilitatem promittis continentibus sanctis? Nomen aeternum dabo eis. Et si forte hic ipsum aeternum pro diulurno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, nec unquam deerit, quid quaeris amplius? Quid dicis amplius? aeternum hoc nomen, quidquid illud est, Spadonibus Dei, quod utique glartam quandam propriam excellentemque significat, non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno et in eadem domo constitutis: Nam ideo fortasse et nomen dictum est, quod eos, quibus datur, distinguat a caeteris.

Sed occurrit Petrus Martyr in lib. de eoelibatu et votis monasticis, ac probat, Isaiam loqui de veris eunuchis, qui erant apud Judaeos: Nam quia eo tempore magna felicitas erat, habere multam prolem, dicit, Deum voluisse consolari eunuchos, atque illis ideirco pollicitum se habiturum eos meliore in loco, quam filios et filias, idest, quam Işräelitas reliquos, qui non custodiunt legem divinam, si tamen ipsi eamdem legem diligenter ob-

servaverint.

At have expositio facile refelli potest. Primo, quia contraria est antiquis, sanctissimis ac doctissimis Patribus, Basilio, Cyrillo, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Gregorio, quibus in re dubia multo totius credi potest, quam uni apostatae, qui mavult Rabinos Judaeorum, quam sanctos Patres

Ecclesiae sequi.

Secundo: Quia absurde Petrus Martyr per filios Dei. quibus anteponuntur eunuchi, intelligit Isräelitas malos: Nam vel dicuntur filii Dei Isräelitae mali quatenus Isräelitae, vel quatenus mali, non quatenus Isräelitae, quia etiam eunuchi erant Isräelitae et proinde filii; quocirca inepta esset collatio: non etiam dicuntur filii, quatenus mali, quia homo, qua malus est, non ex Deo, sed ex diabolo est: Quare per filios conjugati fideles et honi intelliguntur, qui etiam locum honum habent in domo Dei, sed eis anteponuntur virgines et continentes, qui locum meliorem habent, idest, locum sponsae.

Tertio: Quia hoc loco Deus pollicetur eunuchis nomen aeternum, idest, celebrem famam, eamque numquam-interituram, neque in hoc saeculo, neque in futuro. Ostendat igitur Petrus Martyr, qui sint illi eunuchi, in quibus impletum sit hoc vaticinium; certe non inveniet carne abscissos valde celebratos. At nos proferre possumus exercitum innumerabilem sanctorum et sanctarum virginum, querum laudibus pleni sunt libri sanctorum Patrum. Itaque ipsa vaticinii hujus tam manifesta impletio in sanctis virginibus satis esse deberet ad excludendam carnalem et judaicam illam sen-

tentiam de carnalibus eunuchis.

Secundum testimonium Sap. 3. Felix sterilis et incoinquinata, quae nescivit thorum in delicto.

incoinquinata, quae nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum et Spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit contra Deum nequissima, dabitur enim ei fidei donum electum

(idest, donum quoddam singulare, respondens sidelitati ipsius) et sors in templo Det. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus et quae non concidit radix sapientiae. Quem locum similem esse superiori, docet Hieropymus, ubi supra.

Tertium testimonium Matth. 13. ubi Dominus comparat regnum coelorum, idest, Ecclesiam, terrae bonae, cujus una pars reddebat fructum cealesimum, alia sexagesimum, alia trigetimum. Quem locum exponentes Cyprianus de habitu virginum. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum; et Augustinus de sancta virginitate cap. 44. et 45. docent, ea parabola distingui meritum casti conjugii, viduitatis et virginitatis. Ex quo apparet, continentiam virginalem esse majus bonum ét magis meritorium apud Deum, quam sit castitas conjugalis, ac proinde esse consilium divinum; quod enim Deus non praecipit, et tamen commendat et anteponit aliis rebus, sine dubio consulit.

Quartum est Matth. 19. cum apostoli dixissent: Non expedit nubere, Dominus ait: Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt. et sunt eurochi, qui facti sunt ab hominibus et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat. Hic non dari praeceptum de continentia, patet ex superioribus; Nam initio hujus capitis Dominus approbavit nuptias, dicens: Quod Deus conjuncii, homo non separet; ergo non prohibet hoc loco 'noptias, ergo' non praecipit continentiam. Idem patet ex sequentibus: Qui potest capere capial: Nam, ut eleganter ait Augustinus serm. 61. de tempore, de praeceptis justitiae non potest dici: Qui potest facere, faciat, sed omnis arbor, quae non fecerit fructum bonum, excindetur. Quod autem consilium detur, patet ex eo, quod cum apostoli dixissent: Non expedit nubere, Dominus non ait: Immo vero expedit, sed ait; Non omnes capiunt verbum hoc; qui potest capere capiat; idest, verum dixistis, nupuas non expedire, nam impediunt polius; tamen non omnes hoc intelligunt, sed qui potest assequi, non omittat. Quod denique continentia non solum conferat corporalem utilitatem, sed praemium habeat in coelo, patet ex illo: Sunt eupuchi, qui castraverunt se propter regnum coelorum.

At adversarii, ac in primis Petrus Martyr in lib. de coelibatu et votis, illud , Propter regnum coelorum, exponunt propter evangelium expeditius praedicandum. Contra autem est omnium Patrum expositio. Cyprianus lib. de habitu virginum: Nec ornari jam, inquit, aut placere alii, quam Domino suo, studeant, a quo et mercedem virginitatis expectant, dicente ipso: Sunt enim Spadones, qui se castraverunt propter regnum Dei etc. Ubi regnum Dei exponit Cyprianus virginitatis mercedem: non ergo significat praedicationem evangelii, praesertim cum Cyprianus de mulieribus virginibus loquatur, quae non possunt praedicare evangelium. Hilarius in hunc locum, illud: Propter regnum coelorum; exponit, spe regni coelestis quod ad evangelii praedicationem referri non po-

lest.

Chrysostomus in hunc locom alloquens eunuchum spiritualem: Gratias; inquit, age Deo, quia magna praemia; rutilantesque coronas habebis, si ita vides, quemadmodum sine aliquo illi praemio.

Hieronymus lib. 1.contra Jovinianum; Proponit, inquit, agnothetis praemium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissreum fontem et clamitat : Qui sitit veniat et bibat, qui potest capere. capiat. Non dicit, velitis, nolitis bibendum vobis est, atque currendum, sed qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille satiabitur.

Denique, Augustinus de sancta virginitate, c.24. Christo, inquit, laudanti eos, qui se castraverunt. non propter hoc saeculum; sed propter regnum coelorum, Christianus contradicat, affirmans hoc praesenti vitae esse utile, non futura etc. vide similia apud Bedam et Anselmum in commentario

hujus loci.

Quintum est ibidem, abi adolescenti dicitur: Si vis perfectus esse, vade vende omnia quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo. Quod hic non detur praeceptum, sed consilium, patet ex ipsa consequentia verborum: nam interro-ganti: Quid faciam, ut salvus fiam? Dominus respondit: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Ubi ostendit, mandatorum observationem sufficere ad salutem; ac deinde subjungit : Si vie perfectue esse, idest, si non es contentus vita aeterna, sed aspiras ad excellentem gradum in ipsa vita acterna: Vade, vende omnia.

Praeterea, si hoc esset praeceptum, certe esset praeceptum charitatis, at non est; nam charilas non requirit, nisi ut diligamus proximum, sicut nos ipsos; ergo non requirit, ut demus omnia nostra proximis et nobis nibil servemus, sed satisfactmos ei praecepto, si partim demus, partim relineamus. Quod autem dare omnia mereatur insigne praemium, patet ex illis verbis: Et habebis thesaurum in coelo. Sed occurrent quinque expositiones refel-

lendae.

Prima est s. Hieronymi et Bedae in hunc locum. ubi docent, juvenem istum non voto discentis, sed animo tentantis ad Dominum accessisse. Ex quo posset aliquis colligere, Dominum quoque non serio respondisse, sed ironice. Refellit Chrysostomus hanc sententiam. Primo, quia nullus evangelista hunc adolescentem reprehendit, cum tres hanc historiam scribant, nimirum Matthaeus cap. 19. Marcus cap. 10. Lucas cap. 18. Secundo, quia Dominus lenissime cum eo loquutus est, cum alioqui tenlatores, aliter excipere soleat. Tertio, quia non abiisset tristis audito verbo Domini, nisi revera serio perfectionem desiderasset.

Adde, quod Dominus intuitus eum, dilexit ilhum, ut ait Marcus, Dominus autem non diligit hypocritas. Ergo b. Hieronymus memoria lapsus est; existimavit enim, hunc juvenem eundem esse cum illo pharisaco tentatore, de quo Marc. 14. nam hunc locum Marci allegat, cum tamen Marcus distinguat unum ab altero, ut patet ex cap. 10. et 14. Quare Hieronymus quaest. 1.ad Hedibiam et libro contra Vigilantium, hunc locum expendens, longe aliter exponit. Similiter memoria lapsus est Erasmus, qui in annotatione ad bunc locum scribit, a Chrysostomo hunc adolescentem tanquam tentatorem accusari, cum e contrario potius Chrysostomus eum defendat. Beda quoque in commentario ad cap. 10. Marci, aperte mutat sententiam, ac docet falli cos, qui putant hunc adolescentem animo tentantis ac-

Altera expositio est Joannis Calvini lib. 4. Instit. cap. 13.§ 13. qui primo demonstrat, Dominum non potuisse constituere perfectionem in vendendis omnibus rebus, cum apostolus 1. Corinth. 13. dicat: Si destribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Et ad Coloss. 3. dicat, charitatem esse vinculum perfectionis. Deinde explicat ipse locum hunc, ac dicit, adolescentem illum, qui dixerat: Omnia haec servavi a juventute mea. mentitum fuisse et ideo Christum et dixisse. Vade, vende omnia quae habes, non ut eum ad hoc faciendum hortaretur, sed ut proposito illi mandato, quod implere non posset, disceret, se esse mentitum; quomodo si jactanti se scire omnia, diceremus: expfica igitur nobis, quot sint stellae in coe. lo, vel grana arenae in littore maris; Quod autem ille juvenis non servaverit omnia mandata, probat Calvinus, quia unum ex mandatis est, diligere Deum ex toto corde: qui autem diligit ex toto corde, paratus est omnia dimittere propter Deum; Nec efficitur tristis, si ei dicatur a Deo, ut dimittat omnia, iste autem juvenis, audito Christi verbo, tristis effectus est.

Eadem est expositio Petri Martyris in libro de coelibatu et votis, ubi addit eliam hoc argumentum: Dominus ait: Si vis esse perfectus, vende omnia etc. at perfectio omnibus imperatur Matth. 5. Estate perfecti; igitur non consilium, sed pracceptum fuit huic adolescenti, vendere omnia.

At errare Petrum Martyrem et Calvinum, probatur Primo ex cap. 10. Marc. ubi legimus: Dominus autem intuitus cum, dilexit eum. Dominus autem non diligit mendaces, igitur credibile est, eum vera dixisse. Neque argumentum Calvini concludit:nam qui diligit ex toto corde, non tenetur facere omnia, quae Deus consulit, sed solum quae praecipit Hic autem Dominum non praecipere, sed consulere, jam probatum est: et rursus probari potest; nam Dominus non absolute dixit: Vende omnia, sed sub conditione: Si vis persectus esse.

At, inquiunt, tenebatur esse perfectus, cum sit praeceptum: Perfecti estote, Matth. 5. igitur tenebatur etiam vendere omnia: Sed contra, nam in primis jam supra ostendimus, perfectionem hoc loco positam, non esse praecepti, cum distinguatur ab observatione legis, de qua dictum est: Si vis ad

vitam ingredt, serva mandata.

Neque-obstat illud Matth.5. Estote perfecti;nam varia sunt genera perfectionis,ut diximus supra capit. 2. Quaedam enim est perfectio necessaria ad salutem, quae consistit in plena observatione mandatorum; quaedam est perfectio major, quae necessaria est non ad salutem simpliciter, sed ad excellentiorem gradum gloriae in regno coelorum, et haec consistit in observatione consiliorum. De priore igitur perfectione loquitur Dominus Matth. 5. de posteriore hoc loco. Id quod rursus hoc modo probatur, nam si haec perfectio esset praecepti, certe tenerentur onnes Christiani vendere omnia sua, nam ad praecepta omnia omnes tenentur.

Respondet Martyr: Hoc praeceptum vendendi omnia datum esse solum huic adolescenti et proinde, illi fuisse necessarium ad perfectionem, non autem aliis; ille enim est perfectus, qui Deo jubenti obedit.

At contra, sicut cum Dominus ait: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; indicavit, servare mandata esse medium ad vitam aeternam omnibus hominibus. Sic etiam cum ait: Si vis esse perfectus, vende omnia; indicavit, vendere omnia esse medium ad perfectionem omnibus hominibus et non solum illi adolescenti. Praeterea, idem probamus ex testimoniis veterum sanctorum Patrum, qui docent, Dominum boc loco non imperasse, sed lantum hortatum esse et consuluisse, tanquam perfectionem, vendere omnia et dare pauperibus.

Ambrosius lib. de viduis, ultra medium: Ut intelligas; inquit, distantiam praecepti, atque consilii, illum recorderis, cui in evangelio ante praescribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimonium dicat; praeceptum enim ibt est, ubi est poena peccati. At vero cum se praecepta legis memorasset implesse, consilium ei datur, ut vendat omnia. et.sequatur Dominum; haec enim non pro praecepto

dantur, sed pro consilio deferuntur.

Hieronymus lib. contra Vigilantium: Quod autem asseris eos melius facere, qui utuntur rebus suis et paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam eos qui possessionibus venundati semel omnia largiuntur, non a me, sed a Domino respondebitur:si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum apostolis patrem, et naviculam, et rete dimittit. Iste quem tu laudas, secundus et tertius gradus est, quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis praeferenda.

Augustinus epist. 89. quaest. 4. Viderit, inquit, ille juvenis quemadmodum ille legis mandata servaverit, verumtamen magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione distinxit; ibi enim dixit, si vis venire ad vitam, serva mandata; hic autem, si vis perfectus esse, vade, vende omnta etc. Chrysostomus in hunc locum: Ut alliciatur, inquit, ingentem ei mercedem futuram ostendit, et voluntati ejus omnta relinquit.

Idem probatur ex verbis sequentibus; nam cum
Petrus vidisset adolescentem audito hoc consilio
abiisse tristem, dixit Domino: Ecce nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te; quid ergo erit
nobis? quasi diceret, acce nos fecimus quod iste
juvenis facere noluit; quid ergo nobis dabis? Cui
interrogationi, si vera est Martyris et Galvini sententia, Dominus respondere debuit, nihil vobis
dabo, nam soli illi juveni et illi non serio loquutus
sum, sed solum ea dixi, ut juvenis ille intelligeret
se fuisse mentitum. At non ita respondit, sed ait:
Amen dico vobis, quad vas qui sequuti estis me

in regeneratione etc. Et ne putemus solis apostolis haec promitti, audiamus Augustinum epistola 89. quaest. 4. huno locum exponentem: Qui. inquit, illius perfectionis de vendendis rebus suis consilium tam grande, tamque praectarum non receperunt, et tamen a damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum paverunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter judicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer judicandi.

Ăd argumentum Calvini ex apostolo, respondeo: Desertionem omnium rerum posse dupliciter considerari; uno modo secundum se, altero modo ut est actus imperatus dilectionis. Primo modo, desertio omnium rerum non est perfectio, sed tamen est instrumentum ad perfectionem, et sic possumus exponere verba Domini: Si vis perfectus esse, vende omnia, idest, sume hoc instrumentum et acquires perfectionem; quia tamen haec desertio rerum, si absque charitate sit, non salvat hominem, ideo dicitur non prodesse, ab apostolo, 1. Cor. 13. Secundo modo desertio ipsa potest dici perfectio, sive opus perfectionis, quia includit gradum quemdam eximium charitatis, et de hac etiam potest intelligi verbum Domini, ut sensus sit, si vis esse perfectus, vende omnia; nam hinc apparebit te habere perfectam charitatem.

Tertia expositio est Pelagianorum; qui illud: Si vis esse perfectus, explicabant, si vis ut tibi nihil desit ad consequendam salutem; ille enim est perfectus, cui nihil deest, et hoc probabant ex illis verbis Domini, Marc. 10. Unum tibi deest; et ex verbis adolescentis, Matth. 19. Quid adhuc mihi deest? quasi diceret, servavi ista praecepta decalogi a Moyse tradita; num aliquid aliud faciendum est? cui respondit Dominus, Marc. 10. Unum tibi deest, vade, vende omnia etc.

At falsam esse hanc expositionem, docet Augastinus epist. 89. quaest. 4. ex illis verbis 1. Tim. 6. Divitibus hujus saeculi praecipe. non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo. Bene faciant divites; sint in operibus bonis, facile tribuant etc. Puto, inquit Augustin. quod ista praecipiens, divites instruebat, non fallebat apostolus, qui non ait, praecipe divitibus hujus mundi, ut vendant omnia quae habent, dent pauperibus, et sequantur Dominum, sed non superbe sapere etc.

Cum ergo Dominus ait: Si vis perfectus esse, non loquitur de perfectione necessaria ad salutem, sed de alia quadem majore. Et cum ait: Unum tibi deest, non vult dicere ad salutem consequendam, sed ad perfectionem istam majorem. Et similiter ille juvenis dicens: Quid adhuc mihi deest? non intelligit ad salutem simpliciter assequendam; jam enim audierat responsum: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata; sed intelligit ad salutem facilius et perfectius assequendam, q. d. quid possem adhuc facere utile ad vitam aeternam? Quod si quis admittere velit juvenem petivisse, an aliquid sibi deesset simpliciter ad salutem, dicere poterit a Domino fuisse responsum, nihil ei deesse ad salutem; non enim Dominus ait: Unum tibi deest, vende amnia; sed: Si vis perfectus esse, unum tibi deest,

ut patet ex verbis Matthaei et Marci simul junctis, q. d. nihil tibi deest ad salutem simpliciter assequendam, sed, si vis perfectus esse, unum tibi deest etc.

Quarta expositio est Gulielmi de sancto amore, contra quem scribit b. Thomas opusc. 19. qui dicebat verba ista Domini debere intelligi secundum animi praeparationem et verum praeceptum continere, sicut illa Matth. 5. Si quis te percusserit in umam maxillam, praebe illi et alteram; quod praeceptum est, sed intelligit in animi praeparatione, ut Augustinus exponit in epist. 5. ad Marcellinum. Eodem modo videtur intelligere hunc locum Melanchthon in locis communibus, cap. de paupertate.

At haec quoque falsa expositio est, nam exempla Domini et sanctorum sunt optima commentaria Scripturarum. Videmus autem Dominum, cum fuit in maxilla percussus, Joan. 18. non vertisse alteram, sed dixisse: Cur me caedis? Et similiter apostolum, cum esset in maxilla percussus, Act. 23. non vertisse alteram, sed dixisse: Percutiat te Deus paries dealbate. Ex quibus exemplis evidenter colligit Augustinus in epist. 5. illud esse praeceptum, sed intelligi in praeparatione animi. At vero consilium de relingendis omnibus rebus, Dominus et apostoli et sancti plurimi non in praeparatione animi retinuerunt, sed re ipsa et factis impleverant, Luc 9. de se Dominus ait: Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet ubl caput suum reclinet. Et Matth. 19. apostoli dicunt: Ecce nos reliquimus omnia, et segunti sumus te. Et de s. Anton. scribit Athanasius, quod cum audisset in Ecclesia legi hoc evangelium: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, eum mox a Deo edoctum de vero sensu eorum verborum,omnia vendidisse et dedisse pauperibus. Ex quo apparet de reali desertione omnium facultarum hunc locum esse intelligendum.

Praeterea illud praeceptum de maxilla praebenda percussori, nam potest implèri re ipsa sine damno proximi et offensione Dei, et ideo intelligimus praecipi solum patientiam, non autem ut re ipsa offeramus alteram maxillam. At vendere omnia et dare pauperibus, sine ullius damno fieri potest; nemini enim facit injuriam, qui res suas donat pauperibus: idcirco intelligimus hoc consilium re ipsa implendum.

Quinta expositio falsa, est Osiandri, qui, ut refert Alphonsus Viruesius Philippica 20. admisit hoc esse vere consilium evangelicum, sed non esse datum nisi juveni illi, cum quo Christus loqueba-

tor

At contra; Nam in primis non dixit Christus illa verba adolescenti quomodocumque; sed cum conditione, si vellet esse perfectus, ergo consilium illi datum, omnibus fidelibus qui volunt esse perfecti, datur, juxta illud Matth. 13. Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Praeterea quae Christus dixit alicui ut principi, accipiuntur dicta omnibus principibus, ut: Pasce oves meas, Joan. 21. ergo etiam quae dixit um ut privatae personae, intelliguntur dicta omnibus privatis personis. Praeterea quod Christus baec dixerit omnibus, patet ex in-

telligentia apostolorum, qui haec sibi etiam dicta crediderunt, dicentes: Ecce nos reliquimus omnia. Et ex approbatione Domini dicentis: Amen dico vobis, quod vos qui sequuti estis etc. Adhaec, ut supra diximus, simillimae sententiae sunt et ab eodem, atque eidem dictae: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et: Si vis perfectus esse, vende omnia etc. At prior dicta est omnibus, cur non etiam posterior? Denique s. Antonius teste b. Athanasio et s. Franciscus teste b. Bonaventura, sibi dictum putaverunt: Si vis perfectus esse, vende omnia. Quod idem pluribus aliis testibus probare possemus: Non igitar soli illi juveni datum est consilium hoc.

Sextum testimonium est ibidem .de-obedientia. ubi Dominus ait: Et sequere nie; nam quod haec sequela sit consilium, patet, quia dicitur ei soli; Qui vult esse persectus et cui dictum est : Vende omnia quae habes. Quod autem illo: Sequere me. significetur obedientia, probatur dupliciter. Primo. quia sequi Christum est imitari Christum; Christus autem factus est obediens usque ad mortem, Philipp. 2. Secundo, quia Matth. 16. explicat ipse Christus quid sit sequi se dicens: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me. Quod ultimum, est explicatio superiorum, ut sensus'sit: Qui vult post me venire, idest, me sequi, abneget se et tollat crucem suam et sic sequetur me. Porro abnegare se, nibil est aliud quam valedicere suo judicio et suis affectibus et accomodare se alterius judicio et voluntati.

Dicet aliquis: Abnegare se, est quidem obedire, sed hoc loco agitur de obedientia quae necessario debetur Deo, non quae sponte exhibetur homini, sequitur enim, Qui amat animam suam, perdet eam.

Respondeo: Hoc loco agi de obedientia, quae necessario debetur Deo; tamen hinc deduci etiam consilium religiosae obedientiae. Nam hinc habemus, sequi Christum, esse abnegare seipsum, idest, alterius voluntati seipsum subjicere. Habemus autem ex aliis locis duplicem esse Christi sequelam: unam communem et necessariam omnibus fidelibus, de qua hic agitur, idest, Matth. 16. et Luc. 9. et rursum aliam quae solis iis consulitur, qui volunt esse perfecti, de qua agitur Matth. 19. et Lucae 18. Ergo necesse est duplicem esse abnegationem sui, idest, obedientiam, unam communem et necessariam omnibus, quae consistit in obediendo in iis rebus tantom, quae sunt necessariae ad salutem: alteram majorem et universaliorem, quae consistit in obediendo in omnibus rebus, eliam non necessariis, modo peccata non sint: qualis obedientia laudatur in Rechabitis Hierem. 35. qui obedierunt patri suo in iis, in quibus non tenebantur.

Septimum testimonium est 1. Corinth. 7. ubi multis modis proponitur consilium continentiae. Bonum est, inquit Paulus, multerem non tangere. Item: Bonum est homini sic esse. Item: Solutus es ab uxore, noti quaerere uxorem. Item: Dico autem innuptis, et viduis, bonum est si sic permanserint, sicut et ego. Item: Volo omnes vos esse sicut me ipsum, idest, continentes, sic enim o-

mnes veleres exponunt. Item: De virginibus praeceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus a Domino ut sim fidelis. Ubi indicat spostolus consilium hoc non esse humanum, sed divinum: dicit enim se consilium dare, non ut hominem politicum, sed ut fidelem ministrum Dei. Item: Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit. Denique de vidus: Cui vult nubat, tantum in Domino; beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium; puto autem, quod et ego spiritum Dei habeam: ubi rursum vides tribui consilium hoc Spiritui sancto.

Ad haec loca respondent adversarii tripliciter. Prima solutio est Lutheri in epithalamio, ubi dicit, apostolum hoc loco non consulere, sed dissuadere continentiam; Et probat ex eo quod apostolus in hoc capite laudationi continentiae admiscet necessitatem matrimonii; nam postquam dixit: Bonum est homini mulierem non tangere, statim subjungit; Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat; quasi-velit dicere, ego quidem vellem hortari ad continentiam, quae sane praeclarum quiddam est, tamen non sinit me hoc facere perioulum fornicandi. Idem fere docet Calvinus in commentario hujus loci; ait enim similem esse Pauli sententiam: Bonum est homini mulierem non tangere: huic sententiae, bonum esset homini non comedere, neque bibere, si fieri posset; sed quia non potest fleri sine miraculo, ideo, unusquisque comedat et bibat.

At Contra: Nam in primis verba Pauli apertissima sunt; Non enim dicit bonum esset, sed: Bonum est; non alt consilium dare vellem, sed: Consilium do etc. Deinde Patres omnes sic exponunt: Vide Chrysostomus et alios in hunc locum. Ambrosium libro de viduis prope finem. Hieronymum lib. 1. in Jovimanum et Augustinum libro de sancta virginitate, cap. 13. et sequentibus: Ex quibus Augustinus: quasi praevidisset, unum ex suis augustinianis apostatis dicturum, apostolum hoc loco hortari ad nuptias et deterrere a continentia, disserte scripsit contrarium, sic enim ait, cap. 16. Hoc modo, inquit; exhortatur ad virginitatem, continentiamque perpetuam, ut aliquantulum a nuptiis etiam deterreret.

Praeterea, si ita est difficile continere, ut isti dicunt et exemplo ostendunt, cum nulli apud eos contineant: certe Paulus ineptissimus fuit, qui rem impossibilem tantopere laudavit. Et patebit absurditas hujus rei, si quis applicet omnia verba Paulf ad exemplum Calvini. Nonne enim ridiculus fuisset apostolus, si dixisset, bonum est non comedere? Item, cares cibo, noli quaerere cibum? Item, de non comedendo praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, ut nemo somedat? Item, qui comedit, bene facit; qui non comedit, melius facit? Item, non peccat qui comedit, quod vult facit, beatior erit si non comederit? Non igitur de re impossibili loquitur Paulus.

Per illud autem: Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, non monet apostolus, ut unusquisque, cui inest aliquod periculum fornicandi, uxorem ducat: nam tanc omnes

omnino deberent uxorem ducere, nullo excepto, cum tamen Lutherus ipse excipiat eos, qui habent donum continentiae. Nam etiam illis inest periculum fornicandi, cum possint donum illud amittere et vinci aliquando a tentatione, sed monet, ut qui uxorem duxerunt, illa retineant et quicumque est fornicaturus, uxorem potius ducat, sicut infra dicit: Qui non se continet, nubat.

Altera expositio est Petri Martyris in hunc locum, ubi opponit his verbis Pauli: Bonum est homini multerem non tangere, idest, sine uxore esse, illa verba Dei Genes. 2. Non est bonum hominem esse solum, idest, non est bonum hominem sine uxore esse. Et quia non debet pugnare Paulus cum Deo, dicit Paulum loqui solum de illis, qui certi sunt se habere continentiae donum, Deum autem, de omnibus illis qui hoc dono carent. Et quoniam rarissimi, aut nulli sunt, qui certo sciant se habere hoc donum, inde vult inferre, bonum esse, at omnes ducant uxores.

At utrinque errat; Nam quod Deus non loquator de iis, qui hoc dono carent, patet; nam ea verba loquatus est Deus ante peccalum Adae, quo tempore Adam sine ullo dubio carebat mala concupiscentia, et habebat cum caeteris virtutibus etiam donum continentiae, ita ut posset continere, si opus esset.

Quod autem Paulus non loquatur de iis solum , qui habent donum confinentiae, sed absolute pronunciet, bonum esse viro mulièrem non tangere, patet etiam; nam etsi non omnes habent hoc donum, tamen omnes possunt habere, si a Deo illud petant, et proinde omnibus potest convenire Pauli consilium. Nam si ita hoe donum esset a Deo, ut nullo modo esset in nostra potestate continere et non continere, sicut non est in nostra potestate prophetare, quod exemplum affert Calvinus in commentario hujus capitis, absurde Paulus dicerel: Consilium autem do. Et Quod vult, faciat; non enim ulla est consultatio, aut electio de eo quod non est in nostra potestate. Quis enim, nisi stultus, consultaret, an vellet prophetare, vel nen prophetare?

Item; idem b. Paulus ibidem dicit, etiam continentiam conjugalem esse donum Dei et non dari omnibus: Unusquisque, inquit, donum suum kahet ex Deo, unus quidem sic, alius autem sic. Peto igitur, qui non habet donum continentiat conjugalis, quid aget? Num licebit ei fornicari? Respondebunt: Non licere fornicari, quia etsi non habet donum continentiae, tamen habebit, si a Deo petat. Idem ego dicam de continentia virginali. Verba igitur Dei et Pauli aliter concordanda sunt. Deus loquitur de bono speciei, Paulus de bono individui. Item Deus loquitur pro co tempore, quo mundus erat vacuus. Paulus pro eo, quo mundus est plenus. Denique, Deus loquitur de bono, quod refertur ad vitam temporalem. Paulus autem de bono, quod refertur ad vitam aeternam, ut jam probabimus.

Est ergo Terlia solutio, quod Paulus sive suadeat confinentiam, sive non, solum illam laudet tanquam utilem ad aliud, non autem ut per se Deo gratam et meritoriam: Hanc autem utilitatem non codem modo exponunt; Nam Lutherus in epithalamio non agnoscit aliam utilitatem quam temporalem, quia nimirum liberat a curis et afflictionibus multis, quae necessario sunt annexae matrimonio: Vult. inquit, s. Paulus hoc verbum spiritualiter intelligi, ubi ait, bonum est homini mylierem non tangere, ut hoc bonum non sit dictum de merito coram Deo, sicut hactenus textus ille etiam a s. Hieronymo est expositus, sed dictum est, de temporali bono, commodo et quiete in hac vita, quibus homo castus antecellit conjugatos; siquidem is, qui sine conjugio caste vivit, ab his molestiis, et tribulationibus, quae in matrimoniali statu sunt, liber est.

At Melanchthon in locis, cap. de castitate, Martyr in hunc locum apostoli et alii non solum hanc utilitatem temporalem agnoscunt, sed etiam aliquam spiritualem, quod nimirum qui uxore carent, expeditiores sunt ad orandum, praedicandum etc. Nos autem praeter has duas agnoscimus tertiam, nimirum ad placendum Deo et praemia maxima promerenda. Et guidem ad refellendum Lutherum sufficere deberet, quod idem omnino senserat Jovinianus, quem his verbis resellit Augustinus, libro de sancta virginitate, cap. 13. Unde, inquit, mirabiliter desipiunt, qui putant hujus continentiae bonum non esse necessarium propter regnum coelorum, sed propler praesens saeculum quod scilicet conjugia terrenis curis pluribus, atque arctioribus distendyntur, qua molestià virgines, et continentes carent etc.

At, inquiunt, apostolus dicit: Arbitror hoc bonum esse propter praesentem necessitatem. Et infra: Tribulationes tamen carnis habebunt hujusmodi.

Respondeo: Illud Propter praesentem, vel, ut nos legimus: Instantem necessitatem, non significare propter praesentes molestias fugiendas, sed propter temporis brevitatem, quia Dominus prope est et dies illi propinquant, de quibus dicitur: Vae praegnantibus, et nutrientibus in illis diebus. Mauh. 24. ut exponit Hieronymus, libro contra Helvidium, libr. 1. contra Jovinianum, et in epist. ad Eustochium de virginitate, et patet ex apostolo hoc loco, qui quasi explicans quid sit praesens necessitas, ait: Tempus breve est, et rursum: Praeterit enim figura hujus mundi. Illud autem: Tribulationes tamen carnis habebunt hujusmodi, intelligitur quidem de afflictione temporali, quam patiuntur conjugati, sed non ad eam solam fugiendam, docet b. Paulus bonam esse continentiam: Immo, ut pulchre exponit Hieronymus, lib.1. contra Jovinianum, ne quis pularet, conjugatos esse quidem inferiores virginibus quantum ad spiritualia, sed tamen esse feliciores quantum ad carnalia, ideo addit eos eliam miseros esse quoad carnalia, et propterea nullam esse caussam ambigendi. sitne melius continere an nubere...

Jam vero contra Philippum et Martyrem, sunt in hoc ipso capite duo vel tria loca. Primus est: Mulier innupta, et virgo cogitat quae Domini sunt, quomodo placeat Deo, ut sit sancta, et corpore, et spiritu. Ubi apostolus dicit, virginitalem esse sanctitatem corporis et spiritus, et per eam nos pla-

cere Deo; sensus enim est, siont mulier conjugata cogitat, quomodo se pulchram conservet, ut sie placeat viro suo, sic virgo cogitat, quomodo servet corporis integritatem et sanctitatem, ut per eam placeat Deo. Hieronymus lib. 1. contra Jovin. hoc exponens: Illa, inquit, virginitas hostia Christiest, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit: ubi vides virginitatem hostiam Dei nominari; proinde rem esse, qua colitur Deus et quae placet Deo.

Secundus est: Non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi: ubi apostolus dicit, continentiam et per se honestam, ac decoram esse et proinde Deo caram, et simul utilem ad aliud, idest, ad orandum sine intermissione.

Tertius est: Beatior autem erit si sic permanserit, idest, ut exponit Ambrosius, dignier in futuro sacrulo

Accedat Ultimo Avgustinus libro de sancta virginitate, cap. 14. ubi sic ait: Quoniam adeunda est vita aeterna, in qua est quaedam egregia gloria, non omnibus in aeternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendae non satis est liberatum esse a peccato, nisi ipsi liberatori voveatur aliquid quod non sit criminis non vovisse, sed vovisse ac reddidisse sit laudis, ideo ait apostolus: Consilium autem do.

Octavum lestimonium est, 1. Corinth. 9. quo toto capite Paulus conatur ostendere, se plus secisse
quam sibi esset praeceptum et propterea singularem gloriam apud Deum meruisse. Nam cum Dominus ordinasset iis, qui evangelium annunciant,
de evangelio vivere, Paulus, maluit gratis evangelium praedicare, et sic sacere opus supererogationis: Melius, inquit, est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam etsi evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi
est, si non evangelizavero. Quae est ergo merces
mea? ut evangelium praedicans, sine sumptu ponam evangelium.

Respondet Petrus Martyr in commentario hujus loci, Paulum non loqui de opere supererogationis, sed de opere debito coram Deo, licet non debito secundum judicium hominum, et ideo etiam nomine gloriae vult intelligi gloriationem coram hominibus, non coram Dei tribunali. Et probat tripticiter. Primo, quia Paulus ait: Melius est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. At pro opere non necessario, quale est supererogationis, nemo debet mortem subire, sed solum pro necessario, ergo loquitur de opera necessario coram Deo; ex quo tamen sequitur gloriatio coram hominibus, qui illud opus judicare possunt non necessarium.

Secundo, quia Paulus desperat de mercede, nisi hoc opus faciat, ait enim: Et si evangelizavero non est miki gloria, idest, si praedicavero accipiendo sumptus a populo, nihil lucrabor: Unde sequitur? Quae est ergo merces mea? Ut evangelium praedicans sine sumptu ponam evangelium; ergo loquitur de opere debito, quod nisi fiat, perditur tota merces.

Tertio, quia dicit, ut non abutar potestate mea;

et ne quod offendiculum ponam evangelio Christi; At abuti potestate et offendiculum ponere evangelio, peccatum est. Itaque concludit Martyr, apostolum Paulum graviter peccaturum fuisse si accepisset sumptus a populo, quia hoc modò impedivisset

cursum evangelii.

In haec explicatione duo sunt errores Martyris. Primus, quod per gloriam, quam sibi tribuit Paulus, intelligit gloriationem coram hominibus, non coram Deo. Nam in primis b. August. lib. de opere monachorum cap.10.contrarium scribit his verbis: Bonum est magis mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Quam gloriam?nisi quam habere voluit apud Deum in Christo:haec August. Ubi vide quam aperte Martyri contradicat. Deinde verba Pauli aperte ostendunt, eum loqui de gloria apud Deum, idest, de merito cujusdam excellentis gloriae, quam exspectabat opere isto supererogalionis; nam infra, id quod vocavit gloriam, vocat mercedem. Quae est ergo merces mea etc. At certe non exspectabat Paulus mercedem ab hominibus, sed a Deo. Denique si Paulus gloriaretur coram hominibus, quasi de opere indebito, quod tamen revera coram Deo debitum esset, falso gloriaretur, quod quis dicat, nisi forte aliquis Petrus pseudomartyr?

Secundus error est, quod dicat Paulum peccaturum fuisse, si accepisset sumptus a populo et proinde opus ejus fuisse debitum, non supererogationis. Nam in primis Paulus in toto isto capite nihil aliud agit, quam ut probet sibi licuisse vivere ex populi sumptibus; id enim probat, Primo, exemplo aliorum apostolorum. Secundo, exemplis militum, pastorum, agricolarum. Tertio. ex lege Moysi. Quarto, ex Christi ordinatione. Quinto, ex

ipsa natura.

Praeterea ita exposuerunt omnes Patres, Chrysostomus in hunc locum: Quae, inquit, supra praeceptum funt multa, secundum hoc dictum, mercedem consequentur; quae autem sub praecepto continentur, non itidem. Ambrosius bis repetit Paulum sibi licita illicita fecisse. Augustinus libro de opere monachorum, cap. 5. Audiverat, inquit, stabularius, ad, quem vulneratus ille perductus est, si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi: amplius ergo erogabat Paulus, qui suis, ut ipse testatur, sumptibus militabat. Denique apostoli caeteri sumptus a populis accipiebant, ut hic Paulus dicit, nec est verisiulle eos peccasse, ergo nec Paulus peccasset accipiendo.

Respondet Martyr: Non esse eandem rationem Pauli et aliorum; nam alii non habuerunt pseudoapostolos aemulos, ut habuit Paulus. At hoc nihil valet; nam alioqui non recte probaret exemplo aliorum apostolorum b. Paulus se potuisse ali a populo. Responderi enim potuisset, non esse eandem rationem aliorum apostolorum et suam. Deinde Paulus non abstinuit ab accipiendis sumptibus propter pseudoapostolos, sed ne gravaret populos, ut ipse dicit. 1. Thessal. 2. et 2. Thessal. 3. Imamo propter pseudoapostolos debuisset potius accipere sumptus. Illi enim de hoc Paulum accusabant, ut Cajetanus bene animadvertit, quod Paulus non videretur verus apostolus, cum non viveret

more aliorum apostolorum. Quocirca ille in toto isto capite probat se esse verum apostolum et se posse accipere sumptus si velit.

Ad Primum argumentum dico, falsum esse, non licere mori pro opere supererogationis; quot enim sacrae virgines occisae sunt, quia nuptias recusa-

verunt.

Ad Secundum respondet Anselmus in hunc locum, Paulum desperare de gloria, si solum evangelizet propter alimenta temporalia. Possumus secundo et melius dicere. Paulum cum ait: Si evangelizavero non est mihi gloria etc. non desperare de gloria simpliciter, sed de gloria quaedam singulari, quae debetur operi supererogationis, ut ex-

ponit Chrysostomus.

Ad Tertium dico cum Chrysostomo homil. 8. de . poenitentia et cum Oecumenio et Theophylacto in hunc locum, Paulum accepisse nomen abusus pro vehementi usu; voluit enim dicere, ne quantum possum utar potestate mea. Neque est hoc novum; nam alii etiam auctores tum sacri, tum profani utuntur hac voce in bonam partem. Tria enim significat vox καταχράωμαι, et latine, abutor. Primo. uti re aliqua contra ejus institutionem, et hoc malum est. Secundo, uti praeter institutionem, et hoc non est malum; unde est figura κατάχρησις.S. Paulinus epist. 11. ad Severum. Itaque, inquit, prompto filit imperatoris assensu mater Augusta patefactis ad opera sancta thesauris toto abusa fisco est. Tertio, uti simpliciter, ut apud Platonem epist. 8. et alios auctores.

Quod autem ait: Ne quod offendiculum ponam, dico ibi offendiculum non significare scandalum, sed interruptionem, est enim gracce exactly. Metuebat enim Paulus, ut aliqui avariores, ne deberent alere concionatores, ab evangelio retardarentur; hic autem metus poterat communis esse Paulo cum caeteris apostolis, qui tamen hoc non obstante, sumptus a populo capiebant. Ex quo intelligimus non fuisse peccatum accipere sumptus a populo etiamsi inde sequeretur aliqua retardatio cursus evangelii; nam illa retardatio non oriebatur culpa apostolorum, qui utebantur jure suo, sed culpa auditorum. Tamen b. Paulos maluit pati famem et laborem, quam ut ullo modo evangelii cursus retardaretur.

Adde postremo quod si illa verba: Ut non abutar potestate mea; et illa: Ne offendiculum ponam, significarent Paulum peccaturum fuisse, si a populo sumptus accepisset, sequeretur eum non potuisse apud homines gloriari tamquam de opere indebito. Nam si ipse dicit se debuisse illud facere, idque hominibus dicit, quomodo gloriatur se fecisse opus indebitum? Ergo Petrus Martyr secum ipse pugnat, dum docet, Paulum gloriari apud homines de opere indebito; et tamen inducit eundem Paulum dicentem, se debuisse illud opus facere et peccaturum nisi fecisset.

Nonum testimonium est Apoc. 14. ubi legimus: Nemo poterat dicere canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia; hi sunt qui cum multeribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt et sequuntur agnum quocumque ierit. Ex quo testimonio apparet, singulare praemium ha-

bere-virgines, quandoquidem canunt canticum, quod nulli alii beatorum canere possunt.

Respondent Magdeburgens. Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 454. hunc locum debere intelligi mystice de iis, qui non sunt maculati idololatria, quae vocatur fornicatio Babylonis, meretricis magnae.

At contra. Nam in primis Joannes indicat paucos quosdam fuisse istos virgines, qui soli canticum illud dicere poterant; pauci enim sunt centum quadraginta quatuor millia, si cum illa turba magua sanctorum comparentur, quae prae multitudine numerari non poterat, quam idem Joannes vidit Apocal. cap. 7. At major pars sanctorum immunis fuit ab idololatria, ut notum est. Praeterea Joannes non diceret, cum mulieribus non sunt coinquinati, sed cum muliere, si intelligeret de forni-

catione Babyloms.

Benique Patres de veris virginibus exponunt, Primasius, Beda, Occumenius et Anselmus in hunc locum, Hier. libro contra Helvidium in fine, Greg. 3. parte pasteralis, cap. 29.et Augustinus de s.virginitate, cap. 27. et sequentibus, qui inter caetera sic ail: cap. 29. Videbit vos castera multitudo fidelium, quae agnum ad hoc sequi non valet: videbit nec invidebit et collactando vobis quod in se non habet, habebit in vobis. Nam et illud canticum novum, proprium vestrum, dicere non polerit, audire autem polerit et delectari vestro tam excellenti bono, sed vos qui et dicetis et audietis, quia et quod dicetis, a vobis audietis, felicius exultabilis, jucundiusque regnabilis. Hacc de Scripturis.

#### CAPUT X.

#### Idem asseritur exemplis.

Secupdo probatur exemplis primitivae Ecclesiae. Nam constat mox initio nascentis Ecclesiae plurimos ceepisse colere continentiam et vitam communem, rebus omnibus divenditis, quod in testamento veteri rarissimum fuerat. Nec potuit ejus novitatis alia esse caussa nisi praedicatio Christi et apostolorum Actor. 4. legimus, quotquot erant possessores agrorum et domorum, iis venditis, pretia attulisse ad pedes apostolorum. Unde hoc? nisi quia audierant Dominum id consuluisse.

Porro continentiam tam multi certatim arripiebant, ut Actor. 21. legamus, unum Philippum quatuor filias habuisse, et omnes virgines fuisse, quas certe non ad tempus aliquot virgines credere debemus, sed perpetuo et ex electione; refert enim. id Lucas tamquam aliquid magnum, quod videlicet uni homini essent quatuor filiae virgines. At quid magni est habere quatnor filias virgines, quae ubi vnaturae fuerint, nupturae sint? Adde, quod Euseb. lib. 3. hist. cap. 30. ex Policrate docet, filias Philippi in virginitate consenuisse.

Praeterea Philo Judaeus in lib. de vita contemplativa, testatur plurimos suo tempore, idest, initio Ecclesiae, vitam communem et coelibem duxisse;

Bellarmini. Vol. II.

ait enim, talia hominum collegia fuisse in multis orbis terrae partibus, tam apud Graécos, quam apud barbaros, sed praecipue in Aegypto. Justinus ex Graecis ferme antiquissimos in apologia secunda ante medium ait, apud nullam gentem ita coli coelibatum, ut apud Christianos, ubi sunt plurimi utriusque sexus usque ad senectutem in virginitate permanentes: Quod idem scribit Tertullianus antiquissimus Latinorum in apologetico, cap. 9.

### CAPUT XI.

#### Idem asseritur testimoniis Patrum.

Tertio probaturex clarissimis Patrum testimoniis. tum Graecorum, tum Latinorum, et quia testibus abundamus; omittam eos, quorum testimonia haeretici non recipiunt, ut Dionysium et Ignatium et

Origenes in cap. 15. ad Rom. Ea, inquit, quae supra debitum facimus, non facimus ex praeceplis: Verbi caussa: Virginitas non ex debilo solvitur, neque enim per praeceptum expetitur, sed

supra debitum offertur.

Eusebius lib. 1. demonstr. evang. cap. 8. Quoeirca, inquit, in Ecclesia Dei duo modi vivendi instituti sunt. Alter quidem naturam nostram, et communem hominum vilae rationem excedens. non nuptias, non sobolem, non substantiam, non opum facultatem requirens, et soli divino cultui, ex immenso rerum coelestium amore addictus, el talis quidem existit in christianismo perfectae vitae modus. Alter vero remissior atque humanior, hic et modesto conjugio et sobolis procreatione implicatur, et rei familiaris euram assumit, et juste militantibus, quae sint agenda describit, agros quoque et mercaturam adjuncta religionem non negligit, et his quidem secundus pietatie attributus est gradus. Et quod uterque vitae modus a Christo sit institutus, initio capitis a-

Athanasius in lib. de humanitate Verbi, utra medium: Quis , inquit , hominum , vel post mortem, vel in vita auctor servandae virginitatis fuit? at non contra arbitratus est, eam virtutem praestari non posse? Atlamen Salvator noster, et omnium rex Christus, tantum valuit in hujusmodi praeceptis, ut pueri nondum maturi legum disciplinae, virginitatem, quae supra leges est, profiteantur. Nota, vecari hic praecepta, non leges obligantes, sed institutiones et doctrinam, alioqui pugnaret ipse secum, cum et praeceptum vo-cat et supra legem esse dicit.

Basilius in libr. de virginitate, ultra medium: Voluit enim Dominus, inquit, non praeceptum esse ipsum virginitalis recte factum, sed insigne animae, virtutis studiosae ex propria ac libera polestate, id quod supra mandalum, el supra naturam est, a seipsa perpetrantis.

Epiphanius, haeres. 48. Gaudet quidem, nimirum Ecclesia, his, qui approbatum Dei eultum praestare possunt, virginitatem exercere diliqunt, verum unas nuplias honorat etc.

Joannes Chrysostomus homil. 8. de poenitentia: Nequaquam, inquit, Dominum incuses, haud mandat impossibilia, multi etipsa superant mandata. Et infra, posteaquam exempla posuit de continentia et paupertate, sit in persona Dei: Non cogo, non gravo, sed proficientem quidem coro-

nabo; non proficientem non punio.

Gregorius nazianzenus oral. 1. in Julianum, ultra medium: Quomodo, inquil, illud non animadvertis omnium sapientissime et ingeniosissime, atque ad virtulum arcem et verticem Christianos coarctans, qui in legibus nostris alia parendi necessitate imponunt, nec sine periculo praetermitti possunt, alia non necessitate constringunt, sed in electione, et voluntate posita sunt, ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custodierint, honore, et praemiis exornentur, qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimesçant.

Jam ex Latinis. Cyprianus lib. de habitu virginum, prope fineu: Neque hoc jubet Dominus, inquit, sed hortatur, neque jugum necessitatis imponit, quando manet voluntatia arbitrium liberum: sed cum habitationes muttas apud Patrem euum esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, majoris gratiae praemium

in coelestibus obtinetis.

Ambrosius lib. de viduis, ultra medium: Qui praeceptum, inquit, impleverint, dicere possunt, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, facimus; Hoc virgo non dicit, non dicit ille, qui bona sua vendidit. Et infra, Ideo ergo praeceptum non datur, consilium datur; praeceptum enim

castitatis est. consilium integritatis.

Hieronymus lib. L. contra Jovinianum; Proponit agonothetes praemium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, et clamitat: Si quis sitit, veniat et bibat; non dicit, velitis nolitis, bibendum vobis est, atque currendum; sed qui voluerit, qui poluerit currere atque potare, ille vincet, ille satiabitur, et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum, majorisque gratiae est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris.

Gregorius lib. 15. Moralium cap. 5. Electi, inquit, nonnumquam plus student agere, quam eis dignatus est Dominus jubere; carnis enim virginitas nequaquam jussu est, sed tantum laudata; Nam si illa juberetur, nimirum conjugium jam culpu crederetur; et tamen multi virtute virginitatis pollent, ut videlicet plus impendent obsequio, quam acceperunt praecepto. Haec ille. Vide etiam tertia parte pastoralis, cap. 28. et 29.

Augustinus lib. de sancla virginitale cap. 30. loquens de praeceptis et consiliis: In illis, inquit, Dominus debitum imperat vobis, in his autem, si quid amplius supercrogaveritis, in redeundo reddet vobis. Et serm. 18. de verbis apostoli: Anbierunt, inquit, virgines illam majorem pulchritudinem cordis sui, tanquam dicerent: quid ju-

bes? ne adulterae simus? Hoc praecipis? amando te plus facimus, quam praecipis. Et in Enchirid. cspit... 121. Quaecumque, inquit, mandat Deus, ex quibus unum est. Non moechaberis; et quaecumque non jubentur, sed speciali consilio monentur, ex quibus unum est, bonum est homini multerem non langere, tunc recte flunt, cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum, et in hoc saeculo, et in futuro. Ex his apparet, quanto mendacio Calvinus dicat, lib. 4. Instit. cap. 13. § 12. nulli veterum venisse in mentem; quod Christus aliquid consuluerit.

#### CAPUT XII.

#### Idem confirmatur naturali ralione.

Ultimo probatur ratione desumpta, tum ex corporibus naturalibus, tum ex politicis rebuspablicis. Videmus epim in qualibet re naturali , duplicem esse perfectionem: unam necessariam ad esse, alteram ad bene esse: unam, sine qua rei natura non est perfecta, alteram, sine qua non est ornata; bomo si habeat animam et corpus, perfectus est, quod ad naturam attinet, etiamsi alloqui deformis, et imperitus, atque improbus sit. At cum est elegans, politu s, formosus, doctus, probus, aliam quandam habet perfectionem; ergo eodem modo homo christianus duplicem habere debet perfechionem: unam necessariam ad esse, idest, per quam sit vere flius Dei, et haeres regni, quae consistit in praeceptorum observatione: alioqui enim non est Christus bonus legislator, si legem tulisset, quae non perficeret hominem christianum : alteram necessariam ad bene esse, quae consistit in consiliis.

Videmus item in omnibus bene institutis rebuspublicis praeter praemia et poenas constitutas
servantibus, aut transgredientibus leges, esse etiam praemia quaedam decreta heroicis operibus.
Hinc apud Romanos praeter stipendia debita militibus, non violantibus militiae disciplinam, fuisse
etiam coronas civicas, ovatienes, supplicationes,
ac triumphos decretos factis heroicis, ut omnes noverunt. Ita ergo non abhorret a ratione, imme potius conforme est rationi, ut praeter vitam aeternam promissam observatoribus legis divinae, sint
etiam certa praemia et singulares honores pro iis,
qui non solum Dei legem servant, sed etiam virtutes heroicas ostendunt.

#### CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones.

In contrarium sunt argumenta tria Pelagianorum, et 14. Calvinistarum, quae diligenter collegit ex Calvino et aliis Petres Mortyr in comment. 1.ad Corinth. 9.

Primum est, Math. 19. Dominus ait: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum; illud est



impossibile, igitur et hoe. Responder cum Augustino epist. 89. quaest, 4.in eodem loco esse solutionem; nam Dominus ait: Quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum.

Sed instant, ideo possibile apud Deum dioi, quia Deus per evangelium suum docuit vendere omnia, et dare pauperibus; quod qui fecerit, poterit intrare in regnum coelorum. Respondeo: Sed ita esset;

tunc esset etiam possibile apud homines. Nam etiam ethnici philosophi poluerunt 'abjicere omnes facultates, ut de Crate Thebano et de Antisthene refert b. Hieronymus in epist. 26. ad Pammachium de obitu Paulinas uxoris. Sicut etiata apud homines possibile est camelum intrare per foramen acus, ai desinat esse camelus et redigatur ad subtilitatem setae. Christus autem diciti. Id quod impossibile est hominibus, possibile esse Deo, idest. introducere camelam; existentem camelum, per foramen seus, et divitem, existentem divitem, in regnum coelorum; potest ergo dives salvari; si gratia Bei adjutus bene utatur divitiis.

Secundum argumentum Lucae 14. Nisi quis reaunciaverit omnibus, quae possidet . non potest meus esse discipulus. Respondeo cum Augustino, epist. 5. et epistol. 89. quaest. 4. loqui Dominum de praeparatione animi; nam paulo unte inter'ea, quibus renunciare oportet, numeravit Dominus u-

xorem et propriam animam.

Tertio, Matth. 5. Estate perfecti, divitur omnibus Christianis; at qui vult persectus esse, debet omaia vendere et dare pauperibus, Matth. 19. ergo etc. Respondeo: In primo loco agi de perfectione necessaria, in secundo de perfectione utili, sunt enim varii gradus charitatis, ut alfas expositum est.

Argumentum Primum Petri Martyris tale est. Deus jubet se diligi ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus; unde nihil superest non debitum quod erogemus; quidquid enim agimus, corde, anima, mente, ac viribus agimus, quare omnia nostra Deo snnt obstricta: Augustinus libr. 1. doctr. christ. cap. 22. Cum autem, inquit.ait toto corde, tota mente, tota anima, nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat.

Ad haec, praeceptum dilectionis, ut etiem praeceptum non concupiscendi, in hac vita impleri non posse, Augustinus affirmat lib. de spiritu et litera cap. ult. Ad illam , inquit', vitam jam immortalem pertinet, Diliger Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: ad hanc autem, non regnet pecoalum in vestro mortali corpore: ad illam, non concupieces, ad islam, post concupiecentias tuas non eas. Et in lib. de perfectione-justiline ante medium: In qua plenitudine charitatis, nimirum **in patria**, praeceptum illud implebitur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiae, quod vel continendo fraenctur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus.

Adde etiam s. Bernardum et b. Thomam. Nam Bernurdus serm: 50. in Cantic. Si placet, inquit. libi magis de affectuali dalum fuisse mandalum, non inde contendo, dummodo acquiescas et tu mihi, quod minime in vita ista ab aliquo hominum possit, vel potucrit adimpleri. S. Thomas in 2. 2. quaest. 44. art. 6. dicit, in hac vita praeceplum dilectionis imperfecte impleritet quaest. 184. art. 3. dicit, hoc praecepto ita imperari dilectionem sine mensura; at nullus gradus charitatis remaneat; qui sit in consilio. Quare si in hac vita praeceptum primum numquam perfecte implere possumus, certe multo minus possumus amplius facere, quam sit nobis praeceptum.

Respondeo: Vis argumenti principalis potissimum in duobus posita est. Primo, in illa coumeratione potentiarum cordis, animae, mentis, virium omnium. Secundo, in illa particula: Ex toto. Hinc enim videtur colligi debere, nihil omnino posse hominem propler Deum facere, sive corde, sive corpore, quod non teneatur facere. Ostendam igitur neutra ex parte argumentum concludere.

Quod attinet ad illam enumerationem 👉 quidam. ex Patribus existimarent, illa omnia esse diversa. et ideo conati sunt distinctionem eorum ostendère. ul videlicet anima significet partèm animae vegetativae, eer sentientem, mens intelligentem, vel aliquid ejusmodi. Vide Gregorium nyssenum in libro de creatione hominis cap. 8. Théophylactum et Anselmum in commentariis cap. 22. Matthaei. Augustinum lib. 1. ductrinae christianae cap. 22. Bernardum ser. 20. in Cantica, et s. Thomam in 2. 2. quaest. 44. art. 5.

Sed simplicior et Scripturae conformior est eorum sententia, qui docent Ista omnia idem significare et more Scripturae multa et varia nomina poni ad rem eandem explicandum, majoris expressionis gratia. Itaque idem esse, diligere corde et diligere anima et diligere mente, nimirum diligere vere, sincere, non ficte, non simulate. Nam in primis Hilarius, Hieronymus et Chrysostomus, in commentario ad cap. 22. Matthaei et Ambrosius ad cap. 10. Lucae, ubi hoc praeceptum explicant, nihil omnino de distinctione harum vocum tradunt.

Deinde Matthaeus cap. 22. Marcus cap. 12. et Lucas cap. 10. referent praeceptum dilectionis ex libro Deuteronomii cap. 6. et tamen nullus horum auctorum convenit in numero et ordine harum vooun cum altero, quod est evidens argumentum, nihil esse mysterii in illa enumeratione: Moyses dixeral: Diliges ex toto corde, ex tota anima, et ex tota fortitudine ma. Matthaeus posuit: Ex wid corde, ex tota anima, ex tota mente. Marcus: Ex tolo corde; ex tota anima, ex tota mente, ex lota virtute. Lucas: Ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, el ex tota mente.

Praeterea 3. Regum 14. de Davide dicitur, quod sequulus sit Dominum in toto corde suo; de Josia autem 4. Regum 23. dicitur, quod sequatus sit Dominum in toto corde, tota anima et tota virtute, nec tamen ullus auderet Josiam Bavidi antéponere; Item Movses requirit Deut. 4. ut homo queerat Beum in toto corde et in tota anima, si eum invenire desiderat: At Samuel 1. Regum 7. solum requirit. ut Deus quaeratur in toto corde. Apparet ighur illis omnibus verbis id unum imperari, ut Beom sincere diligamus:

Porro illa verba: Ex omnibus viribus; non significant ex omnibus potentiis animue, sed omni virtute, et quod vulgo dicimus, pro viribus; nam in

graecis codicibus nihil est aliud nisi έξ όλης ίσχυος. quod tamen interpres nunc vertit ex omni virtute, nunc ex omni fortitudine, nunc ex omnibus viribus. Quare inepte Lutherus in assert. art. 31.contendit, hoc praeceptum impleri non posse, quia una quaedam ex viribus animae, nimirum appetitus sensitivus, non diligit Deum, cum tamen diligere jubeamur Deum ex omnibus viribus. Sed etiam si juxta priorem expositionem enumerarentur variae potentiae animae, ac juberemur illas omnes exercere ad gloriam Dei, adhuc nihil adversarii obtinerent. Quoniam enim praeceptum hoc assirmativum est, ideo dicendum esset solum praecipi, ut exerceremus eas potentias propter Deum, quando id necessitas gloriae ejus procurandae requireret, alio autem tempore si id fieret, opus esset consilii et supererogationis.

Jam vero quantum ad illam particulam: Ex toto, sunt etiam duae Patrum expositiones; Una est sanstorum, Augustini, Bernardi et Thomae, locis notatis, qui docent illud: Ex toto, significare, imperari nobis hoc mandato omnes gradus charitatis, quos vel in hoc mundo, vel in alio habere possumus, ila ut semper Deum amemus, et non sit in nobis ullus motus cupiditatis, neque voluntarius, reque involuntarius, cum Dei amore pugnans; ex juo recte deducunt hoc mandatum in hac vita perfecte impleri non posse. Quae sententia non pugnat cum sententia nostra, de consiliis evangelicis, tametsi non videtur admodum conformis sacris literis. Quod autem non pugnet cum sententia nostra, ex eo patet, quod iidem Patres affirmant, hoc praeceptum, licet non possit perfecte impleri in hac vita, non tamen facere praevaricatores, si non

impleatur. Ut autem id intelligatur, observandum est duobus modis posse aliquid praecipi: Uno modo, ut solum indicetur id quod faciendum est: Aliomodo, ut indicetur praecepto id quod faciendum est, et finis, cujus gratia id faciendum est. Si dicat imperator militibus, pugnate adversus illam urbem,. solum indicat id quod faciendum est: si vero dicat, capite illam urbem, indicat quod faciendum est et finem etiam illius operis; idem enim est, ac si diceret, pugnate ad hunc finem, ut urbem capiatis. Interest'autem multum inter hos duos modos praccipiendi; nam cum praecipitur priore modo, praevaricator est, qui non facit id totum quod praecipitur: cum vero praecipitur posteriore modo, non est praevaricator, qui non facit id totum, quod praecipitur, sed is tamen praevaricator est, qui non facit id, quod indicatur per modum medii ad finem. Praeceptum enim proprie non obligat, quatenus indicat finem, sed solum quatenus praecipit medium. Itaque si dicat imperator, pugnate, peccant milites, si non pugnent; si vero dixerit, capite urbem, non peccant si urbem non capiant, modo pugnent, ac pugnando dent operam ut illam ca-

Patres igitur supra citati, Augustinus, Bernardus, Thomas, existimant hoc praecepto: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, simul imperari medium et indicari finem; et ideo docent, non posse impleri perfecte hoc praeceptum in hac

vita et tamen non esse praevaricalorem, qui non persecte illud implet. Augustinus de spiritu et litera, cap. ultim. posteaquam dixerat. non posse impleri hoc mandatum in hac vita, addidit: Sed ideo nobis hoc eliam nunc praeceptum est, ut admoneremur, quid fide essposcere, quo spem praemittere debeamus. Et infra: Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi coanitioni plenae perfectaeque debetur.jam culpae deputandum est etc. Et lib. de perfectione justitiae: Cur, inquit, non praeciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? Non enim recte curritur, si quo currendum est nesciatur; quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur? Et ad finem ejusdem libri docet idem Augustiaus, motus involuntarios concupiscentiae, licet hoc praecepto prohibiti sint, tamen adeo non esse peccala, ut non sit opus dicere pro eis: Dimitte nobis debita nostra.

S, Bernardus serm. 50. in Cantica: Nec latuit. inquit, praeceptorem, praecepti pondus hominum excedere vires, sed judicavit utile ex hoc ipso suae illes insufficientiae admoneri, et ut scirent sane, ad quem justitiae finem niti pro viribus oporteret; Ergo mandando impossibilia non praevaricatores homines fecil, sed humiles. Sic etiam b. Thomas solum docet, hoc praeceptum imperfecte servari, quatenus indicat finem et in eodem sensu dicit, nullum gradum dilectionis esse in consilio, sed omnes in praecepto, quatenus videlicet hoc praeceptum continet et medium et finem. Nihil enim addi potest ad eam dilectionem, quae ut finis propenitur; finis enim sine mensura appetitur. Quare in eodem loco s. Thomas affirmat, nullum esse peccatum, non implere hoc praeceptum in tota sua latitudine, sed satis esse si aliquo modo observetur.

Quocirca remanet jam suus locus consiliis etiam circa hoc praeceptum. Nam etiamsi nihil possim addere huic praecepto, quatenus indicat finem, tamen possum addere quatenus indicat medium: et si non pecco, ex sententia sancti Thomae, si non amem Deum, nisi uno gradu amoris, certe non teneor in rigore amplius amare; implicat enim contradictionem, quod non peccem, non faciendo quod facere teneor; ergo si addam alterum gradum amoris, amo plus quam teneor, atque eo modo facio actum supererogationis et consilii.

Demonstravimus igitur, sententiam istam Patrum, non esse contrariam sententiae nostrae de consiliis evangelicis. Quod autem hace sententia non sit conformis divinis literis, mot ostendimus. Est igitur alia sententia, illud: Ex toto corde. non significare omnes actus cordis, vel omnem intentionem possibilem, ita ut imperetur, ut nibil corde agamus, nisi Deum diligere, idque summa vehementia amoris, sed solum ul amemus Deum praecipno amore, nibilque illi in amore anteponamus, vel aequemus; ac proinde solum in hoc praecepto contineatur id, quod faciendum est, non eliam finis ob quem faciendum est. Ex quo sequuntur sex quasi corollaria.

Primum est, huic praecepto adversari omnia peccata mortalia, quia in omni peccato mortali anteponitur creatura creatori. Secundum, huic praecepto non adversari amorem honestum affinium et amicorum, licet non referatur actu in Deum, quia non tenemur Deum solum amare, sed eum praecipue. Tertium, non adversari peccata venialia eidem praecepto, quia peccata venialia non mutant uttimum finem. Quartum, non adversari eidem praecepto motus involuntarios concupiscentiae, etiamsi rerum alioqui gravissimarum, ut infidelitatis, blasphemiae, edulterii etc. nam cum charitas Dei sit in voluntate, non adversantur ef, nisi motos voluntarii.Quintum, hoe praeceptum perfecte in hac vita servari posse, quia non exigit, nisi ut amemus Deum plus quam creaturas. Sextum, posse Deum ex tote corde magis et minus diligi; qui enim propter Deum abstinet se a licitis, magis diligit, quam qui solum se abstinct ab illicitis et tamen uterque diligit toto

Quod autem haec explicatio sit verior, et Scripturis conformior, quam superior, multis modis probari potest. Primo, quia in Scripturis passim ita accipitur illa vox: Totum, vel omnis, ut Matth. 2. Turbatus est Herodes, et omnis Hierosolyma cum illo. Et Actor. 2. Tota confunditur Hierusalem. In his enim locis significatur, magnam partem corum, qui erant in Hieruselem turbates fuisse, non autem omnes omnino, et tamen simpliciter Scriptum dicit: Omnis Hierosolyma turbata est. Et: Tota confunditur Hierusalem. Sic etiam Gen. 31. dicit Jacob: Scitis, quod totis viribus servierim patri vestro; et tamen multa alia eodem tempore Jacob fecerat. 2. Reg. 15. Toto corde universus Israel sequitur Absalon, aliaque id genus frequentissime inveniuntur. Scriptura enim utitur same communibus phrasibus. Vulgo autem absolute dicimus: Totus sum in hac re, vel totis viribus hoc agam, cum tamen nihil aliud significare velimus, nisi praecipua cora, ac studio nos incumbere.

Secundo, Scriptura docet hoc praeceptum esse facile, ac praesupponit servari posse, quod tamen non esset verum, si in hac vita impleri non posset. Douteron. 10. Et nunc Isräel quid Dominus Deus tuus petit a te, visi ut timeas Dominum Deum tuum, et diligas eum, ac servias ei in tuto corde tuo, et in tota anima tua. Et cap. 13. Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum in toto corde vestro, et in tota anima vestra, an non. Lucae 10. quaerenti jurisperito: Quid faciendo vitam aeternam possidebo? Domimus respondit: In lege quid scriptum est? quomodo legis? ait ille: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. Et Dominus: Hoc fac, et vives. Certe hacc omnia praesupponunt mandatum boc in hac vita impleri posse, alioqui in promptu fuisset responsio.

Tertio, promisit Deus se facturus, ut tempore novi Testamenti diligatur in toto corde, tota anima etc. Igitur aut Deus, quod esse non potest, mentitus est, aut hoc mandatum in hac vita simpliciter adimpletur. Deuteronom. 30. Circumcidet Dominus cor tuum, et cor seminis tui, ut diligas eum in toto corde, et in tota anima, ut possis virvee. Hieremise 24. Dabe eis cor, ut sciant me, et

erunt mihi in populum, et ego ero illis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde suo.

Quarto, multi hoc mandatum impleverunt; igitur in hac vita impleri potest. Deuteron. 30. Gaudebit Dominus in te, sicut gavisus est in Patribus tuis, si tamen revertaris ad eum in toto corde tuo, et in tota anima tua. 3. Reg. 14. Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et sequutus est me in toto corde suo. Ecclesiast. 47. De omni corde suo laudavit Dominum, et dilexit eum; qui fecit illum. 4. Regum 23. Similis illi non fuit ante. eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, et in tota anima sua, et in universa virtute sua, juxta omnem legem Moysi. Pselm. 148. In toto corde meo exquisivi te.

Accedat postremo consensus Patrum, qui nibil impossibile nobis a Deo mandatum esse docent. Vide Origenem homil 9. in Josue; Basilium in illud: Attende tibi; Hilarium in illud psal. 118. Latum mandatum tuum nimis; Hieronymum lib. 3. contra Pelagianos et Augustinum lib. de natura et gratia:, c. 69. qui auctor non solum in genere dicit, Deum nihil impossibile praecepisse, sed eliam in specie de mandato dilectionis: Quomodo, inquit, est grave, cum sit dilectionis mandatum?Et in psak 56. de hoe ipso mandato: Neque emim, inquit, imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut ab homine fieret. Ubi videtor Augustinus aut mutasse, aut certe explicavisse priorem sententiam. Bernardus etiam sermon. 50. in Cantica, etsi exposuit hoc mandatum uno modo de dilectione, quae hic perfecte haberi non potest, tamen magis propendet in sententiam hanc posteriorem, quam etiam sequitur Bonavent. in 3. dist. 27. art. 2. quaest. ult.et plerique doctores in eadem distinct.

Argumentum secundum. Dominus ait Matth. 7. de lege sua: Quam angusta porta est, et arcta via. quae ducit ad vitam, et panci sunt qui inveniunt eam. Quomodo ergo non errant, qui eam lantam et facilem praedicant, ut etiam dicant, posse hominem plus facere, quam lex exigat?

Respondeo:Idem Dominus ait de lege sua Matib. 11. Jugum meum suave est, et onus meum leve. Et David de lege Domini sub eadem metaphora ps. 118. Latum mandatum tuum nimis. Et apostolus 1. Joan. 5. Et mandata ejus gravia non sunt. Quare lex Domini difficilis est et facilis: difficilis ex natura sua, quia difficile est attingere medium, in quo virtus consistit, facile voro est aberrare a scopo; difficilior etiam redditur ex naturae corruplione; difficile enim est avaro facere eleemosynam, luxurioso continere etc. At faeilis est habenti gratiam et cheritatem ; gratia enim et naturam sanat et dirigit, atque inclinat ad medium attingendum; ut etiam difficile est homini pingui et onusto ingredi portam etiam utcumque latam, at hômini tenui et nudo non est difficile ingredi portam, etiam ulcumque angustam. Unde s. Leo serm. 5. de Epiphania: Nihil, inquit, arduum est humilibus, nihil asperum mitibus. Et b. Augustin. lib. de nalura et gratia, cap. 69. Omnia, inquit, sunt facilia charitatt. Et David psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum; certe autem qui currit, cum solum ambulare tencatur, plus facit, quam ei imperatum sit.

Argumentum tertium. In opere nostro semper aliquid deest: ergo numquam implemus legem: ergo multo minus possumus facere opera supererogationis. Probatur antecedens, quia Paulus ad Rom. 7. divit, se mente servire legi Dei, carne autem legi peccati; el Job verebatur omnia opera sua. Job 9. et Isaias cap. 64. vocal pannum menstruatae omnes justitias nostras; et David clamat psal. 142. ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Respondeo: Negandum esse antecedens; nam si nullo modo legem servare possemus, mentiretur Joannes, cum ait: Et mandata ejus gravia non sunt . 1. Joan. 5. et Dominus , com ait Matth. 19. Si vis ad vilam ingredi, serva mandata, juvenem illum non docuisset, sed delusisset, ac si dixisset: si vis in coelum ascendere, fac tibi remigium alarum et vola per äerem. Immo sequeretur hominem numquam peccare; non enim peccat qui non facit quod non potest, et Deus esset omni tyranno iniquior et crudelior, quippe qui tributum peteret quod nemo posset solvere, et hoe ab amicis suis peteret. Adde quod Basilius oratione in illud: Attende tibi, dicit impium esse asserere, aliquid impossibile Deum praecepisse, quod idem docent omnes Patres.

Ad primum ergo locum dico, Paulum loqui de motibus concupiscentiae involuntariis, qui non pec-

cata, sed poenae sunt.

Ad secundum dico, contrarium inde elici, ideo enim Job verebatur omnia sua opera, quia metue: bat ne aliquid in eis imperfectionis misceret; illi autem proprie metuunt, qui vident posse vitari malum quod metuunt; semper enim conjuncta sunt spes et metus; qui enim certo sciunt non posse vitari, desperant et dolent potius quam meluunt. Unde b. Gregorius in hunc locum scribens, ait: Ipsa bona nostra, quia insidiantis culpae evadere gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie timore muniantur, per sanctum virum nunc recte dicitur: Verebar omnia opera mea.

Ad tertium dico cum Hieronymo ibidem, prophetam loqui in persona gravissimorum peccatorum, qui si que opera bona faciebant, saltem moraliter, en inquinabant admixtione multorum oriminum; Nos autem non de peccatoribus, sed de justis loquimur, cum dicimus homines posse legem servare et etiam amplius facere. Nec tamen admittimus omnia opera peccatoris necessario esse pencata; nam Isaias non comparat opera peccatorum sordibus, sed panno sordidato, in quo sunt partes niti-

dae et partes maculatae.

Ad ultimum dico, cum Augustino lib. de perfectione justor. Hieronym.in epist. ad Ctesiphontem, et Gregorio in hunc psalmum, non posse heminem justificari coram Deo , quia nemo est, qui non ha~ beat peccata venialia, quae tamen non impediunt quin homo sit justus et multa opera bona faciar, etiam supererogationis; non enim dicit David, non justificabitur omne opus, sed emnis vivens; vel dicendum cum Arnobio., Hilario, Hieronymo et Eu-

thymio in hunc locum; non posse ullum justificari si comparetur cum Deo; tam sublimis enim est bei justitia, ut ejus comparatione omnis hominum et angelorum justitia, injustitia videatur, sicul candela accensa coram sole; non lucere, sed umbram facere videtur.

Argumentum quartum. Verba Christi Lucse 17. inquit Martyr: Cum feceritis bacc omnia, dicite. servi insuiles sumus, quas debuimus facere, fecimus, islud cominentum prorsus excludunt, at confirmator: nam servus quidavid est. Domini est. et

quidquid facit, Domino facere tenetur.

Respondeo: Petrum non egisse hoc loco fidelem martyrem, nam omisit en verba, in quibus latebat solutio. Non enim Dominus ait . cum feceritis omnia, dicite', servi imitiles sumus etc. Sed; cum feceritis haeo omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quae debuimus faeere, secimus. Unde Ambrosius lib. de viduls: Hoc. inquit . virgo non dicit, hoc non dicit ille, qui bona sua vendidit , sed quasi reposita exspectat praemia, sicut sanctus apostolus ait: Ecce nos reliquimus omnia, el segunti sumus te; quid ergo erit nobis? Non enim quasi inutilis servus. quod debuit facere, fecisse se dicit. sed quasi utilis Domino, qui commissa sibi talenta quaesitis multiplicavil usuris. mercedem fidei, alque virtutis. bene sibi conscius meritorumque securus, exspectal. Adde quod Dominus non ait, servi inutiles estis, sed dicite, servi inutiles sumus; vult enim nos humiles esse et non jactare nostra merita, sed ipse famen postea dieit: Euge serve bone et fidelis: inusilem autem servem vocabit eum dumtaxat. qui praeceptis non ebedierit, ut patet Matth. 24.in parabola de talentis: Inutilem, inquit, servum projicile in tenebras exteriores.

Ad confirmationem, fateor, servem, quidquid est, Domini esse, et quidquid agit, in lucrum Domini cedere. At non inde sequitur ex debito eum facere quidquid facil: quid enim si velit sibi de somno concesso aliquid subtrahere, ut pro Domino suo aliquid agat, nonne plus faciet quam tenetur?

Argumentum quintum. Jubemur quotidie dicere Deo: Dimitte nobis debita nostra: ergo numquani facimus quantum debemus:ergo multo minus facimus plus quam debenius. Respondeo: Quotidie nos Deo dicere: Dimitte nobis debita nostra, propter peccata venialia, quibus in hae vita aut numquam, aut raro caremus, quibus tamen non obstanlibus et justi esse et superevogationis opera facero possumus.

Argumentum sextum. Apostoli Mutth. 19. non solum non cogitaverunt de operibus sepererogationis, sed etiam de ipsa salute dubitarunt, dicentes: Quis poterit salvus esse? Quibus Dominus non ait. non solom salvi esse, sed etiam supererogare potestis, sed ait: Quod impossibile est hominibus, possibile est apud Deum. Respondeo: Apud homines impossibile esse et salvari et opera supererogationis facere; apud Dener utrumque esse possi-

Argumentum septimum. Hieremias dicit: Maledictus qui facit opus Dei negligenter, cap. 48. Nemo autem est, cui non subrepat aliqua negligentia: ergo nemo satisfacit debito suo erga Deum Respondeo: Loquitur de negligentia gravi, quae amicitam Dei tollat, unde in hebraeo תְּינֵים fraudem potius, quam negligentiam significat; sieut Hieronymus etiam vertit.

Argumentum octavum. Christus ait: Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos, Joann. 13. At Christus sic nos dilexit, ut pro nobis sit mortuus; ergo et nos debemus pro fratribus animas ponere, ut concludit Joannes, 4. Joan. 3. at hacc est summa charitas, cui nihil addi polest: Majorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam quis ponat pro amicis suis, Joan. 13. Ergo nullus remanet locus consiliis et operibus supererogationis. Respondes : Non tenemur animas ponere pro fratribus, nisi quando id necessarium est ad eorum salutem aetornam; si ergo id faciamus, cum non est necessarium, sed utile tantum opus consilii et supererogationis faciemus: et similiter si proximo benefaciam, quando non est in extrema vel gravi pecessitate, opus fecio supererogationis.

Argumentum nonum. Jubet Deus Deuteron. 4. nihil addi praeceptis suis; male ergo adduntur constitia. Respondeo: Jubet Deus nihil addi praecepto, quod ipsum corrumpat, non autem aliquid, quod ipsum perficiat; consilia autem perficiant, non corrumpunt praecepta, ut patet. Vide plura, si libet, de huc argumento in lib. 4. de pontifice, cap. 17.

Argumentum decimum. Ita sumus Deo obligati, ut non possimus unquam facere, quantum debemus: ergo numquam supererogamus. Antecedens patet; nam quidquid bahemus boni, ab illo bahemus: ergo omnia nostra sunt ei debita, et si millies pro Deo vijam ponemus, numquam tamen reddemus ei aliquid acquale.

Respondeo: Argumentum probat potuisse Deum a nobis exigere quid id possumus, non tamen voluisse. Constat enim ex divinis literis, Deum pro sua benignitate imposuisse nobis jugum suave et onus leve. Praeterea probat hos argumentum, numquam hominem posse facere plus quam debet, imme eliam nec quantum debel, si consideremus benelicia Dei nobis collata; numquam enim ei reddemus aequale; et tamen possumus facere plus quam debemus, si consideremus legem nobis a Deo impositam, et proinde possumus facere plus quam revera facere teneamur; nam etsi non possimus superare, aut aequare Dei beneficia nostris operibus, tamen non propteres rei efficieur, quis non teuemur id praestare, sed id solum, quod Deus imperavit.

Argumentum undecinum, Ad Philipp. 4. dicitur. Quod reliquum e t, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque honesta, quaecumque justa, quaecumque pura, quaecumque accommoda, quaecumque bani nominis, si qua virtus, et si qua laus, hace cagitate, quae et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me, hace facite, et Deus pacis erit vobiscum. Inveniant, inquit Petrur Martyr, isti acuti homines, quod huic praecepto Pauli superaddi possit. Respondeo: Haco omaia debore accipi nagative, ut sensus sit, Nihil cogitetis, neque agatis, uisi quod justum est, quod

verum, quod pudioum etc. Et hoc modo multa possunt superaddi affirmativa; alioqui si juberet Paulus, ut omnia, quae sunt vera cogitaremus, deberemus cogitare, non solum omnem Scripturam sanetam, sed etiam totam philosophiam, ac praesertim mathematicas demonstrationes, quae verissimae sunt.

Argumentum duodecimum. Te, inquit, interrogo, an possis aliquid facere ultra legem, vel non? si non potes, convenimus; si potes, ergo teneris id facere. Nam lex requirit omnes tuas vires et quidquid potes : ergo implicat contradictionem , quod possis ultra legem aliquid facere, Respondeo: Nego, legem requirere omnes vires et quidquid possumus, solum enim requirit, ut impleamus, quod praecipitur, sive nobis superent vires, sive non. Alioqui 1. ad Corinthios 7. Raulus non potuisset dicere de homine soluto: Quod vult, faciat: non peccat, si nubat. Sic enim arguméntabor i aut ille potest continere, aut non; si non.ergo tenetur nubere, ut Calvinus et Martyr docent; si potest, ergo tenetur continere; lex enim requirit quidquid possumus: ergo numquem datur tempus, quo licent dicere: Quod vult, faciat; non peccal, si nubat.

Argumentum decimumtertium. Non caret superbia et arrogantia infinita, ut dicas, te plus facere, quam tenearis, et Christo fit injuria non vulgaris, qui frustra dicetur mortuus; si valuisses legem praestare, aut plus efficere; quam in illa praeceptum fuerit.

Respondeo: Non timuisse istam superbiam infinitam illas tirgines, quae, teste Augustino, serm. 18. de verbis apostoli, dixerant: Amando te plus facimus, quam praecipis: neque Illos omnes Patres, quos supra citavimus. Sed hoc revera non caret superbia infinita, propter tam debiles ratiuneulas opponere se omnibus sacris doctoribus, immo et ipsi Scripturae, quod Petrus Martyr facit. Illud autem de Christo est manifesta calumnia; non emin dicimus, posse hominem suis viribus, aut sine Christi gratia legem servare, vel aliquid superaddere.

Argumentum decimumquartum. Nolle Deum plus amare, si plus possis, gravissimum peccatum est; ergo nihit potes superaddere, quod non debeas. Probatur antecedens; primo, quia negat Deum esse summum bonum, qui non vult eum amare quantum potest; secundo, quia abutitur Dei dono, qui potest plus diligere et non vult; nam posse plus diligere sine dubio Dei donum est. Adde. quod qui talentum abscondit, a Deo punitus est, Matth. 25. et peccatum est ingratitudinis, nolle facere quod potes pro eo, cui non potes referre paria.

Respondeo: Nelle plus amere si plus possis, esse pencatum, si ex contemptu id flat, vel si necessitas exigat majorem illum amorem; vel si id flat ex superbia, quasi putes te satis esse perfectum; vel denique si ex accidia et pigritia nolis ullo modo amplius proficere. Id enim repugnat statui viatoris, at si velis quidem plus diligere et proficere, sed juxta conditionem et gradum tuum, etiamsi nolis ad altiorem statum ascendere, quamvis possis, non peccas. Verbi gr. cui est imperatum, ut proficiscatur Venetias, si in media via consistat et nolit

progredi, peccat: At si velit progredi, sed per viam communem, non per compendia; et si velit in ipsa via ambulare, non currere, non peccat.

Igitur ad primum dico, illum negare Deum esse summum bonum, saltem factis, qui non vult eum summo amore diligere, idest, super omnia alia:qui autem diligit Deum super omnia, ille Deum habet pro summo bono, etiamsi eum non tam ardenter amet, quam forte posset, vel non faciat pro eo omnia, quae posset. Alioqui semper essemus perplexi, immo etiam semper peccaremus; quantum vis enim ardenter Deum diligamus, semper tamen videmur paulo ardentius posse diligere, si paulo amplius conemur.

Ad secundum dico, illum abuti Dei dono, qui eo non utitur quando est necessarium; qui autem paratus est eo uti, si necessarium sit, etiamsi numquam fortasse utatur, non dicitur eo abuti. Nam ille, cui Paulus dicit 1. Cor. 7. Quod vult, faciat, sine dubio potáit continere et tamen ei dicitur: Non peccat, si nubat. Et b. Augustinus de bono cenjugali cap. 21. dicit: Abrahamum habuisse donum continentiae, non minus, quam Joannes habuerit, ita ut potuerit semper continere et tamen numquam continuisse, ne in extrema quidem senectule:et Joannem evangelistam habuisse donum putiendi martyrium, non minus quam Petrum: et tamen non exercuisse illud donum, ut fecit Petrus: Accusare autem Abrahamum, vel Joannem, quasi donis Dei abusi sint, extremae dementiae est.

Ad illud de ingratitudine dico, non esse ingratum benefactori eum, qui benefactori adest, cum necessitas ejus id postumt, aut cum ipse operam nostram requirit, et qui voluntati ejus satisfacit. Porro Deus contentus est ut legem ejus servemus, neque aliud a nobis requirit, etiamsi possimus plu-

ra praestare.

Ad illud de talentis dico, servum illum fuisse damnatum, quia habucrat praeceptum negotiandi: quomodo nune qui habet talentum concionandi et simul habet praeceptum, quia est episcopus, punictur, si non concionetur. At qui habet idem talentum, sed non habet praeceptum, non punietur, ut patet de sancto Antonio etc.

# CAPUT XIV.

Explicatur nomen, et definitio voli.

Sequitur Disputatio tertia, quae est de votis monasticis, cujus disputationis sex erunt partes. Primum enim exponemus breviter nomen et definitionem voti. Deinde, explicabimus seutentiam adversarierum. Tertio, probabimus omme quod fit ex voto esse cultum Dei. Quarto, vota non esse propria Judaeorum, sed etiam a Christianis recte fieri ostendemus. Quinto, de rebus praeceptis, qualis est promissio facta in beptismo, non solere proprie fieri vota. Sexto, de rebus non praeceptis, ac nominatim de continentia, paupertate et obedientia, vota recte fieri demonstrabimus.

Quoad primum, nomen voti apud Latinos ambiguum est; significat enim promissionem et orationem ac desiderium; dicimus enim, suscepi volum continentiae, idest, promisi Deo continentiam; item, pro voto mihi continentia succedit, idest, ut desiderabam, et vota pro continentia Deo fadi, idest, precatus sum a Deo continentiam. Apud Graeeos non est idem nomen pro voto et oratione, tamen sunt duo affinia nomina; nam ἐυχὴ significat votum, προσευχή, orationem. Apud Hebraeos vot? et orationis nomina nullam habent affinitatem; votum enim dicitur לקלה oratio מפלה cujus rei ea est ratio, quod apud Graecos et Latinos, cum haec nomina inventa sunt, vix erat ulla vera pietas, et idee nihil homines Deo, vel Diis vovebant, nisi ad id, auod desiderabant impetrandum, et propteres semper votis annectebant preces, juxta illud Virgilii Aeneidos 6. Cessas in vota precesque.

Hinc igitur Graeci, ut observavit Gregorius nyssenus orat. 2. orationem dominicam, vocaverunt orationem προσευχήν, quia post votum fiebat, quod vecabant ευχήν. Latini autem (ut diximus) eodem nomine promissionem Deo factam, et preces ad Deum appellabant. At Hebraei, quia Deum pie colebant, et absoluta etiam vota facere consueverant sine ulla relatione ad preces, ut nos quoque Christiani facimus, propterea propriis et diversis nomi-

nibus, haec duo nominabant.

Potest autem definiri volum? Religiosa promissio alicujus excellentieris boni, Deo facta tibera voluntate. Promissio dicitur, quasi contractus quidam inter Deum et hominem. Nec enim sufficit ad votum, proposuisse ac statuisse aliquid facere, nisi etiam promittatur; votum enim includit obligationem unius ad alterum; non enim obligat votum solum ratione veritatis, idest, quia tenetur qui vovit, verum facere quod dixít, sed etiam ratione fidelitatis, quia tenetur alteri fidel d'atam servare. Haec autem obligatio non potest nasci ex proposito solo, quod quis apud se concipit, sed necessario promissionem requirit. Religiosa dicitur, ut significetur, cujus virfutis actus sit votum, nimirum religionis.

Est autem observandum, in voto semper esse duas actiones, alteram materialem, alteram formalem. Materialis est, de qua fit votom, ut jejunare, sacrificare etc. Formalis est ipsa promissio jejunandi, vel sacrificandi et promissionis adimpletio. Quare formalis actio semper est actus religionis; materialis autem interdum est religionis, ut si quis voveat quotidie sacra facere, interdum alterius virtutis, ut si quis voveat sexta leria semper jejunare. Excellentioris boni dicitur, ut determinetur materia voti, nec enim voveri potesi, nisi id, quod melius sit facere, quam omittere.

Ex quo perspicuum est, quinque rerum genera excludi a materia voti. Primo, peccata, ut cum Judaei voverunt se occisuros Paulum, Actor. 23.nam vovere peccata.non est Deo munus promittere, sed minari. Secundo, opera indifferentia, ut non ire ad forum; non enim potest Deo placere, quod est vanum et inutile: Displicet enim ei stulta promissio, Eccles. 5. Tertio, opera impossibilia, ut si quis voveat se profecturum in Hierusalem sine navi. Quarto, opera necessaria, ut si quis voveat se moritu-



rum quando placuerit deo. Quinto, opera bona, quae tamon majora bona impediunt, ut si quis voveat se ducturum uxorem. Quamquam hoc ipsum certo tempore, ac certae personae potest esse melius facere, quam omittere: proinde tum erit legitima voti materia, etsi absolute contra judicandum sit.

Deo Facta dicitur, ut intelligamus, vota differre a juramentis, licet ulraque sint actus religionis, et in materia fere conveniant; vota enim flunt Deo, juramenta hominibus per Deum. Non autem hine excluduntur vota, quae flunt sanctis; nam vel ea sunt vota materialiter, non formaliter, ut quidam docent, qui existimant in votis sanctorum duas esse promissiones; unam sanctis, quibus aliquid promittiur; alteram Deo, cui promittitur adimpletio promissionis factae sanctis, et hanc solam proprie votum esse dicunt; vel (quod verius puto) vota flunt vere sanctis, sed ut sancti sunt, idest, ut excellentissimo modo participant Dei naturam et gloriam, de qua re disputavimus in lib.3.de Ecclesia triumphante cap. 10.

Addimus ultimo: Libera' voluntate, ut distinguatur volum a lege communi; volum enim est lex quaedam privata, et obligat more legis, sed lex communis obligat etiam noientem et invitum; votum autem est lex, quam nos ipsi nobis ferimus, et proinde non obligat, nisi eum, qui sponte votum fecerit, et hine non habentur rata vota facta ante usum rationis, nec ea, quae propter ignorantiam, aut metum censentur involuntaria.

CAPUT XV.

Explicatur status quaestionis.

Jam vero, ut breviler explicemus, quibus in rebus ab adversariis dissentiamus. Lutheri et Calvini sententia eadem esse videtur; uterque enim tria quaedam de votis docet. Primum, vota ad colendum Deum non posse fieri, nisi de rebus praeceptis, proinde unum esse commune votum fidelium, promissionem illam, quam facimus in baptismo.

Secundum, vota de rebus a Deo non praeceptis posse fieri, si non ad colendum Deum, aut satisfaciendum pro peccatis, sed ad negotia hujus vitae expeditius peragenda, aut ad vitanda peccata, aut ad alios bonos fines fiant: exempli caussa docet Calvinus, eum, qui saepe in vitium ebrietatis labitur, recte facturum, si voveat, se triduo aquam bibiturum, si iterum inciderit in ebrietatem; quomodo etiam existimat, apostolorum tempore viduas quasdam vovisse continentiam, ut expeditius fungerentur munere diaconissarum.

Tertium, vota monachorum impia, irrita et omnino solvenda esse, quod flant cum opinione cultus, et tamen de iis rebus sint, quas Deus nusquam praecepit. Haec omnia Lutherus docet in lib. de votis monasticis, et Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 43. Nec dissimilia docent Confessio Augusta-

BELIA GRAINI. Vol. 11.

na art. 27. et Confessio Wirtembergensis, cap. de votis monasticis.

Petrus Martyr in lib. de coelibatu et votis monasticis, duo dicit pugnantia cum doctrina Lutheri et Calvini. Primum est, vota in Testamento veteri fieri potuisse, ut etiam sacrificia et caeremonias caeteras; în novo testamento fieri non posse, cum sint âbrogata cum reliquis judaicis caeremoniis. Secundum est, promissionem, quae fit in baptismo, non esse votum; in tertio dicto cum Luthero et Calvino concordat.

CAPUT XVI.

Omne quod fit ex voto, esse cultum Dei.

Ut igitur ad disputationes veniamus, statuo hanc propositionem: Omne quod fit ex voto, etiamst a-tioqui non sit a Deo pracceptum, vere et proprie est cultus Dei. Haec propositio est contra Lutherum et Calvinum, qui vota de rebus non praeceptis, docent non posse fieri ad colendum Deum; quasi aliqua esse possint vera vota, quae non sint cultus Dei. Probo igitur positam assertionem.

Primo, vovere est actus religionis, ergo et reddere sive implere votum est actus religionis, sive fiat de re praecepta, sive non praecepta. Probatur antecedens ex illo Isaiae 15. In illo die cognoscent Aegyptii Dominum, et colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt et solvent. Ubi posteriora sunt explicationes priorum; vota enim munera sunt. Praeterea haec est natura voti, ut rem alioqui non ordinatam ad Dei cultum, ordinet ad cultum Dei, juxta illud Deuter 12. Quidquid sanctificaveris et voveris etc. Denique, satetur Calvinus lib. 4. cap. 13. § 2. vovere esse officium religionis. Probatur jam consequentia; nam promittere et solvere, ad eamdem virtutem pertinent; sed per id, quod fit ex voto, etiamsi non praeceptum, impletur votum: ergo per id colitur Deus.

Secundo, omne votum est promissio Deo facta, ut etiam Calvinus docet initio cap. 13. lib. 4. Instit. ergo votum quodeumque implere, est fidem Deo servare; at servare Deo fidem, est Deum immediate colere et honorare; sicut e contrario fidem ei non servare, est injuriam illi facere: ergo cujuslibet voti impletio cultus Dei est.

Tertio, omne juramentum est cultus Dei, etiamsi fiat de re non praecepta; ut, si quis juret, se non bibiturum vinum, ut Calvinus ipse affirmat lib.

2. cap. 8. § 23. Institutionum: ergo et votum de re eadem erit cultus Dei. Probatur consequentia: nam adeo similia sunt juramenta et vota, ut in Scripturis saepe juramentum pro voto accipiatur, ut patet Numer. 30. Si mulier, inquit Scriptura, habens virum voverit aliquid, et verbum de ore egrediens, animam ejus obligaverit juramento, voti rea erit, reddet quod promisit etc. Praeterea, sicut per juramentum de re non praecepta faciene da, honoramus Deum, quia protestamur, eum esse immutabilem veritatem, et veritatis assertorem; ita per votum de re non praecepta, sed tamen bona,

Deum honoramus, quia protestamur ei, ul summo bono, placere actus virtutum.

Quarto, solvere ex voto aliquid non praeceptum, sed tamen bonum, falsis Diis, est peccatum, et non aliud, quam idotolatriae: ergo solvere Deo vero ex

voto rem eamdem, erit actus latriae.

Quinto, si quis voveat abstinere per tridium a vino et non faciat, sine dubio peccat: at non peccat peccato intemperantiae; non enim est actus necessarius temperantiae abstinere a vino: ergo peccat, quia Deum afficit injuria, non servando illi fidem: ergo si abstineat, Deum honorat.

Sexto, omni actu virtutis etiam non praecepto, nec ex voto facto, sed facto tamen-propter Deum, colitur Deus: ergo multo magis, si is actus fiat ex voto, eo Deus coletur, Probatur antecedens, Primo, Scripturae testimonio: nam Lucae 2. dicitur Anna servisse Deo jejuniis et orationibus, et est verbum larpevova, quod proprie cultum significat, Philippen. 2. Repletus sum acceptis ab epaphrodito, quae misistis in odorem suavitatis, hostiam placentem et acceptabilem Deo. Hebr. ult. Beneficentiae et communicationis notite oblivisci; tatibus enim hostiis promeretur Deus. Jacobi 1. Religio munda apud Deum est visitare pupillos et riduas etc. Quae omnia intelliguntur etiam de e-

leemosyna non praecepta:

Secundo, ex Patribus. Nam Tertullianus lib. de resurrect. carnis, ait: Nam sacrificia Deo grata, conflictationes dico animae, jejunia. et seras, et aridas escas, et appendices hujus officii sordes. Caro de proprio suo incommodo instauratur, virginilas quoque, et viduitas, et modesta in occulto matrimonii dissimulatio , et und notitia ejus, de bonis carnis Deo adolentur. Epiphanius haeres. 48. virginitatem et abdicationem rerum vocat approbatum Dei cultum. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum: Illa, inquit, virginitas hostia est Christo, cujus nec animum cogitatio, nec carnem libido maculavit. Augustinus lib.de bono viduitatis, cap. 9. de continentia loquens: Nulla, inquit, Christo subtrahatur oblatio etc. Et lib. 10. de Civit. Dei, cap. 6. sacrificium vocat omne opus bonum propter Deum factum; certam autem est, sacrificium proprie cultum esse Dei.

Septimo, votum de re praecepta non est verum et proprium votum, nisi quatenus res illa concipitur ut non praecepta, ut paulo post ostendemus; igitur vel votum de re non praecepta cultus Dei est, vel nullum votum est cultus Dei, sed hoc est

falsum, ergo illud verum,

Octavo, si votum de re non praecepta, non est cultus Dei: ergo nec ipsum vovere absolute est cultus Dei; nam ipsum vovere nusquam est praeceptum. At hoc est contra ipsum Calvinum, qui do-

cet, vovere esse actum religionis.

Nono, probatur exemplis Scripturarum. Nam primum votum legitur, Genes. 28. Votum vovit Jacob, si fuerit Dominus mecum etc. erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi, vocabitur domus Dei, cunctorumque quae dederit mihi, decimas offeram tibi. Qued hoc sit votum de re non praecepta, patet, quia alioqui peccasset Jacob faciendo votum conditionatum de re prae-

cepta. Quod autem hoc votum fuerit factum ad colendum Deum, patet, nam habere lapidem pro domo Dei, idest pro ara et offerre decimas, sunt actus religionis. Aliud votum fuit Davidis de exstruendo templo, de quo psalm. 131. Votum vovit Deo Jacob etc. quod hoc votum fuerit de re non praecepta, patet ex lib. 2. Regum, cap.. 7. ubi Deus audito hoc voto Davidis, et laudata ejus voluntate, dicit se non praecepisse, ut sibi fleret templum, nec velle fleri a Davide. Quod autem-David hoc loco voluerit colere Deum, patet, quia exstruere templum est actus religionis.

Denique omnia vota, quae leguntur in Scripturis, Levitic. 27. Num. 6. et 30. Deuteron. 12. et 23. vota erant de rebus non praecéptis, ut ex ipsis locis patet, et tamen quod placerent Deo. patet, quia severissime illorum solutionem exigebat: Si votum voveris, inquit Deuter. 23. non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: si nolueris politiceri, absque peccato eris. Ubi clare vides, votum libere factum, a Deo severe exigi.

Sed solvamus argumentum illerum. Si igitur argumentantur:Omnis cultus voluntarius, idest, quem Deus non praecepit, Deo placere non potest; ergo non debet fieri votum de re non praecepta ad colendum Deum. Probatur antecedens; nam Coloss.

2. apostolus reprehendi omnem έθελοθρησκείαν, sic enim est in graeco, quad noster interpres vertit, superstitionem, et Rom. 14. ait: Quad non est ex fide, peccatum est. Quibus verbis indicat, peccatum esse id aggredi, quad fides ex verbo Dei concepta non ostendit, qualiter a Deo aestimetur, tales autem sunt omnes cultus voluntarii.

Ad illud, ad Colossens. 2. de έθελοθρησκεία, quidam respondent, Paulum eo loco non accipere in malam partem cultum voluntarium, sed in bonam; tamen quia vulgata editio vertit, superstitionem, et Hieronymus in epist. ad Algasiam, quaest. 10. Augustinus in epist. 59. ad Paulinum, quaest. 7.Ambrosius, Theodoretus, Occumenius et alii omnes in hunc locum, accipiunt eam vocem pro simulata religione, dicendum est, apostolum hoc loco voluntarium cultum appellare non eas actiones.quae non sunt a Deo praeceptae, id enim repugnaret plurimis Scripturarum testimomis, ut jam probavimus, sed eas, quae nec a Deo probatae, vel commendatae sunt, nec revera ex natura sua sunt materia cultus, sed sunt res inanes, et tamen ab aliquibus usurpantur quasi essent cultus; quales sunt qui dicuntur soperstitiosi cultus, ut cum aliqui ponunt religionem in numero lotionum, at Judaci olim faciebant, et Torcae hoc tempore faciunt, qui putant valde se colere Deum, si toto corpore saepius loto ad orandum accedant, loquitur enim apostolus de iis, qui se abstinebant a cibis quibusdam, tamquam natura sua immundis, et in eo ponebant religionem, si tales cibos numquam attingerent.

Ad illudex Rom. 14. dico, cum communi expositione veterum, fidem accipi pro conscientia, ut sensus sit, peccatum esse id omne, quod fit contra conscientiam. Sed admissa etiam Calvini expositione, non video, qua ratione inde colligatur, non



placere Deu cultus, quos ipse non praecepit; nam fides ex verbo Dei concepta, non ostendit solum placere Deo, quae ipse praecepit, sed etiam quae ipse consuluit; et quae neque praecepit, neque consuluit, sed tamen ex se bona sunt: ut patet ex infinitis locis, ubi jubet sibi reddi vota sponte facta.

#### CAPUT XVII,

Non fuisse Judaeorum proprium vota facere, sed cum Christianis etiam id esse commune.

Refellenda nunc est Petri Martyris sententia, qui in libro de votis et coelibatu contra Smithaeum adversus omnes, tum catholicos, tum haereticos, omnia omnino vota Christianis interdicit: Quare, inquit, ut aliae caeremoniae per Christum sublatue sunt, ita et vavendi ratio debet facessere. Et infa: Quare votum, licet antiquitus potuerit usui esse, cum ad legis caeremonias pertineret, modo explosum est.

Hace sententia primo refellitur ex illa praedictione, Isaiae 19. Colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent. Hace enim de Christianis praedicta esse, s. Hieronymus, s. Cyrillus et caeteri omnes in commentario hujus

loci apertissime docent.

Respondet Martyr: Haec quidem de Christianis dici, sed per vota et hostias non intelligi vera vota, verasque hostias, sed cultum spiritalem et Christianum. Dicit enim, Isaiam, cum Judaeis loquere-tur, per ea, quibus tunc Deus colebatur, explicare voluisse cultum postea futurum; non enim aliter Judaeos intellecturos fuisse, quae dicebantur.

Sed refellitur þaec solutio;nam in primis etiamsi non habeamus easdem hostias, neque eadem vota, quae Judaei habuerunt, tamen si nulla haberemus, male explicuisset Isaias cultum Christianum per hostias et vota; non enim explicatur aliquid per id, quod nullo modo ei simile est.Longe melius explicuisset per contradictorium, si dixisset: Non co-lent hostiis, nec vota vovebunt; tunc enim omnes intellexissent cultum quidem futurum, sed non qualis tunc erat. Praeterea expositio ista Petri Martyris non potest probari, nisi assumatur ut certum id, quod est in quaestione. Nam si petas ab eo, cur illa verba: Vota povebunt et solvent, exponere velit metaphorice potius, quam proprie, nihil aliud respondebit, nisi quia proprie exponi non possunt. cum apud Christianos nulla essent futura vota. At hoc est, de quo contendimus: An Christiani sint vota facturi, et cum ille neget, nos asseramas, quis non videt verbum Dei nobis favere, cum de Chrislianis dicat: Vota vovebunt et solvent.

Secundo, idem probatur ex illa exhortatione.ps. 75. Vovate et reddite Domino Deo vestro etc. tametsi enim Petrus Martyr contendat, haec Judaeis tantum dici, tamen longe aliud docent sancti Patres, ex quibus b. Augustinus hunc locum ita enarrat, non Judaeis, sed Christianis loquens: Quis

que quod polest voveat et reddat, non sitis pigri ad vovendum; non enim viribus vestris implebilis.

Tertio, idem probatur ex illis verbis b. Pauli prioris epistolae ad Timotheum cap. 5. ubi de viduis quibusdam dicit: Cum luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quo loco per primam fidem omnes omnino interpretes, tum Graeci, tum Latini, intelligunt volum continentiae. Sanctus Augustinus in psalm. 75. Quid est, inquit, primam fidem irritam fecerunt? voverunt, et non reddiderunt. Sed de hoc loco infra fuse disseremus, nunc solum innuisse sufficiat. Omnia quoque testimonia et argumenta, quae proferemus, ad probandum vola monastica esse licita, huc etiam referri possent.

Ultimo, votum non est caeremonia judaica, nulla igitur caussa est cur solis Judaeis, et non etiam Christianis liceat vovere; mam in primis vovendi actus sola mente perfici potest, Tametsi enim ore quoque vovere solemus, tamen etiam sine ulla voce solo cordis motu votum emitti potest: caeremoniae autem omnes res sunt exteriores et sensibiles, ut notum est; non igitur vota ad caeremonias, sed ad internum cultum pertinent. Deinde, licet vota caeremoniae essent, non continuo judaicae essent; multae enim sunt caeremoniae omni hominum generi et omni religioni communes, ut genua ficciere ad orandum, manus attollere, coelum aspicere, tundere pectus. Et denique, illae solae dicuntur proprie judaicae caeremoniae, quae vel a Moyse sunt institutae, vel Christum venturum significabant, quamvis ante Moysem coeperint; et proinde Christo adveniente cessaverunt.

Porro vota non coeperunt a Moyse; nam Jacob patriarcha votum vovit, Genes.28. longe antequam Moyses nasceretur; neque vota ad Christum venturum significandum instituta sunt. Quid enim habent cum Christo venturo vota jejuniorum, continentiae', eleemosynarum, et similia? Nec demum cum Moyse cessarunt. Nam licet in Ecclesia Christi post evangelii plenam promulgationem cessaverit circumcisio, sacrificia ovium ac boum et alia id genus, tamen vota numquam cessarunt, ut patet vel ex uno loco sancti Augustini : siquidem in illud psalm. 75. Vovete et reddite, sic ait de Christianis sui temporis. Alius vovet Deo castitatem conjugalem, ut praeter uxorem non noverit aliam. Alii etiam vovent, etsi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere, et ipsi voverunt aliquid majus, quam illi. Alii virginilatem ipsam ab ineunte aetate vovent, ut nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt, et reliquerunt; et isti voverunt plurimum. Alii vovent, domum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus, magnum volum vovens. Alius vovet, relinquere omnin sua, distribuendo pauperibus, et ire in communem vitam, in societatem sanctorum, magnum votum vovit. Haec ille.

Ac ne forte respondeatur, vovendi caeremoniam esse jure abrogatam, sed non facto, ac non defuisse qui voverint, sed eos fecisse, quod non licebat:

considerandum est, non qualescumque homines, sed doctissimos et sanctissimos, ut Augustinum, Basilium, Hieronymum, Bernardum, aliosque permultos vota vovisse et laudasse, quorum testimonia postea afferentur. Nune Augustinum sufficere posse putavi, praesertim cum id adversarius noster non neget.

Respondet enim Martyr: Non esse curandum, quod homines, etiamsi inculpati, et sine controversia Deo grati, fecerint, quia non illorum vita, sed verbum Dei est regula nostrae fidei. Quod quidem accepit Martyr a Luthero, qui in libro de abroganda missa fusissime docet, non esse cogitandum, quid sancti fecerint, sed quid facere de-

buerint secundum regulam verbi Dei.

At quomodo, quaeso, potest fieri, ut inculpati et Deo grati fuerint, qui vota frequentarunt in Christi Ecclesia, si vota ad caeremonias judaicas pertinent? Certe, si qui hoc tempore vel circumcisionem, vel sabbathum, vel sacrificia cruenta publice celebrarent, nullo modo inculpati et grati Deo esse possent, praesertim si nulla ignorantia laborarent. Si ergo vota similia sunt circumcisioni et sacrificiis cruentis, ut Martyr affirmat, quomodo inculpati et grati Deo fuerunt Basilius, Augustinus, Bernardus, et alii doctissimi viri, qui vota fecerunt et aliis facienda suaserunt?

Deinde non est nostra quaestio, verbum Dei ne, an exempla sanctorum pro regula fidei et morum habere debeamus, sed utri verbum Dei melius intellexerint. Petrus Martyr, Calvinus, Lutherus et similes homines, an viri illi, quos sanctissimos et doctissimos fuisse utrique confitemur: exempla enim sanctorum non repugnant verbo Dei, sed explicant, aut declarant, ideo et apostolus dicebat : Imitatores mei estote. Et Christus, Matth. 5. viros sanctos comparat lucernae positae super candelabrum, quae lucet omnibus, qui in dome sunt. Neque huio veritati repugnat, quod etiam sancti interdum labuntur, ut palet de ebrietate Noe, de adulterio Davidis, de simulatione b. Petri, quam Paulus reprehendit; non enim-omnia facta sanctorum imitanda esse dicimus, sed ea solum, quae neque pugnant aperte cum regula fidei, neque inveniuntur vel a Scriptura, vel ab aliis sanctis viris reprehensa, sed contra potius a piis et doctis passim landala. Ejusmodi autem esse vota, nemo negare potest, nisi qui vel nibil legerit, vel nibil credat.

## CAPUT XVIII.

Solvuntur objectiones.

Sed audiamus nunc objectiones Petri Martyris, ut videamus, an habuerit aliquam, si non justam, saltem probabilem caussam recedendi a communi sententia omnium pene tum catholicorum, tum haereticorum.

Objectio prima. In Testamento veteri frequens est mentio votorum, in novo ne nominatur quidem votum, nisi cum sermo est de votis judaicis, ut

Actor. 21. igitur vota ad caeremonias juduicas per-

Respondeo: Nomen voti in Testamento novo non habetur, res tamen habetur, ut ostendimus ex apostolo, et infra clarius ostendemus. Sed etiamsi non haberetur, sufficerent testimonia veteris Testamenti cum usu et explicatione Ecclesiae. Moralia enim praecepta, vel documenta Scripturae veteris, non minus ad Christianos, quam ad Judaeos pertinent; idcirco enim assidue in Ecclesia leguntur psalmi, quod pleni sint moralibus documentis.

Et sane, si Martyris argumentum valeret aliquid, concluderet etiam, usuram Christianis non esse prohibitam; nam usura in psalmis et prophetis passim prohibetur, in Testamento novo non legitur prohibita sub nomine usurae, colligitur quidem usurae prohibitio ex illo loco: Mutuum date, nihil inde sperantes, Lucae 6. sed multo obscurius, quam votum colligatur ex illis verbis Pauli, quia primam fidem irritam fecerunt. Nam isfa verba omnes Patres, de vote intelligunt, illa non omnes intelligunt de usura; nam s. Basilius in commentario psalm. 14. s. Ambrosius in lib.de Tobia cap. 16. s. Hieronymus in commentar.in Ezechiel:cap. 18. et aliqui recentiores contendunt in illis verbis non prohiberi usuram.sed consilium dari divitibus, ut dent mutuo sine ulla spe sortem ipsam recuperandi.

Si igitur usura jure divino prohibita est Christianis, licet expresse ejasmodi prohibitio non habeatur nisi in veteri Testamento, quanto magis religio vovendi licita erit Christianis, cum et res et nomen voti in Testamento veteri, res autem in novo ex-

presse contineatur?

Secunda objectio. Quotquot fidem Christi profitemur, eo ipso toti sumus illi obstricti; quid igitur voto nos rursus ei tradimus? Ridienlus porro haberetur filius, qui tabulis obsignatis atque testibus vellet sese patriae potestati subdere. Idcirco qui vota nuncupant, aut se fateantur non esse Dei, aut intelligant quam vovendo stulte agant, dum, quemadmodum dicitur, actum agunt. Lege cavit Deus, ne Isräelitae primogenita ex pecoribus sibi voverent, non alia sane ratione, nisi quod jure sibi debebantur. Propterea cum nos jam Christi membra simus, et Deo omnibus modis obstricti, non minus quam primogenita antiquitus erant, non est permittendum ut voveamus. Haec ille.

Respondeo dupliciter. Primo, retorquendo argumentum; nam quemadmodum Christiani Deo sunt obstricti ratione creationis et redemptionis, sic etiam Judaei obstricti erant Deo ratione creationis et liberationis de Aegyplo, igitur etiam Illi vovere

non poterant, ne aclum agerent.

Respondet Petrus Martyr: Nos quidem vovere non posse, quia non solum Deo obstricti sumus, sed etiam soimus obstrictos nos esse luce jam evangelii coruscante; illi autem vovere poterant et debebant, ut admonerentur hac veluti paedagogia perpetuo debito se, ac sua omnia Deo obstricta esse.

At nullo negotio haec solutio refelli potest; nam qui apud Judaeos vovebant, non erant solum imperiti aliqui homines, sed etiam prophetae sapien-

tissimi, qui melius noverant debitum nostrum cum Deo, quam ulli nostrum sciant. David propheta sapientissimus: Votum vovit Deo Jacob, psalm. 131, et principes ad vovendum hortatus est, lib. 1. Paralip, cap. 29. ubi haec addidit, ut nos obstrueret Petro Martyri, judicans se et suos non ignorare o-mnia esse Dei: Quis, inquit, ego, et quis populus tuus, ut possimus tibi haec universa promittere? Tua sunt omnia et quae de manu lua accepimus, dedimus tibi. Praeterea, si Judaei hoc ignorassent, non potuissent per vota hujus debiti admoneri, sed potius contrarium ex sua vovendi consuetudine colligere potuissent; nam si non possumus vovere Deo, quae ipsius sunt, qui vovet, admonetur se aliquid habere quod non sit Dei. Itaque paedagogiam valde malam Deus Judaeis tribuisset, si esset vera Martyris sententia. Voluisset enim eos assuescere faciendis votis, ut admonerentur omnia esse Deo obstricta et interim contrarium eveniret.

Respondeo secundo ad argumentum directe: Nos et omnia nostra Deo esse debita et obstricta in hocsensu, quod omnia ab illo accepimus, et ejus beneficio retinemus, et proinde potest ille, si velit, omnia repetere, et nos tenemur quidquid ille jusserit facere. Tamen quia ille multa nobis libera relinguit, in quibus possumus pro arbitrio, hoc aut illud facere, idcirco multa sunt Dei et nostra simul; Dei, quia ejus beneficio illa habemus; nostra, quia possumus pro arbitrio de illis disponere, dummodo non contra Deum. Quocirca quando vovemus, et offerimus aliquid Deo, de rebus ejus damus, et tamen vere damus, quia res illae etiam nostrae erant, et potuissemus non dare. Unde concilium arausicanum can. 11. Nemo. inquit, quidquam Domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur, quae de manu tua accepimus, damus

Ad illud exemplum filiifamilias, qui ridiculus esset si tàbulis obsignatis se subdere vellet patri, Respondeo: Filiumfamilias ridiculum fore si tabulis obsignatis se patri subdere vellet in iis rebus, in quibus necessario parere tenetur, et de quibus imperium patris jam habet; at non fore ridiculum si in iis rebus se subdat, in quibus alioqui sui joris erat. Nec enim parentes possunt omnia quae volunt filiis imperare, et in iis etiam quae possunt, saepe non imperant, sed dant filiis optionem; exempli caussa, liberum est filiis uxorem ducere, vel non ducere, nec possunt in ea re a parentibus cogi, si tamen quis patri polliceatur se facturum in eo negotio, quod is imperaverit, tenebitur stare promissis.

Ad illud autem de primogenitis pecorum, quae Deo voveri non poterant, quia Dei erant, Respondeo: Hoc ipsum senientiae nostrae favere; nam ideo primogenita pecorum voveri non poterant; reliqua autem voveri poterant, tametsi omnia Dei sint (Domini enim est terra, et plenitudo ejus, psalm. 23): quia Deus Levit. 27. non reliquerat Judaeis liberam dispositionem primogenitorum, ut reliquerat rerum caeterarum. Sic igitur et nos non vovemus ea quae non sunt in nostra potestate, sed ea solum, quae Deus libera nobis reliquit.

Sed instat Petrus Martyr. Nihil est liberum nihil indifferens in particulari, licet in genere dicantur quaedam ἀδιάφορα, quia nec omnibus, nec omni tempore conveniunt. Nam cum aliquid occurrit expetendum, vel rejiciendum, aut illud repugnat saluti propriae vel aliorum, et necessario rejiciendum est; aut conducit salutari propriae vel aliorum, et necessario expetendum est, si vere Deum et proximum diligimus.

Respondec: Falsum esse membrum hoc postremum; non enim necessario expetendum est, quod conducit saluti propriae vel aliorum, alioqui non diceret Dominus, Deut. 23. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Neque apostolus diceret, 1. Cor. 7. Quod vult, faciat; non peccat, si nubat. Qui enim potest sine peccato facere quod voluerit, idest, nubere, aut non nubere; vovere, aut non vovere, certe nec necessario cogitur expetere nuptias, aut votum, nec necessario illa rejicere. Illud ergo solum necessario est expetendum, quod necessarium est ad salutem; quod vero utile est, non necessarium, utiliter quoque, non necessario expetitur.

Objectio tertia. Libertas evangelica, in qua nos Dominus constituit, minuitur per vota; non igitur Christianis licet vovere. Antecedens probatur; nam Christus libera esse voluit genera vitae, quod nec omnibus, nec omni tempore conveniant. Qui autem vovent unum genus vitae, necessarium sibi illud faciunt, ut jam non possint ad aliud transire. Item, Christus nos a lege exonerare constituit, qui autem vovent, se magis ac magis impediunt legibus. Cur, inquit Martyr, non se liberos servant? Si nolunt recte agere, nisi lege adigantur, se magis ad servitutem legis, quam ad regnum gratiae et fidei pertinere declarant.

Respondeo primo: Retorquendo argumentum; nam si Christus libera esse voluit genera vitae, cur ipsi se legibus matrimonii adstringunt? Nec minus enim impedit conjugium a coelibatu, quam votum coelibatus a conjugio. Deinde, si Deus liberos nos a legibus esse voluit, et genera vitae libera nobis reliquit, quid est quod paulo ante Martyr dicebat, nihil esse liberum, nihil indifferens, sed omnia omnino aut praecepta, aut prohibita? Itaque-praedicant verbo libertatem evangelicam, et interim imponunt legem importabilem et qualem nullus unquam tyrannus imposuit.

Secundo respondeo: Libertatem evangelicam non esse libertatem (ut illi somniant) a lege, sed a peccato, Rom. 6. Liberati a peccato servi facti estis justitiae: Item a caeremoniis judaicis quae erant umbrae futurorum, ac demum a timore et servitute, non autem ab obligatione legis; qui enim charitate, quae est proprie gratia Testamenti novi et libertas evangelica, praeditus est, lege quidem tenetur, sed non est sub lege, quia libenter implet legem. Sed de hac re alibi saepe tractavimus.

Objectio quarta. Qui vovet, injuriam Deo facit; nam in primis repugnat illi, faciens necessaria quae ille voluit esse libera. Deinde arguit Deum vel insipientiae, vel invidiae; nam voto se obligat ad unum genus vitae, ut co modo perfectior evadat; quasi Deus, qui eum ad illud vitae genus non

obligavit, aut non sciverit ei tam bene prospicere, ut ipse sibi prospexit, aut certe inviderit illi istam

majorem perfectionem.

Respondeo: Nullam fleri Deo injuriam per vota. quia ipse voluit esse libera genera vitae negative (ut sic loquar) non affirmative, idest, noluit obligare, sed reliquit in arbitrio nostro, ut quisque ad quod vellet se obligaret. Quod itaque non obligaverit nos, benignitas ejus fuit; quod vero per vota ipsi nos obligemus ad id, quod illi gratius esse scimus, gratitudo et pietas est. Et sicut non pugnant benignitas Domini et gratitudo servi, sic etiam non pugnat quod nobis necessaria faciamus, quae libera Deus nobis reliquit. Neque insipientiae aut invidiae illum arguimus; nam quod facimus, ejus consilio et admonitione facimus; etsi enim non imperavit nobis majorem illam perfectionem, ad quam per vota tendimus, consuluit tamen et admonuit, ut ad éam aspiraremus. De qua re paulo post age-

#### CAPUT XIX.

Non esse proprie votum promissionem, quae fit in baptismo.

Sequitur ordine quinta pars disputationis, in qua refellenda est sententia Lutheri et Calvini, quod promissio, quae fit in baptismo, vetum proprie dici debeat. Sunt autem quaedam antea praenotanda. Primum est, quaestionem esse inter theologos, num res a Deo imperatae sub volum proprie cadere possint. Quidam enim id negant, ul s. Thomas et s. Bonaventura in 4. distinct. 38. Alii vero affirmant, ut recentiores quidam, Dominicus a Soto lib. 7. de justita et jure, quaest. 1. art. 3. et Alphonsus a

Castro lib. 1. de lege poenali, cap. 10.

Sed conciliari possunt hae sententiae. Nam duobus modis fieri potest volum de re praecepta, uno modo cum intentione se obligandi, etiamsi res illa praecepta non esset; alio modo cum intentione solum acceptandi et testificandi obligationem, quae antea erat. Priore modo loquuntur auctores posteriores, et recle docet res etjam a Deo imperatas. proprie posse voveri si concipiantur ut liberae, et qui vovet, intendat ad eas se obligare nova obligatione; nam qui coelibatum Deo vovit, non minus proprie censetur sacrilegus si fornicetur, quam si nubat. Ex quo sequitur, non fornicari esse eliam materiam voti proprie dicti, licet elioqui praeceptum sit; pari ratione qui post votum paupertatis furatur, non minus sacrilegus est, quam si res suas, quas jam dimiserat, repetat : ex quo intelligimus non furari, quod praeceptum est, posse sub votum cadere, ut res suas dimittere, quod non est praeceptum, sed consilium. Vide s. Thomam in 2. 2. quaest. 186. art.10.ubi admittit religiosos bis peccare si surentur, aut fornicentur, quod et contra legem communem, et contra votum proprium delinguant.

Posteriore modo loquuntur auctores priores, qui recte docent, res praeceptas non cadere proprie sub volum, si accipiantur ut praeceptae, idest, si quis dum eas recipit se facturum, nihil novi promittit. sed solum agnoscit et recipit obligationem, quam lex ipsa secum affert; qualis fuit illa promissio Hebraeorum, Exod. 19. Cuncta quae loquutus est Dominus. facientus. Ubi enim non est intentio novae obligationis, nullum esse votum proprie dictum constat.

Secundo loco praenotandum est, in baptismo omnes Christianos promittere se legem Dei servaturos, alque ex eq tempore abrenunciare diabolo et pompis ejus; id enim et ritus baptismi testatur, et Patres apertissime docent, ut Tertullianus libro de corona militis; s. Cyprianus lib. 1. epist. 5; s. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27.; s. Hieronymus in apologia prima contra Ruffinum prope finem; s. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis et remission. cap. 33; s. Gregorius homil. 29. in evangelia et Beda lib. 3. histor. Anglorum, cap. 19.

Quaestie igitur est; An ea promissip sit solum quaedam testificatio et acceptatio obligationis, quam lex Dei seeum affert, proinde non appellanda votum, nisi forte improprie et largo modo: An vero sit nova promissio novam obligationem includens, atque adeo votum proprie dictum. Martinus enim Lutherus in lib. de votis monasticis, et Joannes Calvinus lib. 4. instit. cap. 13. § 6. votum primarium esse docent promissionem illam, quam facimus in baptismo, cujus contrarium affirmat communis sententia theologorum, in quarto sententiarum, distinctione 38. Quae sententia quoniam verissima est, his argumentis confirmari potest.

Primum, vota ut in Scripturis accipiuntur, spentanea ac voluntaria, non necessaria esse debent. Sic enim legimus Deuteronom. 23. Si votum voveris, non tardabis reddere, quia requiret illiud Dominus et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri absque peccato eris. At promissio, quae sit in baptismo, necessaria est. neque de illa potest dici, si nolueris polliceri, absque peccato eris. Omnes enim ad baptismum suscipiendum divina lega obligantur, neque baptismus sine illa promissione ab Ecclesia dalur.

Secundo, vota parvulorum a parentibus edita, rata non sunt, nisi ah ipsis, quorum nomine facta sunt, postmodum in aetate adulta confirmentur. Id enim docet sanctus Bernardus in epist. 1. ad Robertum, et apertissima ratio id ipsum confirmat; quia votum est lex particularis, quam sibi quisque imponit, si vult, ac proinde voluntalem propriam necessario exigit. At promissio quae fit in baptismo parvulos obligat, ita ut postea, velint nolint, cogantur eam habere ratam etiamsi non per se, sed per alios eam ediderint. Igitur non ex voto, sed aliunde vim habet obligatio quae suscipitur in baptismo.

Tertio, si ea promissio votum esset proprie dietum,omnia Christianorum peccata essent duplicia, quia contra legem et contra votum; omnia essent sacrilegia, quia contra voti rellgionem; nec minus peccaret saecularis fornicando, aut furando, quam religiosus, ut patet. At hace omnia communi fidehium sententiae, ac judicio repugnant, non igitur illa promissio votum est proprie dictum.

Quarto, illa promissio quae fit in baptismo, si votum esset, certe aut explicite, aut implicite voti obligationem contineret. At non explicite continet, nec enim fideles dum baptizantur explicitam intentionem habent, aut habere debent se obligandi, nisi quantum ex ipsis Dei legibus obligantur. Quod autem nec implicitam obligationem contineat, ita probatur; si esset implicitum votum in baptismo, aut esset ex lege Ecclesiae annectente hoc votum baptismo, quomodo adjunctum est votum continentiue sacramento occinis ( talis autem Ecclesiae lex nusquam exstat), aut esset ex natura ipsa religionis christianae, ut quemadmodum connexa sunt vota monastica ordinibus religiosis, ita etiam annexum esset christianae religioni volum renunciandi diabelo, et pompis, alque operibus ejus. Sed neque hoe dici potest; nam religio christiana cum sit omnibus necessaria, vincula habere debuit,divinas leges, quae necessario ab omnibus, servandae sunt: ordines vero religiosi, quia non necessitatis, sed voluntatis sunt vincula quoque non necessaria, sed voluntaria habent, qualia sunt omnia vota proprie dicta.

Accedat postremo, quod cum non sit ullo modo necessarium, neque etiam admodum utile de iis rebus, quae sunt in praecepto, vota facere, non est credibile Deum, aut Ecclesiam-voluisse, ut omnes fideles ad ejusmodi vota facienda obligarentur.Non esse autem admodum utile de rebus iis, ad quas ex lege obligati sumus, vota facere, nisi forte ea vota coincidant cum votis de rebus non praeceptis, ex co praespicuum est, quod vota de rebus non praeceptis ideo laudabiliter flunt, praeter alias caussas, ut bomo eo modo firmius et stabilius perseveret in bono opere jam concepto, qui enim se liberos cernunt, facile mutant propositum bonum. Cum igitur ad opera legis facienda satis ligati sumus ex ipsa lege, non opus est nova vincula quaerere, ne occasionem gravius peccandi nobis ipsi sine magna utilitate procuremus.

Objectiones, quae contra fieri solent, facile solvi pessont. Prima objectio. Christiani gravius peccant et puniuntur cum non servant legem Dei, quam Ethnici vel Judaei: Igitur aliquam habent obligationem, quam illi non habent. Respondeo: Gravius peccant et puniuntur Christiani, quia magis ingrati sunt, et melius noverunt Domini voluntatem; non autem quia habeant alfam obligationem, quia tunc non solum gravius peccarent, sed etiam his peccarent.

Secunda objectio. S. Augustinus in psal. 75. Vovete, inquit, et reddite Domino Deo vestro omnes communiter. Quid debemus vovere? credere in illum, sperare ab illo vitam aeternam, bene vivere secundum communem modum; est enim quidam modus communis omnibus furtum non facere, adulterium non facere, non amare vinolentiam, non superbire, non hominem occidere, non odisse fratrem, non adversus aliquem texere persiciem, hoc totum omnes vovere debemus. Haec ille. Respondeo:Accipit s. Augustinus, eo loco nomen voti largo et communi modo, ut non solum

comprehendat vota proprie dicta, sed etiam quamlibet aliam promissionem, quamvis talis acceptio voti non facile in Scripturis inveniatur.

Tertia objectio. Ecclesia eos, qui promiserunt in baptismo Christi legem se servaturos, cogit ut eam servent:non autem cogit Ethnicos et Judaeos, qui id non promiserunt; igitur obligatio quaedam nascitur ex promissione, quam non adfert secum ipsa lex, proinde illa promissio verum votum esse videtur. Respondeo: Cogit Ecclesia Christianos baptizatos, ut servent legem Christi, non tam ex eorum promissione, quam ex eo; quod per baptismum facti sunt membra et filii Ecclesiae; omne enim membrum subjectum esse debet capiti, et omnis filius parenti jure naturae subjicitur.

# CAPUT XX.

Paupertalem voluntariam recte Deo voveri.

Restat pars quaestionis postrema, in qua, ut promisimus, tria vota monastica defendenda sunt. Incipiemus a voto paupertatis, inde ad votum obedientiae, postremo ad votum continentiae, de quo potissima quaestio est, veniemus.

Igitur paupertatem voluntariam recte suscipi, ac Deo voveri, primo probatur ex illis verbis Matth.

5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Ubi notandum est, pauperes in Scriptura tribus modis accipi solere. Prima dicuntur pauperes qui, sunt afflicti, ut psaim. 24. Unicus et pauper sum ego, tribulationes cordis mei multiplicatae sunt. Secundo dicuntur pauperes, qui sunt humiles, ut Isaiae ultimo: Ad quem respiciam nisi ad pauperculum et contritum et trementem sermones meos? Tertio dicuntur pauperes proprie, qui non sunt divites, idque tribus modis, sut actu, sed non affectu, aut affectu, sed non actu, aut actu simul et affectu.

Quinque igitur existunt hujus loci expositiones. Prima est Calvini in hunc locum qui per pauperes intelligit afflictos. Sed haec expositio non est germana; nam coincideret tunc haec prima heatitudo cum tertia: Beati qui lugent; aut cum ultima: Beati qui persequutionem patiuntur. Et praeterea non est expositio Patrum, ac demum Lucae 6. Dominus pauperibus divites opponit.

Secunda expositio est Chrysostomi in commentario hujus loci, et Augustini lib. 1. de sermone Domini in monte, qui per pauperes intelligunt humiles; quae expositio vera quidem est, sed non primario intenta, ut paulo post ostendemus.

Tertia esse possel, ut beati dicantur illi, qui sunt pauperes actu, non affectu, sed haec falsa expositio est, et a Patribus reprehenditur; non enim beati, sed miseri sunt isti pauperes. Quocirca Dominus addidit, spiritu, idest, voluntate et electione, nec qualicumque voluntate, sed spirituali, ut notat s. Bernardus serm. 1. de festo omnium sanctorum. Fuerunt enim etiam philosophi quidam voluntate pauperes, sed non spiritu pauperes, quia non propter Deum, sed propter curiositatem amarunt pauperlatem.

Quarta expositio esse posset, quod beati dicantar pauperes affectu, licet non actu. Haec vera est, sed non est praecipue intenta, ut mox ostendam.

Est igitur quinta, ut beati dicantur, qui propter Deum sponte eligunt paupertatem, et proinde etiam humilitatem; et pauperes spiritu hoc loco nominari eos, qui sunt voluntarie pauperes, et proinde etiam humiles; nam ut plurimum divitiae elationem, paupertas humilitatem gignit. Ita exponunt b. Ambrosius in cap. 6. Lucae b. Gregorius nyssenus, b. Hieronymus et venerabilis Beda in cap. 5. Matthaei, necnon s. Leo I. in sermone de illis verbis Domini Matth. 5. qui paupertatis voluntariae et humilitatis simul meminerunt. Item Chromatii et Anselmi in hunc locum , Basilii quaest. 205. Bernardi serm. 1. de festo omnium sanctorum, et recentiorum, ut Abulensis, Lyrani, Ca-jetani, Jansenii, et aliorum, qui de pauper-tate voluntaria et actuali exponunt, et recte; nam in primis verbum graecum πτεωχός, mendicum proprie significat; ut etiam latina vox pauper, non humilem proprie, sed egenum significare solet.

Deinde praemium illud (Quoniam ipsorum est regnum coelorum) propriissime respondet verae paupertati. Praeterea Luc. 6. Pauperes, qui beati esse dicuntur, non superbis, sed divitibus opponuntur; sic enim paulo post subjungit Dominus: Vae vobis divitibus. Denique Christus actu et affectu pauper fuit, et docuit sine dubio id quod ipse fecit. Praeterea saepius divitias periculosas esse dixit; nam Matth. 13. comparavit spinis, quae suffocant sementem, et Marci 10. Quam difficile, inquit, qui pecunias habent, intrabunt in regnum coelorum. Et: Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem in regnum coelorum.

Hinc ergo sic argumentari possumus pro voto paupertatis. Id omne Deo recte vovetur, quod ex ejus testimonio scimus esse bonum, et illi gratum, sed paupertas voluntaria testimonio Christi bona est et Deo grata, cum beati dicantur ejusmodi pauperes, et illi promittatur regnum coelorum in praemium, igitur ejusmodi paupertas Deo

rectissime vovetur.

Secundum testimonium est Matth. 19. ubi Do-. minus ait: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo. Et ibiden: Ecce, nos reliquimus omnia, et sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? etc. Quod enim hic detur consilium verae abdicationis facultatum, supra demonstravimus in disputatione de consihis evangelicis. Quod autem hinc sequatur, posse voveri paupertatem, patet ex argumento paule ante-facto. Et praeterea ex utroque testimonio non solum colligitur paupertatem recte voveri posse, quod tamen ad rem nostram sufficit, sed etiam colligitur bortatum esse Dominum ad vovendam hanc paupertatem; parum enim prodesset dare omnia pauperibus, et fieri pauperem spiritu, si quis paulo post iterum rediret ad lucra, et opes comparandas. Quocirca sancti Patres intellexerunt his testimoniis commendari paupertatem perfectam, quae suscipitur cum proposito, et voto semper ita permanendi.

Itaque s. Augustinus in epist. 89. quaest. 4. et in psalm. 103. concione 3. tolum hunc locum referi ad professionem monasticam; et s. Bernardus in declamatione super hunc locum evangelii: Haec, inquit, sunt verba, quae contemptum mundi in universo mundo, et voluntariam persuasere paupertatem. Haec sunt quae monachis claustra replent, deserta anachoretis.

Tertio testimonium est Actor. 4. ubi sic legimus: Mullitudinis autem credentium erat cor unum. et anima una, nec quisquam corum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quod autem ex voto- ita viverent primi illi Christiani in Hierusalem, docet s. Augustinus serm. 1. de communi vita clericorum, ubi dicit, idipsum se cum suis facere voluisse, quod primos Christianos fecisse testantur acta apostolorum jam citata, et tamen ibidem saepius repetit, nemini licere in tali vita habere proprium, idque ex professione facta Deo. Sic enim loquitur de quodam presbytero suo, qui contra professionem aliquid retinuerat, et inde testamentum cum moreretur secerat: O dolor, inquit, illius societatis, o fructus natus non de arbore, quam plantavit Dominus! Sed Ecclesiam scripsit haeredem. Noto numerare ista; non amo amaritudinis fructum, ego illum Deo quaerebam; Deo societatem professus eral, hanc tenerel, hanc exhiberel, nihil haberet, testamentum non faceret.

Quartum testimonium est Actor. 5. ubi Ananias et Sapphira uxor ejus, cum vitam communem profiteri velle viderentur, et tamen aliquid proprii sibi clam retinuissent, continuo ab apostolo Petro detecti et increpati, atque a Deo invisibiliter percussi interierunt. Hic Petrus Martyr in lib. de votis dicit, se nullum votum videre; peccatum enim Ananiae et Sapphirae fuisse mendacium, ambitionem, avaritiam et hypocrisim, non autem voti violationem, seu sacrilegium. Sed facile possumus ostendere, primo ex circumstantiis loci hujus, deinde ex testimoniis Patrum, Ananiam et Sapphiram vovisse, et lanquam sacrilegii reos esse punitos.

Quod igitur Ananias et Sapphira voverint vitam illam communem, colligitur ex illis verbis: Fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua. Non enim fraudasse diceretur, nisi rem jam obligatam promissione, subripuisset. Quod autem rem non praeceptam voverint, patet ex illis verbis: Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate? Quod denique volum illud Deo factum esset, et proinde ejus violatio sacrilegium fuerit, testantur verba illa: Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Quid enim est mentiri Spiritui sancto, nisi fallere sidem datam Spiritui sancto?

Posset quidem utcumque dici mentitus Spiritui sancto, si mendacium tantum sancto Petro dixisset, in quo sine dubio erat Spiritus sanctus: tamen nemo negare potest, quin magis proprie dicatur mentiri Spiritui sancto, qui promittit aliquid Deo, et non servat, quam qui mentitur homini alicui sancto. Praeterea severissima illa poena, quam Deus ipse continuo sumpsit de Anania et Sapphi-

ra, omnino clamat majus illud peccalum fuisse, quam simplicis mendacii, et avaritiae, et ambitionis, atque hypocrisis; quomodo enim potuit puniri culpa ulla atrocius? Itaque sine dubio sacrile-

gium fuit, quod eo modo puniri meruit.

Accedat jam communis expositio Patrum.S. Joannes chrysostomus, homil. 12. in acta apostolorum: Quare, inquit, hoc fecisti? voluisti habere? oportebat initio habere et non promittere. Nunc autem postquam consecrasti, majus sacrilegium commisisti; qui enim aliena rapit, forsan alienarum rerum desiderio rapit. Tibi autem licebat tua retinere, cur igilur sacra fecisti ea, el postea accepistis?

S. Hieronymus in epistola ad Demetriadem, quae est octava primi tomi: Ananias, inquit, et Sapphira dispensatores timidi, immo corde duplici, et ideo condemnati, quia post votum obluterunt quasi sua, et non ejus, cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienae substantiae reserva-verunt:

verunt: .

S. Augustinus serm. 24 de verbis apostoli: Dum. inquil, ex'eq qued promiserat, partem subtraxit, sacrilegii simul condemnatur et fraudis. Et serm.
10. alias 12. de giversis in editione lovaniensi :
Si Deo, inquiti displicuit detrahere de pecunia quam voverant Deo, quomodo irascitur quando vevelur castitas, et non exhibetur? Et infra : Potest igitur virginisanctimoniali nubenti dici quod ait Petrus de pecunia t Virginilas tua numquid veres in tua fuerat potestate?

S. Fulgentius in epistola de debite conjugali, c. 8. Quam, inquit, sit makem, quamque sollicite fugiendum, si quis de luc quod Deo voverit, aut retinere, an rapere aliquid mortifera prevartcatione pertentet; exemplo sunt Ananias et Sap-

phira.

S. Gregorius lib. 1. epist. 33. ad Venantium: Ananias, inquit, Deo pecunias voverat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit, sed qua morte mulctatus est scis.

Aretor lib. 1: in acta apostolorum hunc locum enarrans, sic ait:

🗕 Sed quod mutata voluntas Falsi crimen habet: cumque est jam cautio voti. Stare decet, nec velle prius violare sequenti, elc.

Oecumenius in commentario hujus loci aliquoties sacrilegium vocat Anahiae peceatum. Beda in eundem locum dicit, ab Ahaniae exemplo-natum esse deterrimum illud monachorum genus, quod Sarabaitarum dicitor, qui sub vita et professione monastica, aliquid proprii retinere volunt. Atque haec de Scripturis pro voto paupertalis.

Confirmari potest hoc idem ex traditione Patrum. S. Urbanus papa I. in epistola sua decretali : Quicumque vestrum, inquit, vitam communem suscepit, et vovil se nihil proprium habere . videat ne pollicitationem suam irritam faciat. S. Basilius in constitutionibus monasticis, cap. ult. dicit: Monachom salutem animae perdere et furem esse, atque alterum Judam, si quid privati possideat. At

BELLARWINI. Vol. II.

cur ita, quaeso, si nulla test promissio, nullung votum?

S. Hieronymus in epist. 22. ad Eustochium de: virginitate, scribit adeo arctam fuisse in monachis sui temporis professionem paupertatis, ut nemini liceret vel necessaria petere; tametsi vigilabat praepositorum diligenția, ne cui aliquod necessarium deesset: Quia, inquit, non licet dicere cuiquam, tunicam, et sagum, textaque juncis strata non haben. Ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat. Ibidem scribit, aliquando in monasterio quodam Nitriae repertum fuisse monachum jam moriturum , qui nescio quot solidos sibi retinuerat. Quocirca placuisse Machario, Isidoro, aliisque sanctis congregatis in unum, ut cum mortuo pecuniae infoderentur, clamantibus omnibus, pecunia tua tecum sit in perditionem. Quod idem postea in simili casu feciese s. Gregorium, scribit Joson. Diaconus, lib.1. cap. 15. Vita b. Gregorii et ipse etjam Gregorius, lib. 4. dialogorum, cap. 55.

S. Augustinus in psal. 25. Altus, inquit, uovet relinquere omnia, el ire in communem vitam.in societatem sanctorum; magnum volum vovit. Et lib. 17. de Civit. Dei, cap. 4: Dixerunt, inquit.potentes illi, ecce nos reliquimus omnia, et sequiti sumus te, Hoc votum potentissimi voverant, sed unde hoc eis misi ab illo, de quo hic continuo

dielum est, dans votum voventif

Joannes Cassianus lib. 4. de institutis renunnon manens tibi manebat, et antequam eam vo- ciantium, cap. 13. Illam, inquit, virtutem inter caeleras eorum instilutiones vel commemorare superfluum puto, quod scilicet nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid, quod velut proprium retinens suo debeat communire signaculo. Et c. 33. de hac ipsa renunciatione perfecta loquens: Sicut, inquit, immensa gloria fidekter servientibus Deo, ac secundum regulae institutionem ei adhaerentibus repromittiur in futurum.ita poenae gravissimae praeparantur his qui tepide eam, negligenterque. fuerint exequuti, et secundum hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse credumtur, fructus, etiam congruos sanctitatis cidem exhibere neglexerint; melius est enim secundum Scripturae sententiam non vovere quemquam, quam vovere et non reddere.

Adde etiam concilium aurelianense I. can. 21. ubi graviter monachi puniri jubentur, qui contra professionem suam aliquid proprii possidere volue-

·Contra paupertatis votum una est objectio Joannis Brentii in Confessione Wirtembergica, cap. de votis monasticis. Aut is, qui vovet, est pauper conditione, aut dives: si pauper est, nihil trabet quod possit vovere se relicturum aut daturum, sed debet ferre patienter crucem sibi a Demino impositam; Quam si praeterea vovet, idem facit, ac si in morbe voveret se aegrotalurum; qui est furer, non pietas: si autem dives est, aut vovet ponere omnia in commune, aut dare omnia pauperibus propter majus meritum, et vivere deinceps ex eleemosynis: si primum, nihil aliud agit, quam providere sibi de certiore et copiosiore victu, quod est-fugere non amare paupertatem: si secundum, peccat contra fidem et charitatem; contra fidem, quia unus est mediator Dei et hominum, qui nobis omnia meruit ; cui facit injuriam, qui suis propriis operibus mereri se arbitratur; contra charitatem autem, quia charitas praecipit ne sine necessitate molesti simus proximo nostra mendicatione.

Respondeo ad primum membrum: Etiam pauperes recte vovere, et multum dare, dant' enim id omne quod acquirere possent. Augustinus epist. 89. quaest. 4. Neque, inquit, mihi minus imputabitur, quia dives non fui. Nam nec apostoli, qui primi hoc fecerunt, divites fuerunt: sed totum mundum dimittit, qui, et quod habet, et quod optat habere, dimittit. Neque est simile volum aegritudinis voto paupertatis; nam Christus dixit: Beati pauperes, non beati aegroti, Matth. 3. Et: Si vis perfectus esse, vende omnia quae possides. et da pauperibus, Matth. 19. non autem si vis perfectus esse, projice sanitatem, cura ut aegrotes. Denique tenemur, si possumus, sanare aegritudinem, ne nostrae mortis caussa fuisse videamur: at ditescere nemo tenetur.

. Ad secundum membrum dico, ponere omnia in commune, esse vere aware pauperlatem; nam ille vere est pauper; qui nullius rei est Dominus, qui nibil habet quod vendere, donare, permutare, destruere possit, et quam aliam paupertatem elegerunt primi Christiani, nisi istam qua nemo aliquid diceret suum, sed essent illis omnia communia?

Ad tertium: Nego esse contra fidem, dare omnia sua pauperibus propter majus meritum, alioqui Christus aliquid contra fidem consuluisset, cum ait: Vende omnia quae possides, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, Matth. 19. Non enim pugnant merita nostra cum Christi meritis, sed ex illis potius ut effectus ex caussa promanant; nam sine Christi meritis nulla sunt nostra merita. lile enim, praeter alia, etiam potentiam merendi nobis acquisivit merito mortis suae. Nego etiam esse contra charitatem proximi mendicare; quendoquidem neminem cogunt dare eleemosynam mendicantes, sed potius occasionem divitibus praebent comparandi sibi regnum coelorum. Sed de hoc infra latius.

CAPUT XXI.

Jam vero obedientiam religiosam recte voveri Deo, his rationibus probari potest. Primo, grata est Deo obedientia etiam in iis rebus, quas ipse non praecepit. Nam Hieremiae 35. laudantur et remunerantur a Deo filii Jonadab, qui, ut obedirent patri suo, non bibebant vinum, non serebant agres,... non habebant, domos, sed habitabant perpetuo in tentoriis: omne autem quod-Deo gratum est, voveri ili potest, igitur obedientia, etiem alioqui non debita, Deo voveri potest.

Respondet Petrus Martyr in lib. de votis, nihil indebitum fecisse filios Jonadab. Nam etiamsi Deus non jusserat illis ut non biberent vinum, nec sererent agros, nec domos inhabitarent, jusserat tamen ut parenti obedirent, ac proinde illi, dum patri obedierunt, id solum fecerunt, quod facere divino praeceplo lenebantur.

Sed refellitur hace solutio. Primp.ex testimonio Rabani, qui în commentario hujus loci dicit, filios Jonadab plus fecisse, quam lex divina praeci-

Secundo, ex ipso textu Hieremiae; nam Deus eo loco exemplo filiorum Jonadeb reprehendit populum suum gaod illi obedierint voci unius hominis, ipse autem voci ipsius Dei obedire holuerit. Pirmaverunt, inquit, filii Jonadab, filii Rechab pracceptum patris sui, quod praeceperat eis, populus autem iste non obedivit mihi. Quae Domini ratio plane frigeret.si filii Jonadab divino praecepto obstricti fuissent obedire patri suo in rebus illis, ut non biberent vinum etc.tunc enim nulla esset antithesis inter. Deum et creaturam ; nam et filii Jonadab obedivissent Deo, et filil Israel non obedivissent Deo.

Tertio, idem colligitur ex laude et remuneratione divina; non enim tantopere. Deus laudasset filios Jonadab, nisi aliquid singulare fecissent.

Postremo, idipsum ratio impifesta suadet. Nam etiamsi tenentar filii obedire pareatibus, non tamen tenentur obedire in omnibus rebus, postquam -ad annos pubertatis pervenerint. Est enim unusquisque sui juris in deligendo statu et genere vitae, alioqui nibil interesset inter servos et liberos, si semper, et omnibus in rebus filii in patris potestate essent.:

Quod vero b. Paulus ait Coloss. 3. Filii obedite parentibus per omnia. Vel ila intelligi debet, ut illud (Per omnia) significet per omnia ad quae se extendit petria potestas, pt recte docet s. Thomas in 2. 2. quaest., 104. art. 5. que mademodum si quis diceret, oportere milites obedire imperatori per omnia, exponendum esset per omnia, quae ad militiam pertinent. Vel certe tenentur filii per amnia parentibus obedire, sed dum parvoli sunt; nam ut dicitur ad Galat. 4. Quanto tempore haeres parvulus est, nihil dissert a pervo; et Dominus ipso parentibus subditus erat cum puer esset, ut legimus, Luc. 2.

Secunda ratio ex Testamento novo sumi potest. Nam, ut supra diximus in disputatione de consihis consilium perfectionis est segui Dominum perfeete abnegando seipsum, ut colligitur ex illo Matth. 16. Qui vult venire post me abneget semetipsum. et tollat crucem suam, et sequatur me; nam etsi in praeparatione animi abnegare selpsum praeceplum sit, cam ibidem Dominus addat, qui cmm voluerit animam suam salvam facete, perdet eam : tamen extra articulum necessitatis abnegare seipsum perfecte et omnibus in rebus subjiciendo judicium et volantatem suom alterius judicio et voluntati, non jest praeceptum, sed consilium. Ideo ënim Matthi. 19. dicituri Si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc. et feni, sequere me.

: Porto, perfectu sequela Domini, quae in abno-

gatione sui ipsius, idest, in perfecta obedientia constitit, necessario includit votum, quo quis ita seipsum abneget, ut non possit retrocedere; nou enim perfecta est abnegatio sui, obedire alteri ad tempus et paulo post non obedire. Quociroa Dominus ibidem addit: Et tollat crucem suam: siquidem ut eleganter monet Joannes Cassianus, lib.4. de institutis coenobiorum, cap. 35. verus ao perfectus monachus similis crucifixo esse debet; qui enim cruci affixus est, non solum non ambulat quo vult, nec facit. quod vult; sed nec potest ambulare, aut operari, nisi ab alio moveatur.

Tertia ratio; recte faciunt homines, qui cupientes vitam communem agere, communi consensu eligunt sibi aliquem in praepositum. Id enim et recta ratio suadet, et Scriptura etiam monet, Proverb. 3. cum dicit: Ne innitaris prudentiae tuae. Rursus, proposito constituto, bonum est, et Deo gratum, ut illi obediatur, cum scriptum sit: Qui vos audit, me audit. Luc. 10.Et: Obedite praepositis vestris, Hebr. 13. At omne quod Deo placero constat testimonio ipsius, recte voveri potest, ut adversarii concedunt: poterit igitur obedientia exhibenda praeposito, a nebis ipsis electio et cui alioqui obedire non teneremur, recte voveri.

Quarta ratio ex usu antiquae Ecclesiae. Certum est apud veteres sanctos obedientiam monasticam in usu fuisse. Nam s. Basilius in constitut, mouasticis, c. 22. Nunc, inquit, rursus sermonem de obedientia exerceamus, osiendentes quantam obsdientiam ab exercitationibus erga praefectum exacta doctrinae ratio exigat etc. Et. totu capite de obedientia disserit, ac docet, debere monachum praeposito parere et non discutere guid sit quod praecipitur, modo non sit manifeste peccatum, ac breviter talem se exhibere praeposito, quales sunt oves ad pastorem et instrumenta ad opificem comparate. Nec illud omittit, necessarium esse monachis, perfecte obediro praepositis, et alioqui a salute aeterna eos excidere, idem docet Cassianus, lib. 4. de institutis coenobiorum, cap. 23. et sequentibus.

S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de custodia virginitatis, describens instituta monachorum: Prima, inquit. apud eos confoederatio est, obedire majoribus. Et in epist.ad Rusticum monachum: Per haec omnia, inquit, ad illud tendit oratio, ut doceam le non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in monasterio sub unius disciplina patris, consortique multorum. Et infra: Non facias quod vis, comedas quod juberis, vestiare quod acceperis. Et infra: Praépositum monasterii timeas ut Dominum diligas ut parentem, credas tibi salutare quidquid ille praeceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire, et implere quae jussa sunt.

Sulpitius in dielogo primo de virtutibus sancti Hartini, de monachis disserens: Praecipua inquit, ibi virtus, el prima, est obedientia: neque aliter adveniens ad monasterium abbatis suscipitur, quam qui tentatus prius fuerit, el probatus nullum unquam recusaturus quamlibet arduum ac dissicile, indignumque toleratu abbatis imperium. S. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiae, cap. 31. Hi vero Patres, inquit, nulla superbia consulunt iis, quos filios vocant, riagna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Haec ille. Ejusmodi autem testimonia plurima afterre possemus, si opus esset.

Respondebunt fortesse, obedientiam quidem in usu fuisse apud veteres menachos, sed votum obedientiae non item. At Joannes Cassianus lib. 4.de institutis renunciantium, cap. 33. voti et possessionis nomination meminit, ubi disserit de observatione monasticarum institutionum, quarum primaria de obedienția erat, verba ejus capite superiore citavimus.

Item s. Gregorius homil. 20. in Ezechielem: Cum, inquit, quis suum aliquid Deo vovet, et aliquid non vovet, sacrificium est, cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit; omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Haccille. Ubi de votis monasticis loquitur, quibus homo nihil sibi tetinet, ac ne judicium quidem, quod Deo non offerat.

Denique s. Augustinus in psalm. 73. Nemo, inquit, positus in monasterio frater dicat, recedo de monasterio; neque enim soli qui sunt in monasterio perventuri sunt ad regnum coelorum et illi qui ivi non sunt ad Deum non pertinent. Respondetur ei, sed illi non voverunt, iu vovisti. Et in psal. 99. Dum non perseveraverit implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, et reus voli non redditi.

Accedant hostremo miracula, quae Deus ad confirmandum ebedientiam monasticam non raro ostendit. Scribit Sulpitius in primo dialogo de virtutibus sanoti Martini duo miracula his verbis: Duo vobis referam incredibilis obedientiae admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti. sed ad excitandam virtulum aemulationem, cui pauca non sufficient, niula non proderunt: Ergo cum quidam saeculi actibus abdicatis, monasterium magnae dispositionis ingressurus. coepissel rogare, abbas ei coepit mulla proponere, graves esse istius disciplinae labores, sua vero dura imperia.quae nullus facile valeret implere patientia. Aliud potius monasterium, ubi facilioribus legibus viveretur, expeteret; non tentaret aggredi quod implere non posset. Ille vero nihil his terroribus permoveri, sed magis ita omnem obedientiam polliceri, ut si eum abbas in ignem ire praeciperet, non recusaret intrare. Quam illius professionem ubi magister accepit, non cunclatur probare profilentem. Easu clibanus prope ardebat, qui multo igne succensus coquendis panidus parabatur. Exundabat abruptis flamma fornacibus', et intra camini illius concara totis habenis regnabat'incendium. Hec igitur advenam illum jubet magister intrare, net distulit parère praecepto.medias flammas nihil cunctatus ingreditur, quae mox tam audaei fide victae vehit illis quondam hebraeis pueris cessere venienti;superata natura est, fugit incendium, èt qui pulabalur arsurus, velut frigido rore perfusus scipse miratus est. Sed quid mirum, si tuum Christe tyronem ignis ille non attigit, ut nec abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum poeniteret imperio paruisse? Qui co die quo advenerat dum tentaretur infirmus, perfectus inventus est, merito felix, merito gloriosus, probatus obedien-

tia, glorificalus est passione.

In eodem autem monasterio factum, id-quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem abbatem recipiendus advenerat, cum prima ei lex obedientiae poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia vel extrema patientiam. Casu abbas storacinam virgam jampridem aridam manu gerebat, hanc solo fixit.atque illi advenae id operis imponit, ut tamdiu virgulae aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente vivisceret. Subjectus advena durae legis imperio aquam propriis humeris quo tidie convehebat, quas a Nilo flumine per duo fere millia petebatur, jamque emenso anni spatio labor non cessabat operantis, et de fructu operis spes esse non poterat, tamen obedientiae virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem jam affecti fratris eludit. Tertio demum succedentium temporum labente curriculo. cum neque noctu, neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipsam ex illa virgula arbusculam, quae hodie quoque intra atrium monasterii est ramis virentibus, vidi;quae quasi in testimonium manens, quantum'obedien. tia meruit, et quantum fides possit, ostendit. Haec ille.

Alia non dissimilia narrat s. Gregorius lib. 2. dialogorum, cap. 7. de s. Mauro, qui ad abbatis imperium super aquas ambulavit; et Joannes Cassianus lib. 4. de institutis renunciantium, cap. 23. de abbate Joanne, qui propter obedientiae virtutem ad prophetiae gratiam sublimetus, sic universo clarait orbi, ut etiam regibus mundi hujus merito suo redderetur illustris.

Sed occurrent solvendae objectiones. Prima Lutheri est in lib. de votis monasticis, ubi hoc modo ratiocinatur. Scriptura jubet, ut omnibus hominibus obediamus, Pliilip. 2. Superiores invicem arbitrantes. Et 1. Petri 2. Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum. Igitur obligare se ad obediendum uni soli praeposito, contra Scripturam est, idem enim est ac si quis ita voveret; Deus voveo tibi nolle me secundum evangelium tuum omnibus subjici, sed tantum uni majori.

Respondeo: Apostolum Paulum eo loeo non velle ut omnes habeamus tamquam principes, quibus parère teneamur, sed ut omnes judicemus nobis esse superiores, idest, meliores et sanctiores; commendat enim humilitatem, ut ipsa verba ejus indicant: Per humilitatem invicem superiores arbitrantes. Adde, quod si vellet apostolus, ut omnibus obediremus, rem plane impossibilem vellet; si enim omnes omnibus obedire debent, nulli erunt qui jubeant et nulli qui obediant. Porro s. Patrus per omnem humanam creaturam, intelligit omnem hominem potestatem imperandi praeditum. Sic enim explicat ipse se: Sive, inquit, regi tanquam praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.

Secunda objectio est ejusdem Lutheri in eodem loco. Praepositus monasterii liber, est ab obedientia, quam voverat sine alia dispensatione, igitor signum est, votum illud non ebligare coram Deo. Respondeo: In eo, qui eligitur in praepositum, remanere obligationem voti, licet per accidens cesset exercitium illius voti, quia deest materia: cujus signum est, quia si is qui nunc est praepositus privetur officio, iterum tenebitur ad obedientiam, etiamsi novum aliquod votum nen faciat. Vide s. Thomam in 2. 2. quaest. 88. art. 11. et quaest. 186. art. 5.

Tertia est Petri Martyris in comment. ad cap. 7. prioris ad Corinth. Vetat b. Paulus, ne Christiani servos se faciant, cum ait: Pretio empli estis, nolite fieri servi hominum. Non igitur licet votum obedientiae facere. Quid enim hoc est aliud, quam sponte sua se in servitutem abbatibus tradere?

At facilis responsio est; non enim b. Paulus prohibet servitutem, quae hominibus exhibetur, sed id prohibet, ne hominibus propter ipsos homines polissimum, sed propter Deum'serviatur, id quod exposuit clarius ad Coloss. 3. ubi sic ait: Servi obedile per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timentes Dominum. Quodcumque facilis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus scientes quod a Domino recipietis retributionem haereditatis. Domino Christo servite. Quocirca s. Paulinus etsi non ignorabat apostolum dixisse: Nolite fieri servi hominum; tamen seipsum vendidit, ut filium viduae redimerei, quod s. Gregorius cum laude ejus refert, lib. 3. dialogorum, cap. 1.

Sed inquit Petrus Martyr, s. Paulinus ex charitate erga proximum seipsum vendidit, quod autem ex charitate fit, recte fit. Quasi, vero perfecti monachi ex cupiditate et non ex charitate erga Deum, se abbatibus, aliisque praepositis spente subjiciant.

Sed de obedientia hactenus.

# CAPUT XXII.

Asseritur votum continentiae ex illis verbis Lucae primo; Quomodo flet istud? etc.

Venio tandem ad volum continentiae; quod primum Scripturae testimoniis, deinde conciliorum, et Ecclesiae totius consensu; terito pontificum et imperatorum decretis ac legibus; quarto Patrum graecorum et latinorum traditione; postrema naturali etiam ratione confirmare, pro viribus nitar.

Primum igitur testimonium sit illud Luc. 1. Quomodo fiet istud, quonium virum non cognosco? Quibus verbis Virgo sanctissima significat impedimentum se habere, quo minus filium concipere et parere posset: impedimentum autem illud non aliud esse potuit, quam votum continentiae jam e-

missum. Illa enim verba: Virum non cognosco, non significant jam actu non cognosco, sed non licet mitti cognoscere, alioqui ineptissima interrogatio fuisset, cum posset statim responderi, etsi nunc virum non cognoscis, tamen paulo post cognosces. Itaque sicut dicimus in quadragesima. Ego non vescor carnibus, idest, non licet mihi hoo tempore carnibus vesci; sic b. Virgo dixit: Virum non cognosco, idest, prohibeor virum cognoscere. Cur autem prohiberetur, nulla ratio potest reddi, nisi volum; nam et virum habebat et juvenis erat; nec est credibile sterilent, aut impotentem fuisse, vel certe id ipsa nondum scire poterat eum ad virem nondum pervenissel. Nec denique prohíbebatur virum cognoscere lege aliqua communi, ut notum est, igitur lege particulari, idest, voto.

Idem confirmatur ex Patribus s. Gregorius nyssenus in oratione de nativitate Domini: Nam, inquit, si muptiarum caussa assumpta erat a Josepho, quomodo angelum de partu praedicentem, quasi re nova atque insolita obstupefacta, adversata esset? cum prorsus speraret se quoque ipsam aliquando juxta legem naturue matrem esse futuram? Sed quoniam Deo dicatam, et consecratam carnem, veluti sanctum quoddam donarium, intactam servari oportebat, propterea etiamsi angelus sis, inquit; ac de coelo veneris, etiamsi supra hominem sit id quod apparet, attamen ut virum cognoscam, fieri non potest. Qui mater ero absque viro? Josephum enim sponsim quidem

novi, virum autem non cognosco.

S. Augustinus lib. de sancta virginitate, cap. 4. Ipsa quoque, inquit, virginitas ejus gratior, et acceptior, quia non cam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret, ipse praeripuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quae sibi foetum annuncianti angelo Maria readidit. Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se apte vovisset. Sed quia hoc Isräelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo.non violenter ablaturo, sed potius contra violentes custodituro, quod illa jam voverat.

Beda in cap. 1. Lucaex Propositum, inquit, suae mentis reverenter exposuit vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse. Quae, quia prima foeminarum tantae se virtuti mancipare curavit, jure singulari prae caeteris foeminis beatitate meruit excellere.

S. Anselmus lib. de excellentia Virginis, cap. 4. Virgo, inquit, et tenera, et delicata, regali stirpe progenita, et speciosissima, totam intentionem suam totum amorem suum, totum studium suum ad hoc intendit, ut corpus, et animam suam Deovirginitate perpetua consecraret.

Rupertus lib. 3. in Cantica. Votum, inquit, egregium prima Deo vovisti, votum virginitatis.

Denique s. Bernardus serm. 4. super Missus est: Non dubitat, inquit, de facto, sed modum requirit, et ordinem: nec enim quaerit, an fiet istud, sed quomodo; quasi disat, eum sciat Dominus meus testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit et, ut fiat istud? si oportuerit me frangere votum ut pariam filium, et gaudeo de Alio et doleo de voto. Et in serm. Signum magnum: In libertate spiritus legis Mosaicae decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul et Spiritus sanctimoniam vovit. Probat enim propositi inviolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium angelo respondit, quomodo fietistud, quoniam virum non cognosco? Accedst consensus theologorum spud Magistrum in 4. lib. sententiarum, dist. 30.

Sed videamus quid ad haec adversarii respondeant. Joannes Calvinus in commentario hujus loci apud Marloratum, tria dicit reprehensione digna. Primo, accusat heatissimam Virginam, quod inaligne restrinxerit Dei potentiam: Videtur, inquit, sancta Virgo non minus maligne restringere Dei potentiam; quam prius Zacharias; quod enim praeter communem naturae ordinem est, impossibile esse colligit. Sic enim ratiocinatur: virum non cognosco, qui credam igitur futurum quod nuncias ? Nec vero magnopere laborandum est, ut eam purgemus ab omni vitio. Haec ille.

Cujus sane verba satis indicant impietatem ejus, et quam nihil ei commune sit oum sanctis Patribus. Nam s. Ambrosius, s. Bernardus, Beda venerabilis et alii in hunc locum disertis verbis monent illud: Quomodo fet istud? non fuisse dubitantis. sed quaerentis, ac discere cupientis modum quo res illa futura erat, quae cum ipsius voto pugnare videbatur. Deinde, quomodo credibile est cam maligne restringere voluisse Dei potentiam, quae erat gratia plena, et cum qua Dominus ipse singu. lari modo semper aderat, ut angelus paulo ante dixerat. Denique si non minus maligne s. Virgo potentiam Dei-restrinxit, quam ante Zacharias, cur non aeque punita fuit? Certe Zacharias ab angelo ob incredulitatem, et verbis castigatus, et amissae loquelae supplició punitus fuit. Beatissima Virgo ne minimo quidem verbulo reprehensa, At si idem utriusque peccalum, cur non el poena eadem fuit?

Secundo: Calvinus accusat Patres, qui votum virginitatis ex his verbis colligunt: Quod qutem, inquit, ex hoc loco occasionem quidam sumpserunt, ut dicerent virginem habuisse votum perpetuae virginitatis, quod alioqui supervacanea fuisset ista responsio, nimis infirmum est, immo absurdum, ac ridiculum Existimabimus ne Virginem passam fuisse marito se collocari, ut eum luderet? Fuisset profecto perfidia, gruvi reprehensione digna, si sanctum conjugii foedus non sine Dei tudibrio sprevisset.

Hic ctiam desideramus Calvini modestiam. Quale enim est, ut absurdum et ridiculum diçat, quod asseritur a Nysseno, Augustino, Beda, Bernardo, Anselmo, Ruperto, et ab omni schola theologorum? Porre argumentum ejus duobus modis solvitur, Primum negando consequentiam, quidquid sit de antecedente: nam etiamsi daremus b. Virginem cum Josepho conjugium contraxisse aniumo consummandi matrimonium, ut Calvinus annotatione in cap. 1. Lucae, Beza ibidem, Bucerus in cap. 1.

Matthaei, Martyr in libro de coelibatu et votis monasticis, et Centuriatores, Centur. 1. lib. 1.cap. 40. falso docent, adhuc tamen non sequeretur, eam, cum dixit: Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco? non habuisse votum virginitatis; potuit enim hoc votum emisisse post conjugii celebrationem, et tamen ante angelicam salutationem ut s. Thomas docet. 3. parte quaest. 28. artic. 4. ita ut primum nuptiae celebratae sint, deinde antequam ad matrimonii consummationem veniretur, b. Virgo votum virginitatis emiserit, ipsa s. Josepho consentiente, et ut pie creditur, etiam simul vovente.

Addo tamen secundo: B. Virginem numquam ha: buisse explicitum animum consummandi matrimonium, ac proinde falsum esse etiam antecedens argumenti adversariorum: nam alioqui non esset Virgo apimo; sed solum carne. Nec tamen impeditum fuit verum matrimonium ex perpetua voluntate continendi, nec lusit virum suum, neque conjugium perfide s. Virgo sprevit, ut blasphemat Calvinus: nam cum matrimonium iniit, dedit viro absolutam potestatem in corpus soum, ita ut vere licuerit s. Josepho, si voluisset, cum b. Virgine metrimonium consummare, id enim requiritur, et sufficit ad essentiam veri conjugii; tamen quia sciebat ipsa, divina revelatione edecta, numquam s.Josephum id expetiturum, idcirco poterat habere, et habebat explicitam voluntatem semper continendi, in qua voluntate proprie virginitas consistit. Et quamvis s. Thomas non admittat votum absolutum virginitatis in b. Virgine ante desponsationem. Scotos tamen admittit in 4. distinct. 30. quaest. 2. et ante Scotum Albertus Magnus in libro de laudibus Virginis et ante Albertum sancti Patres, Gregorius nyssenus et Augustinus locis notatis disertis verbis decent, b. Virginem vovisse ante desponsationem; neque video cur id votam pugnet cum veri conjugii celebratione, posita revelatione, quam omnes theologi ponunt, qua beatae Virgini revelatum fuit, numquam's. Josephum debitum conjugale expetiturom.

At, inquiunt quidam, non pótest, qui per volum se Deo tradidit, per nuptias se alteri tradere. Unde et anostolus 1. Timoth. 5. dicit eas, quae post votum nubere volebant, damnutionem habere; Quia primam fidem irritam fecerant. Respondeo: Eum qui vovit continentiam, non posse jam se alteri tradere cum periculo violandi voli; nam de hujusmodi personis apostolus loquitur, et ratio ipsa, hoc docet. At si adsit certitudò infallibilis voti numquam violandi, non repugnat, ut qui est unius se tradat etfam alteri in diverso genere nuptiarum , alioqui non possent conjuges ex communi consensu vovere continentiam, quod tamen admittunt omnes theologi; nam ejusmodi conjuges se traduat Dec per-votum, et tamen sunt invicem obligati per matrimogium.

Tertio, Calvinus respondet nostro et Patrum argumento, quo probamus, Virginem vevisse virginitatem, quia alioqui inepte respondisset angelo: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Solvendum, inquit, est objectum, quod Virgo in futurum tempus respiciat, ideoque significat.

cet, nullam sibi fore cohabitationely cum viro. Haec vero conjectura et probabilis est, et simplex, quod rei magnitudo, vel potius majestas virginem perculerit, ut sensus omnes admiratione ligatos haberet ac constrictos; cum audit nasciturum esse Dei Filium, aliquid non vulgare concipil; atque haec ratio est cur coitum virilem excludat. Hine attonita exclamat: Quomodo fiet istud? Hec ille. Ad quem modum exponit etiam Theodorus Beza.

Sed primum, si sola conjectura Calvinus nititur. car descrit Patrum theologorum omnium auctoritalem? An lulum sit ob conjecturam unam repugnare omnibus Patribus; ipse viderit. Deinde improbabilis et longe petita illa conjectura est. Tunc enim Virgo non dixisset, quoniam virum non coguosco, sed, quoniam virum non cognoscam. At inquies: Virgo credidit angelo annuncianti nativitatem Messiae, et sciebat ex vaticinio Isaiae 7. matrem Messiae Virginem futuram; our ergo dixit. quoniam virum non cognosco? Respondeo: Fortasse Virgini non venisse in mentem statim Isaiae valicinium, et ideo virginitati suae timuisse, licet alioqui non igneraret matrem Messiae. Virginem futuram; et haec videtur sententia s.Bernardi, qui inducit Virginem dicentem: Si oportuerit me frangere votum, ut filium pariam, et gaudeo de filio, et doleo de voto: et s. Athanasii in serm. de Deipara, qui ait: Hic haesitat Virgo ad naturam respiciens, et de Josepho cogitans. Dico secundo cum s. Ambrosio in hunc locum: Beatam Mariam optime sciyisset matrem Messiae Virginem parituram, et boc illi tunc in mentem venisse, et ideo non quaesivisset an esset Virgo paritura; sed quo modo et ordine id luturum esset; quesi diceret: Quoniam ex volo, et firmo proposito virum cognosco, certe si paritura sum. Virgo paritura sum: at quomodo res tom insolita siet? et quadrat angeli responsio, dicentis: Spiritus sanclus superveniet in te.etc.idest, modus hic erit, ut Spiritus sanctus, in te superveniat, et ejus opera, non viri alicujus opera, et concipias, et parias.

Sed jam Calvino dimisso Petrum Martyrem audiamus. Is in lib. de coelibatu et votis, tria quaedam affert ad hunc locum evangelii explicandum. Primo dicit, non cohaerere matrimonium virginis cum voto virgunitatis. Sed hoc jam solulum est.

Secundo dicit non posse colligi volum ex illis verbis: Quoniam virum non cognosco, nisi more Anaxagorae quodlibet faciamus ex quolibet et probat ex aliis similibus loquutionibus; nam Exod. 6. Moyses dixit: Quomodo andiet me Pharao, cum sim labiis incircumcisus? Et tamen non inde recte colligeremus, Moysem vovisse labiorum incircumcisionem. Et Nicodemus dixit, Jean. 3. Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Et tamen quis inde colliget Nicodemum vovisse senecutem?

Sed hace nimis frigida sunt; nam incircumcisio labiorum et sancetus, non pendent ex libero arbitrio, et ideo impedimentum afferunt, sive ad loquendum, sive ad nascendum, quod non potest tolli ab homine. Quocirca prudenter dixit Moyses: Quomodo audiet me Pharao, zum sim labiis incircum-

cisus? Et Nicodemus: Quometto potest homo nasci cum sit senex? etiamsi nec ille voverit incircum-cisionem labiorum, nec iste senectutem: quia sine tali vote impedimentum habebant, Me ad loquendum; et iste ad nascendum, quod per se removere non poterant. At virum cognosceré, mulieri conjugatae in arbitrio positum est; idcirco inepte respondit sancta Maria: Quomodo fict istud, quomiam virum non cognosco, si nulla lege prohibebatur virum cognoscere: constat autem, eam non fuisse prohibitam lege communi; sequilur igilur, ut probibita fuerit lege privata, idest, voto:

Tertio, constur solvere hoc nestrain organication, atque sit, beatam Virginem etismsi votum non fecesit, tamen prudenter interrogasse: Prudens, inquit, sane Virginis nostras interrogatio, quia si conceptus et partus qui ei praedicebatur, ordinaria usitataque ratione futurus esset, dixit hoc obstare, quod viro nondum admisceretur; si vero extra ordinem, ac supra natitram, de modo

cupit edoceri. Haec'ille.

Sed frustra laborat; nam si neturali et ordinaria via conceptus futurus erat, non-prudenter, sed stultissime dixisset hoc obstare, quod nondum viro adinisceretur. Nam non promittebatur ei conceptus praesens, aut praeteritus, sed futurus: Ecce, inquit, concipies et paries. Ad futurum sutem conceptum non requirebatur, ut virum cognosceret, aut cognovisset, sed ut cognoscere posset, ac vellet in futurum; quere nulta omnino sponsa, nisi forte amena, a praedicente aliquo conceptum quaereret. Oudmodo flet istud, cam virum nondum cognoverim; responderatur enim ei, si nondum cognoviali, postea cognosces: Si antem supra paturam conceptus Virginis futurus eret verum est quod de modo cupit edoceri, sed ideo eupit, quia-certa erat se Virginem parituram, quia virum non cognoscere voveral.

CAPUT XXIII.

Idem asseritur ex illis verbis Matth. 19. Suot euguchi, qui se castraverunt etc.

Alterum testimonium pro voto continentiae est, Matth. 19. ubi Dominus quesdam esse dicit eunuchos, qui se castraverunt propter regnum coelorum. Li addit cohortationem: Qui potest capere, capial. Ipsa enim eunuchorum appellatio perspieue indicat votum. Non enim est eunuchus, qui solum continet, sed qui non potest non continere. Eunuchi autem, de quibus hie agitur, non coguntur continere ex vitio naturae; nam ab his eos Christus ipse sejunxit. Neque coguntur lege aliqua commoni ( nulla enim lex est prohibens nuptius absolute) igitur id solum remanet, ut non possint ex lege particulari sponte assumpta, idest, ex vote. Idem etism colligitur ex illo verbo: Qui se castraverunt; nam si Dominus loqueretur de his, qui sine ullo voto coelibes vivunt, diceret, qui se

castrant quotidie, non qui se castraverunt; cum ergo dixerit, qui se castraverunt, significat ees unica actione voluntaria imputasse sibi onnem facultatem contrahendi nuptias. Et confirmatur ex-

plicatio haec ex Patribus.

S. Epiphanius haeresi 58. Valesiorum: Quinam. inquit, hi fuerint, qui se castraverunt propter regnum coelorum, quam generosi a postoli, ac monasticam vitam degentes; et deinceps virgines? Et infra, Post ipsos vero, apostolos, quot milita in mundo solitariam vitam agentes, et a monasteriis, et virgineis conventibus hujus certaminis gioriam abstilterunt. Haec ille, Qui dum affirmat, eastrare seipsum propter regnum coelorum id esse, quod monachi et sacrae virgines faciunt, sperte significat, costrationem hanc non simplicem continentiam, sed continentiam Deo devotam significare.

S. Hieronymus in commentario hujus loci: Unusquisque, inquit, consideret vires suas, utrum possit virginalia implere praecepta. Haec ille. At quae sunt praecepta virginalia, nisi obligatio non nubendi, quae sine vote nulla est? Et lib. 1. in Jovinianum dicit, eos castrare seipsos, qui templum se Deo purissimum, et holocaustum acceptissimum offerunt; ubi quoque non solum coelibatum, sed coelibatum Deo devotum et sacratum,

castrationem vocat.

S. Augustinus lib.de sancta virginitate, cap. 30. alludens ad hunc locum. ubi Dominus de castratione ista voluntaria ait: Qui potest capere, capiat. Vos etiam, inquit, qui hoc nondum vovistis, qui

potestis capere, capite.

Sanctus Fulgentiu lib. de fide ad Petrum cap. 3. Quisquis, inquit, serpsum castraverit propter regnum coelorum, et in corde suo continentiam Deo voverit etc. uhi illud (Et) ad explicationesa

pertinere, non dubium est.

Sed occurrit Petrus Martyr in lib. suo de coelihatu et votis, ac docet, ex hoc loco non-posse votum continentiae statui; nam apostoli, quibus Dominus respondit per illam similitudinem eunuchorum, tantum dixerunt: Si ita est caussa cum uxore, non expedit nubere; non autem dixerunt, expedit vovere continentiam. Quare Deminus si ad propositom respondere voluit, non de voto, sed de utilitate et incommodis conjugii disserere debuit; ergo per eunuchos, qui se castrant propter regnam coelorum, intelligit cos, quibus ex peculiari Dei dono expedit non nubere, ut expeditius evangelium praedicent. Addit etiam Martyr, non oportere vim facere in metaphora cunuchorum, sed in scopo praecipuo ipsius parabolae; quemadmodum in parabola de villico iniquitatis, etsi ducatur similitudo ab eo qui ex bonis alienis sibi fecit amicos: non temen Christus intendit hoc d'ocere, ut ex bonis alienis eleemosynas facia-

At frustra laborat Petrus Martyr, ut verba Domini satis aperta et dilucida obscuret et pervertat; ac in multis errat. Primum, quantum ad scopum horum verborum; nam etiamsi apostoli non loquerentur de voto, sed solum quaererent, an expediret nubere, Dominus tamen aliquid perfectius

eis ostendit, et sic confirmavit non expedire nubere, ut etiam adderet, expedire, voto se obligare ad non nubendum, ut patet ex metaphora eunuchorum et castrationis.

Secondo errat, cum ait, non esse vim faciendam in vocibus istis, quod in parabolis non omnia ponantur ad significandum. Errat, inquam, nam theet in parabolis esse possint interdum quaedam partes, quae nihil significant, sed ponantur solum ad explendam narrationem, tamen in verbis evangelii, de quibus agimus, nulla est parabola, sed solum duo verba metaphorica, nimirum, nomen eunuchi, et nomen castralionis; quae verba nisi aptam similitudinem contineant, tota Christi oratio inepta redditur. Non continent autem illa verba aptam similitudinem, nisi illi, qui dicuntur metaphorice eunuchi, habeant voluntariam necessitatem continendi, sicut eunuchi proprie dicti habent naturalem continendi necessitatem.

Tertio deinde errat Martyr, quia licet in parabolis, profixis possit aliqua pars nibil significare, tamen id in quo parabola praecipue consistit, non potest non significare, nisi ineptissima sit parabola. Jam vero in verbis evangelii, de quibus nunc agimus, st parabola esset, ea praecipue in vocibus ( eunuchi et catrationis ) consisteret, ut patet, ac proinde merito in his vocibus vis facienda esset.

Errat Quarto in exemplo, quod affert de villico iniquitatis. Nam non existimat aliquid significare, quod villicus ille ex alienis bonis sibi amicos fecerit, cum tamen in hoc maxime parabola consistat; vult enim nos Dominus docere, ut quemadmodum ille villicus ex bonis Domini sui multa largiendo, sibi multos amicos comparavit: ita et nos ex bonis Domini nostri, idest, Dei, cujus sunt omnia quae habemus, eleemosynas faciendo multos amicos in coelo faciamus. Hoc solum interest. quod ille peccabat bona Domini sui largiendo, quia contra ejus voluntatem largiebatur, et idcirco dicitur villicus iniquitatis; nos autem non peccamus bona Domini nostri largiendo, quia hoc ipsum ei vehementer placet, ut bona sua liberaliter erogemus, cum nullum ipse ex hac largitione dispendium patiatur. Et sane vehementer accendit ad eleemosynam faciendum ista cogitatio, quod opes nostrae res sint alienae, idest, Dei, et tamen ex ejusmodi alienis rebus possimus nobis regnum coelorum comparare.

Postremo errat Petrus Martyr, quod existimet, hic solum continentiam laudari, ut liber a cura uxoris et liberorum, facilius possit evangelium praedicare; quem errorem supra refutavimus disputatione de consiliis evangelicis. Hic unum dumtaxat s. Augustini testimonium addam, lib. de sancta virginitate cap. 23. Quid. inquit, veracius, quid lucidius dici potuit, Christus dicit, veritas dicit, virtus et sapientia Dei dicit. eos qui pio proposito ab uxore ducenda se continue. rint, castrare se propter regnum coelorum? et contra, humana vanitas impia temeritate contendit, eos, qui hoc faciunt, praesentem tantummodo necessitatem molestiarum conjugalium devitare: in regno coelorum amplius quidquam caeteris mihil habere. Haec ille.

CAPUT XXIV.

Idem asserilur ex verbis apostoli 1. ad Tim. 5.
Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerant.

Tertius locus pro continentiae voto habetur in epistola priore ad Timoth. cap. 5. ubi hoc modo apostolus loquitur: Adolescentiores viduas devita. cum enim luxuria/ae fuerint in Christo, nubere volunt. habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quo loco per primam fidem pihil aliud intelligi potest, nisi continentiae votum, ut'omnes omnino veteres intellexerunt. Nam eum apostolus dicat, eas primam fidem irritam facere, quae nubere volunt, necessatio colligimus eum loqui de fide servandae continentiae,

quae per nuptias violatur. Ista autem fides servandae continentiae; aut est fides data marito carnali, aut Christo-sponso spirituali, non potest esse fides data carnali marilo; illa enim tamdiu durat, quamdiu maritus vivit; mortuo autem viro, soluta est mulier, et cui vult, nubere potest, ut apostolus ait ad Roman. 7. et 1. Cor. 7. Igitur seguitur, ut hoc loco fides, quae per nuptias irrita fleri dicitur, sit fides data spirituali sponso Christo. Non potest autem baec fides, Christo data, esse simplex propositum, seu voluntas continendi sine premissione ac voto; tum quia simplex propositum non habet relationem ad aliud. nec fides dici potest; unde non irritatur fides. cum mutatus propositum, tum etiam quia propositum saepe licet sine ulla culpa mutare. Apostolus autem absolute dicit eas damnationem habere, quia fidem irritam faciunt: sequitur igitur, ut fides hoc loco votum significet. Ex quo sequitur, votum perpetuae continentiae non esse impossibile, nec illicitum, quia nullum tunc fuisset peccatum illud

Ita exposuit concilium carthaginense IV. can. 104. Si quae viduae quantumlibet in minoribus annis positae, se devoverint Domino, et veste laicali abjecta. sub testimonio episcopi et Ecclesiae religioso habitu apparuerint, postea vero ad nuptias saeculares transierint, secundum apostolum damnationem habehunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino voverunt, irritam facere ausae sunt. Haec sententia est 214. episcoporum, qui in hoc concilio interfuerunt. Idem habetur in concilio toletano IV. cap. 55. ubi 70. episcopi fueruat.

Ita exponunt etiam tres summi, sanctique pontifices; Clemens lib. 3. const. cap. 4. et 2. Innocentius I. in epist. 2. cap. 13. et Gelasius I. in epist. 1. cap. 23. Ita etiam Tertullianus in libro de monogamia, non procul a fine; Basilius in lib. de virginitate, parum ultra medium; Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, et in cap. 44. Ezechielis; Epiphanius haer. 48. Augustinus libro de sancta virginitate, cap. 23. et libro de bono viduitatis, cap. 8. et 9. et in psalm. 73. Fulgentius in epist. 1. Praeterea omnes expositores hujus loci, tum graeci, ut Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et Oecumenius; tum latini, ut Ambrosius,

Primasius, Beda, Haymo, Sedulius, Anselmus et alii.

Ad hunc locum multi respondere conati sunt, ac primum Lutherus in lib. de votis monasticis, contendit, per primam fidem non posse intelligi votum, eo quod nusquam alibi in Scripturis votum dicatur fides. Vult autem ipse per primam fidem intelligi fidem christianam, quam perdiderunt viduae illae, quae ut facilius nubere illis liceret, defecerunt a fide christiana ad judaismum vel paganismum, et confirmat banc explicationem suam duabus rationibus. Primo, quia de his viduis apostolus dicit, eas abiisse retro post Satanam. Secundo, quia dicit, eas luxuriatae esse adversus Christum: nam et abire post Satanam, et luxuriari adversus Christum; nihil videntur significare aliud, quam apostasiam a fide Christi.

Sed haec nova explicatio facile refellitur. Nam etsi fides nusquam alibi significat votum, tamen multis in locis significat, promissionem, sive constantiam in promissione servanda, quorum utrumque ad votum perlinere certum est, cum votum promissio quaedam sit. Genes. 44. Ego hunc in fidem meam recepi. Ad Rom. 3. Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuavit? Sic igitur hoe loco fides promissionem, seu pactum significare potest. Quod autem non solum possit, sed etiam debeat fides hoc loco pro pacto ac voto accipi, non pro tide christiana, qua Deo credimus. colligitur ex illo verboadjuncto (Irritam fecerunt): nam fides, qua Deo credimus, non recte dicitur irritari, sed amitti, vel corrumpi: pacta autom et vota propriissime irritari dicuntur. Beut. 30. Si quis Domino votum voveril, non faciet irritum verbum suum. Psulm. 88. Quae procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

Deinde, nulla caussa erat, cur viduae illae, si non voverant continentiam, non possent nubere, nisi deficerent ad Judaeos aut Paganos: Quis enim illas prohibebat nubere inter Christianos? An, non apostolus 1. Cor. 7. aperte permiserat, ut viduae iterum nuberent, modo in Domino, idest, inter Christianos? Neque Lutheri rationes concludunt; nam abire post Satanam, non solum contingit per spostasiam, sed per omne peccatum mortale, luxuriari autem contra Christum, non potest significare defectionem a Christi fide, sed scortari in injuriam Christi. Nam apostolus dicit, eas viduas prius luxuriari in Christom, et postea nubere velle: Lutherus autem dicit, eas nubere velle, et proplerea deficere a Christo: ergo cogitur fateri, non esse idem luxuriari et desicere.

Ad eundem locum tres solutiones Calvinus affert. Primo dicit, apostolum nomine primae fidei accipere fidem in baptismo datam, quam istae viduae irritam fecerunt lasciviendo et scortando.

At solutio parum valet. Nem praeterquem quod adversatur omnibus veteribus citatis, aperte apostolus dicit, eas habere damnationem, quia primam fidem ritiam fecerunt nubere volendo, nulla autem munier in baptismo promittit se non esse nupturam. Si ergo non voverant continentiam, cur damnantur, si nubere velint? Quod autem apostolus hoc loco ait: Cum luxuriatae fuerint in Chri-

BELLARMINI. Vol. II.

sto; aliqui intelligunt de spiritalibus deliciis, ut sit sensus: Posteaquam deliciis spiritalibus in domo Dei abundarunt, ingratae sponso ocelesti terrenas appetunt nuptias; ita Tertullianus de monogamia, et Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 74. Alii intelligunt de temporalium rerum affluentia, ut sit sensus; Posteaquam in domo Dei Ecclesiae sumptibus ad satietatem pastae sherint, nubere volunt; ita Theodoretus et b. Thomas in hunc locum. Alii, ut Chrysostomus hoc loco, et Hieronymus in epistola ad Ageruchiam de monogamia, intelligunt de sornicatione, ut sit sensus; Postquam in injuriam sponsi sui Christi sornicatae sumptibus ad addunt, ut nubere velint.

Sed quocumque modo accipiatur illud: Cum luxurialae fuerint, nubere volunt; semper argumentum nostrum suum robur habet. Nam si de scortatione non accipiatur illud; Postquam lucuriatae fuerint, constat solum reprehendi quod pubere velint contra votum. Si autem accipiatur de scortatione, tunc'non solum non reprehendi, sed etiam laudari deberent, si a scortatione ad honestum conjugium transire vellent. Non igitur primam fidem vocat apostolus fidem baptismi, sed fidem voti, cui, respondet, tamquam secunda, fides matrimonii ineundi; idem enim est, ac si diceret post fidem Christo datam.volunt fidem mortali marito dare, et primam illam irritam facere. Adde, quod etiamsi de fide in baptismo data apostolus loqueretur, adhuc nihil pro haereticis concluderetur. Nam in baptismo promisimus legem Dei nos servaturos; lex autem passim id inculcat, vota esse reddenda. Itaque etiam hoc verum est, eas viduas, quae post votum nubere volunt, votum violando, sidem in baptismo Deo datam irritam facere.

Altera solutio Calvini est, viduas illas, de quibus apostolus loquitur promisisse continentiam, et hanc promissionem irritam fecisse, cum nubere voluerunt, sed tamen non potuisse id promittere, nisi eas, quae excesserant annum sexagesimum, et jam non amplius aptae eraut conjugio. Dicit enim apostolus: Vidua eligatur non minus sexaginta annorum. Itaque nihil ex hoc loco deduci posse pro voto sanctimonialium, quae etiam in flore aetatis continentiam profitentur. Haee etiam solutio nihil solidi habet; nam etsi apostolus jubeat, viduam eligi annorum sexaginta, tamen non vetulas, sed adolescentiores accusat, quod primam fidem irritam fecerint volendo nubere.

Si igitur verum est quod Calvinus ait, non posse juniorem continentiam vovere, cur apostolus eas reprehendit? Praeterea dico apostolum, cum ait: Vidua eligatur non minus annorum sexaginta. Et: Adolescentiores viduas devita, idest, non eas eligas, non loqui de admissione ad votum continentiae, sed vel de electione ad quandam praefecturam et ordinem diaconissae, ut exponunt Tertullianus libro de velandis virginibus, et lib. 1. ad uxorem.et quidam alii: vel, quod probabilius est, de admissione ad numerum earum viduarum quae ab Ecclesia alebantur, ut Chrysostomus et Ambrosius in hunc locum, et Ilieronymus in epistola ad Salvinam, exponunt; verbum enim Eligatur, grae-

ce καταλεγέςω, in catalogum adscribi et numerari

significat.

Nolebat autem apostolus, viduas minores annis sexaginta ab Ecclesia ali, ut beatus Hieronymus loco notato docet, quia juniores possunt labore suo victum sibi comparare: et praeterea, quia juniores difficilius conservantur in pudicitia, et turpius erat, aliquam earum viduarum, quae ab episcopo alebantur et regebantur, labi, quam aliquam aliam, ideo eas valde probatas esse volebat, et quibus nullum periculum incontinentiae timeretur.

Tertia solutio est, quod ista promissio continentiae, quam viduae faciebant, non erat proprie votum Deo factum ad eum colendum, sed erat promissio facta Ecclesiae ad expeditius ministrandum iis, quibus ex officio diaconissarum debebant, quomodo si aliqua eupiens recipi in ancillam, promittat se non cogitaturam de nuptiis, ut liberius ser-

vire possit.

Haec solutio minime omnium quadrat; nam praeterquam, quod Patres citati dicunt, eas Deo vere vovisse, si votum Deo factum rescindi potest, ac debet (ut Calvinus dicit) ab eo, qui stimulis carnis agitatus, continere non potest, quanto magis rescindi poterit promissio facta Ecclesiae? Cur ergo istas adolescentiores apostolus damnat, quia nubere volunt?

Sed inquiunt. non damnat, quia nubere volunt, sed quia fidem Ecclesiae datam irritam fecerunt scortando. At contra; nam apostolus in praesenti dicit: Habentes damnationem; ergo debet culpa praesens damnationi praesenti respondere: scortatio autem jam praeterierat, et ex sententia Calvini emendata fuerat per novam voluntatem honesti conjugli; Sic enim loquitur apostolus: Cum luxuriatae fuerint, nubere volunt; non igitur damnantur, quia luxuriatae fuerint, sed quia nubere volunt, quod est praesens. Cur autem damnantur quia nubere volunt, nisi quia continentiam voverunt, et sic nubere volendo, primam fidem irritam fecerunt?

Sed instant rursus, quia ibidem apostolus dicit: Volo juniores nubere; non ergo approbat vota juniorum. At vide hujus loci explicationem infra

Jam vero Petrus Martyr in lib. de coelibatu et votis, post repetitionem eorum, quae ex Luthero et Calvino jam protulimus et refutavimus, duo adfert nova. Primum dicit, hunc locum esse ambiguum, et posse variis modis exponi, proinde nihil solidi hinc adferri posse ad confirmanda dogmata.

Respondeo: Non posse recte ambiguum vocari eum locum, quem omnes interpretes, qui quidem ante nostras lites exortas exstiterunt, uno modo exposuerunt: alioqui nihil erit non ambiguum. Nihil enim est tam aperte dictum, quod non possit a contentiosis ambiguum fleri. Addo praeterea, ex locis ambiguis doginata stabiliri et confirmari posse, quando accessit explicatio Ecclesiae per concilia approbata, aut per communem Patrum consensum; nam alioqui nihil omnino habebimus certi, ut revera nihil haeretici certi habent; nam, ut diximus, nihil est in Scripturis, quod non possit exponi va-

riis modis, si velimus contentiose agere. Quod si addas praeterea, ex ejusmodi ambiguis locis dogmata fidei confirmari non posse, nullum omnino habebimus dogma. Exempli caussa, Christum esse Deum, negant hodie in Transylvania permulti, et omnia loca Scripturae, quibus id nos probamus, illi variis modis exponunt; ergo si Petro Martyri eredimus; non erit dogma fidei, Christum esse Deum, atque hoc idem de omnibus aliis articulis facile posset ostendi.

Secundo, Petrus Martyr contendit illud: Habentes damnationem: non significare poenam, quae peccato respondest corum Deo, sed solum quandam infamiam apud homines. Etsi enim illae, quae promiserant Ecclesiae castas se futuras non peccent nubendo, immo bene faciant eum Paulus dixerit: Melius est nubere, quam uri 1. Corinth. 7. tamen subeunt quandam notam levitatis, quod non perseverent in eo, quod coeperant.

Porro id non aliter probat, quam auctoritate Martini Buceri, qui vocem illam xolux, quam noster interpres damnationem interpretatus est, ambiguam esse docuit, et interdum accipi pro accu-

satione-coram hominibus.

At nos Bucero opponimus in primis omnes Patres supra citatos, qui damnationem aeternam coram Deo habere dicunt viduas, quae post votum habere volunt. Opponimus deinde ipsum apostolum Paulum, qui ubique illa voce utitur ad significandam damnationem coram Deo et heminibus, pre crimine magno et manifesto, ad Rom. 3. Quorum damnatio, tò xpiµa, manifesta est, appellat damnationem judicium Dei contra illos, qui blasphemabant, ac mentiebratur apostolum dicere, Faciamus mala, ut eveniant bona. Et ad Rom. 13. Qui autem resistunt Dei ordinationi, ipsi sibi damnationem, xplµa, acquirunt. Certe autem, qui Deo resistunt damnationem habent coram Deo, et non coram hominibus tantum.

Denique, Joannes etiam cap. 3. non semel, sed ter utitur verbo (xplua) in hac significatione: Non venit, inquit, filius hominis, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ubi illud, iva xplvn (ut judicet) non significat judicium discussionis, sed damnationis. Est enim sensus; Non venit, ut sententiam damnationis ferat adversus mundum, sed contra pot ius, absolutionis. Sic etiam paulo post: Qui credit, non judicatur, idest, non damnatur, qui autem non credit, jam judicatus est, idest, manifesta est sententia damnationis, quam habebit, etiamsi nondum pronunciata sit. Viderint igitur Bucerus et Martyr, ubi legerint xplua, non significare damnationem soram Deo.

Praeteres, quare, quaeso, viduae illae, si nullo voto obstrictae erant, infames fuissent apud homines, si nubere voluissent? Si non erat turpe (ut ipsi dicunt) episcopo uxorem habere, et ea mortua, rursus aliam et aliam ducere, et in ipso episcopatu filios procreare, cur turpe fuisset viduae, quae continere non poterat, nubere? Et si nec infamiam, nec levitatem, nec turpitudinem esse volunt hoc tempore monachis et sanctimonialibus, post solemne votum continentiae, ad inatrimonium transire; quomodo audent dicere, fuisse infame, ac tur-

pe viduis illis velle nubere, cum nullam haberent non nubendi obligationem.

#### CAPUT XXY.

#### Idem asseritur ex conciliis.

Nunc secundo probanda est nostra sententia lestimonio emnium Ecclesiarum, quod ex concilis antiquis facile haberi poterit. Judicium Ecclesiae orientalis, patet ex concilio ancyrano een. 18. Quolquot virginitatem pollicitam praevaricati aunt, professione contempta, inter digamos habeantur. Item ex concilio chalcedonensi generali can. 16. Virginem, quae se Domino consecravit, similiter et monachum, non licere nuptialia jura contrahere, quod si hoc inventi fuerint perpetrantes, eccommunicentur.

Judicium Ecclesiae africanae, patet in concilio carthaginensi III. cap. 33. ubi praecipitur, ut sacrae virgines in menasteriis diligentissime custodiantur. Et in concilio carthaginensi IV. cap. ult.

ut supra citatum est.

Judicium Ecolesiae hispanicae, patet in concilio toletano IV. cap. 55. Duo sunt genera viduarum, saeculares et sanctimoniales. Et panlo infra: Eac si ad nuptias transferint, juxta apostolum, non sine damnatione erunt, quia se primum Deo voventes, postea castitatis propositum abjecerunt.

Judicium Ecclesiae gallicae, patet in concilio turonensi II. cap. 46. ante annos mille celebrato: Si qui in monasterio conversi sunt, nullatenus exinde habcant licentiam evagandi, nec, quod absit, ullus corum conjugem ducere, et si uxorem duxerit, excommunicetur, et'de uxorja male sociatae consortio etiam judicis attailio separetur. Quod ei judex ad hoc solatium dare noluerit,excommunicatur. Qui infelix monachus tali conjunctione foedatue, si per cujuscumque patrocinium se conatus fuerit defensare, et is qui in hac pertinacitate perdurat, et illi, qui eum exceperint defensandum ab Ecolesia sepregentur, donec reverlatur da septa monasterii, et indictam ab abbate, quamdiu praeceptum ei fuerit, agat poenitentiam, et post satisfactionem revertatur ad graliam.

Judicium Ecclesiae germanicae, patet ex concilio moguntinensi, tempere Arnulphi imperatoria, capite ultimo: Quae propositum castitatis assumpecțint, aut monasterii claustris regulariter constringantur, aut domi manentes, castitatem auce professionis integerrime custodiant. Ibidem confirmatur decretum 43. concilii elibertini, et sextum coloniensis concilii, sub Carolo Crasso, in quibus statutum fuit, ut virginas sacrae, si semel votum violaverint, pactumque virginitatis perdiderint, solum in fine vitae communionem percipiant: si autem libidini diu servierint, ne in fine quidem esm accipiant. Multa item de vita monachorum et sanctimonialium habentur in concilio moguntino, sub Rabano.

. Judicium Ecolesiae italicae patet ex concilio ro-

mano sub Sylvesiro can. 10. ubi probibetar eniscopus benedicere virginem, quae nuplias aliquando expetiit, nisi diu fuerit ejus pudicitia probata. Et ex concilio forojuliensi, tempore Caroli Magni: Item placuit de foeminis cujuscumque conditionis, puellis scilicet vel viduis, quae virginitatis sive continentiae propositum spontanee pollicentes, Deo mancipatae fuerint, et ob, continentiae signum nigram vestem, quasi religiosam: sicut antiquus mos fuit in his regionibus, inductae fuerint, licet non a sacerdote sacratae, in hoc tamen proposito, eas perpetim perseverare mandamus. Si vero pestea, sive clanculo, seu publice nupserint, dignis quidem mundano judicio corporalibus eörrcitae vindictis, segregentur ab invicem, et agant cunctis diebus vilae suae poenitentiam etc.

#### CAPUT XXVI.

Idem asserilur ex responsis pontificum el imperatorum.

Tertio, probanda est responsis aliquot veterum et sanctorum pontificum. Ac primum Clemens lib: 3. constitut. apostol. c. 1. Quare, inquit, oportet non temere facere professionem, sed cum consilio et consideratione. Praestat enim, eam non vovere, quam vovere et non reddere. De viduis loquitur.

Syricius epist. 1. cap. 6. dicit, nec publicas leges, nec jura ecclesiastica ullo modo permittere monachis vel sanctimonialibus nuptias post vo-

tom:

Innocentius I, epistol. 2. cap. 12. dicit, eas, quae post votum nupserunt, esse adulteras Christi,

idest, sacrilegas.

Leo I.episiola ad Rusticum narbonensem episcopum; quae est 90. cap. 13. Propositum, inquit, monachi proprio arbitrio et voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere. Idem dicit capite sequenti de sanctimonialibus.

Gelasius epist. 1. cap. 22. Virginibus, inquit sacris temere se quosdam sociare cognovimus, at post dicatum Deo propositum incesta foedera sacritegaque miscere, quos protinus aequum est a sacra communione detrudi, et nisi per publicam, prebatamque poenitentiam omnino non recipi etc. Idem cap. 23. dicit, viduas etiam peccare, si post votum nubant.

Denique, Gregorius I. lib. 1. epist. 33. ad Venantium: Considera, inquit, quanto pericule in divino judicio dignus eris, qui temetipsum Deo omnipotenti, cui sub monachali habitu devoveras, subtraxisti etc. El epist. 40. ad Anthemium, jubet monachos, si uxores ducant, debere separari, et remaitit ad monasteria.

His accedant responsa etiam principum politicorum. Scribit enim Eusebius lib. 4.de vita Constantini, fuisse abrogatam a Constantino antiquam le-

gem Romanorum, qua privabantur successione haereditaria homines steriles, vel orbati liberis. Caussam autem abrogationis scribit fuisse propter eos, qui religionis et pietatis gratia ex voto coelibatum colebant, ne videretur lex politica pietatem velle punire. Rursus, cum tempore Juliani apostatae coepissent quidam sacras virgines in conjugium petere, Jovinianus imperator Christianus, qui Juliano successit, legem tulit, ut capite plecteretur, qui sacram virginem, vel ad conjugium betere, vel etiam impudice aspicere deprehensus fuisset. Scribit hanc historiam Sozomenus lib. 6. hist. Eccles. cap. 3. et exslat adhuc ea lex in codice, L. Si quis, de episcopis et clericis. Quae lex si hoc tempore observata fuisset, Martinus Lutherus, cum non paucis ex suis, justissime caput amisisset.

## CAPUT XXVII.

## Idem asseritur testimonio Patrum.

Quarto probanda est testimoniis Patrum.S.Ignatius epist. ad Tharsenses jubet honorari virgines Deo sacras: et epist. ad Antiochenses, Virgines, inquit, agnoscant cui se consecraverunt.

Dionysius Eccles. hierarch. cap. 6. part. 2. describens ritum, quo initiabantur monachi, dicit eos publice in Ecclesia promittere, se renunciare vitae divisibili, idest, vitae saeculari; saecularis enim divisus est, ut apostolus dicit 1. Corinth. 7. cum partim de Deo, partim de uxore cogitet.

Martialis epist. ad Tholosanos, capite octavo dicit se Valerine virgini persuasisse, ut virginitatem suam Deo voveret, quod etiam Iphigeniae suasisse Matthaeum scribit Abdias in ejus vita, et Theclae beatum Paulum scribit s. Ambrosius lib.2. de virginibus et Flaviae Domitillae sanctum Clementem scribit Beda in martyrologio die 7. maji, cujus etiam meminit Eusebius in Chronico.

Tertullianus lib. de velandis virginibus: O sacrilegae manus, inquit, quae dicatum Deo habitum detrahere potucrunt, quid pejus aliquis perseguutor fecisset. si hoc a virgine electum cognovisset? Et in fine libri: Nupsisti, inquit, Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Et ibidem: Quid, inquit, faciet ipsum continentíae votum etc. Et lib. de monogamia, ultra medium: Habentes, inquit, judicium, quod primam fidem resciderunt, illam videlicet, a qua, in viduitate inventae, et professae eam, noluerint perseverare.

Clemens Alexandrinus Strom.3.initio: Est ergo, inquit, continentia. corporis despicientia convenienter pactis conventis cum Deo initis. Et in fine libri: Dominus. inquit, dixit, qui uxorem duxit. non repudiet eam; qui non duxit non ducat; qui autem professus est se numquam ducturum, sine uxore perseveret.

Origenes from. 23. in Numeros: Unde, inquit, mihi videtur illius solius esse indesinens offerre

sacrificium qui se indesinenti, et perpetuae devoverit continentiae.

Hilarius in psalm. 64. Deo ergo, inquit, vovenda sunt contemptus corporis, castitatis custodia, jejunii tolerantia.

Eusebius lib. 4. de vita Constantini: Castitatem, inquit, virginalemque modestiam amplexatae quaedam, corpus et animum consecravere Deo. Et infra de Constantino: Virgineum, inquit, chorum tantum non adorabat, istic habitare Deum, cui se puellae devoverant, arbitrabatur.

S. Cyprianus lib. 1. epist. 11. ad Pomponium: Christus, inquit, Dominus et judex noster, cum virginem suam sibi dicatam, et sanctitati suae destinatam, jacere cum altero cernat, quam indignatur et irascitur, et quas poenas incaestis ejusmodi conjunctionibus comminatur? Et infra, Quae, inquit, hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est. Et lib. de habitu virginum: Qui, inquit, se Christo dicaverint, et tam carnem quam mentem Deo devoverint, opus suum consumment magno praemio destinatum.

S. Athanasius in lib. de humanitate Verbi dicit, etiam pueros virginitatem suo tempore profiteri solitos: et in apologia pro fuga sua meminit sacrarum virginum; quas Ariani petulantissime vexaverunt. Quod fusius scribit Petrus, Athanasii successor, in epistola quadam, quae exstat apud Theodoretum lib. 4. hist. Eccl. cap. 20. 21. 22. Idem Athanasius in lib. de virginitate: Postquam, inquit, continentiam professa es, corpus tuum sanctificasti.

S. Basilius in procemio constitut. monast. Itaque, inquit, qui a mundi vinculis liber esse cupil, nuplias veluti pedicas quasdam fugil; bis autem relictis, vitam suam Deo consecrat, et castitatem profitetur. ut neque facultas ipsi sit conversionis ad nuptias. Et epist. ult.quae est ad virginem lapsam: Et quia, inquit, impius in profundum collapsus mata de castero contemnit, etiam ipsa abnegas ad verum sponsum pacta, neque esse virgo, neque unquam promisisse clamas. Revoça in memoriam honestam professionem; quam professa es coram Deo et angelis et hominibus. Revoca in memoriam venerandam congregationem, et sacrum virginum chorum. Quot literas ad sanctos saepe exarasti, per quas pro te orare peliisli, non ul nuplias humanas, immo ignominiosom corruptionem assequereris, sed ut a Domino Jesu non excideres etc. Idem lib.de virginitate parum a medio: Cum, inquit.virginitatem Domino professae sint, carnali postmodum voluptate male blanda delinitae ac devictae stupri scelus honesto conjugii nomine oblegere cupiunt. Et paulo ante: Horrendo, inquit, sacrilegio Christi sponsae adulter efficitur. Et paulo infra: Nam quod solemne, inquit, legitimumque connubium sponsus ille (Christus) occuparit, et virginitatis habilus, et foedera, et conventa vum illo, et praeteres processus ipse testatur, hujusmodi quippe nobilitata viro processit in publicum etc.ldem in quaestionibus fuse explicatis, quaest. 14. et 15. multa de voto solemni monachorum disputat.

S. Gregorius nazianzenus oratione de obitu pa-

tris sui ultra medium: Ut enim, inquit, nos Deo vovimus, si discrimen effugeremus, ita periculo defuncti, nosmetipsos obtulimus etc. Gregorius enim, ut ipse põemate de vita sua scribit, a matre Deo consecratus fuerat, antequam nasceretur, et ipse postea, cum in mari periclitaretur, iterum votum continentiae et religionis emisit, quod etiam servavit.

S. Optatus milevitanus lib. 6, contra Parmenianum: Spirituale, inquit, hoc genus nubendi est; in nuptias sponsi jam venerant voluntate ex professione sua etc.

Sanctus Epiphanius haer. 61. spostolicorum: Tradiderunt, inquit, sancti Dei apostoli, peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias converti. Et infra: Si, inquit, quae vidua fuit, as Deo dicata, et postea nupeit judicium et condemnationem habebit, quod primam fidem rejecit; quanto magis quae Deo dicata virgo fuit, et nupsit, contra Christum lasciviit. et majorem fidem rejecit, et judicium habebit? Et haer. 48. Montunistarum: Gaudet, inquit, Deus verbum his, qui approbatum Dei cultum praestare possunt, et virgin latem, et continentiam exercere deligunt ete. Vides cultum vocari professionem continentiae.

Sancius Joannes chrysosiomus hom. 15. in priorem ad Timotheum: Et vidua, inquit, in viduitatis
professione Christo consentit, idest, Christo nubit. Et infra: Cum. inquit, illi se devoverint, nubere volunt habentes damnationem, quia primam
fidem irritam fecerunt, fidem pactum dicit. Et
homil. 14. prolixissime describit, ac miris laudibus praedicat monasticam professionem, sed clarissime epist. 6. ad Theodorum lapsum: Honorobiles, inquit, nuptiae, sed te etiam servare non
convenit privilegia nuptiarum, quamvis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio
illud pojus existimo etc.

Sulpitius in vita s. Martini anto medium. Arborius, inquit, vir sancti admodum et fidelia ingenti, cum filia ejus gravissimis quartanae febris aestibus ureretur, epistolam Martini, quae casu ad eum delata fuerat, pectori puellae in ipso accessu ardoris inseruit, statimque fugata febris est; Quae res apud Arborium tantum valuit, ut statim puellam Deo voveret, et perpetuae virginitati dicarei; profectusque ad Martinum; puellam ei praesens obiulti, neque ab alio eam, quam a Martino, habitu virginilatis imposito, passus est consecrari

Ruffinus lib. 10. histor. cap. 8. dicit, Hierosolymis fuisse insigne monasterium sacrarum virginum, quibus Helena mater Constantini suis manibus ministrare in mensa aliquando solebat.

Sanctus Ambrosius lib. 3.de virginibus, ante medium: Initiatas, inquit, sacris mysteriis, et consecratas integritatt puellas mubere prohibes. Utinam potuissem revocare nupturas, utinam potuissem flammeum nuptialo pio integritatis velamine mutare. An indignum videtur, ut sacratae virgines, a sacrosanctis altaribus non abducantur ad nuptias? et quibus licet sponsum eligere, non licet Deum praeferre? Et infra: Discite, inquit.

quantas alexandrina, totiusque orientis, et africana Ecclesia, quotannis sacrare consueverint; pauciores hoc homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur. Similia passim repetit.

B. Hieronymus in epist. ad Sabinianum, Moris est, inquit, in Aegypti et Syriae monasteriis. ut tam virgo, quam vidua, quae se Deo voverint, et saeculo renunciantes, omnes delicias saeculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerapt desecandum, non intecto postea contra apostoli voluntatem incessurae capite, sed ligato partier, ac vetato. Plena sunt scripta sancti hujus viri testimoniis. pro eastitatis voto et professione, adeo ut Petrus Martyr dicat, nullum esse ex Patribus, qui megis dogmati ipsorum adversetur, quam Hieronymus.

S. Augustibus lib. 1. de adulterinis conjugiis c. 24. Quod, inquit, cuiquam, antequam vovisset, licebat, cum id se numquam facturum voverit, non licebit: si tamen id voverit, quod vovendum fuit, sicut est perpetua virginitas etc. Et in psalm. 75. Nescio, inquit. quae castimonialis nubere voluit. Quid voluit? quod et mater ipsius. Aliquid mali voluit? mali plane, quare? quia voverat Domino Deo suo. Idem ibidem: Quid, inquit, ait apostolus de quibusdam, quae voverunt, et non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt? Voverunt et non reddiderunt.

S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 42. Eis, inquit, qui sive conjugati, sive a conjugio liberi, continentiam Deo voverunt, admodum est damnabile, si vel illi conjugale opus voluerint appetere, quo se non accessuros, vel illi repetere, a quo recessuros, illi libera, illi communi professi sunt voluntate. Idem s. Fulgentius in epist. 1. cap. 6. Non peccat, inquit, virgo nubens, si virginitatem Deo priusquam nuberet in corde non vovit. Et epist. 3. cap. 4. Hic est, inquit, unigenitus Dei Filius, unigenilus etiam virginis Filius, unus omnium sacrarum virginum sponsus, sanctae virginilalis fructus, decus et munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritualiter sancta virginitas nubit; a quo sancta virginitas foecundatur, ut perseverel intacla:a quo decoratur, ut permaneat pulchra;a quo coronatur, ut regnet perenniter glariosa. Quapropter bonum depositum custodi, el meritum tanti boni, quod ut haberes, Deus dedit, et ut Deo voveres, ipse fecit.

Ad hace omnia conciliorum, pontificam et Patrum testimonia, tres adfert responsiones Petrus Martyr ad finem libri. Primo dicit, omnia ista humana esse testimonia, nec esse Christiani hominis officium provocare a testimoniis Dei ad testimonia hominum: Quod, inquit, ad alterum attinet de judicio Patrum, quoniam adversarii nostri, et in hac caussa, et in aliis controversiis semper provocare solent ad eos, pronuncio mihi non videri hominis esse Christiani ad hominum judicia provocare a Scripturis Dei. Hoc enim est injuriam facere Spiritui sancto; nam fides est ex auditu, auditus autem ex verbo Dei, non ex Patribus.

Haec ille. Ubi etiam fusissime probat, non esse provocandum a Scriptura ad Patres.

Sed dum haec dicit, ipse mihi provocare videtur a candore ad impudentiam, a veritate ad mendacium; Non enim catholici doctores provocarunt unquam a Scriptura ad Patres, sed in Scripturae intelligentia a judicio paucorum seditiosorum, ad judicium multorum sapientissimorum et optimorum virorum, vel etiam a judicio partis ad judicium aliorum, qui partes non sint. Ut enim in humanis litibus cum duo contendunt et judicem aliquem appellant, non provocant a lege ad judicem, sed a parte litigante ad judicem. Et si rursus judex non satisfacial, provocant iterum non a lege, sed ab uno judice ad alium, donec veniatur ad aliquem, a quo provocari non possit. Ita quoque in Ecclesia cum oriuntur lites, inspiciuntur leges divinae, quae ab omnibus recipiuntur. Quod si lis non finiatur, quaeritur judex, non quod Scripturae non credatur, sed quod de ipsa Scriptura quaestio sit. Itaque provocamus ab explicatione adversarii litigantis, ad arbitrium sapientium et peritorum, qui ante litem exortam floruerunt. Quod si illi inter se fortasse non conveniant, provocamus ad Ecclesiae totius judicium, idest, ad summi pastoris, vel generalis concilii definitionem.

Quod si quis adhuc velit ab isto judice ad Scripturam provocare, idem facit, ac si quis in humanis litibus a praetore provocaret ad legem; quod ridiculum esset, cum nihil sit aliud provocare a praetore ad legem, quando de sensu legis quaestio est, quam provocare a sententia publici judicis ad suum proprium, privatumque judicium.

Al, inquit Petrus, etiam Patres omnes et concilia, licet inter se optime consentiant, errare possunt, nisi cum verbo Dei consentiant. Respondeo: Id quidem esse verum, sed assumptionem, quae subticetur, esse falsam, nimirum posse omnes Patres, aut concilia legitima et approbata, cum verbo Dei non consentire. Exempla autem quae ipse adfert, nihil aliud probat, nisi posse Patres singulos seorsim et concilia illegitima et reprobata errare. Concilium enim II. ephesinum et constantinopolitanum sub Leone iconomacho, quorum exempla Martyr adducit, nemo nescit qualia fuerint.

Altera ejus responsio est. Patres quidem id asserere, quod nos dicimus, sed non esse audiendos, quod non habuerint justam caussam id asserendi: Certe, inquit, ut quod verum est fateamur, eos in hac caussa habemus iniquiores. Statim enim ab apostolorum temporibus nimium tribui coeptum est coelibatui, quibus autem de caussis id factum sit, supra multis verbis documus. Haec ille.

Docuit sutem supra, quatuor esse caussas, cur initio Ecclesiae coeperit coli coelibatus: Cur tanto, inquit, in prelio virginitas fuerit, caussa una esse potest, quod Christus dixerit, esse eunuchos. qui se castraverunt propter regnum coelorum et in eam sententiam permulta Paulus habet in septimo capite prioris ad Corinth. Haec sane Patres semper habuerunt in ora, sed eos cogitare oportuit, quemadmodum essent accipienda. Et infra. Altera caussa est quod illo tempore graves erant

persequutiones omnibus in locis, minus autem molestum est in persequutione, si quis solus fugiat, quam si cogatur sollicitus esse de uxore et liberis. Tertia caussa est, quia illis temporibus christiana religio gravi laborabat infamia; cum enim horis antelucanis, et in tenebris metu principum ad hymnos et synaxes convenirent, populus coepit suspicari illos uti inter se promiscuo concubitu, et nefaria libidine etc. Et infra: Atque ea gratia magnum numerum alebant virginum et coelibum: Quarla caussa est, quia bona pars eorum, qui accesserunt ad Christum, erat ethnicorum. At illi maxime semper suspiciebant virginitatem et coelibatum.

Hic nos respondemus, Primam caussam esse praecipuam et verissimam, nimirum verba Christi et apostoli. Qued autem addit Martyr, sanctos Patres debuisse cogit are, quemadmodum illa essent accipienda, coincidit cum responsione superiori. Id enim est quaerere, utris tandem magis credendum sit in eorum locorum explicatione, Patribus ne antiquissimis et sanctissimis et doctissimis, an Luthero et Calvino. Sed certe non video quemodo ambigi possit de hac re; nam si statim ab apostolis, ut Martyr dicit, floruerunt Patres illi, profecto apostolos ipses audire et consulere potuerunt: ac proinde longe melius verba illorum intelligere, quam isti, qui mille et quingentis annis post apostolos fuerunt:

Seconda et Tertia caussa potuerunt quidem momentum aliquod habere ad suadendam contineatiam, sed non fuisse caussas praecipuas hujus rei, facile probamus. Primo, quia Patres, dum laudant et suedent continentiam et continentiae votum, numquam adferunt istas caussas, sed verba Christi, apostolorum et prophetarum. Quocirca ipse etiam Petrus Martyr fatetur, semper Patribus fuisse in ore verba Christi, et Pauli, nec attulit ullum testimonium alicujus veteris, qui scripserit suspiciendum esse, vel suscipiendum coelibatum ob fugam in persequatione, aut ob refellendam calumniam ethnicorum. Secundo, si istae fuissent caussae praecipuae, jamdudum cessasset admiratio coelibatus; nam caussae illae brevissimo tempore durarunt: Non autem ita est, sed semper magis et magis in Ecelesia floruit, et viguit honor continentiae Deo sacratae ac devotae.

Quarta caussa falsissima est, cum constet coelibatum in Ecclesia non a gentilibus, sed a judacis coepisse. Siquidem Christus ipse virgo, mater ejus virgo, Joannes virgo, apostoli omnes post vocationem suam continentes, ex judacis, non ex gentibus natifuerant. Illi etiam primi christiani, qui in Aegypto continentiam colebant, de quibus scribit Philo in lib. de vita contemplativa supplicum, ex judaisme, non ex paganismo, ad Ecclesiam venerant.

Adde, quod Petrus Martyr contrarium scripsit in commentario ad cap. 7. prioris ad Corinthios, ubi sio ait: Neque judicamus de coelibatu, quod sit in praesenti, ut hactenus erat in judaismo et apud ethnicos, parum honestus. Scribtt enim Gicero de legibus, coelibes esse prohibento. Christus hanci gnominiam coelibatus amovit etc.

.. Porro gentilium testimonia adferuntur quidem

interdum a Patribus, sed ita adferuntur, ut apostolus quondam citavit Aratum pöetam Act. 17. et Menandrum 1. Corinth. 15. nimirum non ut in ejusmodi testimoniis ponatur firmamentum dogmatum fidei, sed ut ostendatur coelibatus non pugnare contra naturam et rationem, et ut Christiani erubescant, si in iis quae ad virtutem pertinent, inveniantur ethnicis inferiores. Hoc modo s. Hieronymus in libris adversus Jovinianum, postquam multis Scripturae testimoniis coelibatum confirmavit, producit etiam ethnicorum testimonia et exempla.

Tertia responsio Petri Martyris constat ex aliquot Patrum testimoniis, quae cum voto continentiae pugnare videntur. Sed ea paulo post adferemus, ubi ad objectiones adversariorum dissolvendas perve-

nerimus.

#### CAPUT XXVIII.

Idem asseritur ratione.

Nunc tandem, ut ad postremum genus argumentorum veniamus, duplici ratione, in Scripturis, et Patrum testimoniis fundata, id ipsum breviter confirmabimus. Prima ratio ex dignitate continentiae, secunda ex utilitate vovendi sumetur. Primum igitur id omne Deo recte vovetur, quod est illi gratius si flat, quam si non flat. Ejusmodi autem continentia est, cum longe excellat conjugio, et cum fornicatione ne comparari quidem debeat; poterit igitur recte continentia Deo voveri. Assumptio, quae sola negari solet, paucis confirmanda est. Quia vero Lutherus in epithalamio cavillatur, virginitatem quidem praestare conjugio, sed non item vitam coelibem vitaé conjugali: Argumenta adferemus de rita ipsa, et statu coelibum. Ac primum Scriplura divina clamat 1. Cor. 7. Igitur qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit,et qui non jungit, melius facit, Et infra: Cui-vult nubat. tantum in Domina; beatior autem erit, si sic permanserit. Huc etiam pertinent alia testimonia, quae attulimus supra in disputatione de consiliis...

Jam vero Patres passim perfectam vitam hanc esse dicunt. Cyprianus lib. de habitu virginum, virginum, coetum esse dicit illustriorem portionem gregis Christi. Et ibidem: Magna, inquit, vos merces manet, praemium grande virtulis, munus maximum castilatis. Dionysius de ecclesiastica hierarch. c. 6. part. 2. Sacerdos. inquit, perfectissimam ei vitam exponit, ei videlicet, qui monasticam vitam profitetur. Eusebius lib. 1. cap. 8. demonstr. evengel. Et talis, inquit, existit in christianismo perfectae vitas modus. Basilius c. 18. monasticarum constitutionum, et Gregorius nazianzenus in oratione de obitu s. Basilii, vitam perfectam, immo etiam perfectissimam appellant, monasticen. Joannes chrysostomus lib. 3.adversus vituperatores vitae monasticae, candem vitam appellat perfectionis culmen, virtutisque fa-

Hieronymus in epist. 1. ad Heliodorum: Tu per-

fectum to fore policitus es, nam quando relicta militia to castrasti propter regna coelorum, quid aliud quam perfectam sequutus es vitam? Augustinus libr. 1. de moribus Ecclesiae cap. 31. Jam.inquit, accipite perfectorum Christianorum, quibus, summa castilas non laudanda solum, sed etiam. capessenda visa est, mores et continentiam singularem. Et de sancta virginitale c. 52. Pergite, inquit, virgines Dei, via sublimitatis, pede humilitatis.

Sulpitius in 2. dialogo: Beata species, inquit, et Deo digna, nikil enim virginitati est comparandum. Iidem quoque Patres summo consensu vitam virginum, angelicam vitam esse docent, vitam vero conjugalem, vitam hominum. Ambrosius lib. 1. de virginibus: Nemo miretur, si angelis comparentur, quae angelorum Domino copulantur. Cyrillus catechesi 12. Non ignoremus castitatis gloriam, angelica enim est corona, et supra hominem haec perfectio.

Nazianzenus in carmine de virginitate:

Saive virginitas divino tradita dono, Mater inoffensae vitae bona, maxima fundens, Christi pars et spiritibus sociata supernis, Ignaris thalami.

Athanasius lib. de virginitate extremo, his titulis virginitatem celebrat: O virginitas opulentia
indeficiens, corona immarcessibilis, templum Dei,
domicilium Spiritus sancti, margarita speciosa,
vulgo inconspicua, gaudium prophetarum, gloriatio apostolorum, angelorum vita, sanctorum
carona. Vide praeterea, si placet, de comparatione
virginum cum angelis, Hieronymum in epist. 8.ad
Demetriadem, Augustinum de sancta virginitate
cap. 13. Chrysostomum hom. 18. in Genesim, Basilium in lib. de virginitate, Fulgentium in epist.
3. ad Probam, Damascenum lib. 4. cap. 25. Isidorum lib. 2. de summo bono.

Hic vero mire irascitur Petrus Martyr; nam in lib. de coelibatu, et votis recitat sententiam Athanasii supra citatam, et ait: Sunt haec hyperbolis plena, neque ad amussim veritafis consistunt. Apostolt sane conjuges habuerunt et prophetae, quomodo ergo virginitas est illis gaudium, et corona? Quid praeterea cum virginitate commune habent angeli, quandoquidem corpore carent? Unde non magis illi virgines queunt dici, quam si quis tapidem caecum appellet. Haec ille. Sed quid mirum, si non placent porcis margaritae?

Quod autem falsi accusat Athanasium Petrus, quod dixerit, continentiam gaudium esse prophetarum et gloriam apostolorum, refellitur facillime ex s. Hieronymo, qui in epist. 22. ad Eustochium sic ait: Virgo Helias, Heliseus virgo, virgines filii prophetarum. Hieremiae dicitur, et tu ne accipias uxorem. Haec ille: Quis vero nescit Joannem Baptistam et prophetam et virginem fuisse? ex apostolis Joannem certo scimus virginem fuisse. Quod idem de Paulo idem Hieronymus affirmat loco citato, et de apostolis omnibus in apologia pro libris contra Jovinianum: Apostoli, inquit, aut virgines,

aut post nuptius continentes. Ad hos ergo apostolos et prophetas respiciens Athanasius, vere et proprie, non falso et hyperbolice locutus est.

Quod autem reprehendit Petrus comparationem virginum cum angelis, non solum Athanasio, sed omnibus aliis Patribus, et ipsi etiam Christo injuriam facit, qui Matth. 22. ait: In resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in coelo. Cui credemus jam, Petro Martyri neganti eos, qui non nubunt, similes esse an-

gelis, an Christo id ipsum asserenti?

At, inquit, angelis non magis convenit non nubere, quan lapidi non videre. Ita est, sed tamen sicut eum, qui valde caecus, aut surdus, aut mutus est, lapidi et trunco, non inepte comparamus; sic ctiam eos, qui continentia et puritate excellunt, rectissime angelis similes facimus; nam alioqui nec vultum habent Angeli; et tamen non timuit s. Lucas dicere Aut. 6. Viderunt vultum Stephani, sicut vultum angeli. Atque haec de prima ratione. Addo aliam rationem ex parte ipsius voti. Melius est et Deo gratius ex voto aliquid facere, quam sine voto; igitur non solum licet, sed etiam expedit continentiam vovere. Antecedens his argumentis confirmatur.

Primo, Scriptura hortatur ad vovendum psal.75. Vovete et reddite. Quo testimonio permotus s. Augustinus, multis in locis ad vovendum hortatur, ut in epist. 45. ad Armentarium, epist. 89. ad Hilarium epist. 143. ad Julianum, in lib. de hone viduitatis cap. 19. in lib. de sancta virginitate cap. 29. et 30. in psalm. 75. 99. et alibi. At si melius esset absque voto operari, deciperet nos Spiritus sanctus, quod nullo modo fieri potest: igitur me-

lius est operari ex voto..

Secundo, opus eo melius est, ac Deo gratius, quo ex pluribus aut ex majori virlute procedit:continere sine voto, est temperantiae, continere ex voto est actus simul'temperantiae, religionis, quae quidem religio temperantia ipsa longe est nobilior: igitur continere ex voto melius, et Deo gratius est, quam sine voto. Itaque s. Augustinus in lib.de sancta virginitate cap. 8. Nulla, inquit, foecunditas sanctae virginitati etiam carnis comparari potest; neque enim et ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quae licet in carne servetur, spiritus tamen religione ac devotione servatur, ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet ac servat continentia pietatis.

Tertio. quod fit ex voto, majori charitate et libéralilate fit, quam quod sine voto. Qui enim sine voto aliquid facit, opus dumtaxat offert Deo; qui autem vovet alque ex voto facit. et opus et facultatem offert. Quod explicat s. Anselmus in lib. de similitudinibus cap. 84. his verbis: Plus donat, qui arborem cum fructibus, quam qui sotos fru-

ctus donat.

Quarto, melius est, quod fit ex voluntate confirmata in bonum, quam quod fit sine ejusmodi firmitate, sicut pejus est peccare ex voluntate obfirmata ad malum, quam ex fragilitate. Et quemadmodum qui peccant ex voluntate confirmata in malum, similes sunt damnatis: ita qui operantur ex voluntate confirmata in bono, similes sunt beatis.

Ouinto, qui vovet, non solum id lucratur, quod diximus, quod excellentius opus facit, sed eliam munit seipsum adversus tentationes diaboli, et humanam fragilitatem, ac mutabilitatem. Homines enim in iis rebus, ad quas non sunt alligati vinculis legum, etiam si optimae sint et utilissimae, facile mulant propositum, diabolo instigante: et etiam sine diaboli artibus, ex propria mutabilitate. Quocirca videmus in rebus humanis saepe requiri juramenta, ut alligetur voluntas, ne facile mutari possit. Ita milites, magistratus, sponsi, atque alii id genus jurare coguntur, non autem solis verbis se facturos quod debent polliceri. Hinc s. Augustinus epist. 45. ad Armentarium: Non te, inquit, vovisse poenițeat, immo gaude jam tibi non licere, quod eum tuo detrimento ticuisset. Et infra: Felix necessitas, quae ad meliora compellit.

# . CAPUT XXIX.

Solvitur objectio prima adversariorum.

Restat nune, ut objectiones adversariorum solvamus. Prima objectio communis est omnibus, et sumitur ab illis Scripturis, quae docent, opera bona non ex necessitate, quam tamen secum adferunt vota, sed voluntarie, ac libere esse facienda: Id enim est melius, et laudabilius, et Deo etiam acceptius, quod est magis voluntarium, et liberum, ac proinde minus necessarium. Psalm. 53. Voluntarie sacrificabo tibi. 1.Corinth. 7.Non ut laqueum vobis injiciam. idest, hortor ad continentiam; sed non ad votum 2. Corinth. 9. Unusquisque prou destinarit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus. Et ad Philemonem: Ne veluti ex necessitate bonum tuum sit, sed voluntarium. S. Hiergaymus lib. 1. in Jovinianum, ante medium: Et ideo plus amat virgines Christus quia sponte tribuunt, quod sibi non suerat imperatum : majorisque gratice est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris. Et s. Prosper lib. 2. de vita contemplativa cap. ult. Sie abstinere, vel jejunare debemus, ut non nos necessitati jejunandi subdamus,ne jam non devoti, sed inviti, rem voluntariam fo-

Respondeo: Triplicem esse libertatem, ac triplicem item necessitatem. Unam ex parte debiti, sive debitum oriatur ex praecepto, sive ex voto, sive aliunde. Id enim dicimur libere facere, quod non tenemur facere, id vero necessario, quod tenemur. Alteram ex parte naturalis determinationis voluntatis. Illa enim dicimur libere facere, in quibus non habemus voluntatem determinatam ad unam: atque haec libertas est, quae proprie dicitur liberum arbitrium. Tertiam ex parte coactionis, sive ea sit absoluta coactio, ut cum quis trahitur vi, quo ire non vult, sive sit moralis quaedam, et quasi conditionata coactio, ut cum quis nollet aliquid facere et non libenter facit, facit tamen coactus timore aliquo humano, aut servili.



Ex his prima libertas non est necessaria ad obus laudabile, aut Deo gratum faciendum : Neque contraria necessitas pugnat cum laude et merito operis boni, quia potius contra, ut ostendimus, ista necessitas auget laudem operis boni. Semper enim nisi aliunde sit impedimentum, melius est opus ex praecepto, quam non ex praecepto, ex voto quam non ex voto. Altera illa libertas necessaria est ad laudem boni operis, sed ea aeque reperitur in opere, quod sit ex praecepto aut voto, et in opere omnibus modis indebito: Nam etiamsi guts millies voverit aliquid, poterit tamen ex arbitrii libertate votum non reddere, et peccare. Tertia libertas est item necessaria ad laudem boni operis, sed neque ipsa repugnat praecepto, et multo minus voto. Potest enim fleri, ut quis tanta alacritate, et promptitudine exequatur opera praecepta, quanta alius opera non praecepta. Unde David dicebat psal. 118. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. El: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super meliori meo.

Pari ratione fieri potest, immo ordinarie fit, ut quod fit ex voto, fiat libentius et promptius, quam quod fit sine voto. Votum enim ex se laetitiam gignit, cum ex megna charitate procedat, juxta illud 1. Paral. ult. Laetatus est populus, cum vota sponte promitteret, quia corde toto offerebant ea Domino. Quod si aliqui cum tristitia solvunt, quod veverunt, id accidit ex vitio hominum, ex natura voti; nec tamen etiam tunc melius, est quod fit sine voto, quam ex voto: Nam, ut s. Thomas doset in opuscul. 18. quod est de perfectione cap. 12. potest tribus modis quis se habere in solvendo voto.

Uno modo, ut libenter faciat id, ad quod tenetur ex voto, et quia res ipsa placet, et quia votum placet; Et tunc sine dubio magis meretur, quam alius, qui aeque libenter illud idem operatur sine voto:

Altero modo, ut invitus faciat rem illam, quam vovil, tamen libenter impleat votum; ut si is, qui vovil jejunium. incipiat non amare jejunium. et proinde cum difficultate, et tristitia jejunet, adeo ut si esset sui juris, non voveret jejunium: tamen quia jam vovit, et placet ei vehementer servaçe Deo sidem datam, propterea prompto et alacri animo superet cam difficultatem, ut impleat votum. Alque hic etiam magis merctur quam alius, qui sine volo libenter jejunet; ut enim excellentior est religio, quam temperantia, ita melius est implere votum libenter, quod est religionia, quam libenter jejunare, quod est temperantiae.

Tertio modo potest fieri, ut quis adea doleat se vovisse, ut non velit amplius servare votum; sed quia hoc est simpliciter malum, non potest confericum bono.

Ex his ad ea testimonia, quae contra protulimus, facile est respondere. Ad illud psalm. 53. Voluntarie sacrificabo. Respondeo: Illud, voluntarie, opponi tristitiae, et coactioni, non autem necessitati, quae oritur ex voto, aut praecepto.

Ad illud 1. Cor. 7. Non ut laqueum vobis injiciam: quibus verbis apertissime demonstrari existimat Petrus Martyr prohibita esse vota, respon-

Bellaammini, Vol. II.

deo, laqueum, appellari necessitatem, quae detinet invitum, non autem quamlibet necessitatem. Proinde vota esse laqueos illis, qui temere voverunt, vel qui coacti sunt ab aliis vovere, cum ipsi nihil tale cuperent. Quemadmodum etiam nupliae laquei dici possunt iis, qui temere ducunt uxorem; et eo modo alligant se alicui, cum qua vivere non possunt, et inde occasionem accipiunt cum aliis fornicandi. Est igitur sensus apostoli: Exhortor vos ad continentiam, sed ita tamen, ut non cegam invitos, nec suadeam temere eam accipere et vovere, et quod esset laqueus animarum, sed ut ostendam id, quod est per se honestum et utilissimum; ut quibus Dominus hujus rei desiderium inspirayerit illi accipiant et voveant.

Quod autem laqueus hoc loco non dicatur votum, aut necessitas absolute, sed, ut diximus, votum ab invito, aut temere susceptum, testatur s. Augustinus lib. de bono viduitatis cap. 5. qui sic exponit: Non ut laqueum vobis injiciam, ideat, non ut vos cogam, et s. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum: Non imponit, inquit, nobis apostolus laqueum, nec cogit esse, quod nolumus. Similiter exponunt commentaria in hunc locum Theodoreti,

Theophylacti, Anselmi et aliorum.

Accedit ipsa laquei metaphora; non enim laqueus dicitur funis ligans, et tenens hominem, ne forte cadat; sed funis vi detinens, et ad capiendum, et ad perdendum expositus. Denique Sapiens Prov. 20. idipsum disertis verbis exposuit: Ruina, inauit, est homini devotare sanctos, et post vota retractare. Ubi pro eo. quod Hieronymus vertit, ruina in liebraco est שוקש, quod proprie laqueum significat: Nam יקוש illuqueare est. מערש auceps dicitur, unde verterunt septuaginta interpretes, παγίς, idest laqueus; nec male Hieronymus vertit ruinam, quia finis proprius laquei casus et ruina est. Igitur juxta Salomonem laqueus et ruina est. non absolute vovere, sed vovere, et post votum retractare, quod accidit iis, qui temere aut inviti vovent. Isti enim voto, ut laqueo quodam tenentur coacti, et occasionem accipiunt gravius delin-

Ad illud 1. Corinth. 9. Non ex tristitia. aut ex necessitate, respondeo: Hoc loco appellari necessitatem. non legem, aut volum, sed humanam necessitatem, quae cogit homines facere, quod non vellent. Loquitur enim de iis, qui elcemosynas faciunt inviti, quia videlicet erubescant non facere, quod alii faciunt, ne judicentur avari; aut non audent negare petenti magno alicui viro, qualis erat ipse Paulus, pro egenis. De hac necessitate loqui b. Paulum testantur verba sequentia: Hilarem enim datorem diligit Deus. Necessitas enim quae ex humano timore nuscitur, hilaritati opponitur, non autem necessitas voti quae oritur ex charitate. Idem respondendum est ad alium locum ex epistola ad Philemonem.

Ad testimonium autem s. Hieronymi lib. 1. in Jovinianum, ubi dicit majoris gratiae est offerre quod non debeas, quam reddere quod exigaris, respondeo: S. Hieronymum loqui de opere illo, quod exigitur ratione praecepti, non de eo, quod exigitur ratione voti. Nam multum interest inter legem

ct votum, quod ad rem praesentem pertinet; qui enim facit opus non imperatum ulla lege, etsi non facit opus laudabilius, quatenus facit opus non imperatum, immo, ut supra diximus, caeteris paribus, melius sit opus imperatum, quam non imperatum facere, tamen tribus de caussis, ut plurimum, facit opus laudabilius.

Primo, quia res non imperatae sunt plerumque nobiliores secundum se, quam res imperatae; Deus enim minora imperavit, majora consuluit. At hoc non habet locum in votis; non enim minora fiunt ex voto, majora sine voto, sed e contrario; perfectissima enim quaeque opera voveri possunt, et

solent.

Secundo, quia semper, qui facit opera non imperata, ex charitate, sicut oportet, facit etiam omnia opera imperata; atque ita plus dat, quam ille, qui facit solum opera imperata; includuntur enim praecepta in consiliis, non contra. Sed neque hoc in votis locum habet; non enim qui facit aliquid sine voto, continuo implet etiam omnia vota.

Lertio, quia ut plurimum major promptitudo requiritur ad opus non imperatum aggrediendum, quam ad opus imperatum, ut notum est; ac propterea ratione majoris promptitudinis opus non imperatum majoris gratiae est. ut Hieronymus dicit, quam opus imperatum. At de volo hoc dici non potest; nam etsi major promptitudo forte requiratur ad aggrediendum novum opus, ad quod non tenemur ullo modo, quam ad opera ordinaria facienda, ad quae tenemur ex voto: tamen major illa promptitudo superatur ab alia quadam adhuc majore, quae necessaria fuit ad volum ipsum faciendum. Cum enim votum sponte offeratur, et sit res ardua et difficilis, multo major promptitudo requiritur ad votum faciendum, quam ad faciendum aliquid sine voto.

Ad testimonium s. Prosperi ex lib. 2. de vita contemplativa cap. ult. ubi dicit, sic esse abstinendum, ut non nos necessitati subdamus, respondeo: Necessitatem, de qua s. Prosper loquitur, non esse necessitatem legis, aut voti, sed necessitatem timoris humani, quae tristitiam gignit; ideo enim subjungit idem auctor: Ne non devoti, sed inviti

rem voluntariam faciamus.

## CAPUT XXX.

Solvitur secunda objectio.

Alteram objectionem ducunt ex illis Scripturae testimoniis, quae aperte imperant matrimonium iis, qui stimulum carnis patiuntur. Hinc enim sequitur, votum continentiae perpetuae temerarium esse, et proinde illicitum, cum nemo sciat quamdiu sine ejusmodi stimulis vivere queat 1. Corinth, 7. Qui non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri. Ibidem: Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat. Huc etiam maxime facit illud 1. Timoth. 5. Volo juniores nu-

bere, matresfamilias esse, filios procreare. Contra quod praeceptum ii peccare videntur, qui puellis continentiae votum suadent, aut permittunt.

Respondeo ad hoc argumentum tribus modis. Primum assero, in nullo horum locorum vocari ad nuptias ab apostolo eos, qui tentantur stimulis carnis, sed eos, qui incontinenter vivunt, ita, ut flagitiis se polluant. Secundo assero, eos, qui incontinenter vivunt, non vocari absoluto imperio ad nuptias, sed solum ostendi eis remedium quoddam facile, et quasi portum, quo se recipiant; sic tamen ut liberum eis relinquatur ad majora aspirare. Terlio assero, hoc ipsum sive consilium, sive permissionem.sive remedium non dari ab apostolo iis, qui voverun! continentiam, sed solum hominibus solutis et liberis.

Ac ul de primo prius dicamus, sciendum est, adversarios existimare nuplias esse necessarias jure divino iis. qui uruntur. Per ustionem autem intelligunt tertationes carnis non breves et leves. sed graves et diuturnas, quae conscientiam turbant, licet eis non consentiatur. Ita docet Lutherus in epithalamio, ubi cliam graviter accusat s. Hieronymum, quod conjugium non inierit, cum ipsemet fateatur in epist, 22. ad Eustochium, se gravissimis et diuturnis ardoribus carnis vexatam fuisse: Immo etiam eo Lutherus progreditur, ut s. Hieronymum propterea haeresis Pelagianae accuset, quasi videlicet senserit propriis viribus, sine dong Dei posse aliquem vincere tentationes. Quae tamen est manifesta calumnia, cum ibidem Hieronymus dicat se precibus ad Deum assidue instare solitum pro victoria obtinenda contra tentationes.

Sed de ustione cum Luthero conveniunt Calvinus, et Petrus Martyr in commentario 1. Cor. 7. distinguit enim Calvinus tria genera tentationum carnis. Unum, quod ita tentat, ut vincat, et hoc esse dicit pessimum genus ustionis, quod verissimum est. Alterum, quod ita tentat, ut statim acriter repellatur, ita ut intus jacula non penetrent, nec , ulla mentis perturbatio oriatur, et has tentationes fatetur non proprie vocari ustiones, et propter has non esse nuplius necessarias, quod etiam libenter concedimus. Tertium genus esse dicit medium, cum quis videlicet tentationi non plene consentit, tamen jacula intus penetrant, et sentitur carnis delectatio et mentis perturbatio; et has tentationes proprie ustiones esse dicit, et qui eas habent, eos affirmat certa lege citari ab apostolo ad matrimonium, ila ut peccent non nubendo.

Ubi est observandum, Calvinum non sine fraude dixisse, tertium genus tentationis esse cum quis plene non consentit, licet jacula intus penetrent; nam ad rem obscurandam posuit, plene; cum vellet dicere, tertium genus esse, cum quis nullo modo consentit, et tamen sentit acres stimulos carnis. Qui enim consentit, sive plene, sive non plene, ad primum genus pertinet secundum eorum sententiam, cum non agnoscant discrimen peccati mortalis et venialis, sed omnem motum carnis. quantumvis involuntarium, doceant esse mortale peccatum.

Immo boc est fundamentum praecipuum, ex quo deducunt eos, qui graviter teniantur, debere ne-

cessario uxorem ducere, quia, ut Lutherus in epithalamio docet, non sunt certamina castitatis similia aliis certaminibus, qui enim tolerat famem, aut sitim, aut alia id genus, non peccat; at aestus libidinis sine peccato esse non potest, cum sit prohibitus omnis motus concupiscentiae. In quo fundamento Calvinus, Petrus Martyr, et omnes alii conveniunt. Sed et fundamentum ipsum est putridum, et aedificium, quod superextruunt, facile de-

jici polest.

Ac de fundamento quidem alibi disputandum erit, nunc s. Pauli et Augustini testimonium sufficiat Rom. 7. Si quod nolo, facio, jam non ego operor illud. Quis capiat, mihi esse peccatum, quod ego non operor? Augustinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 25. Quod si illa concupiscentialis inobedientia, quae adhuc in membris moribundis habilal, praeter voluntatis legem, quasi lege sua movetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis? Sed de hoc alibi. Nunc ad rem praesentem venientes, asserimus ah apostolo vocari homines ad matrimonium non ob solas tentationes, sive seasum, sed ob consensum libidinis, et per ustionem, non tentationes, sed incontinentiam, et flagitia interpretamur, ut hic sit sensus verborum apostoli; qui omnino decrevit, aut fornicari, aut nubere, is bene facit si nubat, quia melius est nubere, quam uri, idest, quam fornicari.

Probamus hanc nostram expositionem. Primo, ex antecedentibus verbis; dicturus enim apostolus: Melius est nubere, quam uri, praemisil: Si non se continent; nubant. Ubi per ustionem exponit ipsemet Paulus incontinentiam: Nam caussam reddit cur debeant nubere qui non se continent, quod videlicet melius sit nubere, quam uri, idest, quam non continere; constat autem incontinentiam non tenta-

tionem, sed flagitium significare.

Secundo idem patet ex illis verbis ejusdem capitis: Ronum est homini mutierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uccorem habeat. Ubi non dioit apostolus, propter tentationem fugiendam, sed propter fornicationem fugiendam quisque suam uxorem habeat.idest.non si tentaris, sed si fornicaturus es, uxorem potius habeas

Tertio idem probatur ex illís verbis: Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Ubi etiam non propter simplicem tentationem jubet, ul conjuges debitum invicem reddant, sed propter incontinentiam. Idem igitur significat apud apostolum ustlo, quod incontinentia.

Quarto ex illo 1. Timoth. 5. Volo jumiores nubere; caussam enim reddit non tentationem, sed incontinentiam: Nullam, inquit, dare occasionem adversario maledicti caussa, idest, ne demus occasionem gentilibus maledicendi vitam, et mores Christianorum: non autem possunt maledicere adversarii Christianis ob occultas tentationes, sed ob manifesta flagitia. Unde mox subjungit: Jam enim quaedam abterunt post Satanam.

Quinto idem probari petest exemplo ipsius apostoli 2. Corinth. 12. Dalus est mihi stimulus car

nis meae angelus Salanae, qui me colaphizet: apropter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me. Nec est verum quod dicit Petrus Martyr in lib. de coelibatu et votis, apostolum impetrasse gratiam, qua nec laberetur, nec graviter vexaretur, ipse enim apostolus contrarium dicit, se videlicet non impetrasse quod petebat, ut auferretur slimulus carnis. Ait enim: Et respondit mihi Dominus, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Unde s. Augustinus tract. 7. in Joan. et serm. 53. de verbis Domini, et alibi saepe, hoc Pauli exemplum adfert, cum ostendere vult Deum saepe utiliter non exaudire suorum orationes. Itaque apostolus tentabatur magnis et diuturnis stimulis carnis, et tamen uxorem non ducebat : non igitur tentari est uri, alioqui Paulus suo ipsius judicio damnatus esset.

Sed addit Petrus Martyr, hunc locum apostoli non necessario de tentatione carnali esse intelligendum', cum Chrysostomus per stimulum carnis dolorem capitis intelligat; alii vero persequutiones,

quas patiebatur.

At hacc nimis magna negligentia, vel impudentia est, cum Chrysostomus, necnon Theodoretus, Oecumenius et Theophylactus disertis verbis refellant eos, qui per stimulum carnis dolorem capitis interpretantur. Illud quidem est verum, hos Patros referre hunc locum ad persequutiones; tamen s. Augustinus in psal. 58. concione 2. contendit, stimulum carnis aliquid significare, quod verecundiam et pudorem adferat, et quod nemo de tanto apostolo dicere ausus fuisset, nisi ipse hoc de se confiteri non erubuisset. At certe nullus est pudor, dolores capitis, aut persequutiones confiteri.

Unde etiam Theophylactus, licet exponat de persequutionibus, tamen addit, satius esse exponere do tentatione carnis: Vel. inquit, quod satius est. Veneris incitamenta, quibus maxime urgebatur, expressit. Quomodo etiam exponi posse docent Sedulius, Anselmus et Thomas in commentario; quod idem suadet metaphora colaphizationis; ut enim colaphus, non tam laedit carnem, quam pudorem injicit animo, ita carnalis tentatio, cui non consentitur, ruborem potius, quam detrimentum adfert. Denique adeo videtur jam recepta haec expositio, ut vulgo tentationes carnales, stimulus carnis dici soleant.

Sed quia hie locus non omnino convincit, cum variis modis a Patribus exponatur, sunt alia duo magis perspicua 1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo. Et Rom. 7. Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati. Et: Non quod volo bonum, hoc ago. sed quod nolo malum. Et: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.

Quae loca non modo s. Augustinus multis in locis, ac praecipue lib. 2. retract; cap. 1. et lib. 6. in Julianum cap. 11. contendit de ipso Paulo, et aliis justis hominibus intelligenda esse: sed etiam Lutherus in assert. 2. articati omnino affirmat non posse aliter intelligi, et probat ex laboritus omnium sanctorum, et nomination s. Hieronymi in superundis gravissimis carnis tentationibus: Quid, in-

quit. in vita omnium sanctorum, legimus quam labores, vigilias, orationes, jejunia, quibus veluti machinis spiritualibus pugnaverunt adversus carnem, et concupiscentias corporis proprii? Quis eorum non gemit? non accusat, non laborat in carne sua, et in concupiscentiis suis? Cum ergo in his omnibus videamus illas auctoritates, caro concupiscit adversus spiritum, et condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem etc.quae caussa est, ut haec apostolum velimus non in sua, sed in impiorum persona dicere, quae in personis piissimorum videmus vivacissimis studiis geri? Et infra: Quoties ergo s. Hieronymus de incendiis libidinum conqueritur, etiam tum sum multo jejunio et labore contra eam pugnaret, hoc est, dum esset non modo baplizatus, sed et sanctissimus ? Haec ille. Qui ut verissime isla dicit, ila manifeste repugnat iis, quae docuit de s. Hieronymo in epithalamio. Hic enim eum cum Paulo jungit, et cum omnibus sanctis, concupiscentiae strenue repugnantibus, ex quo sequitur, ut vel apud Paulum 1. Corinth. 7. uri non sit tentari, sed labi in scelera: vel Paulus, et omnes sancti ustionem passi sint, ac proinde contra Deum peccaverint, quod matrimonium non injerint.

Accedunt sexto testimonia Patrum. Clemens alexandrinus lib. 4. Stromatum in ipso principio. Basilidis Haeresiarchae sectatoribus tribuit eam explicationem, quam nunc adversarii amplectuatur: Et illud, inquit, melius est nubere, quam uri, ajunt dicere apostolum,ne animam tuam in ignem injicias, noclu, el interdiu resistens, el limens, ne a continentia excidas; nam cum in resistendo occupala fuerit anima, a spe est divisa. Apprehende ergo, inquit his verbis Isidorus in moralibus, robustam mulierem, ne a Dei gratia avellaris, et cum ignem in semine excreveris, cum bona ores conscientia. Et paulo post: Has voces, inquit, adduxi ad Basilidianos reprehendendos etc. Commentarius, qui Ambrosio tribuitur, in hunc locum: Cum, inquit, voluntas calori carnis consentit, uritur; nam desideria pati et non vinci, illustris viri est et perfecti.

S. Hieronymus in apologia pro libris contra Jovinianum: Si autem, inquit, se continere non possunt, et ardorem libidinis non tam continentia volunt quam fornicatione restinguere, melius est nubere, quam uri, id est, melius est maritum ducere, quam farnicari. Haec ille. S. Augustinus lib. de sancta virginitate cap. 34. Melius, inquit, nuberent, quam urerentur, idest, quam occulta flamma concupiscentiae in ipsa concupiscentia vastarentur, quas poenitet professionis, et piget confessionis. Idem s. Augustinus lib.de bono conjugali c. 10. Mihi, inquit, videtur hoc tempore sotos eos, qui se non continent, conjugari oportere, secundum illam ejusdem apostoli sententiam: Quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.

Porro Chrysostomus visus est Petro Martyri de tentatione sola hunc locum intellexisse, sed non ita est; sic enim Chrysostomus brevissime exposuit: Significat apostolus quanta sit concupiscen-

tiae tyrannis. Hoc autem est quod dicit, si magnam violentiam pateris, et libidine incenderis, laboribus te et sudoribus libera, ne quando decidas. Haec ille. Ubi ustionem interpretatur tentationem, quae ad flagitium omnino perducet, nimirum accedente ad aestum concupiscentiae animi infirmitate; id enim significant illae voces: Tyrannis, violentiae, et ne decidas. Itaque sensus est juxta Chrysostomum, si animo imbecillo es, et vis tentationis ita urget, ut omnino sis fornicaturus, praestat, ut nubas; quem sensum clarius expressit in lib.de virginit. Et Chrysostomum sequutus Theodoretus ita expressit: Ustionem, inquit, non vocat cupiditatis molestiam, sed animae mancipationem, et ad id quod est deterius inclinationem. Quod autem dicit, est ejusmodi: melius quidem est. et vos quibus conjugalis consueludo nondum obligit, et vos qui conjuncti quidem fuistis, sed morte estis disjuncti, eligere continentiam. Sin autem cupiditatis impetum ferre non polestis, sed ad hoc sustinendum certamen imbecillo animo estis, quam ad ea, quae pulchra et honesta sunt, non habetis alacre, et ardens animi propositum, nulla lex prohibet, quo minus matrimonium contrahatis. Haec ille.

Denique, ut omittam caeteros,s. Thomas in commentario hujus loci, non solum affirmat ustionem hoc loco incontinentiam significare, sed etiam id confirmat ex ipsa vocis proprietate. Uri enim non calere significat, quod tentatis convenit, sed calore labefactari, ac detrimentum pati, quod minime convenit iis, qui simpliciter tentantur, sed iis, qui tentationibus superantur. Atque hinc Scriptura 1.Pet. 1. Eccles. 2. Sap. 3. et alibi comparat justos in tentationibus positos auro, quod per ignem probatur: aurum enim in igne probari dicitur, nou comburi, licet valde incalescat, quia detrimentum non patitur: paleam vero incalescere et comburi, quia plane corrumpitur.

Alteram nunc solutionem addam, tametsi enim per ustionem apostolus tentationem significaret, adhuc tamen nihil adversarii obtinerent: Nam in nullo eorum locorum, quos ipsi citant, invenitur verum praeceptum nubendi, sed sola permissio: falsumque est quod Calvinus lib. 4. Instit. cap.13. § 17. dicit, certa lege citari ad conjugium eos, qui uruntur. Primum enim forma loquendi non est imperativa: Nam non ait apostolus, qui non continetis, nubite, sed: Qui non se continent, nubant; nec ait, propter fornicationem ducite uxorem, sed: Uxorem habeat etc.

Deinde ratio, quam apostolus reddit, nimirum; Melius est nubere, quam uri, satis indicat, verba apostoli, non praeceptum, sed permissionem continere. Ut enim Chrysostomus notat, apostolus rationes adjungit, ne videatur legislatio, id quod ipse dixit: Ac praeterea ratio ipsa non concludit, necessarium esse matrimonium, sed licitum et permissum: Nam etsi melius est nubere, quam uri, tamen est quoddam tertium melius utroque, idest, continere, et ustionem inedia et lachrymis restinguere. Quomodo, si quis diceret, qui non vult pugnare, fugiat, quia melius est fugere, quam occidi, is non imperaret, sed permitteret fugam; non enim prohi-

beret pugnare et vincere, quod est melius, quam fugere vel occidi.

Tertio, sicut apostolus ait: Qui non se continent, nubant. Ita dixit: Ilerum revertimini in idipaum, ut enim monuit incontinentes solutos, ut nuberent, ob periculum fornicationis, sic etiam monuit conjugatos incontinentes, ut post aliquam feriationem ab opere conjugali, iterum redeant ad opus conjugale, ob periculum adulterii. At his verbis posterioribus nihil apostolus imperavit, sed solum permisit; sic enim subjunxit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium; igitur in verbis quoque prioribus, nullum imperium, sed sola indulgentia, ac permissio est.

Ex quo intelligimus, etiam in illis verbis: Unusquisque uxorem suam habeat, nullum est praeceptum: Nam aut loquitur de illis, qui jam uxores duxerunt, ut vult s. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum, et recte, quia sequitur paulo post: Dico autem innuptis et viduis, bonum est si sic permanserint; aut loquitur de illis, qui non duxerant, ut Petrus Martyr contendit:si de iis qui duxerant tunc sensus erit: Unusquisque uxorem suam habeat, idest, retinent etiam quoad thorum, sed juxta indulgentiam, non juxta imperium, idem enim est: Iterum revertimini in idipsum:et unusquisque suam uxorem habeat, quoad thorum: si vere de iis loquitar, qui non duxerunt, idem erit; Unusquisque uxorem ducat ob fornicationem, et, qui non se continent, nubant, quod jam ostendimus, permissionem, non legem sonare. Immo a majori ducitur argumentum : Nam si , ubi est adulterii periculum , Paulus non imperat opus conjugale, sed permittit; multo mágis non imperabit ubi est periculum solius fornicationis.

Quarto, si ullum esset praeceptum matrimonii in verbis Pauli, maxime esset in illis 1. Timoth. 5. Volo juniores nubere, at nullum ibi esse praeceplum facile probari potest. Nam in primis pugnaret cum illis verbis ejusdem apostoli 1. Corinth.7. Volo omnes esse sicut meipsum, idest, continentes; ista enim apertissime pugnant, volo omnes continere, et volo quosdam nubere. Idem enim est ac si diceret, volo omnes continere, et non volo omnes continere. Neutrum igitur apostolus jubet, sed absolute optat, unum, idest, omnes continere, et tamen alterum permittit cedens infirmitati quorundam, idest, nubere. Praeterea non solum Paulus dixit: Volo juniores nubere, sed addit: Filios procreare, matresfamilias esse etc. Si ergo cum ail: Volo juniores nubere, imperat nuptias, etiam cum ait volo eas filios procreare, et matresfamilias esse, imperat, ut liberos habeant, proinde si steriles fuerint, peccabunt in apostolicam legem. Quod sane nemo nisi stultus concederet.

Addo ultime testimonia Patrum. Ac locum quidem illum: Qui non se continent, nubant, jam audivimus Theodoretum ita exponentem, nulla lex prohibet, quo minus matrimonium contrahatis; quod idem et alii docent. Locum autem istum: Volo juniores nubere, ita exponit Chrysostomus: Volo quia ipsae volunt. Et infra: An vero matrimonium praecipit? absit. Scd neque prohibet. Et infra: Prohibet igilur ad hujusmodi viduis, atque de-

terrel, non quod adolescentulas esse viduas nolit, sed quod adulteras fieri vetet.

S. Ambrosius utrumque locum exponit simul in lib. de viduis: Non pulo, inquit, quod juniores revocandas putarit a viduitalis affectu, maxime cum dixerit: Melius est nubere, quam uri: Nam utique pro remedio nuptias suasit, ut peritura sanetur, non pro electione praescripsit, casta et continens quod sequatur. Et in fine libri: Sed nec vidua praeceptum accipit, sed consilium. S.Hieronymus in epist. 11. ad Ageruchiam de monogamia: Vult, inquit, apostolus alterum matrimonium, cum ait: Volo juniores nubere praeferens digamiam fornicationi, secundum indulgentiam dumtaxat, non secundum imperium. S. Augustinus lib. de bono viduitalis cap. 8. Quod, inquit, dicit: Volo juniores nubere, nuptiarum bonum apostolica sobrietate et auctoritate commendat; non procreandi officium etiam eis, quae continentiae bonum capiunt, tanquam ad obsequelam legis imponit. Et paulo ante: Idem dixeruni de illo loco, qui non se continent, nubant, nimirum remedium ostendi, non legem figi.

Sed adferamus nunc tandem solutionem tertiam. Dico igitur, ista omnia, quae ex apostolo adversarii objiciunt, sive permissionem sonent ut nos probavimus, sive praeceptum, ut ipsi volunt, pertinere solum ad homines liberos, non autem ad eos, qui votis jam obligati sunt. Nam de ea quae habet votum continentiae, non potest recte dici: Quae non se continet, nubat; melius est nubere, quam uri. Nam utrumque est malum, et nubere, et uri; immo pejus est nubere, quidquid reclament adversarii, praesertim ei, quae habet votum solemne.

Nam quae uritur, aut non peccat si ustio solum tentationem significat; aut peccat solum contra temperantiam, et contra votum, si fornicationem significat: quae vero nubit post solemne votum, peccat contra temperantiam, contra votum et contra ipsum conjugium, cum sub nomine conjugit tegat perpetuum sacrilegium. Quae autem nubit post votum simplex, illa verum matrimonium contrahit, tamen aliquo modo magis peccat, quam quae fornicatur, quia reddit se impotentem ad servandum votum, quod non facit, quae fornicatur.

Secundo, ei, quae virum habet, et sive, quod ille perpetuo aegretet, sive quod perpetuo absit, non potest ab eo debitum conjugale petere, etiamsi gravissime uratur, non potest dici, si non se continet, nubat; melius est nubere, quam uri. Sed necessario dicendum illi est, ut servet fidem conjugi, et orationibus et jejuniis pugnet contra ustionem. Id quod ne adversarii quidem negare auderent. Non igitur apostolus ea verba dixit omnibus, qui uruntur, sed solum iis, qui soluti, ac liberi sunt: et si ligati censentur ii, qui fidem conjugi dederunt, cur non ii, qui dederunt Deo?

Tertio, ex Patribus s. Ambrosius ad virginem lapsam cap. 5. Dicit aliquis, inquit, melius est nubere, quam uri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Caeterum, quae se spopondit Christo, et sanctum velamen accepit, jam nupsit jam immortali juncta est viro. Etiam si volucrit nubere communi lege connubii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.

S. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum: Si nupserit inquit, virgo non peccavit, non illa virgo quae semel Dei cultui dedicavit; harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit; virgines enim quae post consecrationem nupserint, non tam adulterae sunt, quam incestae.

S. Augustinus lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 15. Illis, inquit, qui se non continent, utique expedit nubere, et quod licet, expedit: quae autem voverint continentiam, nec licet, nec expedit. Et lib. de bono viduitatis cap. 8. Proinde, inquit, quae se non continent, nubant, antequam

continentiam profiteantur, antequam Deo voveant, quod nisi reddant, jure damnantur.

Gregorius in lib. pastorali par. 3. admonitionis 28. Scriptum est, inquit, melius est nubere, quam uri, sine culpa quippe ad conjugium veniunt, si

tamen necdum meliora voverunt.

S. Joannes chrysostomus in lib. de virgin. cap.
39. Viduae, inquit, omnina si voluerit, potestatem nubendi facit, at eam, quae conjuge mortuo se in sequens tempus Deo consecrarit, si postea nupserit, vehementer accusat, ut quae fidem Deo datam post fefellerit. Non his ergo, sed illis dixit, si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri. Idem Chrysostomus hom: 19. in priorem ad Corinthios, exponens illud; Si nupserit virgo, non peccavit: Non de ea, inquit, quae sibi elegerit virginitatem loquitur, quippe quae jam peccavit. Quod idem habent Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius in eumdem locum, et Epiphanius haeres. 61.

#### CAPUT. XXXI.

#### Solvitur tertia objectio.

Objectio tertia, eaque omnium gravissima, sumitur ab iis locis, qui docent, continentiam esse donum Dei, quod non omnibus detur. Quod argumentum elsi solvimus breviter in disputatione de coelibatu sacerdotum, hoc tamen loco accuratius solvendum est. Loca praecipua sunt quatuor Sapient. 8. Nemo patest esse continens, nisi Deus det. Matth. 19. Non omnes capiunt ve roum hoc, sed quibus datum est. Et infra. Qui potest capere, capiat. 1. Corinth. 7. Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius autem sic. Et infra: Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Quem locum tractans s. Hieronymus lib. 1.in Joyinianum dicit,quosdam habere necessitatem nubendi, aut scortandi.

Ex his locis ita argumentantur: Nemo debet vovere, nisi id, quod certo scit se posse solvere; alioqui exponit se periculo violandi votum, et proinde temere vovet et Deum offendit: Displicet enim
illi infidelis, et stulta premissio, Eccles. 5. At nemo potest certo scire, an poterit perpetuo continere, cum id non possit sine dono Dei, nec possit
ulla ratione scire, an habeat illud donum, et multo
minus an sit perpetuo habiturus, ut Scripturae allatae ostendunt; nemo igitur potest, nisi temere
et imprudenter, perpetuam continentiam vovere.
Ex qua ratione illud etiam deducunt, eos, qui jam
voverunt, posse, ac debere votum suum rescindere, quia ea, quae non sunt in nostra potestate,
non sunt materia voti.

Addit Petrus Martyr similitudinem. Si quis enim voverit se perpetuo ministraturum pauperibus, ac deinde paulo post in morbum incidat, certe non tenebitur voto suo, quia quod erat ei possibile cum vovit, jam illi impossibile factum est; igitur et ille, qui continentiam vovit, si incidat in morbum concupiscentiae, non tenebitur amplius voto suo. Neque satis est dicere, posse istum orare Deum, ac petere continentiam: Nam etiam, qui aegrotat corpore, posset orare Deum, et petere samitatem, et tamen si non impetrat, ut saepe accidit, liber a voto suo est.

Respondemus: Continentiam, et donum esse Dei, et tamen in arbitrio, et posestate hominis positam, quorum alterum adversarii affirmant, alterum negant. Est igitur observandum, multa esse genera donorum Dei. Quaedam enim dantur homini sine ejus cooperatione, qualia sunt robur, sanitas, pulchritudo, prophetiae, linguarum aut miraculorum gratia, et omnes habitus, quos Deus infundit, et haec stultum esset asserere esse in nostra potestate, aut pendere ex humana electione, ita, ut possit ea habere quicumque velit: Atque ad hoc genus denorum revocant adversarii continentiam; disertis enim verbis Petrus Martyr dicit: Idem esse, statuere an velis continere, et an velit prophetare.

Aliud genus doni consistit in auxilio divino, sine quo non faceremus id, quod cum eo auxilio facimus, sic enim credere, sperare, diligere, perseverare, patientem esse, vincere tentationes dicuntur, et sunt verissima Dei dona, quia nisi Deus gratia sua nos praeveniret excitando, et adjuvaret dirigendo, protegendo et cooperando, nihil beni facereremus; et tamen ista ipsa opera pendent ab electione humana, et sunt in nostra potestate, quia Deus licet juvet, non tamen cogit, neque necessitat: et licet homo sine Dei auxilio non possit quidquam boni facere, absolute tamen dicitur posse, quia sufficiens auxilium, ut quis operetur, aut saltem, ut possit majus auxilium petere, numquam deest, alioqui non peccarent homines non credendo, non sperando etc. Ad hoc genus donorum continentiam pertinere dicimus.

Ubi praeterea est notandum, quod sicut circa fidem, poenitentiam, perseverantiam, aliosque actus bonos, ita etiam circa continentiam duplex gratia. sive auxilium distingui solet; Unum sufficiens, quod omnibus datur saltem pro loco et tempore; quo auxilio non tam fil ut operemur, quam ut operari possimus; Aliud autem efficax, quo re ipsa opera-

mur. Atque hoc posterius est donum singulare, quod non omnibus datur; soli enim illi donum sidei habent, qui re ipsa credunt, soli illi donum habent perseverantiae, qui re ipsa perseverant, soli illi donum habent continentiae, qui reipsa continent, quos notum est non esse multos, nedum omnes, et de hoc dicitur: Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Et simul est verum, omnes, qui volunt, posse continere, quia suf-Aciens auxilium ad continendum, aut ad gratiam impetrandam nulli denegetur. Sicut etiam de fide scriptum est: Non omnium est fides 2. Thess. 3. et tamen omnes credere possunt si volunt, cum praedicatur evangelium, alioqui non peccarent, qui non crederent. Quid intersit inter bace auxilia, non est hujus loci explicare, sed in disputatione de gratia et libero arbitrio, si Deus annuerit, explicabitur.

His jam notatis, probandum est, continentiam donum Dei esse, et tamen in arbitrio nostro positam. Qued sit donum Dei, Scripturae allatae clarissime ostendunt, nec adversarii id negant: quod autem sit in potestate nostra, praeveniente, ut diximus, et comitante gratia, his argumentis confir-

mamus.

Primo testimoniis earumdem Scripturarum: nam Math. 19. illa verba: Sunt eumuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum, aperte indicant arbitrii libertatem. Si enim continentia ita esset donum Dei, ut ab hominis electione, non penderet, dicendum fuisset, sunt eunuchi, qui sunt facti a Deo, non autem, qui se castraverunt: Ideo enim de abscissis dicitor, sunt enim eunuchi, qui sunt facti ab hominibus, non autem qui se castraverunt, quia illa abscissio est opus alienum; non proprium. Praeterea, si donum continentiae simile est dono prophetiae, linguarum, sanitatis, atque aliis ejusmodi, cur non dicimus, sunt prophetae, qui se ipsos prophetas fecerunt, sicut dicimus, sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt?

Secundo illa verba: Qui potest capere, capiat, cohortationem ad continentiam babent, ut, praeter sanctes Patres, etiam Petrus Martyr testatur in lib. de coelibatu et votis. Sic etiam illa verba Pauli prioris epist. ad Corinth. 7. De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do, cohortationem continent, eodem interprete Petro Martyre. At quis, rogo, sapiens hortaretur unquam ad id. quod non est in potestate? Num, quis unquam hortatus est homines, ut prophetae fant, aut robusti ex debilibus, proceri ex parvis: formesi

ex defermibus?

Sed, inquit Martyr, istae cohortationes danturis tantum, qui donum Dei habent. Contra; qui donum habent, ipsorum sententia, non possunt non continere. Scribit enim Martinus Bucerus, qui Petro Martyri instar oraculi esse solet, in illud Matth. 19. Non emnes capiunt verbum hec, sed quibus datum est. Sicut valde famelicus non potest non avide cibum sumere, si offeratur ei: sic non posse non continere ab uxore ducenda, qui donum id a Deo susceperit. Si igitur, qui donum non habent, non possunt continere; qui habent, non possunt non continere; qui sunt illi, quos

Christus et apostolus ejus ad continentiam cohortantur?

Tertio, illa verba 1. ad Corinth. 7. Quod vult, faciat; non peccat, si nubat; liberam homini optionem dant eligendi conjugium, aut coelibatum; Quomodo ergo nen est in arbitrio hominis positum, ut contineat, si velit? Non enim de rebus impossibilibus ulla deliberatio esse potest.

Quarto, continentes, ac coelibes in Scripturis laudantur, et praemiis afficiuntur, ut satis probatum est in disputatione de consiliis evangelicis, ex testimonio Isa. 56. de eunuchis, quibus promittitur, nomen melius, quam filiis et filiabus. Et ex apocalyp. cap. 14.ubi Virgines cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest. Et ex illo Sap. 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus etc. At nullum praemium, nullam laudem merentur opera, quae non sunt in nostra potestate, ut omnes consentiunt: Nec enim praemio afficiuntur, qui prophetant, qui linguis loquuntur, qui morbos curant, qui daemones ejiciunt, quia haec solius Dei dona sunt: igitur continentia non solum est donum Dei, sed etiam libera hominis actio.

Quinto, a simili, non minus donum Dei est credere, quam continere. Nam de fide scriptum est. Joan. 6. Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxeril eum. Et in actis apostolorum cap. 13. Crediderunt quolquol erant praeordinati ad vitam aeternam. Et ad Ephes. 2. Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est. Ad Philipp. 1. Vobis datum est, ut in eum credatis. Et 2. ad Thess. ult. Non omnium est fides. At nihilominus credere possunt omnes, qui volunt, et recte hortamur omnes ad fidem, et sine ulla temeritate promittunt omnes in baptismo, se fidem christianam conservaturos usque ad mortem: igitur et continere possunt omnes. qui volunt, et recte hertamur omnes ad continentiam; et sine temeritate multi promittuat Deo, se continentiam perpetuam servaturos.

Respondent: Discrimen esse inter fidem et continentiam, quod illa sit necessaria ad selutem, hace non item. Unde monere solemus, ut facit s. Hieronymus in comment. cap. 19. Matth. ut quisque exploret vires suas, antequam voveat continentiam, non autem monemus, ut quisque exploret

vires suas antequam credat.

At facile hoc refellitur; nam potissima caussa, cur votum continentiae temerarium asseritur ab adversariis, non est, quia continentia non sit res necessaria, sed quia res impossibilis, sine peculiari Dei dono, quod non omnibus datur. Alioqui multa non necessaria sine ulla temeritate voveri possunt, ut notam est. Si igitur hace potissima caussa aeque locum habet in fide atque in continentia, ut ex Scripturis demonstravimus, cur temere promittitur continentia, et non temere promittitur fides?

Adde, qued non est verum, debere eum, qui vult vovere continentiam, explorare vires suas, et non debere explorare vires suas, qui vult fidem christianam amplecti. Nam Dominus Luc. 14. monet eos, qui volunt ad se venire, idest, legem ac fidem suam suscipere, ut imitentur eos, qui volunt turrin aedificare, qui prius computant, si habent

sumptus ad perficiendum; necnon eos, qui bellum gesturi sunt, qui prius cogitant, si possint cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit. Unde et Ecclesia explorat catechumenos, an hobeant plenum et stabile propositum perseverandi in fide et lege christiana, quia pejus est a fide deficere, quam fidem numquam recipere. Ad quem finem ex antiquissima consuetudine in quadragesima fiunt aliquot scrutinia catechumenorum, qui in paschate baptizandi sunt. De quibus vide, si placet, Alcuinum in lib. de officiis divinis cap. de sabatho sancto.

Hoc solum interest inter fidem et continentiam, quod, qui explorans vires suas, non judicat se habere sufficientes vires ad continendum, potest nubere, quia continentia non est necessaria ad salutem, quamquam etiam potest procurare vires majores per orationem; qui autem judicat, se non habere sufficientes vires ad perseverandum in fide et lege Christi, is non potest propterea licite non amplecti fidem et legem Christi, quae necessaria est, sed debet vires majores a Deo petere, quas sine dubio habebit, si fideliter petat.

Sexto, probatur ex absurdo, quod ex aversariorum sententia sequitur. Nam si confinere non possint omnes, qui volunt, sequitur, multis hominibus nullum peccatum esse fornicari aut moechari. Nam si quis, antequam uxorem ducat, gravissime urgeatur stimulis carnis, et donum continentiae forte non habeat, quid aget? fornicabiturne impune? Habet, inquiunt, paratum remedium, ducat uxorem. Sed quid, si non statim'inveniat? Nec enim uno die contrabuntur matrimonia, immo multi menses plerumque intercedunt inter sponsalia et nuplias. Ad haec, si jam duxil, sed forte abest procul ab ea, ut saepe contingit, aut ea morbo gravi et diuturno laborat, ita ut non liceat viro debitum petere conjugale, quid aget? moechabiturne, si forte uritur, et donum continentiae se habere non videt? Non licet, inquiunt, moechari: idcirco, qui ejusmodi est.pro continentiae dono Deum exoret; non enim negabit ille, quod fideliler petit.

Sed cur, quaeso, non idem facere poterit, qui continentiam vovit, si forte uratur, et donum se habere non videat? Respondent: Magnum esse discrimen inter continentiam ab adulterio, vel fornicatione, et continentiam ab uxore. Illa enim necessaria est, et a Deo imperata, idcirco numquam Deus eam petentibus negat. At continentia ab uxore nec necessaria est, nec imperata; ideo non semper conceditur, etiamsi petatur. Addit Petrus Martyr in lib. de coelibatu et votis, coelibatum non esse petendum a Deo absolute, sed solum sub conditione, si expediat ad majorem ejus gloriam, sicut petimus sanitatem, opes et similia, quae non sunt necessaria ad salutem. Joannes Calvinus lib.4. Instit. cap. 13. § 17. dieit, nostrum non esse siduciam habere obtinendi a Deo specialis doni, quale est coelibatus. Martinus Bucerus in cap. 19. Matthaei, clare affirmat, non esse petendum coelibatum a Deo ab iis, qui nesciunt, an Deus velit illum eis dare. Ratio autem eorum est, quia oratio debet nasci ex fide, fides autem niti debet promissione Dei; promissio vero nulla est, qua eoelibatum perpetuum alicui cerlo promiserit.Ita impii et impuri isti homines, non modo coelibatum oppugnant,sed etiam viam sibi, et aliis ad eum praecludunt.

Sed facile est ratiunculas istas refellere: Nam etsi promissio particularis deest, sufficit tamen promissio generalis: Petite et accipietis, Luc. 11. El: Si quid petetis Patrem in nomine meo. dabit vobis, Joan. 14. 15. et 16. Alioqui enim, si requireretur particularis promissio, nec fides, nec spes. nec dilectio, nec continentia conjugalis, nec alia virtus peti posset: nusquam enim exstant promis-

siones horum donorum in particulari.

Porro generales promissiones requirunt quidem certas conditiones: non enim quod quisque petit. semper impetrat, cum saepe contingat minus utilia, et minus bona peti, quae Deum nullo modo dare convenial: sed conditio, quae requiritur non est, ut adversarii fingunt, ut res, quae petitur, sit necessaria ad salutem, vel imperata. Id enim nulla ratione, vel auctoritate confirmant, sed est, ut id , quod petimus, sit secundum ejus voluntatem: sic enim docet nos s. Joannes in epist. 1. cap. 5. Haec est fiducia, quam habemus ad Deum quia quodcumque petierimus secundum ejus voluntatem audil nos. Non solum autem est secundum ejus voluntatem id, quod est utile, et utilius, quam ejus oppositum; neque id solum, quod ipse imperavit, sed etiam quod consuluit et laudavit, et cui praemium maximum promisit. Talem autem esse coelibatum, supra multis docuimus.

Sanctus Augustinus tract, 102. Joannem, explicans quid sit, quod Deus petentibus in nomine Christi non negat, dicit esse id, quod conducit ad aeternam salutem, nec addit, oportere esse neces-

sarium, aut imperatum.

Probatur ultimo, coelibatum esse in potestate nostra, Dei gralia adjuvante, ex testimoniis Patrum. Tertullianus lib. de monogamia, prope finem explicans locum illum, Non omnes capiunt verbum hoc: Elige, inquit, quod bonum est; si non potes est quia non vis. Posse enim si velis, ostendit, quia tuo arbitrio atrumque religisit.

Origenes in commentario ejusdem loci: Qui vult, inquit, capere verbum, quod de castitate positum est; petat: credens dicenli, et accipiet, non dubitans de illo, quod dictum est: Omnis qui petil, accipit. Hieronymus in eundem locum: His, inquit, datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, et quaerens inveniot, et pulsanti aperietur. Gregorius nazianzenus orat. 31. in hoc evangelii cap. de tribus eunuchorum generibus: Cum audis, inquit, quibus datum est, adde, datum esse iis, qui volunt et assentiuntur.

Ambrosius lib. 3. de virginibus: Dominus, inquit, qui sciret praedicandam omnibus integritalem, imitandam paucis; non amnes, inquit, capiunt verbum istud. Et lib. de viduis: Sunt, inquit, Spadones, qui se castraverunt prapter regnum coelorum; sed hoe non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur. Et infra: Scii creator omnium affectus esse varios singulorum, et ideo praemiis virtutem provocavit, non infirmitatem vinculis alligavit. Haec ille. Ubi vides, continea-

tiam omnibus praedicari, ab omnibus flagitari, nimirem, si ipși velint praemia ejus consequi.

Joannes Chrysostomus in comment. ejusdem loci: His, inquit, datum est, qui sponte id eligunt; quod ideo dixit, ut ostenderet superiore nobis auxilio opus esse, quod quidem oninibus paratun est, si volumus in hac lucta evadere superiores.

Augustinus in pselm. 137. in illud, Votum vovit Deo Jacob: Ipse David, inquit, vovit, tamquam in potestate habens, et rogat Deum, ut impleat, quod rorit; est devotio voventis, sed est humilitas deprecantis. Nemo praesumat viribus suis reddere, quod voverit. Qui te hortatur ut voveas, ipse adjuvat, ut reddas. Et lib. 6. Confess. cap. 11. Utique dares, inquil, nimirum continentiam, si gemili interno pulsarem aures tuas. Denique, idem Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis, cap. 10. 13. et 20. ex professo docet. possibilem esse continentiam omnibus, etiam illis, qui nibil de ea cogitantes, in ejus servandae necessitatem inciderunt.Quod idem adhuc fusius docet Basilius in lib. de virginit. ultra medium. Ex his ad loca Scripturae, initio posita, facile erit respondere.

Ille igitur locus primus Sap. 8. Nemo potest esse continens, nisi Deus det, de continentia in genere accipi debet, ut non solum virginalem, aut vidualem, sed etiam conjugalem comprehendit. Is enim, qui haec verba dicit, Salomon est, qui quidem non virgo, aut viduus, sed maritus erat, ac proinde maritalem continentiam a Deo petebat. Quocirca non habemus ex hoc loco, continentiam ila esse donum Dei, ut non possit esse omnibus communis. Nam etiam ex adversariorum sententia, continentia conjugalis ab omnibus haberi potest, modo eam a Deo petant; idcirco enim sequitur: A-

dii Deum, et deprecatus sum

Ille alius locus Matth. 19. Non omnes capiunt verbum koc, sed quibus dátum est, majore explicatione indiget. Adversarii contendunt illud, Non omnes capiumi, hunc habere sensum: Non omnes sunt capaces continentiae ab uxore, sed ii soli, qui habent peculiare donum. Ex quo sequitur, ut qui non habent donum, vere non possint continere. Colligunt vero hunc sensum ex voce graeca χωρούα; nam χωρέω, non significat capere, idest, apprehendere, quomodo dicimus cape librum, cape pileum, sed capere, idest, capacem esse, quomodo dicimus, hydria haec tantum aquae capit, ut metretam unam, vel alteram, ut evangelium loquitur.

At falluntur adversarii ambiguitate hujus vocis. Nam verbum χωρέω, et latinum capio, interdum significat naturalem potentiam ad capiendum, quam qui non habent, dicuptur proprie incapaces; interdum tamen significat actualem, seu voluntariam capacitatem, quae ex libero arbitrio pendet, et qui cam non habent, non dicuntur incapaces, sed dicuntur non capere. Exempli gratia, locus augustus recte dicitur incapex multarum rerum, et similiter pueri, qui nondum apti sunt naturaliter ad fraudes nectendas, dicuntur doli incapaces. At qui aliquid non intelligit, quia non attendit, aut quia non est qui eum doceat, is non dicitur incapax, tam-

BELLARMINI. Vol. 11.

etsi nondum capiat, quod dicitur. Et similiter qui consilium aliquod non admittit, quia ab alio jam est persuasus ad aliud, dicitur quidem non capere illud consilium, non tamen non esse capax, sive non posse illud admittere, si velit. Et in hac significatione accipitur hoc loco; significat enim non omnes intelligere practice, idest, non admittere, non persuaderi, non approbare quod di-

ctum est, non expedit nubere.

Quod autem hoc ita sit, probatur primo, quia si capere hoc loco significaret esse capacem, inepte Dominus addidisset: Qui potest capere, capiat. His enim verbis adhortatur Dominus ad continentiam, ut Petrus Martyr fatetur, et omnes interpretes docent. At qualis adhortatio est, qui potest esse capax, sit capax? Praeterea, si de capacitate hic ageretur, et vellet Dominus, ut adversarii contendunt, ostendere, non omnes esse capaces continentiae ac proinde illis necessarium esse nubere. ratio illa (sunt enim Eunuchi, qui de metris utero sic nati sunt etc.) nihil plane ad rem faceret, immo contrarium potius probaret. Nam si dicas, quidam continent vitio naturae, ut frigidi; quidam aliena crudelitate, ut ab hominibus castrati; quidam propria voluntate, ut qui propter Dei cultum coelibes vivunt, non ergo omnes possunt conlinere: certe non rectius colliges, quam si diceres: Quidam vi tracti currunt, alii currunt sponte, non igitur omnes possunt currere. At contra rectissimo colligeres: Multi necessitate continent, multi voluntate; igitur credibile est, omnes continere posse, si velint.

Quocirca's. Joannes chrysostomus in commentario hujus loci recte docet, Christum per hanc similitudinem eunuohorum probare voluisse, facile et utile esse abstinere a nuptiis, et proinde non recte judicare eos, qui non capiunt, idest, non suscipiunt et approbant verbum hoc. Nam si multi abstinent, sine ulla spe majoris boni, ut eunuchi corporales, quanto facilius erit abstinere proposita spe excellentissimi praemii et fulgidissimae coronae? Adde ultimo testimonia Patrum, quae paulo ante citata sunt.

Illud autem: Qui potest capere, capial, duobus modis potest exponi. Primo, ut loquatur Dominus de potentia proxima, quam non habent, nisi illi, quibus jam Dominus inspiravit desiderium efficax continendi, ut sensus sit: Qui polest capere, capiat, idest, qui Dei dono sentiunt sibi intus persunderi, ut contineant, approbent verbum hoc. Ita videntur hoc dictum intellexisse Hieronymus in hunc locum, et Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 19. sed non debet hinc deduci, ergo non omnes possunt continere. Nam etiamsi non omnes habent potentiam proximam, tamen habent remotam, et possunt, si velint, precibus impetrare potentiam proximam, idest, vires ad continendum: sicut de fide dicitur Joan. 6. Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum. Addi enim potest: Qui potest venire, venial, idest. qui trahitur, venial; qui autem non trahitut, oret, ul trahatur.

- Secundo, dici potest, hunc locum habere eundem sensum cum illo Matth. 13. Qui habet aures audiendi, audiat, non enim vull Dominus dicere, non omnes habere aures, sed monet omnes, ut utantur facultate, quam habent. Quomodo solemus dicere: Qui habet oculos, videat; qui habet mentem judicet; sic igitur et hoc loco Dominus dicit: Qui potest capere, capiat, idest, qui habet mentem et judicium sanum, intelligat, judicet approbet verbum hoc, quod diclum est: Non expedit nubere.

Jam vero tertius locus: Unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius autem sic, 1. Cor. 7. non habet difficultatem; nam apostolus vocat donum Dei non solum continentiam virginalem, sed etiam conjugalem. Donum enim Dei est, quod aliqui eligant virginitatem, et similiter, quod aliqui eligant matrimonium, et in eo caste perseverent. Sed quomodo cum his cohaereat, quod in potestate nostra sit confinere, et caste vivere, jam antea exposuimus.

Postremus locus non facit ad propositum: Nam cum Paulus ait: Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suae voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit: dupliciter accipi potest nomen, Virginis. Uno modo, pro ipsa virginitate, ut accepit s. Hieronym. lib. 1. in Jovinianum. Alio modo, pro filia virgine, ut expenit Epiphanius haeres. 61. Item comment. Ambrosii, Theodoreti, Theophylacti, et aliorum fere omnium.

Prima expositio non est probabilis, est enim. inauditum, ut virgo accipiatur pro virginitate. Neque in hac re quaestionem habemus cum adversariis: Nam Joannes Calvinus, Petrus Martyr, Erasmus, et alii in hunc locum, per virginem, filiam virginem intelligunt, non virginitatem. Si tamen admitteretur prior illa expositio, per necessitatem non oporteret intelligere necessitatem absolutam conjugii, sed conditionatam. Nam, ut eo loco s. Hieronymus dicit, qui nolunt continere, illis necesse est, aut uxorem ducere, aut scortari, absolute tamen neutrum est necessarium. Si vero accipiatur expositio posterior, quae vera et germana est, per necessitatem non erit opus accipere necessitatem conjugii, ob carentiam doni continentiae, de qua necessitate hic agimus; sed necessitatem extrinsecam, quae ad rem praesentem non pertinet. Dicitur enim pater habere necessitatem jungendi filiam matrimonio, si ipsa nolit vivere in coelibatu, vel, si ipse servus sit, et cogatur a Domino filiam elogare: et contra dicitur, habere necessitatem servandi filiam virginem, si vel ipsa nolit nubere (neque enim ad id cogi potest) vel si non inveniatur, qui eam velit. Sed si nulla talis necessitas adsit, liberum erit, patri statuere, de filia, ut voluerit: sed si jungat eam matrimonio, bene faciet, si non jungat melius faciet, ut apostolus ibidem scribit. llace de locis Scripturae propositis.

Ad eam vero similitudinem, quam Petrus Martyr pessit de eo, qui vovit ministrare aegrotis, et postca non fecit, quod in morbum ipse inciderit, respectatur, non esse simile hoc votum voto continentice. Primum enim, iste non peccat non implendo votum, quia voluntatem habet promptam et paratam ad votum implendum, non enim vult aegro-

tare, sed cogitur. At qui ob morbum concupiscentiae ducit uxorem post vetum, is non habet voluntatem implendi votum, sed habet contrariam, idest, non implendi; implicat enim contradictionem, quod quis velit continere, ut vovit et velit uxorem ducere.

Deinde, aegritudo corporalis non pendet a voluntate aegrotantis, incontinentia vero pendet. Non enim potest recte dici, Nemo aegrotat, nisi qui vult. At rectissime dicitur; Nemo fornicatur, nisi qui vult. Obediunt enim membra corporis ad nutum voluntatis.

Denique, sanitas corporalis non est bonum absolute petendum, quia saepe melior est aegritudo ad vitam aeternam consequendam, quam sanitas. Unde nullum exstat consilium evangelicum de tugada sanitate, propter regnum coelorum. At continentia absolute peti potest, et infallibiliter conceditur, si aliunde non sit desectus in oratione, quia est bonum ad vitam aeternam longe utilius, quam matrimonium, et propterea consulitur et commendatur passim in Scripturis.

#### CAPUT XXXII:

Solvilur quarta objectio ex ratione naturali.

Diluendae sunt objectiones, quas adversarii sumunt ex variis incommodis, quae videntur nasci ex coelibatu. Prima ratio. Coelibatus naturae ipsi repugnare videtur, quae frustra sexuum diversitatem et vim generativam molita erit in homine, si melius est coelibem esse, quam conjugatum.

Hace ratio Joviniani est, et jam olim a s. Hieronymo lib. 1. in Jovinianum, refutata. Sed quia rursus a Luthero in sermone de matrimonio, et ab Erasmo in encomio matrimonii revocata in lucem est, respondemus, non esse frustra vim generativam, et sexuum diversitatem, etiam si permulti ea non utantur. Ea siquidem, quae propter bonum speciei instituta sunt, non dicuntur frustra, si a quibusdam individuis exerceantur, etiam si a multis aliis non exerceantur, alioqui enim omnes herbae, omniaque poma cum seminibus nascuntur, et tamen paucissima ex ei seruntur.

Secunda ratio. Si omnes continerent, mundus periret: non igitur oportet omnibus continentiam praedicari.

Respondent Patres: Non esse periculum, ut omnes continere velint; semper enim plures erunt imperfecti, quam perfecti, et ideo oportere omnibus praedicari, ut saltem pauci id faciant. S. Hieronymus lib. in Jovinianum: At dices, inquit, Si omnes virgines fuerint, quomodo stabit genus humanum? Noli metuere, ne omnes virgines fiant. Dissicilis res est virginitas, et ideo rara, quia disficilis.

Aliam solutionem adfert s. Augustinus, cap. 10. de bono conjugali: Novi quosdam, qui murmurent. Quid si omnes velint ab omni concubitu abs-

tinere, unde subsistet genus humanum? Utinam omnes hoc vellent! Multo citius Dei civitas compleretur, et acceleraretur terminus saeculi. Haec ille. Quod etiam clarius docet libro de bono viduitatis, cap. 23. unde et apostolus dixit in priori epist.ad Corinth. 7. Volo omnes esse, sicut meipsum, idest, coelibes. Quod certe non dixisset, si non liceret omnibus coelibatum eligere, etiamsi mundus finiendus esset.

Ex quo intelligimus, non esse certam opinionem eorum, qui dicunt, si soli essent in mundo monachi et sanctimoniales, debere eos conjungi matrimonio ad speciem conservandam. Possent enim ejusmodi credere mundi finem adesse, ac proinde non tenerentur votum violare, ut speciem propagarent. Si tamen quis defendere velit, quod nonnulli probabiliter docent, teneri ad conjugium homines in extrema illa necessitete conservandi generis humani, non esset cur votum timeret. Vota enim non possunt praescribere contra legem divinam.

Tertia ratio. Ex coelibalu tot monachorum, sacerdotum et sanctimonialium, laeditur christiana respublica, siquidém minuitur numerus Christianorum, nec potesi commode insisti multitudini infidelium.

Respondet s. Ambrosius lib. 3. de virginibus: Nonnullos, inquit, dixisse audivi, quod periit mundus, defecti genus humanum, conjugia labefactala sunt. Quaero, quis tandem quaesivit uxorem, qui non invenerit? et caetera, quae apud eum legere poteris. Sed certe hoc tempore, si qua caussa est paucitatis Christianorum, et multitudinis infidelium, sa non coelibatus, sed monogamia est. Turcae siquidem habent etiam suos quosdam religiosos, qui coelibes esse coguntur; sed ideo valde multiplicantur, quod plures simul uxores habeant. Non puto autem adversarios tam esse caecos, ut velint etiam contra Christi legem introducere polygamiam.

Porro caussa, cur Christiani plerumque viribus inferiores sint, cum est adversus Turcas pugnandum, non est paucitas hominum, sed discordia principum christianorum. Alioqui enim magnus Alexander exiguum exercitum habuit, sed obedientem et strenuum, ideo totum orbem terrarum brevi subegit. Romani quoque non multitudine, sed arte et disciplina vincebant. Denique, tempore Caroli Magnires christiana mirabiliter floruit, et tamen plurimi tunc erant sacerdotes, monachi et sanctimoniales,

qui coelibatum colebant.

Quarta ratio. Ex coelibatu perpetuo non raro morbi oriuntur, qui non aliter curari possunt, quam opere conjugali: igitur temere vovetur ejusmodi coelibatus. Potest enim ac debet in ejusmodi casibus votum frangi, ut vitae consulatur. Respondeo: Nullos morbos ex continentia, sed ex crapula, et incontinentia omnes, aut fere omnes nasci.

Sed quid si morbus aliunde contractus usu conjugii curari posset, et aliter non posset?Respondet s. Bonaventura in 4. dist. 38. art. 2. q. ult. Nallo modo licere ob periculum morbi, vel mortis, votum continentiae violare. Primo, quía nullus est morbus, qui non possit alia ratione curari, ut medii periti et pii de hac re consulti respondent. Sc-

cundo, quia eliamsi non posset aliter morbus curari, quam voti violatione, melior est virtus continentiae, quam aliqua prolixitas vitae corporalis; nam qui dant operam literis, et sacris meditationibus praesertim si vitae asperitatem adjungant, fere certo sciunt se minuere sibi ipsis vitam, et tamen recte possunt sapientiae, et pietatis accessionem anteponere paucis annis vitae corporalis.

Dices: Si jejunii lex, aut votum, corporis valetudini vehementer noceat, potest ac debet non servari; cur igitur non idem dicatur de voto conti-

enviae.

Respondeo: Non esse candem rationem jejunii et continentiae; nam cibus ordinatur per se ad salutem individui: idcirco illo non uti cum necesse est ad salutem conservandam, vitium est, non virtus, proinde nec voti materia. At conjugii actus non ordinatur per se'ad salutem individui, immo potius. nocel. Quod si quando prodesse posset, solum esset per accidens, neque id omnino certo. Non autem licet propter incertum, et per accidens, omittere voti impletionem, quae certo, et per se bone est, et simile est, si quis me velit occidere, nisi furtum faciam. Non enim licet furari, etiamsi alioqui tenear servare vitam, nam furtum non est medium per se institutum ad vitam servandam, sed solum per accidens prodesset ex mala alterius voluntate. Refert Martinus Cromerus lib. 29. de rebus Polonicis. Casimirum quendam regis filium miraculis post obitum claruisse, qui maluerat mori, quam foeminae admisceri, ut ei medici suadebant. Vide de hoc argumento plura apud Michäelem Medinam lib. 4. de continentia, controversia 4.

Quinta ratio. Propensio ad gignendam prolem naturalis est et bona, quippe quae etiam in natura integra fuisset, et in omnibus animantibus est. At impedire naturalem, ac bonam propensionem, quod faciunt qui coelibatum perpetuo colunt, peccatum est, cum id nihil sit aliud, quam naturae, ac Deo ipsi, qui naturam instituit reluctari. Igitur non licet coelibatum perpetuo colere illis, qui propensionem ad gignendum sentiunt. Atque haec est ratio, ob quam Lutherus in sermone de matrimonio dicere ausus est, non esse praeceptum, sed plus quampraeceptum, illud: Crescile et multiplicamini, Genes. 1.

Respondet Michäel Medina lib. 4.de continentia, capit. 11. Impedire alterum ne operetur juxta naturalem propensionem, ut si quis cogat aliquem perpetuo continere. peccatum esse; non autem esse peccatum impedire in seipso naturalem propensionem, ut si quis sponte sua perpetuo contineat: quia jus, et injuria ad alterum referuntur; nec enim aliquis proprie sibi ipse injuriam facere potest.

At si ita est, cur peccatum erit occidere selpsum? Certe b. Thomas in 2. 2. quaest. 64. art. 5. ideo affirmat peccatum esse, seipsum occidere, qued sit contra naturae propensionem, et si peccatum est occidere se, quia id pugnat cum naturali propensione, cur non erit peccatum nolle filios procreare, cum id eliam pugnet cum naturali propensione? Franciscus Victoria in relectione de homicidio, et Dominicus a Soto lib. 5. de justitia et jure, quaest.

1. art. 5. respondet propensionem ad generandum esse quidem naturalem, tamen non convenire homini, ut homo est, sed ut convenit cum bestiis. At propensionem ad vivendum, et naturalem esse, et convenire homini ut bomo est:propterea peccatum esse seipsum occidere, quod id sit contra propensionem hominis naturalem, at non generare non esse peccatum, quod non sit contra propensionem proprie humanam.

Sed non videtur haec responsio plene satisfacere; nam si propensio ad generandum non est proprie humana, quia est homini communis cum bestiis, certe multo minus propensio ad vivendum erit proprie humana, cum sit homini communis cum omnibus viventibus. Dicent fortasse, generare convenire homini ratione corporis tantum, vivere autem ratione corporis, et ratione animae. At hoc loco non disserimus nisi de vita corporali; praeterea ipsum vivere, et esse, nonne commune est cum aliis rebus? Deinde si occidere seinsum esset peccatam, quia est contra naturalem hominis propensionem: certe etiam velle occidi ab alio et optare mortem, esset peccatum, quia id etiam est contra hominis propensionem naturalem; nam Joan. 21. Petro dicitur: Cum senueris, alius cinget te, et ducet quo tu non vis. Et 2. Cor. 5. Paulus ait; Cupimus non spoliari, sed supervestiri: Et tamen quis dixerit peccasse eundem Paulum, cum ait: Cupio dissolvi, et esse cum Christo, Philipp. 1. et s. Ignatium, cum (ut ipse scribit in epistola ad Romanos ) summo ardore cuperet a bestiis devorari?

Denique constat, consilium esse sanctissimum, cum quis invaditur a latrone, et non potest mortem evadere, nisi latronem occidendo, ut mortem potius oppetat, quam inferat, etiamsi id maxime videatur contra naturae inclinationem.

Respondeo jgitur: Duplicem esse hominis inclinationem naturalem; unam in rem absolute, et secundum se consideratam; alteram in rem consideratam cum omnibus circumstantiis. Nam si consideres mortem secundum se, morbum, jejunium, atque alia id genus, naturaliter abhorrebis; at si consideres mortem, morbum et similia, ut materiam patientiae, ut viam ad coelum, ut occasionem glorificandi Deum, jam incipies affici et appetere. Quia vero posterior propensio sola est vere, ac proprie humana, quia est secundum rectum judicium rationis, ideo contra illam facere peccatum est. Est enim id pugnare cum ratione, atque ideo cum ipso jure naturae, et cum Deo auctore naturae.

Porro coelibatus etsi est contra priorem inclinationem, non tamen contra posteriorem, immo conformis est posteriori illi inclinationi quia est medium ad purius et ferventius amandum Deum. At occisio sui ipsius est contra utramque inclinationem, nisi forte a Deo praecipiatur. Ideirco numquam licet semetipsum occidere, nisi Deus jubeat; nam si Deus jubeat, poterit appeti ut medium ad majus bonum, idest, ad implendam Dei voluntatem, et gratiam ejus promerendam: Melior est enim misericordia Domini super vitas, Psalm. 62. At extra hunc casum nunquam potest esse medium ad majus bonum; nam bona omnia vel corporalia,

vel spiritualia sunt; corporalium fundamentum est vita, ideireo fieri non potest, ut occasio sit medium ad majus bonum corporale; spiritualia vero sunt actus liberi arbitrii, proinde a voluntate pendent, nec est ullum ejusmodi bonum, quod non possit haberi sine sui ipsius occisiose.

Sexta ratio. Virginitas non est virtus, sed res omaino indifferens; nam virtutes per se expetantur. virginitas autem non est bona, nec appetibilis, nisi relata ad aliud, idest, ad Deum purius orandum et colendum. Praeteren virtutibus omnibus contraria sunt vitia, virginitati autem nullum opponitur vitium, non igitur virginitas materia voti esse potest.

Respondéo: Virginitatem absolute consideratam, ut solum dicit negationem quamdam conjugii, non esse virtutem: sed eandem, ut est perfecta quaedam refraenatio concupiscentiae, et proinde medium ad melius ac purius Deum colendum, omnino esse virtutem; immo ut s. Fulgentius notavit in epist. 3. cap. 4. adeo virtus est virginitas, ut a virtute nomen acceperit. Quomodo etiam mortem appetere absolute non est virtus, tamen mortem appetere ad fidem, vel patriam defendendam, virtus est fortitudinis. Verum est tamen virginitatem antequam Deo per volum consecretar, non esse virtutem specialem, et ideo non habere contrarium vitium. Est enim, si absque voto consideretur, actus quidam perfectus, et heroicus temperantiae, et idcirco non vitium illi opponitur, sed aliquid minus benum. Vitia enim opponuntur actibus necessariis virtutem, non autem actibus perfectis et heroicis. Vide s. Thomam in 2. 2. quaest. 152.

Septima ratio est Erasmi in colloquio Proci et Puellae, ubi petulantissime loquitur: Pomarium melius est, quod post flores fructus parturit; vitis melior, quae amplexa palum, vel ulmum, uvis gravida est, quam quae humi jacens computrescit; rosa felicior, quae manu hominis atteritur, delectans interim oculos et nares, quam quae senescit in frutice; vinum felicius, quod bibitur antequam acescat. Ex quibus illud efficere contendit, ut conjugium melius, magisque expetendum videatur, quam coelibatus. Illud etiam addit, unam virginem si nubat, posse multas virgines parere, proinde si virginitas placet, non posse nuptias virginum displicere, quod hoc ipsum, quod tantopere placet, cum foenore reddunt.

Sed ejusmodi argumenta talia sunt, qualia equi et canes, si loqui possent, proponerent, quippe qui nihil melius noverunt corporis deliciis. At Christianos qualescumque, quibus regnum coelorum patria est, vita praesens exilium, auctor Christus virgo de virgine, et virginitatis praedicator, mirum est potuisse eo modo argumentari. Nam virgo christiana non habet flores sine fructibus, immo fructum habet centesimum, cum conjugium non habeat nisi tricesimum, ut Patres colligunt ex cap. 13. Matth. unde s. Augustinus lib. de sancta virginitate, cap. 8. Nulla, inquit, carnis fecunditas sanctae virginitati, etiam carnis, potest comparari. Et s. Ambrosius lib. 1. de virginibus: Conferamus, inquit, bona mulierum cum ultimis vir

ginum, jactet licet fecundo se mulier nobilis partu etc. Et sanctus quoque Hieronymus in epist. ad Demetriadem, et epist. 22.ad Eustochium, idem

argumentum fuse diluit.

Sed Erasmus non habuit forte oculos, quibus fructus virginum conspici possunt: Animalis enim homo non percipit ea quae sunt spiritus, 1. Corinth. 2. Pari ratione non est virgo christiana vitis humi jacens et putrescens, sed est ulmo nobilissimae adhaerens, Christo desponsa, ejusque spiritu gravida, ni pulchre docet s. Fulgentius in epist. 3. ad Probam, cap. 4.

Denique, virgo christiana non est rosa in frutice senescens, aut vinum acescens, sed perpetuo florens et vigens. Conjugia enim marcescunt et acescunt, quippe quae finem habitura sunt : virginitatis autem flos hie incipit, et in futura vita perficitur, ubi nemo nubit, sed omnes sunt velut ange-

li Dei.

Porro, quod addit Erasmus, ex nuptiis virgines nasci, eleganter refellit s. Augustinus lib. de saneta virginitate, cap. 10. Nam, inquit, ne illo quidem debent continentium meritis se conferre coniugia grod ex eis virgines procreantur. Hoc enim non conjugii bonum est, sed naturae, quae sic divinitus instituta est, ut quolibet humano utriusque sexus concubita sive ordinato et honesto, sive turpi et illicito, nulla foemina, nisi virgo nascatur. Ita fit ut virgo nascatur etiam de stupro, sacra autem virgo nee de conjugio. Haec ille.

# CAPUT XXXIII.

Solvitur objectio quinta ex conciliis.

Objiciunt adversarii quoque testimonia conciliorum et Patrum, quae tamen nullo negotio solvi noterunt. Primum testimonium est concilii ancyrani, can. 19. Quotquot virginitatem pollicitam praevaricati sunt, professione contempta, inter bigamos habeantur. Hoc testimonium profert Joannes Brentius in prolegomenis contra Petrum a Soto, ut inde probet matrimonium post votum non esse peccatum, cum constet digamiem peccatum non esse. Sed male Joannes Brentius ratiocinatur; nam concilium non docet, eos, qui ducunt uxorem post votum, vere esse digamos, sed in poenam peccati facit eos inhabiles ad sacerdotium, ac si digami essent. Ex eo autem quod ejusmodi homines a concilio puniuntur, non potest colligi cos non peccasse, sed contra potius peccasse, poena enim culpam sequitur; et cum ipsum concilium dicat eos praevaricatos esse promissionem, et professionem contempsisse, is tantum dicere poterit eos non peccasse, qui praevaricationem et contemptum peccata esse negare audebit.

At, inquit Petrus Martyr, in lib. de coelibatu, et votis, concilium hoc non diremit matrimonium contractum post votum, nec alia poena affecit.

quam ut digamia reputaretur.

Respondeo: Concilium non diremisse matrimonium, quia nullum erat quod dirimi posset. Nec enim concilium dicit eos matrimonium contraxisse, sed solum praevaricatos promissionem suam, quod tam fornicatione, quam nuptiis sieri potuit. Quod si etiam nuptiae fuerint verae illorum, et propterea nec dirimendae, quod etiam nune servamus in iis, qui post votum- simplex uxorem ducunt, an proplerea licuit ex concilii sententia iis, qui voverunt continentiam, nuptiis copulari? Quam multa male fiunt, quae tamen facta tenent? Corte si nullum esset peccatum ita copulari, non punireptur a concilio, qui id fecerunt: siquidem apud adversarios, ubi nullum est crimen votum continentiae violare, non solum non arcentur a ministerio qui ex monachis mariti facti sunt, sed ipsi prope seli vocantur ad ministerium.

Secundum testimonium est concilii gangrensis, can. 9. et 10. ubi damnantur, qui continentiam professi, nuplias execrantur; aut despiciant con-

jugalos.

Respondeo: Joannem Brentium in Confessione Wirtembergensi capite de votis, et Petrum Martyrem in lib. de coelibatu et votis, dum hos canones proferent, impudentiam suam ostendere. Nihil enim isti capones docent, nisi nuptius non esse malas, licet votum continentiae sit melius; et continentiae professores humiles esse debere, non superbos. Quod ipsum fase docent s. Augustinus in ultimis aliquot capitibus libri de sancta virginitate', sed canones ipsos audiamus. Canon IX. Si quis vel virginitalem, vel continentiam professus tamquam abominabiles nuptias judicat, et non propter hoc solum, quod continentiae, et virginitatis bonum sanctum propositum est, anathema sit. Canon X. Si quis propier Deum virginilatem professus, in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit. Quid hic legitur, quod non catholici omnes libentissime audiamus et amplectamur?

Tertium testimonium est concilit chalcedonensis can. 16.Si qua se virgo Deo dedicaverit, similiter et monachus, non licere eis jungi nupliis;si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant ex-communicati. Statuimus vero poese in eis fieri humanitatem, si ita probaveril loci episco-

Ex hoc loco colligit Petrus Martyr potuisse permitti ab episcopo connubia monachorúm, et sanctimonialium. At non hoc dicit canco, immo aperte negat posse conjungi ejusmodi personas. Humanitas porro illa, de qua lognitur concilium, non est indulgentia nuptiarum, sed absolutio ab excommunicatione. Cum enim statuat concilium perpetuum anathema in ejusmodi apostatas, permittit tamen, ut episcopus etiam ante mortis articulum anathema tollat, si nimirum illi ad poenitentiam venerint, et a male contracto connubio discesserint, ut exponit concilium triburiense, can. 23. Nunc ad Patrum testimonia ve<del>niamus , quae a Brentio ,</del> Calvino, Illyrico, sed potissimum a Petro Martyre collecta sunt,

#### CAPUT XXIV.

Solvitur objectio sexta ex Patribus.

Primus ex Patribus est Petrus cum omnibus apostolis, excepto Joanne: Sumemus, inquit Petrus
Martyr, principium ab apostolis; nam quodammodo sunt Patres Patrum. Illi autem quamvis essent sanctissimi, tamen non aspernati sunt conjugia. Immo si credimus Ambrosio, omnes habuerunt uxores praeter Joannem et Paulum. Et infra: Quamquam ita Ambrosium cito hoc loco, non
ut prorsus concedam in eam sententiam: unde
enim sciebat ille, Paulum non habuisse uxorem?

Respondeo: Qui ex apostolis uxorem habuerint, ct qui non habuerint, ex Scripturis certo constare non posse, excepto solo Petro, cujus socrum legimus Matth.8. Joannem tamen virginem fuisse nemo dubitavit unquam. Idem de Paulo, et apostolis caeteris probabiliter docet Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum. Sed quidquid de hoc sit, illud nobis satis est, et Petrum et apostolos omnes, post vocationem a Christo, continentes suisse. Sed, inquit Petrus Martyr, solent dicere, apostolos, postquam venissent ad Christum, repudiasse quodammodo uxores, et ab illarum consortio abstinuisse. Qui ista dicunt, sua tantum dicunt, nihil probant; immo absurde, et sine ratione dicunt ; nam nisi intercessisset adulterium, nullo modo licuit discedere ab uxoribus. Nec Christus venit in mundum facere divortia, sed potius monet, ut quod Deus conjunxit, homo non separet. Haec ille. Nos vero non dicimus ab apostolis repudiatas uxores, quod Christus prohibet Matth. 19. sed ex consensu abstinuisse a commercio conjugali. Nec enim s. Joseph ideo repudiasse dicendus est beatissimam conjugem suam, quia eam numquam cognoverit. Non enim carnalis copula, sed consensio animorum conjugium facit.

Porro apostolos omnes post vocationem renunciasse officio conjugali, non tantum dicimus, sed eliam probamus. Nam cum Petrus dixisset Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, Dominus addit: Omnis, qui reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem etc. centuplum accipiet, et vilam acternam possidebit. Ubi satis aperte inter omnia illa, quae legimus apostolos reliquisse.videmus etiam conjuges numerari. Quod si relingui non potest uxor, quin repudietur, accuset igitur Petrus Martyr Christum, qui praemium tam grande uxores relinquentibus pollicetur. Adde, quod non nos primi docemus, apostolos coelibes post vocationem vixisse. Docuit id Clemens alexandrinus lib. 3. Stromatum; docuit s. Hieronymus lib. 1. in Jovinianum; docuerunt alii fere omnes, nec ullus catholicorum umquam contradixit.

Secundo loco ponit Petrus Martyr Ignatium, qui in epistola ad Philadelphienses dicit, non esse detrahendum nuptiis, quod patriarchae, prophetae et apostoli mariti fuerunt. Respondeo: De apostolis jam diximus, eos habuisse uxores, sed post vocationem mutasse illas in sorores, ut Clemens alexandrinus loquitur. Patriarchae et prophetae tem-

١

pori et statui legis veteris serviebant. Quamquam, ut nonnulli prophetae, ut Isaias et Ezechiel, exemplo docuerunt non esse detrahendum nuptiis, ut recte Ignatius monet, sic alii item prophetae. ut Helias et Hieremias exemplum continentiae praebuerunt.

Tertio ponit Justinum, qui in apologia 2.meminit continentiae, sed non meminit voti.Respondeo: Quid hoc ad rem? Num ideo vovere non licet, quia Justinus non meminit voti?

Quarto ponit Dionysium Corinthium, qui in epistola ad Gnosios, teste Eusebio lib. 4. histor.cap. 23. monet Pinytum episcopum Gnosiorum, ne compellat fratres ad servandam continentiam. Respondeo: Quis nostrum contradicit? Sed num quia non licet cogere fratres ad continentiam, non licebit etiam sponte illam suscipere?

Quinto profert Irenaeum, qui lib. 1. cap. 9. meminit uxoris diaconi cujusdam; et cap. 31. dicit, Tatianum haeresiarcham aequasse matrimonium scortationi. Addit Petrus Martyr: Et quid aliud nostri faciunt adversarii? Immo isti matrimonium ministrorum statuunt esse adulterio et scortatiose deterius; quid est consentire cum Tatiano, si hoc non est?

Respondeo: Quid est ineptire, vel potius impudenter mentiri, si hoc non est? Num ideo votum continentiae illicitum erit, quia diaconus quidam uxorem habuit? Et unde probas diaconum illum ab uxore non continuisse post sacrum ordinem susceptum? Porro Tatianus vera et legitima matrimonia damnabat, et ideo haereticus erat; nos sacrorum ministrorum conjugia, non conjugia legitima, sed sacrilegia conjugii nomine tecta esse ostendimus, et ideo reprehendimus. Alioqui si Tatianum sectatur quicumque conjugia illegitima non commendat. Tatianum etiam sectari dicetur, qui conjugium parentis cum filiá non probaverit. Itaque s. Augustinus, qui Tatiani haeresim optime noverat, eamque damnaverat in lib. de haeresibus, cap. 25. idem tamen conjugia, quae post votum contrahuntur, pejora adulteriis esse affirmat in libro de bono viduitalis, cap. 11.

Sexto loco profert Clementem alexandrinum, qui in primo libro paedagogi, cap. 10. dicit, Christianos debere, aut matrimonium contrahere, aut pure vivere, si non contrahant. Hine enim colligit Petrus Martyr eos, qui non pure vivunt ex monachis et sacerdotibus, debere matrimonium contrahere. At cur non potius colligit, debere eos mutare vitam, et mores emendare, et sic pure et caste vivere, et votum suum Bomino reddere? Sed, inquit Martyr, idem Clemens in lib. 3. Stromatum dicit. Paulum habuisse uxorem, Petrum ac Philippum ltberos genuisse.

Respondeo: Sed ibidem dicit, ante vocationem ad apostolatum ista facta esse, postea vero ab apostolis uxores habitas loco sororum, non loco uxorum. Attexit deinde longissimam disputationem ejusdem Clementis contra eos, qui nuptias damnant. Sed omnia sunt  $\pi \acute{a} \rho \epsilon \rho \gamma \alpha$ , neque aliud probant nisi inopiam, qua ipse premitur, testimoniorum, quae ad rem faciant.

Septimo transit ad Tertullianum, ac primum fa-

tetur multa in Tertulliano esse pro Papistis, sed non esse fidem habendam Tertulliano, quod haereticus fuerit, et secundas nuptias prohibuerit. Sed facile hoc refellitur; nam etiamsi haereticus fuerit, non tamen unquam a veteribus reprehenditur, quod votum continentiae asseruerit, sed ob alios errores, quos s. Augustinus notavit lib. de haeresibus, cap. 86.

Deinde Petrus Martyr mentiri audet, in libro de velandis virginibus Tertullianum tractare, an solae nuptae debeant velato capite ingredi Ecclesiam, an etiam virgines, non autem loqui de velo, seu habita sacrarum virginum. Sed adeo manifeste mentitur, ut non sit opus, nisi librum ipsum legere. Scribit enim adversos virgines saeculares, quae cum nudo capite incederent, aegre ferebant, virgines sacras tectas, et velatas procedere, et adferebant in argumentum, quod apostolus 1. Corinth. 11. mulieres veleri jusserit, de virginibus autem nihil dixerit: Ambiunt, inquit.virgines hominum. adversus virgines Dei. Et infra: Scandalizamur, inquit,quia aliter aliae incedunt,et malunt scandalizari, quam provocari. Et infra: O sacrilegae manus, quae dicatum Deo habitum detrahere potuerunt. Et infra: Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est qui et alienas sponsas et maritatas velari jubet; utique multo magis suus. Denique liber s. Cypriani de habitu virginum ex libro Tertulliani expressus, satis aperte docet, de quibus virginibus Tertullianus loquatur.

Sed habet Petrus Martyr ex Tertulliano insigne testimonium, contra nos : nam in lib. de monogamia, tractans locum illum 1. Timoth. 5. Volo juniores nubere, ita loquitur: Ad eas dirigit, quales supra denotal, juvenculas viduas, quae in viduitate deprehensae, et aliquandiu affectatae, postquam in deliciis habuerunt Christum, nubere volunt habentes judicium, quod primam fidem resciderunt, illam videlicet, a qua in viduitate inventae, et professae eam, non perseverant. Propter quod vull eas nubere, ne primam fidem susceptae viduitatis postea rescindant. Ex his verbis, inquit Martyr, alterutrum horum omnino intelligendum est, vel Paulum velle eas nubere, quamvis vovissent, idque magis Tertullianus videtur sentire, vel si non de viduis, quae professae sint, sed de similibus agatur, tamen Paulum eas quoque velle nubere. no postea fidem datam rescindant. Haec quoque sententia contra adversarios nostros facil; nam illi juvenculas, et pene puellas permittunt vovere, et in perioulum incur-

Respondeo: Priorem sensum nullo-modo admitunt verba Tertulliani, Illa enim verba, Propter quod vult eas nubere.ne primam fidem susceptae viduitatis postea rescindant, apertissime monent eum loqui-de illis, quae nondum voverunt. Nam quae semel voverunt, et fidem primam resciderunt, quomodo possunt nubere, ne primam fidem rescindant, cum jam eam resciderint? et cum ipsum nubere, sit primam fidem rescindere? Tertullianus enim interpretatur primam fidem rescindere, non perseverare in professione viduitatis.

At, inquit Martyr, Paulus dicens: Volo juniores nubere, dirigit sermonem ad eas, quae primam fidem irritam fecerunt, ut Tertullianus dicit; vull igitur apostolus , ex interpretatione Tertulliani eas nubere. quae jam voverant. Respondeo: Dirigere sermonem ad eas quae voverant, nibil aliud est, quam eas respicere, et ex earum ruina aliis prospicere de remedio, ut verba sequentia apertissime docent. Quod vero attinet ad posteriorem sensum, fatemur velle apostolum juvenculas nubere, sed ut supra ex Patribus ostendimus, non omnes juvenculas, sed eas tantum quae continere nolunt. Omitto hic mendacia reliqua Petri Martyris, cum dicit nos matrimonium impurum, et spurcum appellare: et alia id genus, quorum Deo rationem in judicio reddet.

Octavo loco ponit Origenem, in cujus libris nihil invenit pro se, nisi quod loca quaedam pro se facere interpretatur, quia non faciant contra se, nimirum, ubi Origenes non vituperat nuptias, et multo magis ubi aliquid dicit in laudem nuptiarum. Ita profert multa ex commentariis Origenis in cap. 12. ad Roman. et in c. 19. et 23. Matthaei. Sed nihil omnino est quod ad rem faciat; nos enim nuptias longe magis honoramus, quam adversarii faciant, cum sacramentum Christi esse doceamus, quod illi pertinacissime negant, et civilem contractum solum in nuptiis agnoscant.

Nono venit ad Cyprianum, qui lib. 1. epist. 11. ad Pomponium ita scribit de quibusdam virginibus, quae posteaquam se Deo dicaverant, cum masculis cubare repertae fuerant: Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudice et caste sine ulla fabula perseverent, ita fortes et stabiles praemium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem delictis suis cadant.

Hunc locum non Petrus Martyr solum, sed etiam Calvinus. Brentius, aliique ex adversariis objecerunt. Refellit quoque Petrus Martyr aliquot solutiones parum congruas, ut ostenderet argumentum plane esse insolubile. Sed responsio plana et facilis in promptu est. Sanctus enim Cyprianus eo modo loquitur, quo sanctus Paulus 1. Timoth. 5. nimirum occasione quarumdam virginum, quae parum honeste se gerebant post volum continentiae, monet alias, ut si non habent firmum propositum perseverandi, non voveant, sed nubant. Hic igitur sensus est verborum Cypriani: Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudice et caste sine ulla fabula perseverent. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, idest, si dum de voto faciendo deliberant, cogitant se non, perseveraturas, melius est ut nubant, quam in ignem delictis suis cadant

Esse autem hunc sensum eorum verborum probari potest. Primo, quia s. Cyprianus virginibus illis sub disjunctione concedit, ut nubant, si perseverare notunt, aut non possunt. Proinde concedit, ut nubant, si tantum nolint perseverare, etiamsi alioqui possint. At post votum licitum esse nubere ei, qui perseverare potest, ne Calvinus quidem, aut Petrus Martyr affirmaret.

Secundo, de sacris virginibus in eadem epistola

idem Cyprianus dicit, eas gravissime peccare si alicui viro misceantur; et non mariti, sed Christi adulteras esse: Si superveniens, inquit, maritus sponsam suam jacentem cum altero videat nonne indignatur et fremit? et per zeli dolorem fortassis et gladium in manus sumit? Quid Christus Dominus et judex noster cum virginem suam sibi dicatam, et sanctituti suae destinatam jacere cum altero cernit , quam indignatur et irascitur. Et quas poenas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur? Haec ille. Non ergo Cyprianus potuit ejusmodi virginibus Deo dicatis nuptias permittere, nisi incestam conjunctionem et manifestam Dei offensionem, seipso teste, permittere vellet. Quis vero credat tam stultum Cyprianum fuisse, ut sciens, et prudens gravissima crimina permitteret?

Tertio, de virginibus Deo dicatis, quae jam lapsae fuerant,in eadem epistola jubet ut separentur, idque aliquoties repetit,et ne semel quidem admonet, posse eas cum stupratoribus suis, aut cum aliis inire matrimonium: Quod si, inquit,obstinatae perseverant, nec se ab invicem separant, sciant se cum hac sua impudica obstinatione numquam a nobis admitti in Ecclesiam posse etc. Igitur cum supra monebat, ut nuberent, non de iis loquebatur, quae jam voverant, sed de iis, quae adhuc sui juris erant.

Urget Petrus Martyr illud verbum: Aut non possunt; quasi aliquae sint quae absolute non possint continere, etiamsi velint. Sed hoc supra explicatum est. Sic enim Cyprianus loquitur, quomodo Christus ipse, cum ait, qui potest capere, capiat. Illi enim dicuntur velle et non posse, qui desiderant continere, sed non plena et perfecta voluntate. Proinde desunt illis vires efficaces ad continendum, quas tamen vires, si vellent in oratione laborare, non difficulter acquirerent. Alium locum ex libro de singularitate clericorum, in disputatio-

ne de coelibatu sacerdotum explicavimus.

Decimo ponit Eusebium Caesariensem, ex quo tamen nihil adfert nisi conjecturam quandam, quod consecratio virginum solemnis coeperit tempore Constantini imperatoris, antea vero non fuerit. Conjectura haec est, quod lib. 4. de vita Constantini. posteaquam narraverat, Constantini decreto abrogatam fuisse legem veterem, quae privabat haereditale eos, qui liberos non habebant, continuo subjecerit Ensebius.mulieres ad perpetuam virginitatem se Deo consecrasse, necnon ad sacerdolium Dei. At bacc conjectura nititur manifesto mendacio. Non enim Eusebius subjecit de virginum consecratione post narrationem de abrogata lege, sed praemittit tamquam rationem legis abrogatae.Dicit enim,Constantinum legem illam abrogasse, quia multi viri, multaeque foeminae liberis carebant, non ob impotentiam generandi, sed quia ob immensum amorem numinis, perpetuum coelibatum profitebantur.

Undecimo loco Athanasium ponit, sed ne syllabam quidem unam pro se invenire poluit. Ideirco solum attulit loca quaedam contra se, et respondit, non esse Athanasium audiendum, non esse tolerandum, nimis multum sibi sumpsisse hunc patrem. Centuriatores cent. 4. cap. 4. col. 267. et c. 6.col. 466. et cap. 7. col. 486. proferunt unum Athanasii

testimonium ex epistola ad Dracontium, ubi dicit, se novisse episcopos et monachos, qui filios genuerint.

Respondeo: Nos etiam novisse permultos monachos, qui simul etiam episcopi dici volebant, et filios genuerunt, nimirum Lutherum. Bucerum. Martyrem. Ochinum. Oecolampadium. Wigandum et alios. Athanasius enim eo loco reprehendit episcopos et monachos perdite viventes, ac dicit, nonnultos reperiri, qui filios genuerint. Nam alioqui id illicitum fuisse ex sententia Athanasii. patet ex cohortatione ad monachos, ubi inter alia impedimenta monasticae vitae ponit, alligatum esse uxori, aut filiis impeditum.

Duodecimo loco ponit Basilium, quem ab eruditione et doctrina magnum appellatum fuisse dicit. Profert autem unum testimonium ex libro de virginitate, ubi Basilius arguit sacras virgines, quae perdite et flagitiose vivunt, ac dicit, longe esse praestabilius si viros habeant, illisque subjectae sint, et officium conjugale, ut decet, exerceant: Nihil, inquit Martyr, pro nobis dici petuit aptius.

Respondeo: Non monet Basilius, ut sacrae virgines; quae flagitiose vivunt, relicta professione pubant, sed dicit, melius fuisse futurum, si mupsissent antequam voverent. Melius enim est in statu humiliore salvari, quam in sublimi dampari. Id ita esse planum est tum ex illis verbis: Nam si abjecto viri jugo, et ad vitam, ad quam conservandae domus, et procreandorum liberorum gratia, facta est inutilis, et professae virginitati pudenda futura est, tota res damni plena est. Et longe praestabilius esset ipsam viro conjunctam ad vitam gubernari etc. Ubi vides nuptias suaderi, non ei, quae vovit, sed ei, quae professae virginitati pudenda futura est; tum ex eodem libro, ubi Basilius fusissime probat, sacras virgines non posse ullo modo nubere: Virginitatem, inquit, professae, deinde a carnis voluptatibus incitatae, scortationis peccatum nuptiarum nomine velare volunt, non ignorantes, opino**r** , eliam **si ignorantiam simu**lent, quod quae sponsi sui dexteram praeterii: neque hujus est sponsa, quem illegitime reliquit, neque illius, cui seipsam per affectum vitiosum adjunxit, juxta leges uxor reperiri potest. Et infra: Ne decipial seipsam, quod peccatum ipsi pro nuptiis reputabitur. Et infra: Non enim locum apud ipsum habebit nuptiarum praelextus.

At, inquit Martyr, Basilius cum haec scripeit.

oblitus erat sui. Sed quis credat virum tam admirabilem, qui ab eruditione magni nomen invenit, in eodem libro tam aperte secum pugnare, nes potuisse tres paginas scribere, quin oblivisceretur sui? Omitto quae deinde attexit Martyr in reprehensionem s. Basilii: non enim hic quaerimus, an recte dixerit, sed an dixerit id, de quo agimus. Quamquam etiam ad refutationem calumniarum, et ratiuacularum Martyris, satis est scire, illum fuisse vere magnum Basilium, istum esse Petrum false Martyrem appellatum. Adfert aliud testimonium ex quaest. 15. fuse explicata, sed ad rem non pertinet, et a nobis paulo infra refutabitur in disputatione de votis filiorum invitis parentibus editis.

Decimotertio ponit Gregorium nazianzenum, ex

quo nihil adferre potuit contra nos. Tantum adfert multa, quae dicit pro se facere, quia non faciunt contra se nimirum ubi Nazianzenus scribit nuptias esse bonas. Adfert etiam multa, quae dicit se non probare, ut quod Nazianzenus dicat virginitatem homines angelis aggregare, nuptias perturbationis, virginitatem splendoris indicium esse, continentiam in arbitrio positam, ita ut possint continere omnes, qui volunt. Haec Martyr admittere se non posse dicit, sed non multum refert quid ipse admittat, modo Nazianzenus a catholicis faciat.

Decimoquarto ponit Hilarium, ex quo unum dumtaxat locum habere potuit, quem nobis objiceret. In reliquis Hilarium rejicit cum caeteris Patribus; qui Papistis nimis aperte favent. Testimonium igitur contra nos profert Martyr ex commentario Hilarii in cap. 19. Matth.ubi sic loquitur: Nobis circa cunuchos sermo sit et voluntas; et in uno posuit naturam, in altero necessitatem, et in tertio voluntatem. Naturam in eo qui ita nascitur, necessitatem in eo, qui ita factus est, voluntatem in illo, qui spe regni coelestis talis esse decreverit, cui nos similes effici, si tamen possimus, admonet. Ecce, inquit Martyr, is non inquit, si tamen velimus; sed, si possimus, rationem habens virium uniuscujusque nostrum.

Respondeo: Ninil Hilarius addit ad verbum Domini: Qui potest capere, capiat. De quo loco satis multa diximus. Neque negamus habendam esse virium rationem, et eos non debere seipsos castrare ob regnum coelorum, qui nondum vires habere se sentiunt ad continendum, et qui proinde non possunt. Tamen addimus, eos, qui vires nondum habent, et modo non possunt, posse tamen per orationem vires aequirere, quibus postmodum pote-

runt si voluerint. Alium locum ex Hilario proferunt Magdeburgenses, Cent. 4. cap. 4. col.300.ubi postquam posuerunt encomia virginitatis ex Athanasio, ita subjungunt: Contra hanc superstitiosam opinionem videtur Hilarius in peal. 64. loqui; Cernimus midis philosophos algere corporibus. Ipso etiam conjugiorum usu magistri abstinent, haeretici sicco panis cibo vivunt. Sed quis tandem otiosi hujus propositi profectus? Tokum hoc inane, et ridiculum est, et cum ipsis superstitionis caussis miserabile. Deo ergo vovenda sunt contemptus corporis, castitalis custodia, jejunii tolerantia. Vota enim tantum ecclesiasticae religionis utilia sunt, quae cum et dignis Deo cautionibus et propositae in Ecclesia observantiae studio probantur.

Ex his verbis Magdeburgenses collegisse videntur, vovendum esse corporis contemptura, sed non extremum illum usque ad nuditatem et algorem; vovendam castitatem, sed conjugalem, non virginalem; vovenda jejunia, sed non ardua illa, quibus nonnulli solo pane vivunt. At non hoc Hilarius dicit, sed monet, continentiam, jejunia, corporis contemptum, extra Ecolesiam nihil prodesse, multum autem prodesse si in Ecclesia propter Deum suscipiantur, ipsique Deo voveantur. Explicat enim illa verba psalmi: Tibi reddetur votum in. Hierusalem. Et vim facit in illis vocibus: Tibi, et in

BELLARMINI. Vol. II.

Hierusalem, idest, Deo, et in Ecclesia. Atque inde superstitiosa vocat continentiam, et jejunia gentilium, quia non Deo; et haereticorum, quia non in Ecclesia offeruntur. Quocirca Petrus Martyr ex hoc loco Hilarii colligit, Hilarium sensisse, votum coelibatus debere fieri ad placendum Deo. Sed addit, sibi hanc Hilarii sententiam non probari.

Decimoquinto ponit Epiphanium, ex quo duo testimonia profert, unum ex lib. de haeresib.haeresi 48. ubi sie legimus, Nos vero non necessitatem imponimus, verum cum bono consilio admonemus, exhortantes eum qui potest, non autem necessitatem imponimus non potenti, neque rejicimus ipsum a vita.

Ex his verbis arguit catholicos Petrus Martyr quod imponant necessitatem coelibatus, quia non admittant ad sacros ordines nisi coelibes: Et rursus, quod dicant omnes posse continere, si velint: quorum utrumque reprobat Epiphanius. Sed de hoc posteriore jam saepe diximus, quomodo verum sit quosdam posse et non posse continere. Nam non, possunt, dum non habent donum, et tamen possunt absolute, quia possunt donum petere et habere. Et tamen interim non negamus, quin male feciant, qui vovent eo tempore, quo se donum non habere sentiunt, et pejus etiam faciunt, qui ejusmodi homines impellant, aut etiam cogunt ad vovendum. De priore autem, manifesta calumnia est; nam etsi non admittimus ad sacros ordines, nisi coelibes, tamen sicut non cogimus ad ordines suscipiendos, ita nec ad coelibatum profitendum.

Naque idem ipse Epiphanius, qui neminem vult cogi ad coelibatum, affirmat non debere admitti ad sacros ordines nisi coelibes. Sic enim loquitur Epiphanius haeresi 59. Revera non suscipit sancta Dei praedicatio post Christi adventum eos, qui mortus sua uxore secundis nuptiis conjuncti sunt, propter excellentem sacerdotti honorem et dignitatem; sed et adhuc liberos gignentem unius exporis virum non suscipit, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit, diaconum et presbyterum et episcopum et hypodiaconum.

Alind testimonium proferunt, tum Petrus Martyr, tum etiam Joannes Brentius ex eodem libro haeresi 61. ubi sic legimus: Melius est lapsum a cursu palam sibi uxorem sumere secundum legem et a virginitate multo tempore poenitentiam agere, et non quotidie jaculis sauciari.

Respondeo primo: Epiphanius videtur dicere, minus malum esse nubere post volum, quam ecculte et assidue scortari: non tamen dicit, non esse malum nubere post volum, quod adversarii dicunt, et de quo nostra controversia est. Nam in codem loco psulo ante Epiphanius sic ait: Sancti apostoli tradiderunt, peccatum esse post decretam virginitatem convertt ad nuptias. Et psulo post, monet illud Psuli: Si nupserit virgo, non peccant, intelligi debere de ca quae nondum est dicata Deo: Et infra, illud 1. Timoth. 5. Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt, dicit maxime pertinere ad virgines, quae nubere volumt post volum.

Denique ipse etiam Petrus Martyr, fatetur Kpi-

phanium nobiscum facere: Numquam, inquit, asserui, Epiphanium facere mecum, quod dicat esse peccalum matrimonium inire, post votum editum. Et infra: In eo itaque mecum non convenit Epiphanius; sed tamen in eo quod illas nuptias, et veras esse dicat et licitas. Haec ille: Qui manifeste secum pugnat, vel Epiphanium falso pugnare secum ipsum asserit. Nam peccatum esse nuptias inire post votum, et nuptias esse licitas post votum pugnantia sunt: utrumque tribuit Martyr Epiphanio, qui tamen constanter primum asseri

rit semper, alterum numquam.

Secundo dico: Probabile esse, Epiphanium non voluisse etiam dicere, minus malum esse nubere post volum, quam scortari, sed hortatum esse ad nuptias eos, qui sine voto perseverabant in coelibatu, et tamen flagitiose vivebant; nam in eo loco distinguit duo genera virginum. Unum eorum, qui ex electione, et professione, ac voto virgines erank et de his saepius repetit, non licere sine gravissimo crimine post dicatam Deo virginitatem converti ad nuptias. Alterum corum, qui tempore adolescentiae non invenerunt commodas nuptias, et ideo quasi necessario permanserant toto eo tempore coelibes, deinde cum jam provecti essent actate, crubescebant converti ad nuptias, atque idcirco coelibes permanere decreverant:interim tamen occulte scortabantur, et coram hominibus virgines erant, coram Deo nequaquam. Hos ergo hortatur, ut agant poemitentiam propter amissam per fornicationem virginitatem, et ad matrimonium confugiant, magisque timeant Dei condemnationem quam hominum judićia.

Itaque cum ait Epiphanius: Melius est unum peccatum habere, quam multa, non vult dicere, melius est peccare semel nubendo post volum, quam saepius scortari, sed melius esse post unam fornicationem transire ad nuptias, quam coelibem manendo exponere se periculo assidue scortandi. Et cum hortatur eum, qui a cursu lapsus est, ut uxorem accipiat, non vocat cursum volum coelibatus, sed ipsum coelibatum, quem ille longo tempore libere servaverat, et postea per fornicationem corruperat. Hoc dico valde esse probabile, tum quia verba Epiphanii hunc sensum patiuntur, tum etiam quia non est credibile Epiphanium hortari voluisse ad id, quod ipse fatelur esse contra apostolicas

sanctiones.

Decimosexto proponit Petrus Martyr Chrysostomum, ex quo ninil adfert, nisi laudes auptiarum, quae ninil caussue nostrae officiunt. Sed Magdeburgenses Cent. 5. cap. 4. col. 444. producunt testimonium Chrysostomi ex oratione de cohabitatione regularium mulierum cum viris, ubi hortatur virglues socras, ut potius aperte nubant, quam cum viris ita cohabitent: Nam illas nupitas, inquit, neque Deus condemnat, neque homines reprehendunt. Honesta enim res est, neminem offendens, neminem laedens. Virginitas autem illa cum viris plusquam sluprum ipsum ab amnibus arguitur.

At non satis sideliter hace verba Magdeburgenses retulerunt. Siquidem omiserunt ea, quae proxime praecedunt; ex quibus apertissime colligitur, Chry-

sostomum loqui de nuptiis, quae votum praecedumt. non de iis, quae illud sequuntur. Sic ait: Nom si habere cohabitatores concupiscis, non oportebat virginitatem eligere, sed ad nuptias transeundum erat. Multo enim metius sic nupsisse, quam illo modo virginem profiteri, fuissel; nam illas nuptias neque Deus condemnat etc. Et infra: Si concupiscunt virum, et nuptias, quis prohibebat, et libertatem adimebat, ne hoc facerent? Haec ille. Loquitur ergo Chrysostomus, quomodo Cyprianus et Basilius loquebantur, de eo, quod debuisset fieri ante votum, non de eo, quod post votum fieri debuit. Idem enim Chrysostomus in epist. 6. ad Theodrum, diserte dicit matrimonium post vota monastica non matrimonium, sed quid adulterio pejus esse.

Exstat apud Chrysostomum alius locus, qui contra vota objici potuisset, quamvis eum non legerim ab aliquo adversariorum notatum fuisse, lib. 3.adversus vituperatores vitae monasticae, sub finem ita loquitur Chrysostomus: Ergo ne intempestive liberos nostros ab deserti commoratione revocemus, verum studii coelestis disciplinam in eis solidam permittamus, altisque radicibus arbusta firmari, et sive decem annos, sive etiam viginti nutriendi illi sint in monasterio, non perturbemus. Ex his verbis colligi videtur, non fuisse monachos votis adstrictos, aut certe vota ipsa libera fuisse Chrysostomi aetate, quandoquidem domum

ex monasterio redire poterant. Respondeo: Duo erant genera hominum, qui in monasteriis eo tempore vivebant. Alii enim monasticen profitebantur, et hi votis adstricti erant, nec redire poterant ad negotia saecularia. Alii solum ad tempus in monasteriis degebant, non tam ut monachi sierent, quam ut in pietate et virtutibus exercerentur. Hi vero nullis votis alligati erant, et cam volebant abire ex monasterio, poterant. De his ergo posterioribus hoc loco Chrysostomus loquitur. Quod etiam ex eo cognosci potest, quod ounes cives hortatur, ut ad monasteria filios suos mittant, necnon, ut ipsi etiam, licet conjugati, eo se conferant, ibique aliquandia commorentur. De prioribus loquitur s. Basilius cap. 21. Constitutionum, ubi multis rationibus ostendit non licere monacho domum redire. Ipse etiam Chrysostomus in epist. 6. ad Theodorum: Equidem fleo, inquit, non quod paternarum rerum sollicitudinem geras, sed quod negligenda calcaveris quidquid ante de pectore Christo spoponderas. Ad haec inhorresco, his angor et crucior; propter ista formido non immerilo. Ul enim non objicitur desertio militiae, non militanti; ita is, qui semel coeperit esse miles. cum deservisse detegitur, poena ultima dignus judicatur. Item Theophylactus in cap. 8. Matth. Si autem, inquit, illi neque patrem sepelire liquit, vae his, qui monasticen professi ad mundana regrediuntur negotia.

Decimoseptimo ponit Petrus Martyr Ambrosium, ex quo quia nihil adferre potuit contra vota continentiae, invehitur in ejus libros de virginibus plane aureos et dulcissimos. Dicit Ambrosium sibi ipsum non constare, quod nunc doceat virginitatem non imperari, sed consuli; nunc vero ipse idem

eam imperet, cum prohibeat virgines Deo sacratas nubere. Sed anon intelligit iste felsus Martyr carnali amore caecatus, neque quod loquatur, neque de quibus affirmet. Aliud enim est imperare virginitatem, aliud eam exigere ab eo, qui sponte se obligavit. Denique libros illos de virginibus, qui tantopere displicent Petro Martyri, s. Hieronymus miritice-laudat in épist. 22. ad Eustochium.

Decimocetavo ponit Hieronymum, ex quo unum locum profert ex epist. 8: ad Demetriadem. Deinde acerbe satis reprehendit libros s. Hieronymi adversus Jovinianum. Sed posteriori objectioni sat est opponere s. Augustinum, qui in epist. 29. ad Hieronymum, libros illos contra Jovinianum suavissimam et praeclarissimam disputationem appellat. Necnon ipsum Hieronymum, qui in apologia pro libris suis contra Jovinianum, eas calumnias, quas nunc Petrus Martyr profert, jam ante refutavit.

Porto testimonium in epist.ad Demetriadem, hoc est: Sanctum virginum propositum, et coelestis, angelorumque familiae gloriam, quarumdam non bene se agentium nomen infamat, quibus aperte dicendum'est, ut aut nubant, si se non possunt continere, aut contineant, si nolunt nubere. Haec verba, inquit Martyr, non possunt intelligi de iis qui nondum voverint. Quia nemo honestas aliquem ordinem nisi fuerit in illum adscriptus. Nullus turpi vita infamasset apostotos, nisi inter eos fuisset annumeratus.

Respondeo: Loquitur s. Hieronymus de ancillis sacrarum virginum nobilium. Erant enim quaedam virgines sacrae foeminae nobilissimae, quae domi suae vivebant, et multis ancillis comitatae procedebant. Saepe autem flebat, ut aliquae ancillarum, quae quidem nultum babebant votum, parum pudice vivendo dominas infamarent. Sic enim pergit ibidem Hieronymus post verba citata: Digna resrisu, immo planotu, incedentibus dominis, ancilla virgo procedit ornatior, ut pronima consuetudine quam incomptam videris, dominam suspiceris. Et paulo superius: Mores enim, et studia dominarum plerumque ex ancillarum et comitum moribus judicantur.

Porro ancillas virginum sacrarum non fuisse omnes sacras virgines. perspicuum est ex epist. 22.
ad Eustochium; ubi monet virginem Eustochium,
ut ex ancillis, si quas habeat ejusdem propesiti,
eas magis honoret, et ad mensam suam adhibeat,
ut earum honor aliarum sit invitatio. Ubi etiam addit haec verba de ancillis, quas dixerat invitandas
ad continentiam ex aliarum honore. Si quae dissimulat, et servitutem refugit illi apostolum legito, melius est nubere, quam uri. Ubi docet, esse
quidem provocandas ancillas ad propositum continentiae, sed non esse cogendas.

Aliud testimonium ex Hieronymo proferri potuisset; sic enim lequitur ad sacram virginem in epist. 47. de vitando suspecto conturbenio: Si virgo es, quid times diligentem custodiam ? sì corrupta, cur non palam nubis? Esse autem virginem sacram, quam alloquitur, patet ex verbis illis ejusdem epistolae: Non tibi displiceat ejus conversatio, quae te sponso tuo virginem consecravit.

Respondeo: Loquitur Hieronymus de quadam

virgine, quae non in monasterio publice professa fuerat ( nam in eadem epistola hortatur eam, ut se conferat ad monasterium) sed privatim voverat continentiam, ut en tempore multae facere solebant; ac deinde relicta matre vidua, juveni cuidam adhaeserat, et cum eo vivebat non sine suspicione impudicitiae. Hanc ergo Hieronymus monet, ut potius aperte nubat, quam perpetuo cum aliorum scandalo impudice vivat. Neque ita hoc monet, quasi peccatum non sit, quod adversarii volunt, nubere post volum, sed quia minus peccatum sit, et prudentia ac ratio doceat, ex duobus malis minus esse eligendum. Quod autem s. Hieronymus malum esse putet, nubere post votum, non negat Petrus Martyr, cum id millies repetat s. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, et aliis in locis, sed praeterea id ipsum habemus hoc loco; nam postquam dixerat: Si corrupta es. cur non palam nubis? Ita subjungit: Neque vero hoc dico, quod post peccatum tollam poenitentiam.ut quod male cospit, male perseveret, sed quod desperem in istiusmodi copula divulsionem. Hoc est, non hortor ut nubas, quia cupiam in eo, quod male coepisti fornicando, male perseveres nubendo, et non potius cupiam poenitentiam et emendationem; sed quia desperò te posse separari a viro, ideo malo, quod minus est malum, ut marito adhaereas, non fornicario.

Est autem hoc loco observandum, nuplias post votum simplex, de quo Hieronymus loquitur, licet sine peccato contrahi nequeant, tamen veras nuptias esse; et ideo aliquo modo minus malum esse, nubere post votum ejusmodi, quam assidue fornicari, tum ob fidem conjugii, tom ob prolem legitimam, tum ob alia bona: tamen etiam aliquo modo, ut nos supra diximus, est majus malum sic nubere, quam fornicari, quia, qui ita nubit, reddit se inhabilem ad votum servandum, quod non facit, qui fornicatur.

Decimonono ponit Augustinum, quem in primis fatetur adversari sibi, et suis Lutheranis apertissime; sic enim ait: Haec omnia volorum genera. idest, virginum, viduarum, conjugatarum, vult Augustinus et firma, et valida esse, itaut gravissime peccent, qui post ea nuncupata, mutrimonia contracerint. Et pest testimonia allata subijungit: Ista vir Dei scribit, ut homo deceptus.

At our non sit verisimilius decipi Martyrem, quam illum virum Dei, qui eliam adversariis testibus doctissimus alque sanctissimus fuit? Adfert deinde duo loca pro se. Unum ex libro de sancta virginitale, cap. 40. et 41. ubi Augustinus dicit, impossibile esse. aut valde difficile intelligere. cur Deus uni det continentiae donum, alteri non det. Ex quo loco colligit Martyr, non posse omnes qui volunt, hoc donum habere. Si enim omnes qui volunt haberent donum, non esset difficile intelligere. cur uni daretur, alteri non daretur. Caussa enim esset, quia unus vult; alius non vult.

Alterum testimonium sumitur ex lib. de bono viduitatis cap. 9. et 10. et ex epist. 70. ad Bonifacium, ubi s. Augustinus docet, nuptias post volum rafas esse, ac veras, nec deboro dissolvi.

Tertium testimonium addit Brentius ex lib. de bo-

no conjugali, cap. 21. ubi s. Augustinus non audet anteponere virginitatem sancti Joannis, conju-

gio Abrahae.

Addo ego quartum testimonium ex lib. de sancta virginit. cap. 34. ubi sic loquitur s. Augustinus de virginibus quibusdam sacris: Hae nubere volunt, et ideo non nubunt, quia impune non possunt, quae melius nuberent, quam urerentur.

Respondeo ad primum testimonium, et dico: S. Augustinum loqui de dono continentiae, non quo sit, ut aliquis continere possit, quod nemini negari dicimus, sed quo sit, ut re ipsa aliquis contineat; quod non datur, nisi is, quibus Deus dandum esse judicaverit. Neque est hoc proprium dono continentiae, sed commune cum dono fidei, dilectionis, perseverantiae, aliisque donis ejusdem generis. Siquidem omnes justi vere perseverare possunt, si velint, et tamen impossibile est intelligere, cur Deus uni justo det perseverantiae donum, ila ut reipsa infallibiliter perseveret, alium cadere sinat, nec det ei eam gratiam, qua efficaciter perseveret: lib. de spiritu et litera cap. 34. Jam sì ad illam profunditatem, inquit, scrutandam quisquam me coarctet, cur uni ita suadetur, ut persuadeutur, alteri non item, duo interim occurrunt quae respondere libcat: O altitudo divitiarum. Et: Non est iniquitas apud Deum. Sed de bis alibi disputandum est.

Ad secundum dico, Augustinum voluisse quidem nuptias post volum esse veras nuptias, sed simul asseruisse ( quod Petrus Martyr non negat ) gravissime peccare eas, quae post volum nubunt; sic enim ait lib. de bono viduitat. cap. 9. Lamnantur tales viduae, non quia conjugalem fidem posterius inierunt, sed quia continentiae primam fidem irritam fecerunt. Et cap. 11. Non possum dicere a proposito meliore lapsas, si nupserint, foeminas, adulteria esse, non conjugia, sed plane non dubitaverim dicere, lapsus et ruinas a castitate sanctiore, quae vovetur Deo, adulteriis esse pejores. Haec ille Itaque testimonium Augustini nihil efficit contra id, quod nunc defendimus, non licere nu-

bere post votum.

Sed instat Petrus Martyr: In eo saltem contradicitis Augustino, quod matrimonia monachorum et

sanctimonialium irrita esse decernitis.

Respondeo: Convenit inter theologos, matrimonium post votum simplex continentiae illicitum quidem esse; tamen ratum, nec dirimendum: post volum solemne nullum esse. Sic enim Innocentius I. docet in epist. 2. et post eum Gelasius in epist. 1. ac toletanum concilium I. can. 16, Utrum antem post solemne votum, nullum sit matrimonium jure divino et naturali, an solum jure ecclesiastico, quaestio est. Nam Albertus, b. Thomas, b. Bonaventura, Richardus et Durandus in 4.dist. 38. et Dominicus a Soto lib. 7. de justitia et jure, quaest. 2. art. 5. volunt jure divino, ac naturali matrimonium nullum esse, si post volum solemoe contrabatur. Atque bi dicerent s. Angustinum de voto simplici tantum esse loquulum, non de solemni, ut etiam s. Hieronym. in epist. 47. de vitando suspecto contubernio. Contra vero, s. Basiliùm in

lib. de virginit. et Chrysostomum in epist. 6. ad Theodorum, de voto solemni.

At Scotus et Paludanus in 4. dist. 38. et Cajetanus in 22. q. 88. art. 7. et omnis schola jureconsultorum, ut refert Panormitanus in cap. Rureus Qui clerici vel voventes, asserunt solo jure ecclesiastico matrimonium irritum esse, quod post votum solemne contrahitur. Atque hi Augustinum et Hieronymum, vel de voto simplici locutos esse dicerent, vel de solemni secundum regulas juris divini ac naturalis. Decretum enim ecclesiasticum, quo inhabiles fiunt ad matrimonium, qui votum habent solemne, ad eorum notitiam non pervenisse. Utraque sententia probabilis est; nec est nostrae considerationis hoc loco quaestionem istam definire.

Ad tertium dioo: S. Augustinum eo loco non conferre virginitatem cum conjugio absolute, sed virginitatem unius personae cum conjugio alterius personae. Etsi enim absolute virginitas longe excellat conjugio, ut Augustinus, cum alibi saepe, tum in ipso libro de bono conjugali, cap. 23. affirmat: tamen potest fieri, ut virginitas conjuncta sit in uno homine cum minore charitate, humilitate, aliisque virtutibus, quam conjugium in altero homine. Idcirco non possumus anteponere virginem conjugato, nisi constet in caeteris virtutibus illos esse pares.

Ad quartum dico: S. Augustinum eo modo esse loquulum, quo s. Hieronymus in epist. 47. nimirum minus malum esse aperte nubere ei, qui simplex votum habet, quam perpetuo occulte forni-

cari. ·

Vicesimo adducit Leonem, ex cujus operibus unum testimonium profert ex epist. 87. alias 85. ad episcopos Africae, ubi Leo ita lequiter: Dicente apostolo, ut inter alias christianismi regulas is episcopus ordinetur, quem unius uxoris virum fuisse, aut esse constaret, tam sacra semper habita est ista praeceptio, ut etiam de muliere sacerdotis eligenda, eadem intelligatur servanda conditio. Videtur enim hic dicere s. Leo, non modo posse episcopum ordinari, qui uxorem habuerit, sed etiam qui habeat; et praeterea posse episcopum, qui non habet uxorem, eam ducere, si voluerit.

Sed ad hoc testimonium jam respondi in disputatione de coelibatu sacerdotum. Admittimus enim episcopum fieri posse, qui uxorem habeat, modo ab ea se continere deinceps velit. Posse autem episcopum uxorem ducere numquam sensit, vel scripsit s. Leo; siquidem in codicibus emendatioribus non habetur: De muliere sacerdotis eligenda, sed, de muliere sacerdotis eligenda. Jubet enim s. Leo, ut non solum arceatur a sacerdotio, qui plures uxores habuit, sed etiam is qui unam habuit, quae tamen alterius anten fuerit. Consule epist. 84. ad Anastasium, ubi disertis verbis Leo docet, non modo episcopum, sed etiam presbyterum, diaconum et subdiaconum debere innuptum esse, vel continentem.

Postremo laco adducit Petrus Martyr Gregorium I. qui lib. 1. epist. 42. ita scribit: Ante triennium omnium Ecclesiarum Siciliae subdiaconi prohi-



biti fuerunt, ut more romanae Ecclesiae suis uxoribus non miscerentur, quod milii durum atque incompetens (impium pro incompetens, Petrus Martyr legere maluit ad rem exaggerandam) videtur, ut qui usum continentiae non invenit, neque castitatem promisit, compellatur a sua uxore separari, atque hoc, quod absit, in deterius cadat. Ex his multa deducit Martyr, quae adversus catholicos pugnare videntur.

Primum est, romanum pontificem qui prohibuerat, ne subdiaconi Siciliae suis uxoribus miscerentur, fecisse contra nicaenam synodum, quae Paplinutio auctore decrevit, non esse clericis prohibendum propriae uxoris commercium. At fabulam istam paphnutianam in disputatione de coelibatu sacerdotum evidenter, ut arbitror, confutavimus. Praeterea, si unius romanus pontifex praeceptum paulo durius et incompetens, ut s. Gregorius dicit, imposuit, mox illud a successore temperatum fuit.

Secundum est, non fuisse eo tempore votum annexum sacro ordini. Gregorius enim dicit, durum sibi esse visum, ut subdiaconi castitatem tenere cogerentur, qui non promiserant. At si in Sicilia subdiaconi non vovebent, num alibi nusquam vovebant? Immo abusus erat, quod in Sicilia non voverent. Atque ideirco ibi s. Gregorius jubet, moneri episcopos, ut nullum ordinent subdiaconum, qui non antea continentiam voveat.

Tertium est, tyrannidem hanc a romana Ecclesia coepisse, in orientali autem seu graeca Ecclesia ejusmodi usum non fuisse. Sed mendacium apertissimum est, non fuisse usum continentiae subdiaconorum, atque ordinum etiam superiorum in orientali et graeca Ecclesia ante tempora s. Gregorii. Contrarium enim disertis verbis docent Epiphanius haeresi 59. Hieronymus lib. in Vigilantium. Leo epist. 84. et alii quos supra citavimus in disputatione de coelibatu sacerdotum.

Quartum est, Gregorium, licet admodum superstitiosum, vidisse tamen hoc esse durum et alienum a pietate, et moderari conatum, non tamen potuisse quantum volebat, ob canones et decreta. Sed quod sanctissimum virum admodum superstitiosum Petrus Martyr vocat, facit more suo. Quod ait eum vidisse hoc esse alienum a pietate, mentitur, ut solet. Non enim impium, sed incompetens Gregorius esse dixerat praedecessoris sui decretum. Quod addit s. Gregorium moderari conatum canones praedecessorum, sed non tantum fecisse quantum voluisset, plane divinat, rel somniat potius. Gregorius enim, ut summa potestate, ita etiam summa libertate utebatur in its, quae ad Dei honorem, et Ecclesiae utilitatem pertinere videbat.

Adferent alii quidam adhue unum testimonium ex Gelasio papa. Is enim epist. 1.ad episcopos Lucaniae, cap. 23. de viduis, quae continentiam voverant, loquens, ait: Nos talibus nullum laqueum debemus injicere, sed solum adhortationes praemii sempiterni, poenasque proponere divini judicii, et ut nostra sit absoluta conscientia, et illarum pro se rationem Dei reddat intentio. Haec ille.

Respondeo: Laqueus, de quo Gelasius loquitur, non est, ut adversarii credunt, nuptiarum prohibitio iis quae voverant. sed iis quae non voverant. Nam ante dixerat Gelasius eas, quae voverunt, non posse nubere sine peccalo: Sicut, inquit, si se continere non poterant. secundum apostolum nullatenus nubere vetabantur: sic habita secum deliberatione, promissam Deo pudicitiae fidem debent custodire. Vult igitur Gelasius non debere eogi viduas ad vovendum, sed exponenda illis esse, et praemia si voveant et reddant, et supplicia si voveant et non reddant.

### CAPUT XXXV.

Quod juniores vovere possint.

Sequitur disputatio quarta de iis, qui vota monastica suscipere ac nuncupare possunt. Quatuor sunt genera personarum, quibus prae caeteris adversarii negant facultatem hujusmodi vota suscipiendi. Primo, juniores. Secundo, filiifamilias invitis parentibus. Tertio, conjuges ex consensu mutuo. Quarto, conjuges ante matrimonium consummatum, invito altero conjuge.

De primo, Lutherus lib. de votis monasticis ait: non oportere viros admittere ad vota monastica, nisi post annum 70. vel 80. Similiter in Confessione Augustana, art. 27. conqueritur, quod pueri permittantur fleri religiosi. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 15. § 19. dicit olim nefas fuisse anto annum 60. admittere foeminam ad votum continentiae. Martyr in lib. de coelibatu, et votis camdem querimoniam renovat. Probant ex illis verbis 1. Tim. 5. Adolescentiores viduas devila, vel ut est in graeco παραιτοῦ rejice, et Volo juniores nubere. matresfamilias esse etc. pessumus addere 'duos veteres canones; nam concilium romanum sub Sylvestro, can. 10. prohibet velari sanctimoniales ante annum 72. et beatus Gregorius lib. 3. epist. 11. vetat sanctimonialem velari ante annum 60.

At his non obstantibus dicimus duo. Primo ad vota suscipienda continentiae, obedientiae et paupertatis, requiri quidem eam actatem, in qua sit usus liberi arbitrii; sed ubi is adfuerit.in quacumque actate licere talia vota nuncupare. Probatur primo Scriptura, Thren. 8. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Matth. 19. Sinite parvulos venire ad me.

Secundo exemplis: nam Joannes Baptista a pueritia fecessit in eremum, Luc. 1. B. Maria adolescentula vovit perpetuam continentiam, ut supra demonstravimus, b. Antonius, Paulus I. eremita, Hilarion, Benedictus, Bernardus, Franciscus, aliique permulti in adolescentia monachi facti sunt, ut patet ex Athanasio, Hieronymo, Gregorio et Bonaventura, in eorum sanctorum vitis. Pari ratione omnes fere sanctae virgines, quas Ecclesia publice colit, adolescentulae voverant continentiam, ut

Thecla, Agnes, Cecilia, Agatha, Lucia, Clara, Catharina, et aliae propemodum infinitae.

Tertio probatur ex Patribus. Athanasius de humanitate Verbi, dicit etiam pueros virginitatem profileri doctos esse a Christo. Basilius in quaestionibus diffuse explicatis, quaest. 15. disputat in qua aetate recipiendi sint homines ad vota monastica, et respondet, in prima aetate esse recipiendus pueros ad monasterium, sed non esse admittendos ad professionem, nisi ubi coeperint liberum habere usum rationis. Ambrosius lib. 3. de virginibus: Non ergo, inquit, aetas rejicitur flor rentior, sed animus examinatur. Ac certe Theclam non senectus, sed virtus probavit. Et hinc quid plura contexam, cum omnis aetas habilis Deo, perfecta sit Christo? Nec mirere in adolescentulis professionem, cum legeris in parvulis passionem. An dubitamus si eum usque ad continentiam sequatur adolescentia, quem usque ad mortem confitetur infantia?

Hieronymus in epist.ad Eustochium de virginit. docet, in coenobiis fuisse suo tempore homines omnis aetatis, pueros, viros, senes. Augustin. de sancta virginit. cap. 36. Sed, inquit, respice agmina virginum, puerorum, puellarumque sanctarum. In Ecclesia tua eruditum est hoc genus, illic tibi a maternis uberibus pullulavit, nomen tuum ad loquendum linguam solvit, nomen tuum velut lac infantiae suae suxit infusum. Non potest quisquam ex hoc numero dicere, qui prius fui blasphemus et persequutor. Immo etiam quod non jussisti, sed tantummodo volentibus arripiendum proposuisti dicens, qui potest capere, capiat, arripuerunt, voverunt, et propter regnum coelorum seipsos, non quia minatus es, sed quia horialus es, castraverunt.

Secundo dicimus ad professionem publicam, expectandam etiam eam aetatem, quam leges Ecclesiae praescribunt, quae pro temporum et locorum diversitate variae extiterunt. Nam concilium caesaraugustanum, cap. ult. et agathense cap. 13. jubebant exspectari annum 40. antequam mulieres publicam professionem emitterent, Concilium autem carthaginense III. can. 4. jubebat exspectari annum 25. Quod expositum est in concilio milevitano can. 26. debere intelligi, nisi aliqua necessitas cogat ante illud tempus virginem velari. B.Gregerius lib. 1. epist. 48.in insulis ubi est molestior habitatio, jubet ne recipiatur aliquis ad monasticam professionem ante annum 18, ex quo recte deducunt canonistae, in aliis locis posse recipi in minori aetate, nimirum anno 14. quam aetatem definiunt multi canones, ut cap. Ad nostram, et cap. Significatum, extra de regularibus.

Porro concilium trullanum, can. 40. et concilium triburiense, can. 24. permittunt professionem etiam ante annum 12. sed nostro tempore concilium tridentinum, sess. 25. cap. 15. statuit professionem non debere fieri ante annum 16. quam aetatem etiam olim definierat s. Basilius, ut testatur concilium trullanum cap. 40. ex quibus apparet numquam in Ecclesia fuisse consuetudinem, aut legem, ut exspectaretur annus 60. vel 80.

Ad argumenta. Illud Apostoli: Adolescentiores

devita, seu rejice, intelligitur a numero earum viduarum, quas Ecclesia alebat, non a voto continentiae. Solum enim anus 60. annorum, quae seipsas alere non poterant, voluit apostolus nutriri sumptibus Ecclesiae.

At, inquit Petrus Martyr, si juniores arcebat Paulus a convictu earum viduarum, quas alebat Ecclesia propter periculum incontinentiae, cur non ob eandem caussam arcendae sunt a voto?Respondeo. quae alebantur ab Ecclesia, vovebant etiam continentiam, turpius autem fuisset deficere a voto aliquam ex iis, quae publice alebantur ab Ecclesia, quam ex aliis; idcirco nolebat apostolus recipi juniores ad numerum earum, quae ab · Ecclesia alebantur. Illis autem verbis: Volo juniores nubere, opponimus aliud, volo, ex 1. Cor. 7. Volo omnes esse sicut'meipsum, idest, continentes. Cum enim istae voluntates contrariae sint, oportet dicere neutrum adferre præcceptum, et absolute quidem apostolum cupivisse, ut omnes continerent, tamen quia nonnullae bonum propositum deseruerant, coepisse optare, ut juniores quae non viderentur perseveraturae, potius nuberent, quam voverent. Vide quae de hoc loco diximus supra cap. 30.

Ad illud concilii romani dico primo, locum esse corruptum, et intelligibilem, et fortasse multo minorem annorum numerum debere poni pro 72. Dico secundo, loqui concilium non de omnibus virginibus, sed de illis solum quae antequam profiterentur, viros petierunt, ut ipsa verba concilii indicant, illae enim diutius quam caeterae probandae videntur.

Ad Gregorium dico, eum loqui de sola abbatissa. Sic enim ait Juvenculas abbatissas fieri vehementissime prohibemus. Nullam igitur fraternitas tua, nisi sexagenariam virginem, cujus aetas hoc, alque mores exegerint, velari permittat.

### · CAPUT XXXVI.

Licere filiis ingredi religionem parentibus invitis.

De secundo, an videlicet filii invitis parentibus fieri possint religiosi, Lutherus in lib. de votis monasticis dicit, non posse filios, quamvis maximae aetatis sint, ingredi religionem sine consensu parentum, si adhuc supersint. Idem docent Magdeburgenses Cent. 4. cap. 10. col. 1304. et Cent. 6. cap. 6. col. 354. et Martyr in lib. de coelibatu. et volis. Ratio corum prima est, quia praeceptum de obediendo parentibus, in omni aetate obligat, et sicut non licet ulli vovere, quod non obediet parentibus, ita non licet vovere aliquid eis invitis. Secundo, quia uxor non potest ingredi religionem sine consensu viri, nec servus sine consensu domini, ergo nec filii sine consensu patris, et confirmatur ex concilio gangrensi, cap. 16. Quicumque filii a parentibus praetextu divini cultus

abscedunt, net debitam reverentiam dependent illis, anathems sint. Contrarium docut b. Thomas in 2. 2. quaest: 88. art. 8. ad 2. et antea idem probaverat exemplo suo, quippe invitis et repugnantibus matre et fratribus, ordinem praedicato-

rum professus est.

Nos breviter respondemus, licere filits invitis parentibus ad religionem transire, duabus servatis conditionibus. Una, ut ad annos pubertatis perveneriat. Porro pubertas in viris est anno 14. ut habemus cap. 1. de regularib. in 6. in foeminis anno 12. ut habemus can. Puella, 20. qu. 2. Altera conditio est, ut parentes non sint in tali necessitate, ut sine filiorum auxilio vivere non possint. Tunc enim tenentur ex praecepto Dei, parentibus adesse.

Probatur jam haec sententia, primo Scripturis. Etsi enim hoc Scripturae diserte non docent, tamen eis valde conforme est. Genes. 12. Egredere de domo tua et de cognatione tua, el de domo patris tui. Deuter. 33. Qui dixit patri suo et matri suae: Nescio vos: et fratribus suis: Ignoro illos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt. Ubi Moyses in laudibus levitarum ponit quod parentes et fraires deseruerint, ut Deo liberius vacarent. Unde glossa interlinearis exponit. qui dixerunt: nescio vos, patri et matri cursum mentis impedientibus. Item psal. 44. Obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. Item Matth. 10. Qui amat patrem vel matrem plus quam me, non est me'dignus. Et Lucae 9. non permisit Dominus eum, quem vocabat, ut iret domum ed salutandum, vel ad sepeliendum parentem.

Secundo sacris canonibus; nam in concilio tole: tano X. cap. ult. Parentibus, inquit, filios religioni tradere non amplius, quam usque ad quartumdecimum eorum actatis annum licentia poterit esse. Postea vero, an cum voluntate parentum, an suae devotionis sit solitarium votum. erit fillis licitum religionis assumere cultum.ltem 20. quaest. 2. can. Puella, qui sumptus est ex concilio triburiensi, can. 24. Puella, inquit, si ante duodecimum aetatis annum sponte sua velamen sibi sacrum assumpserit, possunt statim parentes vel tutores id factum irritum facere si voluerint. Si vero in fortiori aetate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est-potestas parentibus probibendi. Item cap. Cum virum, de regularib. . Clemens Ill.loquens de puella nubili: Tunc, inquit, quia liberum habet arbitrium in elections propositi, parentum segui non cogitur voluntatèm.

Tertio, testimoniis Patrum. Chrysostomus in fine lib. 3. contra vituperat. vitae monasticae: Sin autem, inquit, alloquens parentes, vos contenderitis, filti quidem si fuerint egregia virtute praediti, etiamsi nolueritis, ad hanc pervenient philosophiam monasticam, sempiternisque gaudiis fruentur: Vos autem infinitos, vobis ipsis cruciatus congeretis. Idem homil. 84. in Joan. Cum spiritualia, inquit, impediunt parentes, nec agnoscendi quidem sunt. Similia habet in cap. 6. epist. ad Ephes. in illud: Filii obedite parentibus in Domi

no; vult enim additum esse, in Domino, quia non debemus eis parere, cum pietatem impediunt.

Theophylactus in cap. 19. Joann. in illud: Ecce mater tua; Oportet, inquit, quidem parentibus ad pictatem obsistentibus non parere; non obsistentibus autem omni cura servire.

Ambrosius lib. 3. de virginibus loquens de illis, quae invitis parentibus prolitebantur, non arguit ipsas, sed eorum parentes, qui vim facere conabantur, quos dicit esse pejores gentilibus, qui filias praemils ad virginitatem invitabant: Illic praemils, inquit, revocantur a nupliis: hic ad nuptias coarctabuntur injuriis? Illic violentia fit ut capiantur? hic fiet violentia ne profiteantur? Et potest esse patientiu saserdotum, ut non vel morte oblata, si ita necesse est, integritatis sacrificium vendicent?

Hieronymus in epist. de suspecto contub. Si quis, inquit, te corripit, quod sis christiana, quod sis virgo, non cures quae matrem deserveris, ut in monasterio inter virgines viveres: talis detraetio laus tua est. Item crudelitas ista pietas est, illum enim praefers matri, quem praeferre juberis et animae tuas. Idem ad Heliodorum, quae prima est omnium: Licet, inquit, parvulus ex collo pendeat nepos, licet spurso crine et scissis ve stibus ubera quibus te nútrierat mater ostendat, licet in limine pater jaceat, percalcato perge patre siccisque oculis ad vexillum crucis evola. Sohom pielatis genus est, in hac re esse crudelem. Idem in vita Malchi testatur, eum, cum a parentibus ad nuptias minis et blanditiis, cogeretur, eis invitis, ad monasterium se contulisse.

Augustinus in epist. 38. ad Letum, qui a matre impediebalur, ne ad vitam perfectam sequeretur: Sed quid, inquit, dicit, aut quid allegat? forte decem illos menses quibus viscera ejus onerasti, et dolores parturitionis, ac labores educationis? Hoc interfice verbo salutari, hoc perde matris, ut in vitam acternam invenias eam. Hoc memento, ut oderis in ea, si diligis eam, si tyro Christi es, si turris fundamenta posusti.

Gregorius Turonicus in vita Leobardi el Pappulae, laudat cos, quod tam ille, quam illa, invitis parentibus, monasticam professionem susceperint. Gregorius homil. 37. in evangelia, in illud: Qui non odit patrem etc. inquit, Quos, adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus.

Denique b. Bernardus epist. 3. quam scribit nomine Heliae monachi ad parentes ejus: Sola, inquit, caussa, qua non licet obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit, qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. Si vere me, ut boni, et pii parentes diligitis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, et ab ejus servitio, cui servire regnare est, retrahere tentatis? Verum nunc cognosco, quia inimici hominis domestici ejus. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc non agnosco vos parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum atque vestrum, immo universorium Patrem. Alioqui quid mihi et vobis?quid a vobis habeo, nisi peccatum, et museriam etc.

Quarto, probatur ratione b. Ambrosii lib. de vir-

ginibus: Cui licet, inquit, maritum eligere, cur non licet Deum praeserre? At licet filiis parentibus invitis, matrimonium contrahere, cur non etiam liceat jisdem invitis continentiam profileri? Praeterea licet viro, uxore invita, ad religionem transire, quando matrimonium de praesenti quidem contractum erat, sed nondum consummatum, ut habemus c. Verum, et c. Ex publico, de conversione conjugatorum: ergo multo magis licebit invito patre. Praeterea quilibet ingenuus post annos pubertatis est juris sui, quantum ad ea, quae ad personam et statum suum pertinent. In hoc enim different servi a liberis. Denique, magis obediendum est Deo, quam hominibus, act. 5. Dous autem consulit perfectam vitam, Matth. 19. omnibus in genere, et in particulari înterna inspiratione vocat quosdam: ergo si parentes resistant, audiendi non sunt.

Neque argumenta in contrarium vim ullam habent. Primum est, Deus jubet obedire parentibus,

et eos honorare. Ephes. 6.

Respondeo: Parentibus duo a filiis deberi, obedientiam et honorem, idest, temperalia subsidia. Quantum ad primum, dico ex Chrysostomi; Theophylacti, Hieronymi, et aliorum expositione in eum locum, ideo apostolum addidisse: in Domino, ut intelligamus, non esse eis obediendum, nisi in iis, quae non impediunt pietatem. Quantum ad alterum, cico, praeceptum illud, ut alia omnia affirmativa, non obligare, nisi in casu necessitatis, cum videffeet pater sine filii opera vivere non potest. Si enim vel dives sit, vel habeat alios, a quibus alatur, filius non tenetur ei adesse, ut expresse docet Lue. 9. Dominus cum ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos, Nam ut Theophylactus exponit, qui dixeral: Sine ut vadam, et sepeliam patrem meum, non dicere voluit: Pater meus mortuus est, debeo eum sepelire; sed, sine ut maneam cum patre meo, usque ad mortem ejus; cum autem obierit, et eum sepeliero, tunc seguar te.

Secundum argumentum erat: Uxor non potest ingredi religionem sine consensu viri, nec servus sine consensu domini; igitur nec filius sine con-

sensu patris,

Respondeo: Vir non habet corporis sui potestatem, sed uxor, ut dicitur 1. Cor. 7. et ideo non potest vir de persona sua disponere sine consensu uxoria. Filii autem, quoad personam suam, liberi sunt post annos pubertatis. Unde b. Augustinus, qui epist. 36. ad Letum docuit posse filios invitis parentibus sequi perfectionem; idem in epist. 199. ad Ediciam, docet, uxorem id facere non posses sine consensu viri. Pari ratione servus non habet personae suae potestatem, sed dominus ejus: ideo de ea disponere non patest. Addit b. Thomas 2.2. quaest. 189. art. 6. quod cum subjectio servilis sit poena peccati, non autem subjectio filialis, non mirum videri debet, si servis adimitur aliquid, quod antea eis competebat, et id non adimitur filiis.

Argumentum tertium ex concilio gangrensi, cap. 16. Respondeo: Fuisse eo tempore quosdam, qui male intelligentes verba Domini, Luc. 14. Si quis venit ad me, et non odit patrem, et matrem, et uxorem, et filios etc. praetextu evangalii relin-

quebant non solum parentes, sed etiam uxorem, et liberos, nec eorum ullam curam gerebant, etiamsi maxime indigerent. Hos ergo synedus anathemati subjicit. Unde cap. 14. anathema dicit conjugibus descrentibus conjuges. Et cap. 15.parentibus filios, et cap. 16. filiis negligentibus parentes.

Ex quo apparet, nihil facere hoc decretum contra religiosos, qui parentibus adsunt, si eorum praesentia necessario indigeant. Si autem non indigeant necessario, absunt quidem corpore ab eis, tamen eos juvant quomodo religioses decet, nimirum precibus apud Deum. Nam ctiam filii sacculares non eodem modo juvant parentes, sed alli consilio, alii artificio, alii opibus, prout convenit statui uniuscujusque.

Addit quartum argumentum Retrus Martyr'ex Basilio quaest. 15. fuse explicata, ubi filios dicit non esse recipiendos ad monasticam disciplinam, nisi a parentibus offerantur. Respondeo:Loquitur s. Basilius de filiis, qui ob minorem aetatem adhuc subsunt in omnibus patriae potestati, id quod textus Basilii loquitur apertissime: Eos, inquit, qui sub parentibus sunt, dum ab illis ipsis adducuntur, coram multis testibus suscipiemus.

CAPUT XXXVII.

Licere conjugatis ex consensu vovere continentiam.

De tertio, an ficeat conjugatis ex consensu mutue suscipere vota perpetuae continentiae. Negat hoc disertis verbis Petrus Martyr in commentar. 1. Cor. 7. et probat ex verbis Pauli: Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ul vacetis orationi, et ilerum revertimini in idipsum. Ubi Paulus solum ad tempus concedit vacationem ab usu conjugali, Idem docent Magdeburgenses Cent. 4. cap. 10. col. 1304. ubi accusant Malchum monachum, tamquum matrimonii contemptorem, quia ex consensu perpetuo abstinuit ab uxore, quam duxerat in captivilate sua. Ubi obiter notanda est imperitia, vel nequitia ipsorum. Nam, ut Hieronymus scribit in vita Malchi, cogebatur Malchus a barbaris ducere in uxorem mulierem quamdam, quae virum habebat; eum igitur non posset sine peccato adulterii illam accipere, simulavit nuptias, ut mortem evaderet, et illam pro sorore habuit, et tamen Magdeburgenses illum reprehendunt, quod illi mulieri misceri noluerit.

At hic error impudentissimus est; et probo primo ex ipso Pauli loco: nam Paulus postquam at: Iterum revertimini in idipsum, subdit: Hoc autem dice secundum indulgentiam, non secundum imperium. Ubi illud: Secundum indulgentiam, non potest referri ad illud: Nolite fraudare invicem. Ibi enim locum habet imperium, non indulgentia; neque ad illud: Nisi ex consensu ad

tempus, ut vacetis orationi. Nam abstinere ad tempus ex consensu propter orationem, non eget indulgentia. Id enim dicimur indulgere quod non libenter concedimus, sed quasi coacti. Paulus autem maxime cupiebat, ut continerent, cum dicat; Cupio omnes esse sicut meipsum; ergo illud, secundum indulgentiam, refertur ad illud: Iterum revertimini in idipsum. Id enim Paulus non libenter concedit, sed indulget propter incontinentiam illorum; quomodo exponunt Hieronymus lib. 1. contra Julianum, cap. 21. Ambrosius, Theodoretus, et alii in hunc locum. Ergo qui perpetuo continent ab uxore ex consensu, rem gratissimam Paulo faciunt; tantum abest, ut ipse id prohibuerit.

Secundo, probatur ex Patribus, Basilius in quaestionibus diffuse explicatis, quaest. 12. Eos, inquit, qui in conjugio matrimonii ad talem vitam accedunt, percunctari oporiet, an ex consensu hoc factant etc. Epiphanius haeresi 59. et Hieronymus lib. contra Vigilantium dicunt, conjugatos non consuevisse sacris initiari, nisi continentiam perpetuam ab uxore promitterent. Quod idem statuit concilium arelatense II. can. 2. Idem quoque s. Hieronymus in epist. 14. ad Celantiam, arguit eam foeminam, quod sine consensu viri continen-

tiam vovisset. Augustinus in epistola ad Ediciam, quae est 199. Quod, inquit, Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissime persevera. Et epist. 45.ad Arment. et Paulinam: Ambo, inquit, Deo reddite, quod ambo vovistis. Et infra: Sit vester consensus oblatio ad supernum altare creatoris etc. Et supra: Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invilo, sed a magna iniquitate deterreo. Idem Augustinus in epist. 32. ad Paulinum, laudat eum, quod cum Therasia conjuge sua continentiae votum susceperit. Ipse etiam s. Paulinus epist. 3. ad Aprum, mirifice eum laudat, quod cum uxore perpetuam continentiam Deo voverat.

Gregorius lib. 9. epistola 39. ad Theotistam patriciam: Si vero, inquit, utriusque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare, quando certum est, quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora non prohibuit? Theodoretus lib. 4. hist. cap. 13. laudat Pelagium laodicensem episcopum, quod prima die nuptiarum, cum ipse juvenis juvenem sponsam accepisset, ei persuaserit, ut simul continentiam voverent. Hilarius arelatensis in epist. ad Augustinum, quae praeponitur libris de praedestinat. Sciat, inquit, sanctitas tua, frairem meum cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam devovisse. Unde rogamus sanctitatem tuam, ut orare digneris, quo hoc ipsum in ets Dominus confirmare et custodire dignetur.

Probatur tertio, exemplis eorum, quos recte fecisse, quod ex consensu continentiam voverint, nullo modo negari potest, cum sancti fuerint, et miraculis claruerint. Primum exemplum est Mariae et Joseph. Quod enim veri conjuges fuerint, patet

BELLARMINI. Vol. 11.

ex evangelio Matth. 1. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Et: Joseph vir ejus, oum esset justus etc.quod astem ex
consensu perpetuo continuerint, certum est. Fuit
enim error Helvidii a tota Ecclesia damnatus, quod
b. Maria non fuerit semper virgo. Unde b. Augustinus de consensu evangelistarum, lib. 2. cap. 1.
Hoc exemplo, inquit, magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu
continentia, posse permanere confugium, non
permicolo corporis sexu, sed custodito mentis affectu. Neque hoc exemplum adversarii negare possunt.

Nam Centuriatores Cent. 1. lib. 1. c.10. col.366. dicunt, Josephum et Mariam ita verum conjugium contraxisse, ut voluerint, statuto tempore, more aliorum conjugum liberos procreare. Quod etlam docet Martinus Bucerus in c. 1. Matth. Petrus Martyr in lib. contra Smithaeum de coelib. et Calvinus in 1. cap. Luc. Id autem elsi blasphemum est, cum b. Mariam virginitate animi, quae sola virtus est. spoliare nitatur, tamen in eo nobis deservit, quod hinc habemus non posse negare haereticos, quin veri conjuges fuerint Maria et Joseph. Porro iidem Centuriatores Centur. 4. cap. 5. col. 405. dicunt errorem Helvidii esse, dicere b. Mariam aliquando eum Josepho viro suo rem habuisse: nec possunt dicere, b. Mariam, invito Josepho, continuisse, nec e contrario, cum uterque sanctissimus fuerit.

Secundum exemplum est Ammonis monachi, qui cum uxore virgine ex consensu semper virgo permansit, teste Palladio in historia Lausiaca, cap.8. et quod hoc Beo placuerit, ex eo manifeste colligitur, quod ejus animam s. Antonius in coelum ab angelis deferri cum summa gloria vidit, ut Athanasius refert in vita s. Antonii.

Tertium exemplum est apad Cassianum Collat. 14. cap. 7. ubi refert, laicum quemdam, quia cum uxere sea, ex consensu continentiam virginalem colebat, adeo claruisse, ut daemonem quemdam ferocissimum, quem s. Joannes abbas expellere ab obsesso corpore non potuerat, ipse sola sua praesentia mox expulerit.

Quartum est s. Paulini et Tharasiae uxoris, qui ex consensu votum perpetuae continentiae susceperunt. De quo vide epist. 32. Augustini ad Paulinum.

Quintum est.s. Maturiani et Maximae uxoris, de quo vide Victorem lib. 1.de persequutione wandalica.

Sextum est apud Gregorium Turonicum de gloria confessorum, eap. 32. ubi refert, quod cum ex duobus conjugibus, qui semper ex consensu caste vixerant, altera mortua esset, alter in haec verba prorupit: Gratias tibi ago, omnipotens conditor, quod hanc puellam, sicut eam tradidisti impollutam, et ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi restituo. Illa vero etiamsi mortua esset, subridens ait: Sile vir Dei, quia non est necesse proloqui nostrum, nemine interrogante, secretum.

Septimum est s. Eduardi Angliae regis. de quo Surius tom. 1. ex antiquo manuscripto refert, quod cum una cum uxore virgo permansisset, multis miraculis claruit, et post annos centum a morte, inventus est omnino integer, adeo ut ne barba quidem illi, quae prolixa et cana fuerat, decidisset.

Octavum est s. Henrici I. imperatoris, sed secundi regis, et Kunegundis uxoris ejus, qui similiter ex consensu virgines permanserunt, et miraculis claruerunt, adeo ut vomerem candentem sine laesione calcaverit s. Kunegundis in testimonium virginitatis, de quibus vide Krantzium lib. 3. cap.32. suae Saxoniae.

Nonum est Petri Urseoli duois Venetorum, apud Volaterranum lib. 4. qui cum uxore ex consensu caste vivens, miraculis illustris fuit.

Decimum est s. Catharinae Succae, quae cum viro suo virgo permansit, et miraculis claruit. Volaterranus lib. 22.

Undecimum Boleslai Pudici Polonorum regis, de quo sic canit Clemens Janitius Polon.

Conjuge consenuil cum virgine virgo marilus, Addictus studiis casta Diana tuis.

Duodecimum est Alphonsi II. regis Castellae, de quo similia refert Volaterranus lib. 2. quod nimirum miraculis claruerit, et ab uxore perpetuo se continuerit.

Probatur ultimo ratione. Nam tota caussa, cur non liceat viro profiteri continentiam, est, quia non habet potestatem corporis sui; et nemo potest rem alienam donare invito domino. At ista caussa cessat, cum ex consensu sit votum.

Adde postremo, quod solum contra objici potest illud Matth. 19. Quod Deus conjunxii, homo non separet. Sed hoc facile solvitur; nam non solvitur conjugium per volum continentiae. Unde Augustinus lib. 1. de serm. Domini, cap. 25. Beatiora, inquit, sane conjugia judicanda sunt, quae sine filiis procreatis, sive elium ista terrena prote contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint; quod neque contra illud praeceptum sit, quo Dominus dimitti conjugem velat, et illud servatur quod ait apostolus: Reliquum est: ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint.

### CAPUT XXXVIII.

Per vota solemnia solvi matrimonium ratum, non consummatum.

De quarto duo sunt errores extremi. Unus est Martini Kemnitii contra sess. 24. concilii tridentini can. 6. et Magdeburgensium, qui docent, matrimonium sive sit ratum et consummatum, sive sit ratum tantum, non posse solvi per monasticam professionem. Ita docent Centur. 1. lib. 2. cap. 12. col. 637. idem docet Erasmus in cap. 7. 1. ad Co-

rinth.et in eamdem sententiam propendet ex catholicis Claudius Espencaeus lib. 6. cap. 4. de continent. suntque pro hac sententia gravissima argumenta. Nam Matth. 19. et 1. Cor. 7. matrimonium insolubile esse pronunciatur: quod autem hoc de rato dicatur. patet primo, quia matrimonium ratum non differt a consummato ulla essentiali differentia; copula enim carnalis actus quidam est conjugii, non essentia conjugii. Secundo, matrimonium ratum est verum sacramentum, significans Christi et Ecclesiae unionem inseparabilem, ergo indissolubile. Praeterea tertio, per matrimonium ratum dat vir uxori potestatem corporis sui: ergo non potest invita uxore continentiam Deo vovere.

Alter error est in altero extremo, quod nimirum matrimonium etiam consummatum dissolvatur per ingressum in religionem. Ita decrevit Justinianus C. de episc. et cler. 1. finali; et refert hanc legem Gregorius lib. 9. epist. 39. pro qua sententia adduci solet Basilius in quaestionibus fusius explicatis, q. 12. ubi videtur dicere, virum qui non potest ab uxore impetrare consensum transeundi ad religionem, posse ea invita id facere; adducitur etiam exemplum Theonae abbatis, de quo Cassianus col. 21. cap. 9. scribit, quod cum per quinque annos cum uxore vixisset, ac deinde monachus fieri vellet, et ab uxore licentiam non impetraret, illa invita, matrimonium solvit, et monachus factus est. Et cap. 10.scribit idem Cassianus, non debere hoc factum reprehendi, eum iste Theonas apostolicis miraculis postea claruerit, et a plurimis magnis Patribus factum ejus collaudatum fuerit.

At nihilominus Ecclesiae sententia est in medio, nimirum matrimonium ratum solvi per monasticam professionem, non autem matrimonium consummatum. Id habemus cap. Ex publico, et cap. Ex parte tua, et cap. Verum, de conversione conjugat. et 27. quaest. 2. can. desponsatam, aliisque multis canonibus ibidem; quibus accessit tridentini concilii, sess. 24. can. 6. ubi dicitur: Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

Probatur ergo secunda pars hujus sententiae contra secundum errorem. Primo, ex ipsa Scriptura: nam quod Christus ait: Quos Deus conjunxil, homo non separet. Et: Qui dimiserit uxorem,facit eam moechari. Matth. 19. et quod ait apostolus 1. Corinth.7. Iis qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere etc. in aliquo matrimonio locum habere debet, ergo saltem in matrimonio consummato; si enim in hoc non liabet locum, in nullo habebit. Secundo, ex Patribus:nam Hieronymus in epist. 14. ad Celantiam, arguit eam, quod sine licentia viri continentiam vovisset. Item Augustinus epist. 45. ad Armentarium, et in epistola 199. ad Ediciam, diserte docet, non licere conjugi, invito conjuge, vovere continentiam, et si id faciat, debere cogi, ut, voto non obstante, viro suo debitum reddat. Idem docet Gregorius lib. 9. epist. 39. ad Theotistum, ubi reprehendit legem civilem, quae permittit contrarium. Idem prohibent

VIII. synodus et Nicolaus I. in epist. ad Carolum regem, aliaque conciliorum et pontificum decreta apud Gratianum 27. quaest. 2. necnon in decreta-

libus tit. de convers. conjugatorum.

Ad testimonium Basilii respondeo: Fortasse loqui eum de matrimonio rato, sed nondum consummato. Quod si ita est, sententia ejus nobis aperlissime favet. Sin autem de consummato forte loquatur, dico tria habere eo loco Basilium. Primum enim asserit, conjugatum venientem ad monasticen, debere interrogari, an consensum uxoris obtinuerit: Vir enim non habet potestatem corporis sui, sed uxor, at apostolus ait 1. Cor. 7. Deinde addit Basilius. si conjux repugnet, ac resistat, oportere audire Domini vocem: Qui non odit patrem, uxorem etc. non est me dignus. Quae duo inter se pugnare videntur. Sed addit tertio, saepe accidisse.ut orationibus a Deo impetratum sit,ut conjux morbo correpta, consensum praebere cogeretur.

Videtur ergo s. Basilius velle, ut conjugatus, si monachus fleri velit, primum consensum uxoris quaerat: si impetrare non potest, oret Deum, et lachrymis et jejuniis instet, quo id etiam uxori persuadeatur, ac tum demum obtento consensu monachus flat. Sic enim et apostolo obediet, dum non sine consensu conjugem relinquit, et Christo etiam parebit, dum uxoris amorem Christi amori postponit. Exemplum habemus in fratre et sorore s. Bernardi. Nam et ille ab uxore, et illa a marito orationum instantia consensum obtinuit, quem antea impetrare non poterant. Vide lib. 1. cap. 4. et 6. vitae s. Bernardi.

Ad exemplum Cassiani dico, esse illud unum ex iis factis sanctorum, quae sunt admiranda. non imitanda. Credendum enim est, peculiari Spiritus sancti admonitu id factum esse, praeter communem ordinem, ac legem, quandoquidem ille tot claruit

postea signis et virtutibus.

Probatur altera pars contra alferum errorem. Primo, testimoniis Ecclesiae supra citatis; etsi enim adversarii ea non recipiunt, tamen cum nulla ipsi in contrarium adferant, recta ratio docet, potius credendum esse tot sanctis pontificibus, et uni generali concilio, quam simplici inficiationi paucorum hominum.

Secundo probatur exemplis sanctorum. Ac primum, quod sanctam Theclam ante matrimonii consummationem s. Paulus a nupliis revocaverit, testatur Epiphanius haeresi 78, et Ambrosius lib. 2.

de virginibus.

Secundum exemplum est s. Alexii, qui prima nocte nuptiarum uxorem intactam relinquens peregre profectus est, castamque vitam perpetuo duxit: ita refert Simeon Metaphrastes in ejus vita, cuius historia totius Ecclesiae a multis saeculis celebratione confirmata est.

Tertium exemplum est s. Euphrasiae, de qua si-

milia refert idem Simeon Metaphrastes.

Quartum est s. Geciliae, quae, teste eodem Metaphraste, prima nocte nuptiarum negavit viro suo Valeriano conjugale debitum, quia nimirum continenter vivere volebat.

Quintum est apud Augustinum lib. 8. Confess.

cap. 6. ubi scribit, duos milites, lecta Antonii vita, mox vota monastica suscepisse, relictis sponsis, quas habebant: illas vero cum id cognovissent. similiter fecisse. Nec refert quod ab Augustino dicantur sponsae, non uxores; nam saepissime Veteres sponsas et sponsos vocant usque ad consummationem matrimonii, atque exinde maritos et uxores. Sic accipitur nomen sponsae in cap. Ex publico, et cap. Carissimus, et cap: Ex parte tua, extra de conversione conjugatorum; et eodem modo Augustinus lib. 8. Confess. cap. 3. Institutum est, inquit, ut sponsae jam pactae, non cito tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam. Praeterea adversarii non solum uxores, sed etiam sponsas futuras, negant posse dimitti propter vota monaslica.

Sextum est s. Leobardi, qui teste Gregorio turonensi, rupit foedera nuptialia cum honesta puella inita, et invitis parentibus monachus factus est.

Septimum est apud Gregorium lib. dialog. 3. c. 14. ubi dicit. Gregoriam sacram virginem, nuptiis jam constitutis, ad Ecclesiam confugisse, et sanctimonialis vitae habitum petiisse ac impetrasse.

Probatur ultimo, duplici ratione. Prima est, quia ratio ipsa docet, semper esse licitum transire de statu minus perfecto ad perfectiorem, si id possit fleri sine ullius detrimento. At status conjugii est imperfectior statu religionis: ergo poterit ab uno ad alium fleri transitus, quando id flat sine ullius detrimento:sit autem sine ullius detrimento, quando matrimonium est ratum, sed non consummatum. Nam cum matrimonium est consummatum. duplex detrimentum oritur, si dirimatur; unum profi jam natae, vel conceptae, quae non poterit tam bene educari; alterum ipsi conjugi, quae manet ligata, nec potest alteri nubere, et quando etiam posset, non tam commode, cum non sit amplius virgo. At nihil horum invenitur in matrimonio non consummato. Ibi enim nulla est proles, et uxor potest alteri nubere, et aeque bene, atque antea, cum adhuc sit virgo, et nihil infamiae incurrat ex hujusmodi repudio, ut notum est.

Dices: At injuria illi fit, cum spoliatur invita re sua. Respondeo: Tenetur consentire marito volenti perfectiores nuptias sine ulla comparatione inire, cum id facere possit sine suo incommodo, potest autem cogi ut faciat, quod tenetur fa-

cere.

Dices rursum: Si haec ratio valeret quidquam, probaret non solum propter monasticam professionem matrimonium ratum dirimi, sed étiam propter sacrorum ordinum susceptionem, ac praecipus propter episcopalem dignitatem, cum etiam sacro ordini sit annexum solemne volum continentiae, et status episcoporum sit perfectior statu religiosorum. At non dirimitur matrimonium ratum propter ordinis sacri susceptionem, ut Joannes XXII. definivit in Extravaganti, Antiquae concertat. de voto. Respondeo: Non esse similia; nam monasticae professioni repugnat per se, et ex natura rei conjugium, non autem repugnat per se, et ex na-

tura rei ordini sacro, sed ex solo decreto Ecclesiae.

Secunda ratio est: nam in matrimonio duplex invenitur vinculum; unum spirituale, quod ex solo consensu nascitur; alterum carnale, quod nascitur ex copula; sed istud carnale dirimitur per mortem corporalem, ut patet ex 1. Corinth. 7. ergo vinculum spirituale dirimi debet per mortem spiritualem et civilem: talis est monastica professio, qua homo toti mundo quodam modo moritur. Et ex hac etiam ratione patet, cur non dirimatur tale matrimonium per ordinem sacrum; nam sacer ordo non requirit mortem illam spiritualem seu civilem, qua quis opibus et proprie voluntati renunciet.

Ad argumenta duplex est solutio. Una communis theologorum, quam praecipue Sotus explicat in 4. dist. 27. quaest. 1. art. 4. quod tam insolubile sit matrimonium tantum ratum, quam consummatum; et tunc ad illa omnia argumenta respondent, ea probare optime matrimonium ratum non posse dirimi ab homine, idest, humana ulla auctoritate, sed tamen non probare, quin possit dirimi a Deo; Deum autem esse qui dirimit, cum sponsum vocat ad religionem,

Dices: Unde habemus, quod Deus dirimat matrimonia rata, et non dirimat etiam consummata per vocationem ad religionem, cum certum sit, Deum omnia posse dirimere? Respondeo: Scimus ex Ec-

clesiae declaratione.

Altera solutio est communis canonistarum, quam etiam sequitur Cajetan. in opusculis tom. 1. tract. 28. qui docent, matrimonium consummatum non esse solubile, nisi a Deo: matrimonium autem ratum tantum esse solubile auctoritate pontificis, et etiam sine illa auctoritate, solvi per ingressum in religionem; et tunc ad argumentum ex verbis Domini Matthaei 19. Quos Deus conjunxit, homo non separet; respondent, ea verba intelligi solum de matrimonio consummato. Nam haec verba non sunt dicta a Domino, nisi postquam dixerat: Erunt duo in carne una, quod non sit, nisi per copulam carnalem. Et sic docet exponi debere hunc textum Alexander III. cap. Ex publico, de conversione conjugatorum.

Ad primam rationem respondent: Matrimonium ratum et consummatum non differre solum accidentaliter, idest, ut rem operantem et non operantem, ut vult prima opinio; nec tamen differre proprie essentialiter, quasi desit matrimonio rato altera pars essentiae, quomodo differunt homo et anima; sed differre, sicut perfectum et imperfectum, sicut differunt homo, cui non deest ulla pars integralis, et homo mancus, surdus vel caecus: id, quod ipsa verba ostendunt. Cur enim dicitur matrimonium ratum, et non consummatum, si nihil ei deest, nisi operatio, sive effectus? Et cur non dicitur etiam sacerdotium ratum et non consummatum, antequam presbyter incipiat exercere sacros ordines?

Porro id, quod deest matrimonio rato, est id, quod facit illud solubile. Nam sacramentum matrimonii triplicem habet significationem. Primo, significat gratiam invisibilem, sive conjunctionem

Christi cum anima. Secundo, conjunctionem Christi cum Ecclesia per charitatem. Tertio, conjunctionem Christi cum Ecclesia per naturae conformitatem. Ex quibus matrimonium ratum habet solam primam, ut docet s. Thomas in 4. dist. 27. quaest. 1. art. 3. quaest. 2. ad 1. et Innocentius III. cap. Debitum, de digamis. Quae significatio sufficit ad constituendum verum sacramentum, sed ea non facit matrimonium insolubile; nam illa conjunctio Christi cum anima non est insolubilis, ut patet.

Matrimonium autem consummatum habet alias duas, ut patet ex Paulo, Ephes. 5. qui non dixit: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dice in Christo, et in Ecclesia, nisi postquam dixerat: Erunt duo in carne una, quod certe sit per copulam. Et confirmatur hoc totum ex eo, quod si matrimonium ratum, non consummatum, significaret unionem Christi cum Ecclesia, sequeretur esse digamum, qui duo matrimonia rata contraxit, licet unum tantum, aut nullum consummaverit, quod est contra cap. Debitum, de digamis. Sequela patet; nam digamia contrahitur ex defectu significationis unius Christi cum una Ecclesia, quam non habet, qui cum duabus contraxit.

Ad secundam rationem dico, matrimonium rattum esse verum sacramentum, sed non perfectum,

quoad omnem significationem.

Ad tertiam dico. Primo, eos, qui dant seipsos uxori, semper intelligere, se dare cum ea conditione, nisi vocentur a Deo ad spirituales nuptias. Secundo, non teneri conjugem ad solvendum ejusmodi debitum cum detrimento boni spiritualis sui, quando id potest fleri sine ullo detrimento alterius conjugis, ut in praesenti accidit. Utraque solutio est bona, sed haec posterior est conformior decretis et factis pontificum, qui de facto dispensant in matrimonio rato, non consummato. Praeterea, prima opinio nititur testimonio Nicolai, 27. quaest. 2. can. Scripsit, ubi dicit, Deum esse, qui solvit matrimonium, cum aliquem vocat ad religionem. At hoc fundamentum non est solidum, quia Nicolaus loquitur de matrimonio consummato, et intelligit illud solvi, quoad thorum, non quoad

### CAPUT XXXIX.

### De eremitis.

Sequitur disputatio quinta de eremitis. Eremitarum institutum prae caeteris religionibus gravissime reprehendunt Magdeburgenses Centur. 4. et 5. cap. 6. et 10. neenon Calvinus lib. 4. Instit. cap. 13. § 16.

Duo sunt autem, quae reprehendunt, solitudinem et vitae severitatem. Solitudine dicunt eos peccasse dupliciter contra proximum. Primo, quod quasi odio humani generis in solitudines recesserint, contra illud Matth. 24. Ecce in deserto est,



nolite exire. Et Hebr. 10. Non deserentes collectionem nostram. Secundo, quod illa officia charitatis deserverint, quae Deus mandavit, contra illud Hebr. 10. Adjuvemus nos invicem.

Vitae severitate dicunt eos peccasse in seipsos. Primo, quod se exposuerint multis periculis et tentationibus, sine Dei mandato, contra illud Matth.

4. Non tentabis Dominum Deum tuum. Et ideo in poenam peccati Deus permiserit eos vexari variis modis a diabolo, ut de Antonio et Hilarione patet. Secundo, quod sui ipsorum fuerint homicidae, nimiis jejuniis, ciliciis, aliisque sponte susceptis afflictationibus, contra illud Exod. 20. Non occides. Et Coloss. 2. Habeto honorem corpori. Tertio, quod stulto labore seipsos vexaverint, in rebus ridiculis et fatuis ponentes religionem, ut patet de Simeone, qui in altissima columna more avis plurimos annos vixit, in quo apparuisse dicunt miram diaboli fascinationem et illusionem.

At vitam eremiticam sanctam et perfectam, et Deo gratam esse probatur. Primo, testimonio Scripturae, quae vehementer laudat Heliam et Joannem, qui eremitarum principes fuerunt, sive solitudinem, sive asperitatem vitae consideres; nam de Joanne dicit Matth. 11. Inter natos mulierum non surrexit major Joanne. Helias autem quantus fuerit, vel ex eo patet, quod in laudibus Joannis, angelus posuerit, futurum illum similem Heliae: Ipse, inquit, praecedet in spiritu et virtute Heliae, Luc. 1. Porro Helias ut plurimum versabatur in monte Carmelo, et pilis induebatur, zona pellicea praecinctus, ut dicitur 4. Reg. 1. Similiter Joannes vixit in deserto ab infantia ad finem usque vitae, et pilis camelorum induebatur, praecinctus zona pellicea, victusque ejus erant locustae et mel sylvestre, ut dicitur Luc. 1. et Matth. 3. Quocirca veteres Patres Heliam et Joannem eremitas et principes eremitarum faciunt, ut Basilius in epistola ad Chilonem; Nazianzenus in apologia postquam ex fuga rediisset; Chrysostomus hom. 69. in Matth. Hieronymus partim in epist. ad Paulinum de institutione monachi, partim in epist. ad Eustochium de virginit. Cassianus Collat. 18. cap. 6. Sozomemenus lib. 1. hist. cap. 12. Theophylactus in primum caput Luc. Isidorus lib. 2. c. 15. de officiis divinis.

Ad hoc argumentum respondent, ac praecipue de Joanne docent, eum numquam fuisse in vera eremo, nec tam aspero victu et vestitu usum, ut nos dicimus Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. cap. 6, colum. 248. dicunt, Joannem praedicasse in deserto, esse accipiendum per synecdochen, quia nimirum praedicabat in oppidis adjacentibus deserto, et cap. 10. col. 357. dicunt, Joannem habitasse cum suis parentibus, sed dictum habitasse in deserto, quia domus parentum ejus erat in montanis Judaeae, qui locus vulgo dicebatur desertum, ob montes et sterilitatem, quamquam plurima ibi oppida et pagi existerent, similiter exponunt Bucerus et Zwinglius in cap. 3. Matth.

Rursus Centurialores ibidem col. 356. dicunt, vestem Joannis fuisse quidem ex pilis cameli, sed tamen bene contextam, et talem, qualibus ordinarie utebantur homines ejus loci, quod idem ait

Bucerus in cap. 3. Matth. Addit vero in eundem locum Chrytraeus, fuisse vestem similem illis, quas undulatas vocamus; vel italice, dici ciambellotto, quibus certe nobiles nunc utuntur, non rustici.

Denique Centuriatores col. 364. dicunt, locustas Joannis fuisse genus cancrorum, idest, optimorum piscium, quos piscatores prejiciebant tamquam in lege prohibitos, sed Joannem illos manducare solitum evangelica libertate. Quod idem sensit Melanchthon in concione de Joanne Baptista et aliquot alii in cap. 3. Matth.

Hos errores refellit accurate Petrus Canisius lib.

1. de corruptelis verbi Dei cap. 2. 3. et 4. Ac primum in verissimo deserto fuisse Johnnem, probat Canisius. Primo, quia vox desertum. quae in Scriptura frequentissima est, semper accipitur pro vero deserto.

Secundo probat, nam Lucae 1. dicitur, erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Isräel; ergo non viderunt illum Isräelitae usque ad annum ejus 30. quo nimirum se ostendere, et praedicare coepit, ergo toto illo tempore non habitavit in domo parentum, vel in oppidis, et pagis, sed in verissima eremo.

Tertio ex illis verbis Luc. 3. Factum est verbum Domini super Joannem Zachariae filium in deserto, et venit in omnem regionem Jordanis, praedicans baptismum poenitentiae. Ubi notandum est, eam regionem Jordanis, ubi Joannes, praedicabat, fuisse etiam desertam. Sie enim ait Matth. cap. 3. de re eadem loquens: In diebus illis venit Joannes Baptista, in deserto praedicans baptismum poenitentiae, ergo Joannes venit a deserto in desertum. Sed prius illud desertum ubi mansit Joannes, antequam praedicare inciperet, adeo erat desertum, ut ejus comparatione illud alterum non videretur desertum: Nam alioqui cur Lucas diceret, venit a deserto in regionem, si haec regio erat aeque deserta? Itaque vera est Euthimii sententia, qui in cap. 3. Matth. docet, duplex fuisse in Judaea desertum; unum interius, quo nimirum nemo, aut rarissimi penetrabant; alterum exterius, ubi non habitabant quidem homines, tamen per illud saepius iter faciebant: ac Joannem quidem usque ad annum 30. fuisse in interiori deserto, deinde postremo vitae suae anno in deserto exteriori.

Possumus addere quartam rationem ex dubitatione Judaeorum, qui Joan. 1. petunt a Joanne, quis ipse sit, num Helias, an aliquis alius. Si enim versatus fuisset semper in domo parentum, certe scivissent illum esse Joannem filium Zachariae et Elisabeth. At quia per tot annos latuerat, videlicet ab infantia, usque ad annos triginta; nemo erat qui eum agnosceret, et ideo petunt: Tu quia es? et quia videbant eum vestitum eo modo, quo Scriptura testatur indui consuevisse Heliam, et simul sciebant rediturum Heliam, ante Christi adventum, ideo quaerunt: Helias es tu?

Accedunt ultimo testimonia Patrum. Eusebius libro 9. demonstrationum evangel. cap. 5. Procedebat, inquit, ex deserto inusitatum indutus habitum, omnemque communem hominum consueludinem declinans; nam neque in vicum ullum, neque in urbem, neque in communem aliquem virorum coetum commeabat. Et infra: Repente, inquit, nescio, unde a latebris sqlitudinis prodeuntem, et post praedicationem rursus in solitudinem. et latebras recedentem, sine cibo, sine potu, abhorrentem a multitudine, merito obstupescebant, et ne hominem quidem illum esse arbitrabantur.

Hieronymus in epist. 4. ad Rusticum: Joannes, inquit, Baptista sanctam habuit matrem, pontificisque filius fuit, et tamen nec patris affectu, nec matris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, et oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere. Accedant testimonia supra citata, quae Joannem eremitarum principem faciunt.

Jam vero de Joannis veste, quod non fuerit ex panno, nec ullo modo mollis ac delicata, patet ex illis verbis Domini Matth. 11. Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Unde Chrysostomus hom. 10. in Matth.dicit Joannis vestem compunctioni et poenitentiae accommodatam fuisse, et ibidem ait, fuisse cilicinam ad mundi contemptum indicandum. Sanctus quoque Bernardus in serm. de s. Jaonne Baptista: Venit, inquit, Joannes non manducans, nec bibens.plane nec vestiens, sicut enim non est locusta cibus nisi aliquorum forte irrationabilium anima lium, sic nec pilus cameli hominum est indumentum. Haec ille. Et cur quaeso sanctus evangelistam sollicite nobis Joannis vestem descripsit, si ea communis et ordinaria erat? Cur vestem Christi non etiam descripserunt evangelistae, si personae et non ipsius vestis ratio habebatur?

Porro de victu, quod locustae illae non fuerint pisces delicati, sed aut verae locustae, quae sunt minuta animantia, vel certe herbarum summitates, palet primo, quia graeca vos ἀχρίδες, nihil aliud significare potest, ut Euthymius docet. Secundo, quia Christus Lucae 7.ait: Venit Joannes non manducans, neque bibens, idest; usque adeo tenui cibo, et potu utens, ut nullo uti videatur. Tertio, quia sic exponunt omnes Patres, quos vide apud Canisium.

Probatur Secundo vitae eremiticae institutum ex testimoniis sanctorum Patrum, qui uno consensu illud approbant. Basilius in epistol. ad Chilonem, martyrio comparat vitam solitariam, et solvit omnes objectiones, quae contra eremitas fieri possunt similiter in epist. 1. ad Gregorium theologum de utilitate solitudinis multa disputat. Nazianzenus in apologia pro fuga sua, vocat coelestem vitam eremitarum, et in epist. ad Hellenium refert mira quaedam de eremitis sui temporis, ut quod aliqui numquam bemines videant, aliqui integris viginti diebus cibo abstineant. Refert etiam de quodam, quod toto anno in oratione steterit, et ne tantillum quidem obdormierit, cui reliquias exigui cibi vicinus corvus adferebat. Postquam autem haec, et similia retulit, subjungit: Talis est Christi pars,

talis passionum Christi fryclus, quem ipse e terra ad Patrem defert: religionis, inquam. christianae columen, populi decus, mundi fundamentum, cum coelestibus pulchritudinibus elegantia propemodum certans.

Epiphanius in compendiaria doctrina, inter ea, quae in Ecclesia catholica servantur sine praecepto. primo loco ponit virginitatem, secundo solitudinem, quibus adjungit abstinentiam a carnibus, ovis, piscibus, et ab ipso etiam pane et vino, humi cubationem, sacci gestationem, et similia.

Chrysostomus passim praedicat laudes eremi,ut hom. 8. in Matth. ubi sic ait: Si quis nunc ad Aegypti veniat solitudinem, paradiso prorsus omnem illam eremum videbit digniorem. et innumeros angelorum choros in corporibus fulgere mortalibus etc. Similia habet hom. 69. et 70. in Matth. et hom. 14. in priorem ad Timotheum.

Hieronymus in epist. 1. ad Heliodorum: O desertum, inquit, Christi floribus vernans, o solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in apocalypsi civilas magni regis exstruitur, o eremus familiarius Deo, gaudens etc. Idem in epist. ad Eustochium de virginit. dicit, eos, qui ex coenobiis ad eremum tamquam ad vitam perfectiorem profugiunt, nihil secum ferre ad cibum, nisi panem et salem.

Augustinus lib. 1.de moribus Ecclesiae cap.31. miris laudibus effert eremitas: Nihil, inquit, de iis dicam qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo et aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhaeserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quae nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Et infra; Hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest?

His adde Justiniani novellam constitutionem 133. ubi sic ail: Solitaria vita, alque in ea contemplatio res plane sacra est, et quae suapte natura animas ad Deum adducat, neque iis tantum, qui eam incolunt commodet, sed etiam omnibus aliis etc.

Tertio probatur rationibus. Prima ratio sumitur ab effectu, videmus enim magnam partem velerum eremitarum evasisse viros perfectissimos et miraculis clarissimos, cujus rei testes produci possunt illi omnes qui scripserunt vitas et res gestas eremitarum, ut Athanasius in vita Antonii, Hieronymus in vita Pauli et Hilarionis, Palludius in bistoria Lausiaca, Cassianus in collationibus, Theodoretus in historia religiosa, Sozomenus lib. 1. hist. cap. 12. 13. et 14. lib. 3. cap. 13. et lib. 6. cap. 28. et sequent. Ruffinus lib. 2. hist. c. 3. et 4. Evagrius lib. 1. c. 21. et lib. 1. c. 7. Ac ut de caeteris nunc taceam, certe Paulum I. eremitam Deus non pavisset annis 60. mittens ei per corvum singulis diebus dimidium panem; neque Antonius vidisset animam ejus ad chorum apostolorum in coelum deferri, neque leones illi sepulchrum effodissent, nisi summa illius solitudo centum fere annorum, et maxime vitae austeritas Deo

placuissent.

Secunda ratio, vita eremitica est culmen et fastigium vitae religiosae. Nam omnes fere Patres docent, ad vitam eremiticam non debere quemquam transire, nisi prius diligenter in coenobio se exercuerit, propterea quod eremus non adferat perfectionem, sed praesupponat. B. Hieronymus in epist. ad Rusticum 1. Cassianus Collat. 10 cap. 3. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiae, cap. 3. Benedictus in regula cap. 1. Bernardus serm. 3. de circumcisione; et haec fortasse est caussa cur liceat omnibus fere religiosis transire ad ordinem carthusiensium, quia nimirum vita illorum est solitaria, et proinde perfectorum. Cum igitur vita eremitica perfectissima sit, non potest Deo non esse grata; supra enim ostensum est, vitam perfectam adeo placere Deo, ut rectissime voveri

Tertia ratio, austeritas et solitudo sunt optima media ad optimum finem. Nam finis austerae et solitariae vitae est contemplatio Dei, rerumque coelestium, ut patet ex Cassiano Collat. 19. quae est de fine vitae eremiticae; eam autem optimam partem Dominus vocat Luc. 10. Medium autem ad contemplationem omnium optimum, est habere animum collectum et intentum; cui rei mirum in modum deservit solitudo, quae omnem strepitum rerum, quae animum distrahere possent, procul arcet. Hinc Dominus quotiescumque orare volebat, pergebat in montes, et loca deserta. Luc. 5. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat. Moysi quoque Exod. 24. cum Deus loqui vellet, jussit ut solus ascenderet in montis verticem, et caliginem intraret, nimirum ut nihil videre posset, quod animum ejus a Deo avocaret. Scribit etiam b. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, adeo hoc esse verum, ut etiam multi philosophi ductu naturae in desertis habitaverint, et quidam etiam sibi oculos eruerint, ut sine distractione contemplari possent.

Idem de jejunio, et reliqua vitae severitate dici potest. Nam quod jejunium medium sit optimum ad orationem, patet ex eo, quod in Scriptura ubique jungitur orationi. Tob. 12. Bona est oratio cum jejunio. Matth. 17. Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et jejunio. Luc. 2. Haec non discedebat a templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte et die. 1. Corinth. 7. Ut vacetis orationi et jejunio: et Chrysostomus hom. 1. in Gen. dicit jejunium esse animae instar alarum ut sursum ferri, et summa contemplari queat. Similia habet Athanasius in lib. de virginitate, et Basilius orat. 1. de jejucio: et quisque experitur, cum caro viget et floret, et in deliciis agit, animum quoque fieri quodammodo carnalem et terrenum, et magis de luxuria quam de sapientia cogitare.

Quocirca etiam Plato locum pestilentem elegit, ubi versaretur et doceret, ut ait Hieronymus lib.2. contra Jovinianum, ut discipuli sui nibil amarent nisi sapientiam; Et ibidem refert pythagoraeos vitasse non solum urbes, sed etiam hortos, et omnia

loca, quae voluptatem adferunt; ne animi mollescerent, et a studio sapientiae retardarentur. Similia docet de sacerdotibus Aegyptiorum, qui ut vacarent contemplationi syderum, neque uxores habebant, neque ullum propinquorum videbant, et cibo tenuissimo utebantur. Scribit etiam Galenus in exhortatione medicinae, animas hominum, voluptatibus deditorum, in multo sanguine tamquam in luto demersas nihil subtile, et coeleste contemplari posse.

Quamquam sancti illi eremitae, non solum propter contemplationem ita severe vivebant, sed ettiam aliis justissimis de caussis. Primo, quia loci natura id exigebat, nec enim poterant, etiamsi voluissent, eas commoditates vitae in deserto reperire, quae in urbibus reperiuntur. Et haec est caussa cur Paulus primus eremita foliis palmarum induretur, et fructibus ejusdem arboris aleretur, quia nimirum, nibil aliud ibi erat; et similiter cur Joannes locustis et melle sylvestri viveret, quia ejusmodi rebus illa eremus abundabat, ut Hieronymus docet lib. 2. contra Jovinianum.

Secundo, quia occupati deliciis animi, partim obliviscebantur corporis, ut de Joanne abbate refert Cassianus Collat. 19. cap. 4. qui non recordabatur, an pridie comedisset necne: partim etiam aegre ferebant istam corporis servitutem, et ideo quo ratius, et brevius poterant necessitati corporeae satisfacere. co se feliciores putabant, ut Philo scribit de primis illis monachis, in lib.de vita contemplativa supplicum. Multi enim propter aviditatem spiritualium epularum vix quinto aut sexto quoque die corpus reficiebant.

Tertio, quia noverant Deo gratissimam esse victoriam cupiditatum et patientiae exercitationem. Quia enim caro semper concupiscit contra spiritum, placet Deo. ut spiritus semper concupiscat adversus carnem. Unde Tertullianus, feras et aridas escas, et reliquam corporis afflictionem sacrificium Deo gratissimum esse dicit, libro de resur-

rectione carnis.

Quarto, ad fructus dignos poenitentiae peragendos, et pro peccatis satisfaciendum. Sancti enim qui serio justitiam esuriunt, leves culpas graviter vindicare solent. Et haec est una ex praecipuis caussis, cur Joannes Baptista tam severe vixerit: Nam etsi ipse nulla fortasse peccata omnino voluntaria habuerit, cum scriptum sit ne levi saltem maculare vitam famine posset, tamen quia missus a Deo fuerat, ut poenitentiam praedicaret, voluit exemplo, et verbo eam praedicare, idcirco, ut Chrysostomus dicit hom. 10. in Matth. vestem habuit compunctioni et poenitentiae accomodatam. Ex his facile jam erit ad argumenta respondere.

Ad primum argumentum respondeo: eremitas non odio humani generis, sed studio purioris vitae concedere in solitudinem. Unde Augustinus lib.1. de moribus Ecclesiae catholicae cap. 31. Quid est, inquit, quod vident qui non possunt homines non diligere, et tamen possunt homines non videre: Profecto illud quidquid est, praestantius est rebus humanis, cujus contemplatione potest homo sine homine vivere. Itaque licet peccet contra ge-

nus humanum qui odit societatem, non tamen peccat qui sine odio solitarius manet.

Locus autem evangelii: Nolite exire, ad literam de adventu Antichristi intelligitur. Mysticum autem desertum, et penetralia significant ethnicorum et haereticorum falsa dogmata, ut Origines, Hieronymus et Beda scribunt in cap. 24. Matth. Haeretici enim Christum invenire volunt in quibusdam sensibus Scripturarum plane inviis et desertis, quos sancti Patres ne a longe quidem salutaverunt. Qualis est hic ipse sensus horum verborum: Nolite exire. Quis enim unquam cogitasset per haec verba prohiberi vitam eremiticam, et tamen Magdeburgenses: Ecce hic est Christus, in hoc deserto, in hoc sensu recondito, est vera verbi divini intelligentia.

Ad illud Hebr. 10. Non descrentes collectionem nostram, dico Paulum accusare eos, qui ex odio, vel invidentia non conveniebant in Ecclesiam, quia nimirum non habebant eum locum, quem cupivissent, et ideo seorsim cum paucis conventicula faciebant. Unde Theodoretus et Oecumenius notant Paulum per collectionem intelligere consensionem animorum. Adde, quod etiam eremitae, exceptis paucissimis, ad Ecclesiam in ipsa eremo simul conveniebant, ut nunc etiam carthusianos et camaldulenses facere videmus.

Ad secundum argumentum respondeo cum Augustino lib. 1. de moribus Ecclesiae cap. 31. ubi ille sic ait: Videntur nonnulli (anachoretae) plusquam oporteret deservisse res humanas, non considerantibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, et vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Unde et Justinianus loco citato dicit, imperium, militiam agros ipsos, et quidquid boni habent homines saeculares, per orationes conservari sanctorum eremitarum.

Dices, non sola oratio est opus charitatis a Deo praeceptum, sed multa alia, ut eleemosyma, visitatio aegrotorum, consilium, instructio etc. quae eremitae non modo non praestant. sed etiam imponentes se reddunt ad ea praestanda. Respondeo: Ad opera charitatis non obligantur homines privati, nisi quando se offert occasio. Hoc enim interest inter praelatos et non praelatos, quod illi tenentur ex officio inquirere, an populi sibi crediti aliqua re indigeant: At isti non tenentur quaerere, sed solum oblata occasione facere aliis, quod sibi fieri volunt. Et quamquam ex intentione facere se impotentem ad ea opera praestanda, sit peccatum, ut si quis ideo semper maneat domi, ne ulli pauperi occurrat: tamen si praeter intentionem id accidat, non est peccatum.

Ad tertium dico, exponere se periculo, non esse perceatum, alioqui non liceret navigare, nec praeliari etc. Sed peccatum esse temere exponere se periculo; quod faceret qui sine justa caussa, et conscius suae debilitatis et nuditatis, cum viro forti, et armato congredi vellet; et similiter in rebus spiritualibus, qui solitudinem peteret sine caussa, idest, sine proposito purioris vitae, et non prius in coenobio edoctus esset pugnare cum diabolo, ut Patres citati docent, nisi for-

tasse extraordinarie Deus aliquem vocet, ut constat de Paulo primo eremita, et aliis quibus-dam.

Ad quartum, dico, adeo sanctos eremitas non fuisse sui homicidas, ut etiam diutissime vixerint: Nam Paulus primus eremita vixit annos 113. Antonius 105. caeteri fere omnes admodum senes fuerunt, ut ex collationibus Cassiani colligitur. Ostendit etiam b. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, ex Hypocrate et Galeno, conducere sanitati jejunium, quod idem ex Antiphane medico doctissimo, demonstrat Clemens alexandrinus lib. 2. paedagogi cap. 1.

Ad illud autem Coloss. 2. Habeto honorem corpori, est duplex solutio, Una secundum Augustini explicationem in epist. 59. ad Paulinum, uhi sic explicat, quae videntur quidem rationem habentia sapientiae in superstitione et humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis, idest, videtur abstinentia istorum habere quasdam rationes sapientiae, licet superstitiosa sit, quia hoc facere videntur ad humiliandum cor, et castigandum corpus, non autem ad honorandum vel saturandum. Haec enim bona essent, si non flerent superstitiose: Nam et Paulus ait: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo 1. Corinth. 9.

Altera explicatio est Hieronymi in epistola ad Algasiam, et Chrysostomi in hunc locum, qui dicunt reprehendi eos, qui corpus non honorant. Porro honor corpori debitus id requirit, ut non subtrahantur ei necessaria, neque sine utilitate, vel necessitate affligatur. Eremitae autem affligebantur quidem, sed magna cum utilitate, nec tamen necessaria sibi subtrahebant, ut patet ex longissima vita ipsorum; Nam etsi interdum necessaria sibi ipsi subtrahere videbantur, ut cum jejunabant multis diebus sine ullo cibo, tamen quia vires ad hoc faciendum ex divino beneficio habebant, non crat illis ejusmodi cibus necessarius.

Ad quintum sufficit apologia Theodoreti in historia religiosa cap. 26. ubi duobus modis defendit factum Simeonis. Primo, quia id non fecit sponte, sed quasi coactus, cum enim plurimi ad cum confluerent, eumque certatim tangerent, ut curarentur a languoribus suis, vel certe, ut sanctitatem aliquam inde perciperent, ille indignum se judicans tanto honore, et simul aegre ferens tantam distractionem et impedimentum ab oratione, excogitavit rationem illam in columna vivendi, quo nemo attingere posset.

Secundo dicit, id eum fecisse instinctu Spiritus sancti, qui voluit novo illo spectaculo singularissimae poenitentiae et patientiae excitare turporem hominum, quemadmodum quondam prophetas suos Deus quaedam facere praecepit, quae stulta videntur: Nam Isaiam jussit nudum prorsus incedere per civitatem Isaiae 20. Hieremiam catena lignea sponte sua circumdatum, Hierem. 28. Ezechielem comedere panem in fimo bovino coactum, et per dies 396 dormire super latus sinistrum, et per 40. super dextrum. Ezech. 4. et caput ac barbam radere, et pilos in medio foro in statera ponderare, et unam partem cremare, alteram con-

oidere giadio, tertiam dispergere in ventum, aliam ligare in summitate pallii. Ezech. 5. denique Joannem Baptistam jussit habitare cum bestiis, indui pilis camelorum et vesoi lecustis.

Quod autem vere Simeon isle Dei instinetu in columna habitaverit, probat Theodoretus ex vita ejus miraculis clarissima, et ex conversione innumerabilium hominum, qui per eum Christiani facti sunt. Nam hic erat ordo vitae ejus, tota nocte et magna diei parte, idest, usque ad horam nonam orabat. Deinde verba faciebat ad eos, qui illum invisebant; invisebant autem tam multi, ut via quae ad illum ducebat propter continuum euntium et redeuntium hominum concursum, perenne quoddam flumen videretur. Porro his concionibus multa millia ethnicorum ad baptismum adduxit, saepe etiam judaeos et haereticos confutavit. Post concionem curabat aegrotos, qui ordinarie adferebantur: Tanta autem erat sama nominis ejus propter miracula, ut ex toto orbe terrarum eo concurreretur, ex Armenia, Perside, Scythia, Aethiopia, Arabia, Hispania, Gallia, Britannia.

Romae vero in omnium officinarum vestibulis, et porticibus imagines ejus visebantur, quibus Romani sibi praesidium et opem parabaut. Post curationes dirimebat lites, plurimi enim ad illam columpam, tamquam ad summum tribunal contentiones suas, et discordias dijudicandas adferebant. Modia futura praedixit, quae suo tempore impleta fuisse idem Theodoretus ibidem affirmat. Jejunabat integram quadragesimam sine ullo cibo et potu, idque plusquam per annos 28. continuavit. Denique, cum jam mortuus esset, adhuc stabat cadaver ejus immotum et erectum in columna, quemadmodum cum vivebat, et post sepulturam miracula creberrima tam ad loculum reliquiarum, quam ad ipsam columnam fiebant. Porro hacum rerum mirum silentium apud Magdeburgenses: nimirum hinc facile evanuissent omnes ipsorum objectiones.

CAPUT XL.

De habitu et tonsura monachorum.

Sequitur disputatio sexta de habitu et tonsura, de quibus duo explicanda sunt. Primo, antiquitas harum caeremoniarum. Secundo, ratio earum: Nam Magdeburgenses Centur. 4. cap. 6. colum. 467. loquentes de habitu et tonsura monachorum, dicunt esse res superstitiosas, et non conformes Scripturae, nec usui purioris Ecclesiae. Calvinus quoque lib. 4. Instit. cap. 19. § 27. videtur indicare, coepisse usum tonsurae tempore Augustini, caussam autem fuisse dicit, quia eo tempore soli homines effoeminati et delicati alebant comam: non autem videbatur permittendum clericis et monachis, ut id facerent, quod soli faciebant lasciviores et molliores; postea vero corruptioribus tem-

BELLADMINI. Vol. II.

poribus excogitata esse mysteria et significationes.

Quidem vero Hortensius Landus librum scripsit de persequutione Barbarum, ubi muita dicit contra lonsuram menachorum. Et ne videalur sine Scriptura loqui, profert aliquot Scripturas Testamenti veteris. Prima est Levitic. 49. ubi Dominus ait: Non attondebitis comam in rotundum. Cum similis est locus Hierem. 9. ubi Dominus dicit, se dispersurum omnes circumtonsos in comam. Tertia est Levit. 21. ubi de sacerdotibus dicitur: Non radent caput, nec barbam. Quarta est Ezech. 44. ubi idem habetur. Quinta in epist. Hieremiae apud Baruch cap. ult. ubi Hieremias ridet idolorum sacerdotes, habentes caput et barbam rasam.

Quantum igitur ad vestes, quod antiquissimum sit institutum, ut qui profitentur mundi contemplum et poenitentiam, singulari et notabili habitu induantur, patet primo ex Dionysio cap. 6. ecclesiasticae hierarchiae, ubi de professione monachi loquens ita ait: Sacerdos, inquit, signo crucis eum consignatum tondet; omnique veste detracta eum alia induit etc. Eusebius lib. 2. hist. cap. 24. scribit ex Egesippo Jacobum apostoluni fratrem Domini numquam induisse laneam vestem, sed sola syndone linca usum.

Athanasius in lib. de virginit. ante medium, docet sanctimonialem, ut fuscam vestem et vilem gerat. Basilius epist. 1. ad Gregorium multa dicit de habitu monachi, et similiter in quaestionibus fuse explicatis, q. 22. Chrysostomus hom. 69. in Matth. dicit, monachos habitu imitari Heliam et Jeannem, et lib. de comparatione regis et monachi dicit, monachum uno tantum amictu, instituto suo conformi, uti solere.

Palladius in his!. Lausiaca cap. 41. dicit etiam virgines sanctimoniales suo tempore cucullis uti consuevisse. Tertullianus lib. de velandis virginibus meminit habitus Deo dicati, quo utebantur sanctimoniales.

Ambrosius lib. 6. epist. 36. de Paulino loquens, qui ex magno viro in saeculo, et nobili senatore monachus factus fuerat, et eo facto multos gentilium senatorum offenderat: Et cum ipsi, inquit. capita et supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra: si forte Uhristianus vir attentior sacrosanctae religionis vestem mutaverit, indignum facinus appellant.

Hieronymus in epist. 4.ad Rusticum monachum: Vidi quosdam, inquit, qui postquam renunciavere saeculo, vestimentis dumtaxat, et vocis professione, non rebus, nihil de conversatione pristina mutaverunt. Epist. 13. ad Paulinum: Tunicam, inquit, mutas cum animo etc. Et epist. 15. ad Marcellam: Tunicam fusciorem, inquit, induta se repente Domino consecravit. Epist. 22. ad Eustochium de virginitate omnium coenobitarum eundem fuisse habitum dicit, nimirum tunicam et sagum, quibus in vita Hilarionis addit cucullam, dicit enim vestes ejus fuisse, tunicam saeceam, palliolum et cucullam. Epist. 27. ad Eustochium de obitu Paulae loquens de sanctimonialibus: Fnus,

inquit, omnium habitus, linteamine ad tegendas solum manus utebantur.

Augustinus lib. 6. contra Faustum cap. 9. dicit, peccatum esse, si vel sanctimonialis gerat ornamenta nuptarum, vel nuptae speciem virginum vestibus referant; et in epist. 199. ad Ediciam indicat, fuscam vestem fuisse tunc insigne continen-

tiam profitentium.

Gregorius lib. 2. dialogorum cap. 1. Meminit, habitus monachi, et lib. 3.cap. 14. Meminit habitus sanctimonialis; denique Cassianus totum primum librum de institutis coenobiorum consumit, in explicando habitu monachorum, docens eos praescriptum habitum professioni congruentem a majoribus accepisse. Adde duo concilia; nam gangrense can. 12. reprehendit eos monachos, qui ob habitum superbiebant, et contemnebant alios Christianos, qui communibus vestibus utebantur. Concilium carthaginens. IV. can. 104. distinguit habitum laicalem ab habitu religioso. De habitu elericorum, vide Chrysost. homil. 83. in Matth. et Hieronym. lib. 1. contra Pelagianos, ubi meminerunt candidae vestis. Item Hieronymus in Epitaphio Nepotiani, ubi meminit sacrae tunicae, qua utimur in mysterio Christi.

Jam quod attinet ad rationem habitus monastici ea redditur ab iisdem Patribus: Nam cur vestem mutet monachus futurus, rationem esse dicit Dionysius, cap. 6. Eccles. hierarch. ut significetur vitae mutatio. Cur proprio, et certo utantur religiosi vestium genere, rationes duas reddit Basilius quaest. 22. ex diffuse explicatis. Prima ratio est ad designandam propriam professionem. Si enim convenit, ut aliter vestiantur senatores, aliter milites, aliter nobiles, aliter rustici, et si Paulus 1. Corinth.11.jubet virum aperto capite orare ad significandam potestatem, mulierem vero velato ad significandam subjectionem. Cur non conveniet religioso certam vestem deferre ad significandum statum suum? Secunda ratio est, ut religiosi saltem inviti cogantur recte vivere. Si non haberent certum habitum, non internoscerentur ab aliis: At nunc ab omnibus statim cognoscuulur et observantur, et si quid agant contra suam professionem, ab omnibus notantur et reprehenduntur.

Cur utantur cucullis, rationem esse dicit Cassianus loco notato, ad designandam simplicitatem, innocentiamque infantilem, ad quam monachi redire cupiunt. Infantes enim dum adhue in fasciis et sinu nutricis versantur, velis quibusdam quasi cucullis teguntur. Cur autem veste horrida, ut sacco, aut certe simplici et vili utantur, caussam reddunt Hieronymus et Cassianus locis notatis; tum ad agendam poenitentiam, tum ad mundi contemptum demonstrandum. Nam saccos et asperas vestes, habitum esse poenitentium Scriptura testatur, cum inducit Achab poenitentem sacco indu-tum 3. Regum cap. 21. et Heliam veste pilosa te-ctum, 4. Regum 1. et Ninivitas sacco vestilos, Jonae 3. et Joannem pilis camelorum ulentem, Matth. 3. et denique multos alios: Circumeuntes in melotis, et in pellibus caprinis, Hebr. 11.

Quia tamen potest quis et bene, et male uti veste inusitata, idest, insigniter contempta, vel horrida, monet sapienter b. Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 19. ut ex sola veste neminem judicemus, sed ex aliis ejus operibus discamus, utrum id faciat contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua et simulatione sanctitatis. Potest enim sub ovina pelle lupus latere, nec tamen debet ovis deponere pellem suam, quia sub ea aliquando lupus delitescit.

Nunc ad tonsurae antiquitatem ostendendam, habemus in primis Dionysium eodem cap. 6. Eccles. hierarch. ubi clare dicit, monachum futurum primum tonderi. Deinde, indui alia veste, priore abjecta. Habemus deinde Anicetum in epistola ad Gallos, ubi jubet radi caput in modum

sphaerae.

Tertio, Athanasium in lib.de virginit. Palladium in hist. Lausiaca cap. 41. et Hieron. in epist. ad Sabinianum diaconum, qui testantur etiam sanctimoniales tenderi consuevisse.

Quarto, Epihanium haeres. 80. et Augustinum de opere monachorum cap. ult. qui acriter reprehendunt quosdam monachos crinitos, qui tonderi more aliorum nolebant.

Quinto, Hieronymum et Augustinum qui coronac sacerdotalis meminerunt. Hieronymus in epistola ad Augustinum, quae est 26. inter epist. Augustini: Fratres tuos Dominum meum Alipium,
et Dominum meum Evodium, ut meo nomine
salutes precor coronam tuam. Augustinus in epistola ad Proclinianum episcopum 147. Per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam
ves tram vos adjurant nostri etc.

Sexto, Isidorum lib. 2. de offic. divinis cap. 4. et Bedam lib. 5. hist. Anglorum cap. 22. quorum prior ab apostolis dicit institutam esse tonsuram et coronam clericorum et monachorum; posterior dicit s. Petrum omnium primum gestasse coronam capillorum, toto reliquo capite detonso, et ad ejus imitationem omnes clericos et monachos idem suscepisse.

Septimo, Justinianum, qui in authenticis collat. 7. tit. 5. cap. 2. et 3. distinguit tonsuram monachorum novitiorum, quam laicorum tonsuram vo-

cat, a tonsura professorum.

Octavo, concilia; Nam concilium carthaginens. IV. can. 44. prohibet clericos alere comam aut barbam. Concil. tolet. IV. can. 40. jubet, ut omnes clerici toto capite detonso, solum circulum capitlorum supra aures relinquant. Ex quo apparet, olim eandem suisse coronam clericorum et monachorum: sed monachi quidem servarunt antiquam consuetudinem, clerici vero magna ex parte illam mutaverunt.

Ut autem ad rationem tonsurae veniamus. Primum, falsa est Calvini ratio; Nam quod tempore Augustini non solum aliqui dissoluti comam gestarent, sed multi alii probi homines, idque sine peccato facerent, ex eo patet, quod poenitentes jubebantur tondere caput in signum doloris et poenitentiae, ut patet ex concil. agathensi can. 11. et toletano III. can. 12. et praeterea non solum clerici et monachi tondebantur, sed ita tondebantur,

ut corona capillorum appareret, quod certe non erat in communi usu laicorum.

Alia ratio redditur ab Isidoro lib. 2. de officiis divinis cap. 4. quod nimirum monachi tondebantur ad imitationem Nazaraeorum, qui in die consecrationis suae tondebantur, ut dicitur Num. 6. Nazaraci enim sunt monachi Testamenti veteris. At haec ratio non mihi probatur, siquidem Nazaraei tunc solum tondebantur, cum desinebant esse Nazaraei, insigneque illorum erat longa caesaries, ut ex eodem cap. 6. Numeri patet. Immo Epiphanius haeres. 80. probat monaches nostros debere esse tonsos, quia gerere comam longam, est proprium Nazaraeorum Testamenti veteris. Sicut etiam Augustinus lib. de opere monachorum, prope finem dicit, Patres Testamenti veteris merito gestasse longos capillos, quia mysteria redemptionis nondum revelata erant. Idem enim significabant velamen positum in facie Moysis, et coma longa sanctorum. At nunc postea quam Christus apparuit, convenit, ut qui Christo sont consecrati, contrarium significent ablatione comarum, et haec potest esse ratio prima nostrae tonsurae.

Secundam reddit Beda lib. 5. hist. cap. 22. ad exprimendam imaginem spineae coronae Christi; ut enim omnes Christiani signo communi crucis ornantur, ita par erat, ut clerici et monachi, qui specialius Christum patientem imitari vellent, spe-

ciali signo ornarentur.

Terliam et quartam rationem reddunt Isidorus lib. 2. cap. 4. de officiis divinis, Rabanus lib. 1. de instit. clericorum cap. 3. et Hugo lib. 2. de Sacramentis part. 3. cap. 1. dicunt enim tonderi capillos, qui sunt superfluae quaedam corporis partes ad significandum, debere clericos et monachos omnia superflua, et praecipue vitiosas cupiditates amputare, ut sic maneat vertex, idest, animus liber et apertus divinis contemplationibus et illustrationibus. Et rursum sic tonderi dicunt, ut relinquatur circulus capillorum, ad significandam regiam coronam, quandoquidem servire Deo, regnare est.

Quintam reddit Dionysius cap. 6. Eccles. hierarch. ut significetur illa nudatione capitis, vita pura et aperta, non fucata ulla specie, quam mo-

nachus exhibere debet.

Posset addi sexta ratio tonsurae monachorum, nimirum ut signum esset poenitentiae et conversionis: Nam ut ante diximus, poenitentes olim nonnisi tonsi recipiebantur. Porro tonsurae sanctimonialium rationem moralem reddit Hieronymus in epist. ad Sabinianum, quia nimirum non lavabant unquam, nec ungebant caput, et periculum erat, ne a parvis animalibus, quae inter cutem et crines oriuntur, et concretis sordibus opprimerentur. Quamquam negari non potest, quin etiam id flat ad contemptum mundi demonstrandum; solent enim foeminae capillos plurimi facere.

Est autem hoe loco observandum, olim non tam rasuram, quam tonsuram fuisse in usu. Tondebantur enim demisse quidem, sed ita tamen, ut cutis tecta maneret. Id apparet ex Clemente alexandrino lib. 3. Paedag. cap. 11. Sed pili, inquit,

tondendi sunt, non novacula, sed tonsorum forficibus. Idem ex Optato milevitano, qui lib. contra Parmenianum arguit Donatistas, quod catholicis sacerdotibus, per vim capita rascrint: Docete, inquit, ubi vobis mandatum sil, radere capita sacerdotibus, cum e contrario tol sint exempla proposita. fieri non debere. Item ex Hieronymo in cap. 44. Ezechielis, ubi dicit, sacerdotes non debere comam alere, nec tamen radi, sed ita tonderi, ut cutis tecta maneat. Denique Dionysius, Epiphanius, Hieronymus, Athanasius, Palladius, Augustinus, Isidorus, Beda. et concilia carthaginense et toletanum nusquam nominant rasuram, sed solam tonsuram. Unus est Anicetus papa, qui, ut dixi, rasurae meminit, sed non est ea epistola prorsus indubitata, forte enim falsum titulum praesefert. Nec tamen propterea reprehendimus usum hujus temporis, quo monachi et clerici raduntur; Nam nec unquam fuit prohibitum radi, et praeterea eiusmodi caeremoniae, pro temporum et locorum diversitate, variari possunt.

Ad argumenta Hortensii respondemus: In primis praecepta illa esse caeremonialia, et propterea non magis obligare, quam obligent circumcisio, sacrificia etc. Dico praeterea primum et secundum locum ex Levit. 19. et Hierem. 9. nihil concludere; nam ut recte notavit Isichius in hunc locum, tondere comam in rotundum, non est comam scindere, sed ornare. Itaque prohibebat Deus Judaeis, ne comam rotundam efficerent; quod certe monachi non faciunt, qui comam radunt, uno circulo capillorum excepto. Neque hoc Deus absolute prohibebat, sed solum propter intentionem malam, nimirum ne hoc facerent in cultum daemonis, ut eo tempore et in iis locis gentiles faciebant, ut notant Theodoretus quaest. 28. in Leviticum, et Isi-

chius, ac Radulphus in hunc locum.

Ad tertium Levit. 21. dico, ibi non praecipi sacerdoti, ne radat caput absolute, sed ne radat in morte alicujus propinqui sui, in signum doloris. Voluit enim Deus sacerdotes esse caeteris constantiores.

Ad quartum Ezech. 44. díco, sacerdotibus Judaeorum fuisse prohibitam rasuram, non quod in se mala sit, sed ne viderentur similes sacerdotibus gentilium, in quorum vicinia habitabant, qui toto capite raso idolis sacrificabant, ut ex epist. Hieremiae apparet. Quod ex se non esset malum, patet, quia Ezechiel, qui sacerdos erat, jubetur a Deo radi. Ezechel. 5. et practerea Num. 6. Nazaraeus completo tempore consecrationis suae jubetur radi. Unde Paulo dicit Jacobus actor. 21. Sunt nobis viri quatuor, habentes votum super se, his ergo assumptis sanctifica te cum illis, et radant capita sua. Solum ergo propter viciniam idololatrarum prohibebantur sacerdotes Judaeorum radi. Quae forte caussa erat, cur Optati, Hieronymi et Ambrosii tempore christiani sacerdotes non raderentur, sed tonderentur: Nam adhuc ipsorum tempore erant secerdotes Isidis, qui caput radebant, ut Ambrosius epist. 36. et Hieronymus in cap. 44. Ezechielis testantur. Posteaquam autem illa caussa cessavit, nihil absurdi faciunt, qui ad aliquid sacrum significandum caput radunt.

Ad ultimum dico, Hieremiam non ridere illos sacerdotes, quia radebant caput et barbam, sed quia faciebant in honorem Deorum ligneorum, qui non poterant remunerari cultores suos.

#### CAPUT XLI.

Licere monachis manibus laborare.

Restat postremo disputatio de ratione vivendi, sive de opere corporali monachorum. Sunt autem quatuor modi vivendi apud homines religiosos. Vel enim vivunt ex labore proprio, vendentes aliquid et ementes aliud: vel vivunt ex bonis suis communibus, idest, ex bonis quae religiosi ipsi ad monasterium adferunt, et in commune constituunt: vel ex bonis relictis ac donatis a piis viris, vel ex mendicatione.

De singulis dicendum est. Ac primum, de primo duo fuerunt extremi errores. Unus eorum, qui dicebant non licere religiosis operari et laborare pro victu, sed debere eos confidere in Dei providentia, et vivere ex alienis laboribus; hujus erroris fuerunt Messaliani, sive Euchitae, apud Epiphanium haeres. 80. et rursus quidam apud Carthaginem, teste August. lib. 2. retract. cap. 21.

Alter error fuit Gulielmi de sancto Amore, et postea Joann. Wicleff apud Thomam Waldensem lib. 4. doctr. fidei antiquae art. 2. cap. 22. et Joan. Calvini lib. 4. instit. cap. 13. § 10. qui docent teneri monachos ex proprio labore vivere, quamquam Gulielmus non omnes religiosos obligabat ad laborandum manibus, sed cos solum qui non habent bona stabilia in communi. Primus error natus est ex duobus locis Scripturae male intellectis, nimirum Matth. 6. Nolite solliciti esse animae vestrae dicentes, quid manducabimus etc. El Joan. 6. Operamini non cibum qui peril, sed qui permanet in vitam aeternam. Refellit hunc errorem August. in lib. de opere monachorum, ex verbis apostoli 2. Thessalonic. 2. ubi et se laborasse, et operatum dicit, ne quemquam gravaret, et alios monet, ut operentur et laborent.

Quia vero respondebant haeretici illi, b. Paulum loqui de opere spirituali, idest, de oratione et exhortatione; notanda sunt alia loca, ubi expresse ponitur labor manuum, Actor. 20. Ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae. Ad Ephes. 4. Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis. 1. Thessal. 4. Operamini manibus vestris. Ad haec, ut acute notavit Augustin. idem apostolus 1. Cor. 9. dicit se operatum, cum tamen liceret sibi secundum Domini ordinationem non operari. At certe non licebat ei socundum Domini ordinationem non concionari et non orare. Ait enim: Si non evangelizavero, vae mihi, etc. Loquitur igitur de corporali labore,

cum dicit se laborasse, cum tamen non tene-

Ad verba illa Domini contra citata, respondeo: Non prohiberi illis verbis moderatam sollicitudinem quaerendi cibum proprio labore, sed immoderatam et superfluam. Potest autem tribus modis esse immoderata sollicitudo. Primo, ratione finis, ut si quis quaerat cibum praecipua intentione, quasi sit ille ultimus finis, ut faciunt qui evangelizant, ut comedant; cum deberent comedere, ut evangelizent. Atque hoc reprehendit Dominus Matth. 6. cum ait: Primum quaerite regnum Dei etc. Et Joan. 6. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam; idest, primaria intentione quaerite cibum spiritualem, secundaria corporalem.

Secundo, ratione diffidentiae immoderata est sollicitudo, ut cum quis adeo sollicitus est de rebus temporalibus, ut vix possit credere sibi Beum adfuturum in illis acquirendis, etiamsi adhibeat ipse quoque suum laborem. Et hoe reprehendit Dominus cum ait Matth. 6. Nolite solliciti esse etc. vult enim persuadere fidelibus confidentiam in Deum; Et sane persuadet efficacissimis argumentis; Nam si Beus, inquit, pascit aves, et vestit lilia, quae eum non norunt, immo etiam providet gentilibus, qui eum blasphemant, quomodo vobis cultoribus suis poterit deesse? Et si vobis corpus et animum donavit, quae majora sunt; quomodo credibile est non daturum cibum et vestes quae sunt minora?

Tertio, immoderata est sollicitudo ratione temporis, ut cum quis hodie sollicitus est pro ea re, pro qua satis tempestive cras inciperet sollicitus esse et hoc reprehendit Dominus cum ait ibidem: Nolite solliciti esse de crastino. Sufficit diei malitia sua. Ubi notandum, non reprehendi providentiam parandi necessaria pro tempore futuro, alioqui peccasset Joseph Genes. 41. qui recondidit frumenta pro futura sterilitate: etiam Dominus ipse habebat loculos, ut emeret cibos, Joan. 13. Itaque vocatur sollicitudo de crastino, et mala est illa, quae non convenit praesenti tempori secundum rectam rationem.

### CAPUT XLII.

Non teneri monachos ad laborem manuum.

Secundus error tria affert praecipua fundamenta. Unum ex apostolo, qui Ephes. 4. 1. Thessal. 4. et 2. Thessalon. 3. praecipit Christianis, ut ex labore manuum victum quaerant; ex quibus locis tale argumentum duci potest: vel ista verba b. Pauli continent praeceptum necessitatis, vel consilium perfectionis, si primum, ergo tenentur laborare ctiam religiosi; si secundum, ergo tenentur saltem religiosi, illorum enim est viam perfectionis el consiliorum tenere.

Secundum fundamentum est ex Augustine, qui in lib. de opere monachorum dicit, religiosos teneri ad hoc apostoli praeceptum implendum, nec excusari per occupationes spirituales. Sic enim ait cap. 17. Quid, inquit, agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent scire desidero. Orationibus, inquiunt, et psalmis, et lectioni, et verbo Dei. Sancia plane vita, et in Christi suavitate laudabilis: sed si ab his avocandi non sumus, nec manducandum est, nec ipsae escae quotidie praeparandae, ul possint apponi el assumi. Si autem ad ista vocare servus Dei certis intervallis temporis ipsius infirmitatis humanae necessitas cogit, cur non et apostolicis praeceptis observandis aliquas partes temporum deputamus? Citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris.

Tertium fundamentum est ex consueludine omnium antiquarum religionum: Nam Epiphanius haereses 80. Hieronym. epist. 4. ad Rusticum, Aug. lib. 1. de moribus Eceles. cap. 31. Cassian. lib. 2. cap. 3. et lib. 3. cap. 2. de institutis coenobiorum, docent omnia monasteria bene instituta, secundum apostoli legem manibus labo-

rare.

His non obstantibus, respondemus cum b. Thoma in opusculo 19. et in 2. 2. quaest. 187. art. 3. et b. Bonaventura in lib. de paupertate Christi, et in apologia pauperum: ad victum labore manuum quaerendum non magis teneri monachos, quam saeculares, et probatur primo, vel laborare manibus est praeceptum, vel consilium. Si primum, omnes obligat, tam saeculares, quam religiosos. Praecepta enim dantur omnibus; omnibus enim dicitur: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Si secundum, ergo nemo tenetur laborare manibus, nisi qui sponte ad hujus consilii observationem se obligaverit; talis enim est natura omnium consiliorum: Ergo religiosi qui id consilium non receperunt, non tenentur manibus laborare. Non enim tenentur religiosi ad omnia consilia, sed solum ad illa, quae sponte suscipiunt.

Secundo, si tenerentur religiosi laborare manibus magis quam saeculares, aut id esset ex praecepto naturali, aut ex positivo: neutrum autem dici potest; quod enim non ex positivo, patet; quia nullum tale exstat:quod non ex naturali,probatur.Nam praeceptum de laborando, ut est naturale, dupliciter obligat, uno modo absolute, alio modo in certo casu.Primo modo non obligat singulos, sed rempublicam, ut patet, debent enim in ea alii esse opifices, alii agricolae, alii medici, alii judices etc. et ex hac parte non convenit religiosis laborare manibus, illi enim officium habent in republica orandi et psallendi et similia faciendi. Secundo modo tenentur quidem singuli hoc praecepto, sed non minus saeculares, quam religiosi; nam omnes casus, in quibus obligantur singuli laborare manibus, non minus, accidere possunt saecularibus, quam religiosis; verbi gratia, unus et praecipuus casus est, si quis nihil habeat unde vivat, nec possit licite habere, nisi operando. Alius casus est, si quis tensatur providere alteri de cibo, et non possit licite eum invenire nisi operando. Tertius est, si quis non possit otium

fugere, vel tentationes carnales superard, nisi operando corporaliter. At omnes tam religiosi, quam saeculares tenentur providere, ne moriantur fame et olium fugere, ac superare tentationes. Omnes igitur tenentur eodem modo laborare.

Tertio probatur ex illis ipsis argumentis, quae contra nos proferuntur. Nam in primis apostolus, in illis locis non scribit monachis, sed saecularibus ut patet, et praecipue juxta opinionem adversariorum, qui docent nondum illo tempore coepisse religiones. Deinde apostolus in illis locis numquam praecipit operari absolute, sed solum ad evitandum furtum, vel scandalum, vel otium: Nam Ephes. 4. ait: Qui furabatur, jam non furelur, magis autem laboret operando manibus suis. Et 1. Thessal. 4. posteaquam dixerat, ut operarentur, subjungit rationem: Ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. Übi illud, desideretis, non significat concupiscatis, sed careatis. Sic enim est in graeco xxi μηδενός χρείαν έχητε, idest, et nullius indigentiam habeatis. Scandalizabantur enim infideles, cum videbant Christianos, ex alienis bonis velle vivere. Et 2. Thess. 3. postquam dixerat: Qui non laborat, non manducet. Subdit: Audivimus enim quosdam inter vos inquietos esse, nihil operantes. sed curiose agentes. Qui ergo possunt furtum evitare et scandalum et otium, alio medo quam corporaliter operando, eos Paulus non obligat corporaliter operari.

Jam vero b. Augustinus in illo lib. de opere monachorum, solum obligat ad operandum manibus illos, qui antequam religiosi flerent, ex labore manuum vivebant, et nunc idem facere possunt, sine impedimento majoris boni, et tamen ex olio et pigritia nolunt; Nam cap. 21. excipit religiosos. qui ecclesiastica ministeria exercent, quales sunt hoc tempore omnes mendicantes. Sic enim ait: Si evangelistae, inquit. sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, bene sibi istam non arrogant, sed plane vendicant potestatem, nimirum vivendi ex facultatibus potestatem.

puli.

Dices, potestas petendi sumptus a populo, non est data nisi ordinariis pastoribus: alioqui possent religiosi accipere decimas, quod est falsum, et contra canones multos, ut ex Clementina prima de

decimis perspicuum est.

Respondeo: Quidquid de hoc sit, quod postea videbimus, satis nobis est, quod Augustinus hoc dicat, de cujus sententia disputamus. Et praeterea sive religiosi praedicantes et sacramenta ministrantes, possint, ex justitia sumptus petere, sive non possint, satis est quod licite possint petere saltem ex charitate, et accipere corporalia; sicut ipsi ex charitate ministrant spiritualia, et populus accipit. Adde etiam, quod religiosi hujusmodi recte dici possunt operari manibus suis. Operari enim manibus est operari corporaliter, sive id fiat manibus, sive pedibus, sive lingua, sive alio modo: Apellatur autem opus corporale, opus manuum, quia manus est instrumentum praecipuum, quo operamur. Unde etiam aurigae, et nautae, et cursores, et vi-

giles dicuntur operari manibus, quia corporaliter exercentur, licet non minus pedibus quam manibus in suo opere utantur. Qui ergo canunt in choro, publice concionantur, docent, confessiones audiunt, plane manibus laborare dici possunt.

Itaque soli contemplativi, qui sibi ipsis vacant, manibus non laborant. Inter illos autem excipit Augustinus ab obligatione laborandi illos omnes, qui in saeculo diviles fuerunt, et bona sua pauperibus dederunt. Illis enim debet Ecclesia victum et vestilum, quandoquidem omnia sua ipsi Ecclesiae in ejus pauperibus dederunt. Sic enim ait de istis loquens cap. 25. Si et ipsi, inquit, aliquid manibus operentur, ut pigris ex vita humiliore, ct ab hac exercitatione venientibus auferant excusationem, multo misericordius agunt . quam cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod quidem si nolunt, quis audeat cogere? et c. 21. tales multos fuisse dicit in Hierusalem, qui quoniam omnia sua pauperibus dederant, quando tempore famis egebant, non sunt coacti operari manibus, sed eorum inopia eleemosynis Graecorum sustentata est Act. 11. Soli ergo remanent illi religiosi, qui in saeculo vivebant ex opificio, et in religione sibi solis vacant, non populo. Hos Au-gust. obligat ad laborandum.

Sed nec istos obligat absolute, sed solum quando, si operentur, non impedientur a majori bono, et si non operentur perniciose otiosi erunt. Nam si aliquis talis possit perpetuo orare, aut legere, et velit id facere, et inveniat qui cum in tali opere versantem gratis alat, cur non poterit id facere? Nam hoc modo vixit per triennium b. Benedictus, ut Gregorius testatur lib. 1. dialog. c. 1. et tota vita sua b. Alexius, ut in ejus vita scribit Si-

meon metaphrastes. Unde Augustinus cap. 17. ejusdem libri, ubi dicit monachos non debere excusari ab opere manuum per orationem, psalmodiam, lectionem et verbum Dei, clarissime indicat se loqui non de oratione assidua, nec de continua et publica psalmodia, lectione, concione, quae totum hominem occupant, sed oratione, psalmodia, lectione et exhortatione privata et rara, quae multum ôlii relinquant. Et c. 21. dicit se reprehendere illos monachos, qui ex conditione servili ad monasterium veniunt, ut vitam inopem et laboriosam fugiant, et vacui pascantur ac vestiantur, et insuper honorentur, ab iis, a quibus contemni conterique consueverant. De quibus etiam dicit cap. 25. Nullo modo decet, ul in ea vita, ubi funt senatores laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, et quo veniunt relictis deliciis suis, qui fuerant praediorum Domini, ibi sint rustici delicati. Et cap. 28. ail:

tam regnum Dei quaerere.

Ad argumentum tertium de consuetudine antiquorum monasteriorum dico, monachos illos fuisse obligatos operari manibus ex propriis regulis suis. Cur autem ejusmodi regulam constituerint, caussa est duplex. Una, quia non poterant aliter sustentari, nam nec habebant praedia et possessiones

Ostendite, inquit, hominibus non vos in otio fa-

cilem victum, sed per angustam et arctam por-

sibi relictas, ut nunc habent multi monachi, et eleemosynas a populo petere, nec audebant, com populo non servirent, nec ullo modo id suffecisset: Nam uno in loco, sub uno abbate degebant terna ut minimum hominum millia, ut Augustinus refert lib. 1. de moribus Ecclesiae cap. 31.

Altera ratio est, quia illi monachi cum non essent clerici, sed laici omnes, excepto abbate, non erant satis occupati, et ideo ad fugiendum otium necessarium erat illis laborare. Hieronymus in epistol. ad Rusticum: Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis lubore suscipiant, non tam propler victus necessitatem, quam propter animae salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens etc. Nec tamen absolute est verum omnes antiquos religiosos manibus laborasse. Sic enim scribit de monasterio s. Martini Sulpitius in vita s. Martini cap. 7. Nemo ibi quidquam proprium habebat; omnia in medio conferebantur. Non emere, aut vendere, ut plerisque monachis moris est, quidquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur. Cui tamen operi minor aetas deputabatur: majores orationi vacabant. Haec ille. Ubi vides solos juniores laborasse manibus, eosque non ad victum quaerendum (nam nihil eis vendere licebat, sed vivebant ex bonis, quae attulerant) sed ad otium fugiendum. Sed neo primi monachi sub apostolis in Hierusalem, aut in Aegypto operabantur manibus, ut patet actor. 3. et 4. et ex lib. Philonis de vita contemplativa.

### CAPUT XLIII.

Licitum esse monachis vivere ex bonis patrimonialibus in communi.

De secundo modo vivendi nulla potest esse dubitatio; nam in primis talis fuit vita primorum religiosorum sub apostolis cap. 4. Act. unusquisque enim adferebat pretia suarum rerum apostolis, et inde dividebatur enique, sicut cuique opus erat. Deinde talis etiam fuil usus antiquorum monasteriorum, ut reciperent, si quid ii in commune dare volebant, qui monachi flebant, ut patet ex Augustino, in epist. 109. ad sanctimoniales, ubi sic ait: Quae aliquid habebant in sacculo, quando in-gressae sunt monasterium, libenter velint illud esse commune. Item serm. 2. de communi vita clericorum: Vivunt, inquit, nobiscum in societate communi, et nemo eos distinguit ab eis, qui aliquid attulerunt. Et lib. de opere monachorum cap. 25. ideo dicit, divites non teneri ad opus manuum, quia monasterio sua bona contulerunt.

B. Benedictus, ut in vita s. Placidi legitur: Bona. quae fuerant monachorum suorum, non sinebat alio derivari, quam ad sua monasteria, ut in-

de multos Dei servos alere posset. B. Bernardus epist. 1. ad Robertum: Ostenditur, inquit, terra, quae cum illo, et pro illo dicitur data

fuisse.

Denique hinc natae sunt illae leges Justiniani, in Authenticis coll. 1. const. 5. § illud quoque, et coll. 9. const. 15. § Si qua mulier. In quibus statuitur, bona eorum, qui monachi flunt, eo ipso ad monasteria, quae illi ingrediuntur, pertinere. Quamquam hoc tempore multae religiones huic privilegio renunciarunt.

### CAPUT XLIV.

Licitum esse monachis vivere ex rebus sponte oblatis et donatis.

De Tertio modo nulla quaestio esse deberet, nam b. Augustinus in psalm. 103. conc. 3.explicans illud: Čedri, quas plantavit, illic passeres nidificabunt; dicit cedros esse homines potentes et divites; passeres autem esse religiosos pauperes:nidificare vero passeres in cedris, significare, quod religiosorum monasteria a divitibus hujus saeculi eriguntur et sustentantur: Cedri Libani, inquit, nobiles et divites, excelsi hujus saeculi, quando cum timore audiunt: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, atlendûnt res suas, villas suas, et omnes superfluas copias, quibus videntur excelsi, et praebent illas servis Dei, dant hortos, aedificant Ecclesias, monasteria, colligunt passeres, ut in cedris Libani nidificent. Hieronymos in epist. 27. ad Eustochium de obitu Paulae, laudat sanctam Paulam, quod ex rebus suis quatuor monasteria aedificasset et sustentasset, unum monachorum et tria sacrarum virginum. Gregorius papa, ut lib. 1. cap. 5.et 6. vitae ejus scribit Joan. Diaconus ex patrimonio suo septem monasteria erexit, et singulis praedia, et possessiones attribuit, sex in Sicilia, unum Romae. Similia exempla Caroli Magni, Caroli IV. Henrici II. et aliorum optimorum principum, plurima adferri possent.

### CAPUT XLV.

Licere monachis ex mendications vivere.

De Quarto praecipua est difficultas. Oppugnaverunt enim acerrime ordines mendicantium. Primo, Gulielmus de sancto Amore apud Antoninum part. 4. tit. 11. cap. 7. § 5. summae theologicae. Secundo, Desiderius Longobardus apud beatum Thomam in opusculo 19. Tertio, Gyraldus de Abbatis vide apud Bonavent. initio apologiae paupe-

rum, Quarto, Joannes Wiclef apud Waldensem lib.
4. art. 2. doctrinalis fidei. Quinto, Richardus episcopus Armacanus serm. 4. Ultimo, Lutherus artic. ult. et Brentius in Confess. Wirtemberg. cap. de votis monasticis, qui omnes docent, esse extra statum salutis eos, qui redigunt seipsos sponte ad mendicitatem, tum quod exponunt se evidenti periculo moriendi fame, tum quod non liceat eis, nisi forte aegrotent, eleemosynas petere, quae debentur solum iis, qui seipsos juvare nequeunt, tum denique quod lex divina et humana reprehendat, et prohibeat voluntariam mendicitatem.

At nihilominus vitam religiosorum mendicantium tamquam sanctam et perfectam approbarunt multi summi pontifices; et Innocentius III. teste Bonavent. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV.et Nicolaus IV.ut refert Joannes XXII. in Extravaganti, Quia quorundam, de verborum significatione, necnon concilium lugdunense generale, ut refert Nicolaus IV. c. Exit, de verborum significatione in 6. et constantiense, sessione 8.

Recle autem fuisse hanc vitam approbatam, ostendimus sequentibus rationibus. Primo, exemplo Domini; nam Dominus non habuit possessiones, neque proprias, neque communes, ut patet ex illo Luc. 9. Vulpes foveas habent, et volucres cocli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Et quod non operaretur manibus, sed ex eleemosynis fidelium vixerit, patet ex illo Lucae 6. Mulieres aliquae ministrabant ei de facultatibus suis. Item ex tota ejus vita, siquidem natus est in domo aliena, vixit in domibus et ex rebus alienis; nunc enim prandebat apud Martham, nunc apud Simonem leprosum, nunc apud Zachacum, nunc in domo Petri, nunc in domo Mat-thaei; equitavit in jumento alieno; fecit ultimam coenam in domo aliena; sepultus est in sepulchro alieno. Unde psalm. 39. dicit: Ego autem mendicus sum et pauper. Et psalm. 108. Quia persequutus est hominem inopem et mendicum. Quibus in lucis est vox 7775K quae habetur etiam Deuteron. 15. ubi dicitur: Non erit in te mendicus. Quem locum pro se adferunt, qui dicunt, illicitam esse mendicitatem. Et certum est utrumque psalmum de Christo intelligi; nam priorem allegat Paulus ad Hebraeos 9. de Christo: In capite libri scriptum est de me etc. Et posteriorem allegat Petrus, actor. 1. Scriptum est enim in libro psalmorum, episcopatum ejus accipiat alter etc. Item 2. Corinth. 8. Propter vos egenus factus est, cum esset dives. Graece ἐπτώγευσε, significat enim πτωχένω, mendicare, unde apud Homerum Odiss. 17. δαίτα πτωχευείν, prandium mendicare.

Ad hoc respondet Armacanus, Christum fuisse pauperem, sed non mendicum, et pauperem non amore paupertatis, sed quia restrictio dominii ejus id exigebat. Dicit enim Christum successisse Adamo in dominio originali, cui repugnabat tam habere proprium, quem mendicare; Adamus enim in statu innocentiae fuit dominus omnium bonorum terrenorum, sed ita tamen, ut non posset ac-

cipere in usum suum, nisi necessaria, nec sibi aliquid appropriare; divisio enim nata est post peccatum. Itaque in statu innocentiae non fuissent propriae divitiae, nec tamen fuissent ulli egeni, vel mendici. Quoniam ergo Christus natus est cum justitia originali, habuit etiam tale dominium, quale Adam, et ideo repugnabat illi habere, proprium et simul repugnabat mendicare: cum omnia essent sua, quantum ad usum, tamen fuit restrictum dominium ejus, quia debuit esse sub lege; et sic fuit pauper, quia non potuit uti suo naturali dominio, obstante lege civili.

Haec omnia sunt contra apertas Scripturas. Et primum quod Christus vere fuerit mendicus, et caruerit non solum usu, sed etiam dominio temporali rerum terrenarum, patet, quia dominium illud originale in bona communia, periit per divisionem rerum juste introductam. Nec Dominus accepit dominium politicum more humano, licet dominium divinum semper habuerit. Itaque fuit vere mendicus, ut psalmis, et ex apostolo ostendimus. Fuit etiam vere Dominus, saltem in communi cum suis discipulis, eorum bonorum, quae illi ut mendico donabantur. Quod enim Christus acceperit dominium civile et proprietatem, saltem in communi cum apostolis, earum pecuniarum, quae sibi do-nabantur, patet ex Joan. 12. ubi dicitur Judas fur, quia usurpabat sibi pecunias loculorum Christi. At si Christus non habebat proprietatem, nec dominium civile, non erat furtum illud Judae; nam per solum dominium naturale non magis pertinebant ad Christum illae pecuniae, quam aliae res

Denique, quod Christus amore paupertatis, et non ex restrictione dominii fuerit mendicus, planum est; Nam quis illum coegit fieri sub lege? Nonne sponte id ipse elegit? Quod certe poterat non eligere, si odisset paupertatem. Praeterea etiam existens sub lege, nonne poterat facile ditescere si voluisset? Nonne turbae illum regem facere voluerunt? Cur ergo non habuit, ubi caput reclinaret, et sponte non habuit, si non amabat paupertatem? Denique cur Paulus 2. Cor. 8. vocat istam gratiam Domini, si non ex amore, sed ex necessitate fuit egenus?

Dicit Secundo Armacanus: Si Christus mendicasset, non propterea licere nobis mendicare. Esset enim hoc ponendum inter opera admiranda, non imitanda, sicut quod jejunaverit 40. diebus sine ullo cibo. At mendicare, sine ullo miraculo fleri potest, ut experientia docet; jejunare autem sine omni cibo, non potest sine miraculo. Ad haec, non consuluit Christus, ut se imitaremur jejunando sine omni cibo, consuluit autem ut se imitaremur mendicando, cum ait Matthaei 19. Si vis perfectus esse, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et sequere me.

Secundo probatur, exemplo apostolorum; nam illi omnia dimiserunt, Matth. 19. Ecce nos retiquimus omnia. Nec habuerunt possessiones in communi, ut patet Matthaei 18. Nolite possidere aurum, neque argentum in zonis, nec duas tuni-

cas etc. Nec operabantur manibus, sed vivebant ex liberalitate eorum, quibus praedicabant, ut patet ex eodem capite 10. Matthaei, et 1. Corinth. 9. Talis autem est vita mendicantium. Unde sanctus Franciscus, qui cum sancto Dominico primus auctor fuit hujus instituti, pro regula suscepit decimum caput Matthaei.

Ad hoc respondent: Primo, vitam illam apostolorum fuisse a Christo institutam ad tempus tafitum, nimirum dum in Judaea praedicabat ante suam passionem; nam Lucae 22. Dominus revocavit ista praecepta, dicens: Quando misi vos sine sacculo et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? sed nunc qui habet sacculum tollat similiter et peram. Unde et loculos cum pecuniis habait extremo tempore, ut patet Joan. 12. et 13. ex quo apparet, jam tunc abrogasse quae dixerat Matth. 10. Nolite possidere aurum etc. Secundo objiciunt, hoc fuisse praeceptum, non consilium evangelicum, proinde non perlinere ad mendi-cantes, qui se dicunt consilium sequi. Terlio, apostoli ex Domini ordinatione ex justitia petebant a populo victum, ut patet ex illo Matth. 10. Dignus est operarius mercede sua. El ex 1. Corinth. 9. Quis militat suis stipendiis unquam? ergo non mendicabant. At nostri mendicantes non petunt, nec petere possunt victum ex justitia.

Ad Primum respondeo: Sive ad tempus sive non ad tempus vitam illam Christus instituerit, inde rectissime colligi, esse licitam, et sanctam, et imilatione dignissimam eam vitam, nisi forte Christus ad tempus vitam illicitam instituerit. Praeterea non est verum, Christum revocasse unquam illam institutionem quoad modum vivendi: revocavit quidem id quod dixerat: In viam gentium ne abierilis. At illa documenta de non possidendis pecuniis in zona etc. numquam revocavit, ut patet ex 1. Cor. 9. Quando autem ait Lucae 22. Nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram etc. non jubet ut hoc faciant, sed praedicit illis, tempore passionis suae futuros eos in tali timore et perturbatione, in quali sunt ii, qui non sidunt ulli amico, et ideo sibipsis prospiciunt, et tunicam vendunt, ut gladium emant. Neque loculi dominici repugnant illis verbis: Nolite possidere aurum elc. Nam, ut Nicolaus exponit in cap. Exit, de verborum significatione, in Sexto, Dominus utramque vitam exemplo suo approbare voluit, nimirum illam quae nihil habet, neque in particulari, neque in communi; excepto simplici usu rerum donatarum: et rursum illam, quae aliquid habet saltem in communi; sed unam instituendo, non destruxit alteram.

Ad Secundum dico: Illa verba non esse praecepta, sed consilia et instructionem ex parte apostolorum et aliorum praedicatorum, et simul esse ordinationem et praeceptum, ex parte populorum, ut patet ex declaratione Pauli 1. Corinth. 9. ubi dicit, Dominum ordinasse, ut qui evangelium annunciant, de evangelio vivant. Ex quo colligit, teneri populum ad alendos evangelistas, et simul dicit, se non usum fuisse hac potestate: ex quo patet, non fuisse praece. ptum praedicatoribus, ut viverent ex populi sumptibus.

Ad Tertium dico: Apostolos ex Domini ordinatiene petaisse aliquando ex justitia petere a populo sumptus, aliquando ex aequitate, aliquando ex sola charitate. Pro quo nota ex Aristot. lib. 8. Ethicor. cap. 43. duplicem esse justitiam; unam legitimam, alteram moralem. Legitima dicitur, quando ex lege, aut pacto unus cogitur alteri aliquid solvere. Moralis, dicitur, quando sine pacto, aut lege unus laborat pro alio, ita ut consurgat obligatio quaedam compensandi laborem. sed tamen non possit eum compellere ad e-jasmodi compensationem. Jam Dominus ordinavit cos qui evengellum annunciant, de evangelio vi-

Haec ordinatio respectu fidelis populi et ordinariorum pastorum, est praeceptum justitiae in rigore: quando enim costituitur aliquis pastor, potest populus eum cogere ad spiritualia ministranda, et pastor potest cogere populum ad temporalia danda, et hoc modo poterant apostoli tamquam episcopi cogere Christianos ad sumptus faciendos; At respectu populi infldelis, vel pastoris non ordinarii, illa ordinatio non inducit rigorem justitiae, sed quamdam aequitatem, seu moralem justitiam, et hoe modo apostoli quando praedicabant Judaeis ipso Christo vivente, non poterant cogere populum ad sumptus faciendos; nam nec populus susceperat evangelium et apostoli nondum erant pastores ordinarii; nam adhuc tenebantur Judaei agnoscere sacerdotes aaronicos, et eis decimas solvere. Itaque apostoli accipiebant sumptus ex morali justitia, vel petebant ex charitate.

Jam religiosi mendicantes, qui mittuntur a summo pontifice ad praedicandum et sacramenta ministranda poterant facere pactum cum ipso pontifice, vel cum populo de sumptibus accipiendis, et tunc ex rigore justitiae illos petiissent. Poterant etiam mitti a pontifice eo modo, quo Christus misit apostolos ad Judaeos, antequam lex vetus cessasset, nimirum ut ex quadam aequitate peterent sumplus; nam dignus est operarius mercede sua, et qui evangeliam annunciat, de evangelio vivere debet. Non enim Christus dixit, qui est ordinarius evangelista dignus est mercede sua, sed dignus est operarius, idest, quicumque id operatur licite, dignus est mercede sua: et haec fuit expressa sententia Augustini de opere monachorum, capite 21. Visum tamen est melius tam pontifici mittenti, quam ipsis qui mittuntur, ut non peterent ullo modo ex justitia, vel aequitate, sed solum ex charitate, sicut ipsi non ex debito, sed ex charitate ministrant spiritualia.

Tertio et ultimo probatur ex eventu, nam hoc genus vitae innumeris signis et prodigiis confirmatom est, quae Deus edidit per sanctos Franciscum et Dominicum, auctores hujus vitae, deinde ab co tempore, conversio gentilium, confutatio haerelicorum, pietas populi christiani, conserva-tio theologiae, et innumera alia bona ordinibus mendicantium maxima ex parte accepta referenda sunt.

BELLARMIM. Vol. 11.

### CAPUT XLVI.

### Solvuntur objectiones.

At in contrarium objiciunt plurima argumenta, sed omnia reducuntur ad sex. Primum est, quia mendicitas jure divino et humano prohibita est; nam de jure divino patet Deuteron. 15. Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. De humano patet ex C. de mendicantibus validis lib.11. cap. 25.

Respondeo: Quantum ad legem divinam, sinc dubio non prohiberi ea lege mendicationem vel mendicitatem, cum in eodem capite habeatur: Non deerunt pauperes in terra tua etc. Neo valet responsio Lyrani, qui dicit, in prioribus verbis prohiberi publicos mendicantes, in posterioribus vero agi de pauperibus, qui etsi indigent aliorum auxilio, tamen non debent mendicare, sed debet eis a divitibus provideri. Non valet ista solutio; nam utrobique est 1175K quod proprie significat mendicum, et ad verbum verti polerant, non deerunt mendici in terra tua, sicut supra dixerat: Mendicus non erit inter vos. Et praeterea apud Judaeos multi erant mendici, ut patet Lucae 16. de Lazaro, Lucae 18. de caeco secus viam mendicante, Joan. 9. de alio caeco mendicante, Actor. 3. de claudo mendicante ad portam templi speciosam.

Ad illa igitur verba: Non erit mendicus inter vos, respondeo dupliciter. Primo, illis verbis non prohiberi mendicitatem, sed promitti tantam uberlatem rerum, ut nullus sit futurus mendicus; qui sensus maxime convenit hebraeo textui, sequitur enim immediate: Quia benedicet tibi Dominus Deus tuus. Neque repugnat haec promissio illis verbis: Non deerit mendicus in terra tua etc. Nam promissio erat conditionata. Sic enim sequitur post illam promissionem; Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, et custodieris universa, quae jussit. Et quoniam sciebat Deus istam conditionem non servandam, praedicit, numquam defuturos mendi-

cos, et monet, ut illis benefaciant.

dicumlur.

Secundo dici posset cum b. Thoma in opusculo contra impugnantes religionem, hac lege prohiberi mendicationem, non ex parte mendicantium, sed ex parte divitum. Non enim Deus prohibet pauperibus mendicationem, cum infra dicat, non deerunt mendici, sed praecipit divitibus, ut quantum est in se, provideant ita pauperum necessitatibus, ut nulli cogantur mendicare. Melior est tamen prior solutio; nam si Dominus jussisset divitibus ut non paterentur mendicos, peccassent divites in populo Judacorum, qui revera permittebant mendicos tempore Christi, et tamen numquam de hoc-reprehensi leguntur a Christo, neque ab apostolis. Praeterea, si Dominus ibi prohibuit divitibus, ne permitterent mendicos, quomodo ibidem praecipit divitibus, ut mendicis elemosynam faciant? Porro lex civilis loquitur de illis, qui mendicant, ut otiose vivant, vel ut lucrentur etc. cum nullam adferant populo utilitatem. Unde ibidem inertes

Argumentum secundum. Scriptura passim de-

testatur mendicitatem, ut caussam multorum malorum Proverb. 30. dixit ille cum quo est Deus: Mendicitatem et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam, quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. Ecclesiast. 17. Propter inopiam multi deliquerunt. Psalm. 36. Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem. Psalm. 108. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent.

Respondeo: Loquuntur haec loca de involuntaria mendicitate; qui enim mendicat coactus, et animum habet ad opes, ille facile furatur et pejerat etc. Quamquam ad primum locum possunt dari duae aliae solutiones. Prima est, sapientem loqui în persona infirmorum, quales sunt plurimi în Ecclesia. Illis enim nocent nimiae opes, et similiter nimia egestas. Viris autem perfectis qui sciunt cum Paulo abundare, et penuriam pati, tam opes plurimae, quam etiam summa egestas sunt instrumenta virtutum, ut patet de Job, qui utrumque expertus est. Unde Chrysostomus homil. 18. in epist. ad Hebraeos, et Ambrosius serm. 8. in psalm. 118. dicunt, haec verba Salomouis convenire hominibus Testamenti veteris, quia imperfecti erant.

Secunda solutio est, a sapiente hoc loco recusari non quambibet mendicitatem, sed illam solum, quae est exposita periculo, qualis non est religiosorum mendicantium: illi enim certo sciunt sibi non defutura necessaria, tum ob Christi promissionem, Matthaei 19. Centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit; et Marci 10. Centies tantum nunc in tempore hoc: tum ob populi devotionem, a quo non dubitant se recepturos temporalia, cum ei ministrent spiritualia. Immo videntur religiosi ad literam petere, quod sapiens petit; nec enim volunt divitias, et ideo cas relinquunt, nec tamen volunt mendicitatem periculosam, qua moriantur fame, et ideo dicunt, religiosi receptaria de lideo dicunt, religiosi religiosi

tribue tantum victui meo necessaria.

Illud autem psalm. 36. Non vidi justum etc. difficile est; nam Elias justus erat, et tamen quaerebat panem, cum diceret viduae: Adfer mihi, obsecto, bucellam in manu tua, 3. Regum 17. ct David quaesivit panem ab Achimelech, 1. Reg. 21. et Lazarus quaerebat micas panis, Lucae 16. Hieronymus et August. exponunt de pane spirituuli. Cajetanus et Lyranus dicunt loqui psalmum de eo quod sit ut plurimum. Titelmannus optime dicit debere referri illud derelictum, etiam ad semen quaerens panem, ut sit sensus: non vidi justum derelictum, neque semen ejus quaerens panem, derelictum. Vel certe ibi quaerere, non significat quaerere quomodocumque, sed quaerere cum anxietate et labore, ut illi faciunt, qui diu quaerunt, et vix inveniunt. Unde in hebraeo est verbum in piet wpp quod significat quaerere diligenter.

Argumenium tertium. Opes moderatae necessaria sunt, vel saltem valde utiles ad vitam beatam et perfectam in hac vita dicendam; nam Ecclesiastae 7. dicitur: Melior est sapientia cum di-

viliis, et utilior videntibus solem: siout enim protegit sapientia, sic protegit et pecunia. Actor. 20. Beatius est dare, quam accipere. Et Arist. lib. 1. Ethic. cap. 8. dicit opes esse necessarias ad felicitatem.

Respondeo: Opes et egestatem habere sua commoda et incommoda, nam opes prosunt, quia materiam praebet liberalitatis, et quia liberant a sollicitudine quaerendi victum, tamen obsunt quatenus adferunt magnam sollicitudinem eas couservandi et dispensandi : Contra , paupertas prodest, quatenus praebet materiam patientiae, et liberat a sollicitudine conservandi et distribuendi pecunias; sed obest, quatenus affert sollicitudinem quaerendi victum. Verum omnibus consideratis, videtur esse majus bonum, quod adfert voluntaria paupertas, quam id, quod adferunt divitiae; et minus malum, quod pauper-tatem comitatur, quam id, quod comitatur divitias, et praesertim iis, qui ex officio evangelizare, et sacramenta ministrare debent. Et propterea Dominus apostolis ejusmodi vitam consuluit, Matth. 10. et ipsi etiam spostoli, Actor. 6. testantur, se non parum impediri a verbo Dei et oratione, si opes Christianorum dispensare debeant.

Ad illud autem Ecclesiastae respondeo: Non voluisse eum dicere, meliorem esse sapientiam cum divitiis, quam sine divitiis, sed meliorem esse sapientiam cum divitiis, quam sine sapientia divitias. Ita Titelmannus, et recte; nam in hebraeo non habetur melior, sed bona est sapientia cum divitiis: quod non potest dici, quia sit mala sine divitiis, sed quia sine ipsa malae sunt divitiae, et hoc probat, cum ait: Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Sed in hoc differunt, quod sapientia vitam tribuit possessori suo, quasi dicat, etsi pecunia protegit in hoc mundo a multis afflictionibus: tamen sola sapientia vitam praebet, et ideo sine sapientia parum aut nibil prosunt divitiae.

Ad illud Actor. 20. dico: caeteris paribus, beatus esse dare omnia sua simul propter Christum, et accipere postea aliquid modicum, quam parum dare et nihil accipere; et similiter beattus esse accipere temporalia, ut possit expedire et commode dare spiritualia, quam nihil accipiendo im-

pediri a spiritualibus dandis.

Ad locum Aristotelis respondeo. Primum, loqui eum de humana felicitate, quae multis rebus indiget; nam felicitas christiana, nec ipsa in se eget ullis terrenis opibus, cum tota in Dei visione consistat, nec ad eam adiplscendam valde necessariae sunt opes, cum melius humilitate et patientia. quam opibus ad regnum perveniatur aeternum. Deinde addo, loqui Aristotelem de homine politico, qui in civitate vivere et uxorem ac liberos habere, et rempublicam una cum aliis gerere velit. Ejusmod autem hominibus negari non potest, quin opes necessariae sint. Si quis autem velit sibi soli vivere et contemplationi vacare, huic certe Aristoteles opes necessarias esse minima judicabit, modo is habeat unde vivat sine dispendio contemplationis.



Argumentum quartum. Redigere se ad extremam inopiam est vitium; nam virtus consistit in medio, vitiu in extremis, sed dare aliquid est medium, nihil dare est extremum. Praeterea confirmatur ex Paulo 2. Cor. 8.Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. Non enim ut altis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex aequalitate.

Respondeo: Medium in virtutibus, excepta justitia, non considerari penes ipsas res absolute, sed cum ordine ad rationem, et omnes circumstantias. Verbi gratia. non est medium in temperantia. comedere unum panem, et extrema comedere duos, aut nullum; sed medium est tantum panis accipere, quantum ratio dictat tibi hoc tempore convenire; unde quod tibi est medium, alteri erit extremum. Sic ergo dare omnia, extremum est et vitiosum homini patrifamilias, qui ex officio alere debet uxorem, filios, servos etc. At ei, qui statuit mundo renunciare, et soli orationi et praedicationi instare, plane medium est omnia dare: et extrema erunt dare aliquid solum, et nihil dare, et per hoc solvitur confirmatio; nam Paulus alloquitur homines saeculares uxora. tor etc.

Dices; dare omnia vel est medium ei, qui vult mundo renunciare, ante votum; vel solum post votum: si ante votum, ergo peccabit ille, si non det omnia, etiamsi nullum habeat votum paupertatis; nam medio virtutis opponuntur extrema vitiorum: si solum post volum, ergo mendicitas non potest voveri; nam nihil recte vovetur, nisi quod ex se jam est virtutis actus. Respondeo: Consilia evangelica ante votum, non esse actus specialium virtutum, sed esse actus perfectos virtutum communium, ut liberalitatis. castitatis, obedientiae. Porro actibus perfectis non opponuntur actus vitiosi, sed actus minus perfecti; et medium actus perfecti, non habet extrema vitiosa, sed extrema minus perfecta, at post votum iidem actus jam sunt actus necessarii specialium virtutum, quibus opponuntur vera vi-

Argumentum quintum. Qui se sponte redigit ad mendicitatem, exponit se periculo fame moriendi, tentatque Deum, cum sibi ipsi anferat media ordinaria ad vitam conservandam, nec potest dicere, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nam ei responderet Dominus. Quid a me petis panem, cum tibi dederim antea, et tu illum abjeceris?

Respondeo: Ille diceretur exponere se tali periculo, qui omnia sua daret, quando probabiliter sciret, nihil se postea inventurum: at religiosi certam spem in Deo ponunt sibi nihil defuturum, quandoquidem Christus, id promisit, et experientia longa idem testatur. Neque tentant Deum: nam medium ordinarium ad vitam est cibus et potus, sive sit proprius, sive donatus ab alio: ille ergo rejicit media ordinaria, qui aut non vult comedere, aut non vult panem accipere, nisi per miraculum, ut illis accidit, de quibus Cassianus coll. 2. cap. 6. Nec prohi-

betur dicere, Panem nostrum etc. Immo ipsi maxime hoc dicere possunt, quandoquidem sibi nihil retinuerunt, ut Christum sequerentur. Si enim dicat aliquis rex civi opulento: Relinque hic tuas possessiones et veni mecum ad bellum: certe ille jure poterit a rege petere panem quotidianum.

Argumentum sextum. Religiosi mendicantes, injuriam faciunt veris pauperibus: nam Lucae 14. dicitur: Cum facis prandium, voca pauperes, debiles, claudos, caecos, qui non habent retribuere tibi, et beatus eris. Hoc loco, inquit Armacanus, Dominus non jubet vocari pauperes quoscumque, sed pauperes debiles, claudos, vel caecos, neque etiam debiles quoscumque, sed debiles pauperes: nam pauperes non debiles, possunt retribuere laborando: debiles non pauperes, possunt retribuere pecunias dando. Praeterea, ordo charitatis epetuat. ut semper detur eleemosyna magis egenti magis autem egent pauperes debiles, quam fortes, quales sunt religiosi, non igitur licet religiosis eleemosynas petere nisi forte aegrotent.

Respondeo: Si argumentum aliquid concluderet, non soli religiosi mendicantes, sed etiam omnes elerici et monachi, qui ex possessionibus vivunt, et non sunt debiles, claudi, vel eneci peccarent: nam possessiones donatae monasteriis, et ecclesiis, quid sunt aliud quam eleemosynae? Ridiculum autem est, non fraudari pauperes a elericis et monachis, qui accipiunt in eleemosynam redditus multorum millium aureorum, et fraudari a mendicantibus, qui accipiunt unum panem

Ad locum ergo evangelii dico, Dominum velle vocari pauperes, sive sint debiles, sive non: legendum est enim cum distinctione, voca pauperes, debiles etc. Nam apostolus Actor. 24. dicit, se attulisse eleemosynam pauperibus Christianis, qui erant in Hierusalem, quos certum est non fuisse omnes caecos, vel claudos. Et cum Dominus ait: Voca eos qui non habent retribuere tibi, non intelligit eos, qui nullo modo possunt retribuere, tales enim nulli fere sunt: nam etiam pauperes claudi possunt retribuere aliquod obsequium, sed intelligit eos, qui non possunt reinvitare ad simile convivium, vel commode aliquid donare, et proinde a quibus nihil sperari solet. Sic enim ait: Noli, inquit, vocare amicos el vicinos divites, ne forte ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Porro, pauperes omnes, etiam qui validi sunt, et suis laboribus victum quaerunt, tales sunt, ut non possint retribuere: nam cum vix sufficient sibi, quomodo poterunt convivio divites excipere, aut eis munera largiri?

Ad illam rationem dico, caeteris paribus dandam esse eleemosynam semper magis indigenti. alioqui magis danda est propinquiori et meliori, et cui debetur ex justitia etc. Porro, tribus de caussis potest fleri, ut sit danda eleemosyna potius religioso minus indigenti, quam non religioso magis indigenti: ex Hieronymo in fine libri contra Vigilantium.

Primo, si is dederit vere omnia sua pauperi-

bus: debetur enim illi victus ex bonis pauperum, non solum ex charitate, sed etiam aliquo modo ex justitia.

Secundo, si laboret pro populo concionando, sacra faciendo etc. nam et huic debetur aliquo modo ex justitia, licet is non petat, nisi ex chari-

Tertio, ratione perfectionis monasticae: nam

danda est semper eleemosyna potius meliori. Quia vero non possumus judicare de internis, danda est potius profitenti majorem sanctitatem, quam profitenti minorem, quando non constat de mala vita religiosi. Excipitur tamen semper extrema necessitas cujuscumque, pauperis: illa enim semper praeponitur minori necessitati.



## LIBER TERTIUS

## LAICIS D E

SIVE

# SAECULARIBUS

### CAPUT PRIMUM

Ordo totius disputationis.

Disseruimus de duobus membris Ecclesiae, idest, clericis et monachis, superest ut dicamus de tertio, idest, de laicis, sive saecularibus, et simul de membris ab Ecclesia praecisis, idest, de haereticis, quae omnia ad disputationem de magistratu politico revocari possunt.

·Tota haec disputatio sex quaestionibus continetur. Primum enim, de ipsa politica potestate agendum est. Deinde, de officio ejus in rebus politicis. Tertio. de officio ejus in caussa reli-

gionis.

De Primo sunt quaestiones duae. Prima, An ista potestas sit res bona, et proinde Christianis licita.

Secunda, An per peccatum amittatur.

De Secundo sunt duae quaestiones. Prima, De officio magistratus in conservanda republica ab improbitate civium per leges et judicia, tam civilia, quam criminalia, idest; An liceat Christianis leges condere, judicia exercere et gladio serire noxios, qui sunt actus proprii magistratus. Secunda, De officio magistratus in protegenda repub.ad hostibus externis, idest; An liceat Christianis bella gerere, et huic addemus quasi corollarium propter Lutherum, An liceat bellare contra Turcas.

De Tertio sunt aliae duae quaestiones. Prima, An ad magistratum pertineat cura religionis; An vero permittere possit, ut quisque credat, ut voluerit. Secunda, An magistratus debeat haereticos ab Ecclesia judicatos et damnatos punire, tam in libris corum, quam in facultatibus et in personis, ctiam usque ad mortem.

### CAPUT II.

Proponitur prima quaestio: An politica potestas sit bona, et Christianis licita.

Est una ex praecipuis haeresibus Anabaptistarum et Trinitariorum hujus temporis, Non licere Christianis gerere magistratus, nec dehere esse ullo modo inter Christianos praetoria, tribunalia, judicia , jus gladii etc. ministri, qui in Transylvania, Trinitateun et Incarnationem, et parvulerum baptismum oppugnant, ediderunt anno 1368. Albae Juliae, Antithoses Christi veri et falsi; quarum septima est, Christum falsum habere in sua Ecclesia reges, principes, magistratus, gladios; Christum verum nibil tale in sua Ecclesia pati posse.

Argumenta corum hacc sunt, vel certe esse possunt. Primum, ex Scriptura, Matth. 7. Reges gentium, a quibus accipiunt tributa etc. ergo liberi sunt filii. Et Lucae 22. Reges gentium dominantur eorum: non sic erit inter vos. Rom. 13. Nemini quidquam debeatis, nisi ul invicem diligatis. 1. Corinth. 7. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. 2. Corinth. 8. Unus Dominus. Ephes. 4. Unus Dominus, wna fides, wnum baptisma, unus Deus.

Secundum, ab exemplis; nam plerique principum abutantur potentia, et non solum non prosunt, sed etiam obsunt reipublicae ut patet in ipso initio mundi de Cain, Genes. 4. de filiis principum, Genes. 6. qui accipientes varias uxores, corrupti sunt omni scelere, et eorum caussa postea venit diluvium. Item de Nemrod, Pharaone, Nabuchodonosor, et de Saul, Roboam et caeteris; nam post divisionem regni, ex regibus Isräel nullus fuit bonus.

Tertium, a fine; nam magistratus permissus fuit Judaeis propter imperfectionem temporis, erant enim pueri judaei, et ideo regi debebant ab alio, ut patet Galat. 4. At nos viri sumus perfectionem temporis deservibus

cti, et unctio docet nos de omnibus.

Quartum, ab efficiente; nam ista potestas non est a Deo introducta, sed ab hominibus tyrannice usurpata; Quis enim fecit Nemrod regem? quis Nabuchodonosor? quis Ninum? quis Alexandrum? quis Julium Caesarem? qui alios? Hinc laudatur ille pirata, qui respondit Alexandro: ego quia cum parvo ligno discurro, pirata dicor; tu quia cum magna classe orbem terrarum spolias, imperator diceris. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 4. ex

Marc. Tull. lib. 3. de republica.

Quintum, ab origine. Nam Deus creavit hominem liberum, et per peccatum introducta est subjectio; ergo cum a peccato per Christum liberati simus, etiam a subjectione esse debemus. Antecedens patet; nam Genes. 1. non dicitur: Dominamini hominibus, sed: Dominamini piscibus maris etc. Item mulier nunc non subjicitur viro, nisi politica subjectione, tamen haec subjectio per peccatum introducta est, ut patet Genes. 3. Sub viri potestate eris; et praeterea ante diluvium primus, qui condidit civitatem, et inchoavit regnum politicum, fuit Cain, ut ex Genes. 4. deducit Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 1. post diluvium primus fuit Nemrod, Gen. 10.

Denique id clare docent Patres. Augustinus libro 19. de Civit. Dei c. 15. rationalem factum ad imaginem suam, noluit Deus nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi justi, pastores magis pecorum, quam reges hominum constituti sunt; ut hinc etiam insinuaret Deus, quid ordo postularet creaturarum, et quid meritum exigeret peccatorum. Gregorius libro 21.moral. cap. 11.0mnes homines natura aequales genuit, sed variante meritorum ordine, alios aliis dispensatio occulta postponit. Ipsa autem diversitas, quae accessit ex vitio, recte est divinis judiciis ordinata, ut quia omnis homo iter vitae non aeque graditur, alter regatur ab altero; similia habet in pastorali, part. 2. cap. 6.

Hanc haeresim non solum catholici omnes execrantur, ac praecipue b. Thom. in opus. 20. et ornnes philosophi, sed etiam Philippus Melanchthon in locis cap. de civili magistratu, et Joan. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 20. acerrime et fusissime oppugnant, et Lutherus ipse in visit. Saxonica, etsi ab ipsius verbis in Babyl. captivitate cap. de ba-

ptismo, occasionem sumpserunt Anabaptistae.

Nos eam quinque argumentis refellemus; nam tot etiam sunt adversariorum fundamenta. Primo, ex Scripturis. Secundo, ex exemplis sanctorum.

Tertio, ex fine seu necessitate. Quarto, ex caussa efficiente. Quinto, ex origine.

CAPUT III.

# Ex Scripturis asseritur politicus magistratus.

Quantum ad Primum, Scriptura Testamenti veteris plena est testimoniis. Exod. 22. Judices populi a Deo ipso vocantur Dii, sicut etiam psalm.81. Deus stetit in synogoga Deorum,in medio autem Deos dijudicat; cujus vocabuli rationem explicat Josaphat, 2. Paralip. 19. ubi dicit judices, non hominum, sed Dei judicia exercere, idest, loco Dei judicare. Et similiter Deuter. 1. monet Moyses judices populi, ut juste judicent quia Dei judicium est; et Christus Joan. 10. Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quem Pater sanctificavit. et misit in mundum etc. Ubi Christus vult dicere: Si principes Deus vocat Deos, quia ad illos mandatum divinum factum est, ut judicent loco suo, cur non magis, etc. non enim quadrat quod alii dicunt, vocatos Deos eos omnes, quibus Deus loquutus est. Si ergo principes vocantur Dii; quia locum Dei tenent, non potest reprehendi munus principum nisi reprehendatur Dei ipsius munus.

Praeterea Deuteron. 17. describit Moyses leges regi futuro, et in lib. Judicum cap. ult. in ultimis verbis reddere volens Spiritus sanctus caussam omnium malorum, quae acciderunt illo tempore, dicit: In diebus illis non erat rex in Isräel, sed unusquisque, quod bonum sibi videbatur, hoc faciebat. In eodem libro Judicum, et in libro regum passim habemus Deum excitasse Isräeli judices aut principes, per quos populum liberaret, Prov. 8.

Per me reges regnant.

Respondent Anabaptistae: Judaeis fuisse permissos magistratus propter imperfectionem: ac aliam

rationem esse Testamenti novi.

At contra; nam in primis prophetae praedixerunt omnes reges terrae servituros Christo, et Ecclesiae: quod non potest sieri, nisi in Ecclesia sint reges. Psalm. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, apprehendile disci-plinam; secundum hebraeum כשקר בר osculamini filium, in eodem psalmo Scriptura vocat Messiam; item psalm. 71. Adorabunt eum omnes reges terrue, omnes gentes servient ei. Isaiae 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo el reges in splendore ortus tui. Et cap. 49. Erunt reges nutricii tui, et reginae nutrices tuae vultu in terra demisso adorabunt te, et pulveres pedum tuorum lingeni; auod certe impletum videmus in Constantino, Theodosio, Carolo Magno et aliis, qui adoraverunt sepulchra apostolorum et martyrum, et Ecclesias ditaverunt et protexerunt.

Praeterea, Christus, praedicans evangelium regni, inter alia dixit: Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, Matth. 22. et Paulus Roman. 13. jubet, ut Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas, nisi a Deo etc. Et ibidem ter repetit: Principes saeculares, quibus tributa redduntur, esse ministros Dei. Quo loco utitur etiam Irenaeus lib. 4. cap. 70. Item 1. Timoth. 2. jubet apostolus nominalim orari pro regibus.

Quo loco utitur Tertullianus in apologet. cap. 31. quia calumniabantur ethnici Christianos, quod magistratibus nollent parere; Ac certe si evangelium non ferret magistratum, oporteret orare pro destructione regum et principum. Ad Titum 3. Admone illos principibus et potestatibus subditos esse: et 1. Petri 2. Deum timete, regem honorificate.

Sed respondent: Ex his testimoniis probari, oportere nos parere regi ethnico, non autem licere Christianis regna possidere et magistratus gerere. Quibus nos respondemus, Primum, non esse mirum in Testamento novo non fieri multam mentionem magistratuum; nam Christus non venit constituere regnum politicum, sed regnum spirituale et coeleste; et similiter apostoli in hoc regno spirituali commendando et propagando occupati fuerunt: politicum reliquerunt, ut antea erat.

Addimus praeterea:Licet non expresse Scriptura novi Testamenti approbet in Ecclesia magistratum politicum, tamen evidenter colligit ex adductis testimoniis; nam si Christianis licet subesse regi ethnico, cur non potius regi christiano? et si licet christiano subesse, cur non praeesse?cum subesse videatur magis contra libertatem evangelicam, quam

praeesse.

Denique: Si christianae libertati repugnaret subjectio, vel praefectura civilis, magis repugnaret ecclesiastica, quia christiana libertas magis pertinet ad Christianum, ut est civis Ecclesiae, quam ut est civis mundi: At non repugnat christianae libertati praefectura, vel subjectio ecclesiastica, ut patet ex illo Matth. 24. Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Et ex illo Rom. 12. Qui praeest in sollicitudine. Et ex illo Hebr. 13. Obedite praepositis vestris. Neque igitur repugnat praefectura, vel subjectio politica. Atque hinc solvitur primum argumentum contra allatum.

Ad Primum ergo locum Scripturae superiore capite contra allatum dicendum est: Christum eo loco de seipso tantum loqui, et rectissime probare se, quia Filius Dei summi regis esset, non fuisse obligatum solvere tributum ulli principi, alioqui ipse idem jussit reddi censum Caesari, Matth. 22. et apostolus Rom. 13. Cui tributum, inquit, tributum etc. quamvis autem Christus de se proprie dixerit: Ergo liberi sunt filii, recte tamen ex hoc loco colligitur, ecclesiasticos debere esse liberos a tributis, quia filius regis ita liber est, ut propter eum etiam familia ejus libera sit, ut supra diximus in libro de Clericis cap. 25.

Ad Secundum: Eo loco Christus instituit ecclesiasticum magistratum, et eum distinguit a politico, et a politico corrupto, cui pompae, superbia, fastus, annexa esse solent, qualem etiam politicum magistratum, si intelligamus prohibitum esse Christianis, nihil absurdi dicemus, ibi enim non repre-

henditur regnum, sed modus regnandi.

Ad tertium: Non vult Paulus dicere, non finatis vos obligari ulla lege, sed. solvite mature omnia debita; praecedit enim: Reddite omnibus debita, cui tributum etc. Et quia solius amoris debitum numquam ita reddi potest, quin semper teneamur ama-

re, ideo ait: Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.

Ad Quartum dico, fieri servum hominis eo loco significare servire homini propter hominem tantum, nam alioqui ibidem Paulus hortatur servos, ut etiam si possint fieri liberi, tamen magis eligant servitutem: et Galat. 5. Servite, inquit, invicem.

Ad Ultimum dico, ibi nomen Domini proprie accipi, quomodo non convenit nisi Deo; nec propterea tolluntur reges et principes, qui non proprie Domini sunt, sed ministri Dei, qui unus verus est Dominus, nullus enim est titulus major. Nam verus Dominus duas habet conditiones, quae nulli creaturae conveniunt. Una est, ut possit pro libito uti re, cujus est Dominus, et eam augere, minuere, mutare, annihilare etc. Altera, ut nulli serviat. idest, nulla re indigeat, sed seipso sufficiat ad omnia; ut recte notat Augustinus lib. 8. de Genes. cap. 11. et deducit ex psalm. 15. Dixi Domino, Deus meus es tu,quia bonorum meorum non eges; nam in hebraeo est,dixi Domino,Dominus meus אר וני et hinc est quod LXX. interpretes ubique nomen proprium Dei הרה reddiderunt per Kupioc, et Hieronymus per Dominum: hinc eliam Augustus, ut Tertullianus refert in apologet, cap. 34. numquam se Dominum appellari passus est, quod intelligeret hunc titulum soli Deo convenire, et e contrario reprehenditur a Svetonio incredibilis arrogantiae Domitianus, quod in amphitheatro sibi acclamari libenter audiret: Domino, et Dominae feliciter : et quod juberet de se scribi: Dominus, et Deus noster, sic fieri jubet.

### CAPUT IV.

### Idem asseritur exemplis sanctorum.

Secunda ratio sumitur ab exemplis; nam si res mala esset principatus, numquam viri sancti eum gessissent; at habemus in Scriptura plurima exempla sauctorum principum, ut Melchisedech regis Salem, Josephi patriarchae, qui toti Aegypto utilissime praefuit, Moysis, Josue, omnium fere judicum, Davidis, Salomonis, Ezechiae, Josaphat, Josiae, Danielis, Mardochaei, Nehemiae, Machabaeorum et aliorum.

In Testamento novo videmus Joan. 4. Regulum credidisse in Christum, nec tamen jussum renunciare principatui; et similiter Actor. 13. proconsulem conversum a Paulo, non propterea, deposuisse magistratum. Videmus deinde a s. Fabiano papa et martyre, et a tota Ecclesia admissum fuisse Philippum imperatorem, nec illi imperatum, ut deponeret imperium, ut ex historia Eusebii lib. 6.cap.25. colligitur.

Quod autem non sit in Testamento novo major copia exemplorum, ratio est, quia Deus voluit Ecclesiam suam inchoare ab hominibus pauperibus et vilibus ut dicitur 1.Cor. 1.ne putaretur augmentum Ecclesiae opus humanum, si favore principum crevisset:immo e contrario voluit Deus primis 300.

nnnis, ut Ecclesia totis viribus oppugnaretur ab imperatoribus totius mundi, ut inde ostenderet, opus suum esse Ecclesiam, et plus posse illam pa-

tiendo, quam possent illi cruciando.

Unde Augustinus in epist. 50. dicit Deum voluisse primo tempore impleri illam partem psalmi 2. Astiterunt reges terrae etc. Deinde sequenti tempore illam aliam: Et nunc reges intelligite: sicut revera impletum videmus in Constantino, et successoribus ejus; siquidem videmus Constantinum divinitus edoctum, et vocatum a Deo singulari miraculo, ut Eusebius refert lib 1. de vita Constantini. At si res mala esset principatus, quare Christus ipse Constantinum ad Ecclesiam vocasset?Ubi nota obiter dissonantiam circa hanc historiam; nam in historia ecclesiastica Eusebii a Ruffino versa lib. 9. cap. 9. habetur Constantinum per soporem vidisse signum crucis in coelo, et deinde angelos ei dixisse: In hoc vince; At lib. 1.de vita Constantini Eusebius refert, in itinere eum corporeis oculis vidisse supra solem signum crucis cum illis literis: In hoc vince; et idem signum a toto exercitu conspectum, et noclu postea ei apparuisse Christum, qui mysterium explicuerit, atque baec omuia se ab ipso Constantino coram audivisse. Itaque verisimile est quod in historia habetur a Ruffino additum fuisse. Alia plurima exempla addi possent Joviani, Gratiani, Theodosii junioris et senioris, Caroli Magni, Ludovici Pii, Othonis I. s. Henrici imperatoris, s. Ludovici regis Francorum, aliorumque multorum, qui vel in Britannia, vel in Hungaria, vel in Böemia, vel in aliis regionibus sanctissime regnaverunt. Ad argumentum in contrarium dico Primo, falsum esse principes ut plurimum esse malos;hic enim non agimus de regno particulari, sed de politico principatu in genere, qualis princeps suit Abraham, et alii; sicut ergo suerunt mali principes, Cain, Nemrod, Ninus, Pharao, Saul, Hieroboam, et alii reges Israel; ita e contrario fuerunt boni principes, Adam, Nöe, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, Moyses, Josue, omnes fere judices, et plurimi reges Juda.

Secundo dico, exempla malorum principum non probare malum esse principatum, saepe enim mali abutuntur rebus bonis, at exempla bonorum recte probant, principatum esse bonum, quia homines boni non utuntur rebus malis. Praeterea, etiam principes mali plus prosunt saepe, quam obsint, ut patet de Saule, Salomone et aliis. Denique utilius est reipub. malum principem habere, quam nulum, ubi enim nullus est, non potest diu consistere respublica, dicente Salomone Proverb. 11. Ubi non est gubernator, corruet populus; et ubi est, licet malus, conservatur unitas populi. Vide beatum Thomam in opusc. 20. cap. 6.

lib. 1.

Terlio dico, quod in regibus Israel nullus fuerit bonus, ad insignem Dei providentiam perlinere: Deus enim id permittere voluit, quia rebellio illa Israelitarum a tribu Juda, significabat schismata haereticorum ab Ecclesia, ut Eucherius docet in fine lib. 3. super libro Regum: sicut enim inter catholicos sunt boni et mali; at inter haereticos nullus potest esse bonus, ita quoque inter reges Juda

multi fuerunt boni, multi etiam mali. Ex regibus Isräel nullus omnino inventus est bonus.

### CAPUT V.

Idem asseritur ex fine principatus.

Terlia ralio ducitur a fine. Principatus politicus adeo naturalis et necessarius est humano generi. ut tolli non possit quin natura ipsa destruatur. Hominis enim natura est, ut sit animal sociabile;nam bruta quidem sunt a natura ita instructa, ut possint sibi singula sufficere, homo autem tam multis rebus indiget, ut solus vivere nullo modo possit. Nam bruta nascuntur vestita et armata, et aestimativam habent ita determinatam ad omnia, quae sibi conveniunt, ut naturaliter sine ullo doctore statim noverint nidos aedificare, alimenta quaerere, et medicinam etiam sibi ipsis facere; at homo nascitur sine vestibus, sine domo, sine alimentis, omnium rerum egenus; et quamquam habet manus et rationem, quibus omnia instrumenta parare potest, tamen singula longum tempus requirunt, et adeo longum, ut sit impossibile sibi unum hominem sufficere ad omnia; praesertim cum nascamur rudes, et artes magis doctrina, quam experientia discantur; ergo necesse est, ut simul vivamus, et unus alium juvet.

Praeterea, etiamsi quisque sufficeret sibi ad vivendum, tamen numquam sufficeret ad protegendum se ab impetu ferarum et latronum, sed ad hoc necesse est convenire, et collatis viribus resistere; et licet sufficeret sibi etiam contra hostes, tamen semper maneret rudis et expers sapientiae et justitiae, multarumque aliarum virtutum, cum tamen ad hoc natt simus, ut mentem et voluntatem praecipue exerceamus. Nam scientiae et artes longo tempore et a multis inventae sunt, et sine doctore percipi non possunt: justitia autem non nisi in societate exerceri potest, cum sit virtus constituens

aequitatem inter plures.

Denique, donum loquendi et audiendi, id est, percipiendi distincte verba, quorsum homini collatum est, si debeat solitarius vivere? Itaque recte Aristoteles lib. 1. politicorum, cap. 2. dicit, hominem natura civile esse animal, magis quam sint apes et grues, et quaecumque animalia, et si quis solitarius vivat aut esse bestiam, aut Deum, idest, aut minus, aut majus homine, neque id est contra eremitas nostros. Nam qui penitus solitarii vixerunt, ut Paulus primus eremita, Maria Magdalens, Maria Aegyptiaca, et si qui sunt alii, dici pessunt aliquid amplius homine habuisse, non natura, sed gratia; nam non sine miraculo alebantur a Deo, ut notum est; Caeteri autem etsi in solitudine degerent, tamen frequentes simul conveniebant, et abbatibus suis subjecti erant, ut in disputatione de monachis demonstravimus.

Jam vero, si natura humana socialem vitam requirit, certe requirit etiam regimen et rectorem; nam impossibile est multitudinem dia consistere.

nisi sit, qui cam contineat, et cui sit curae bonum commune: sicut in unoquoque nostrum nisi esset anima quae contineret et conjungeret partes et potentias et elementa contraria, ex quibus constamus, statim omnia solverentur. Unde Proverb. 11. Ubi non est gubernator, populus corruet. Deinde societas est multitudo ordinata, non enim dicitar societas multitudo confusa et dispersa; ordo autem quid aliud est, quam scries quaedam inferiorum et superiorum? Necessario igitur rectores habendi suct, si societas futura est.

Ex hac ratione solvitur tertium argumentum Anabaptistarum; falsum enim assumunt, cum dicunt, regimen politicum permissum Judaeis ob imperfectionem eorum, nobis autem non convenire,
quia unctio doceat nos de omnibus: nam unctio
hoc in primis docet esse necessarium, habere rectorem; nec sufficit scire omnia, sed oportet etiam
multa facere et parare, quae non possumus sine

aliorum auxilio.

Et praeterea hinc deducitur falsum esse, quod M. T. dicit in primo de inventione, fuisse olim tempus, quo homines vagarentur more bestierum, deinde a sapiente quodam et eloquente homine vi eloquentiae persuasos convenire et simul vivere. Quod idem etiam hoc tempore dicere solent quicumque eloquentiam landandam suscipiunt. At revera numquam fuit, nec esse potuit, tale tempus. Nam Adam sapientissimus fuit, et sine dubie non permisit homines vagari more bestiarum, et Cein filius ejus aedificavit etiam civitatem materialem: ante Cain et Adam nulli fuerunt. Sed non mirum Ciceronem et alios ethnicos talia dicere; nom ethnici quia putabant mundum fuisse ab aeterno, et tamen videbant omnes artes esse novas, et non exstare memoriam nisi paucoruni annorum, inde suspicati sunt, longissimo tempore homines vixisse more ferarum, et solum exstare memoriam rerum gestarum ab eo tempore, quo coeperunt homines simul degere. Sed Christiani, qui ex testimonio Dei dedicerunt, mundum creatum fuisse ante annos nondum sexies millenos, et primos homines urbes continuo habere coepisse, mirum profecto est, cur dicere audeant, longissimo tempore homines sine rectore, et sine civitatibus more serarum vixisse.

### CAPUT VI.

### Idem asseritur ratione ducta ab efficiente.

Quarta ratio ab efficiente sumitur: nam certum est politicam potestatem a Deo esse, a quo non nisi res bonae et licite procedunt. Id quod probat Augustinus in toto fere 4. et 5. libro de Civit. Dei; Nam sapientia Dei clamat Proverb. 8. Per me reges regnant. Et infra: Per me principes imperant. Et Daniel. 2. Deus coett, regnum et imperium dedit tibi etc. Et Daniel 4. Cum bestis, ferisque erit habitatio tua, foenum, ut bos, comodes, et rore coeti infunderis, septem

Bellarmini. Vol. II.

quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur excelous super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud.

Sed hic observanda sunt aliqua. Primo, politicam polestatem in universum consideratam, non descendendo in particulari ad monarchiam, aristocratiam, vel dimocratiam, immediate esse a solo Deor nam consequitur necessario naturam hominis, proinde esse ab illo, qui fecit naturam hominis. Praeterea hace potestas est de jure naturae, non enim pendet ex consensu hominum: nam velint, nolint, debent regi ab aliquo, nisi velint perire humanum genus, quod est contra naturae inchinationem. At jus naturae est jus divinum, jure igitur divino introducta est gubernatio, et hoc videtur proprie velle apostolus, cum dicit Roman.

13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

Secundo nota, hanc potestatem immediate esse tamquam in subjecto, in tota multitudine: nam hacc potestas est de jure divino. At jus divinum nulli homini particulari dedit hanc potestatem: ergo dedit multitudini. Praeterea sublato jure positivo, nen est major ratio cur ex multis aequalibus unus potius, quam alius dominetur. Igitur potestas totius est multitudinis. Denique humana societas debet esse perfecta respublica: ergo debet habere potestatem seipsam conservandi, et proinde puniendi perturbatores pacís etc.

Tertio nota, hanc potestatem transferri a multitudine in unum vel plures eodem jure naturae: nam respublica non potest per seipsam exercere hanc potestatem: ergo tenetur eam transferre in aliquem unum, vel aliquos paucos; et hoc modo potestas principum in genere considerate, est etiam de ju re naturae et divino, nec posset genus humanum, etiamsi totum simul conveniret, contrarium statuere, nimirum, ut nulli essent principes vel re-

ctores.

Quarto nota, in particulari singulas species regiminis esse de jure gentium, nou de jure naturae, nam pendet a consensu multitudinis, constituere super se regem vel consules, vel alios magistratus, ut patett et si caussa legitima adsit, potest multitudo mutare regnum in aristocratiam aut dimocratiam, et e contrario, ut Romae factum legitus.

Quinto nota, ex dictis sequi, hanc potestatem in particulari esse quidem a Deo, sed mediante constilo et electione humans, ut alia omnia, quae ad jus gentium pertinent. Jus enim gentium est quasi conclusio deducta ex jure naturae per humanum discursum. Ex quo colliguntur duae differentiae inter potestatem politicam et ecclesiasticam; una ex parte subjecti, nam politica est in multitudine, ecclesiastica in uno homine tamquam in subjecto immediate; altera ex parte efficientis; quod politica universa considerata est de jure divine, in particulari considerata est de jure gentium; ecclesiastica omnibus modis est de jure divine et immediate a Deo.

Ex his ad argumentum quartum Anabaptistarum respondeo, Primo: Argumentum solum probare de regno in particulari,non de ipso principatu in wai-

Digitized by Google

versum, nos autem hoc loco principatum in universum, non certam aliquam ejus formam constituere volumus. Adde secundo, saepissime regna esse justa et injusta; a Deo et non a Deo; nam ex parte ipsorum occupantium et invadentium, regna sunt latrocinia et injusta, et proinde non a Deo; tamen ex parte divinae providentiae, quae utitur mala intentione hominum. et illam ordinat vel ad peccata punienda, vel remuneranda bona opera, vel ad alios bonos fines, regna illa sunt justa et legitima. Deus enim interdum admirabili ratione providentiae suae, ita quibusdam regna adimit, quibusdam largitur, ut et qui regno cadit, justissime cadat, nec tamen juste possident, qui regnum invadit, daturus etiam ipse suo tempore illius invasionis justissimas poenas. Ac longe alia ratione Deus filiis Israel Palaestinam tradidit possidendam, quam illam eamdem vel Salmanasar, vel Nabuchodonosor postea tradiderit. Siquidem filii Isräel, duce Josue, laudabili obedientia cum Palaestinis pugnabant, illisque ad internecionem deletis, terras eorum sibi vendicabant. Salmanasar vero et Nabuchodonosor, detestabili sacrilegio, Dei populum captivum ducebant; neque enim imperio Dei, sed pravae suae cupiditati obsequi volebant, lametsi Deus ipsis etiam ignorantibus utebatur ad id quod justissime sieri volebat.

Explicant hanc rem accurate s. Augustin. lib.de gratia et libero arbit. cap. 20. et 21. et Hugo Victorinus lib. 1. de sacramentis, par. 1. cap. 29. nec desunt scripturarum testimonia. Nam Isaiae 10. sic legimus: Assur virga furoris mei, et baculus ipse est, in manu corum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, et contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, et diripiat praedam, et ponam illum in conculcationem, quasi tutum platearum; ipse autem non sic arbitrabitur, et cor ejus non ila existimabit etc. Ubi loquitur de Salnanasar et Sennacherib, qui animo iniquo occupaverunt regiones Isrăel; tamen Deus illis nescientibus usus est eorum opera ad puniendum Isrăelitas.

Sic Isaine 45. Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexleram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam. Ego ante te ibo, et gloriosos terrae humiliabo etc. propter servum meum Jacob et Isräel electum meum; et vocavi te nomine tuo, assimilavi te, et non cognovisti me. Ex quo loco apparet Cyrum acquisivisse sibi monarchiam ex cupiditate dominandi, et non propter Dei obsequium: et tamen Deum illi affuisse, et monarchiam, quam quaerebat, illi dedisse, ut ipse liberaret populum Isräel de Babylonica captivitate.

Hierem. 27. Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis servimei; Insuper et bestias agri dedi ei, ut serviant illi, et servient ei omnes gentes, et filio ejus, et filio filit ejus, donec veniat tempus terrae ejus, et ipsius, et servient ei gentes multae, et reges magni. Gens autem et regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis, et quicumque non curvaverit collum suum sub jugo regis Babylonis, in gladio et in fame et in peste visitabo su-

per gentem illam, ait Dominus omnipotens. Et tamen quis dubitat, quin Nabuchodonosor mala intentione subjecerit sibi tot regna?

Ezechiel quoque sit, csp. 29. Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servilute magna adversus Tyrum, et merces non est reddita ei de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Et infra: Dedi ei terram Aegypti pro eo quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.

Sic Romani non propter Deum, sed cupiditate gloriae quaerebant monarchiam, ut b. August. ostendit prolixe lib. 5.de Civit.Dei cap.12.et tamen Deus monarchiam ei donavit, tum, ut mercedem redderet bonis eorum operibus moralibus, ut idem Augustin. docet lib.5.cap. 15.de Civit.Dei, tum etiam, ut per unionem omnium gentium sub uno principatu pararetur via evangelicae praedicationi, ut b. Leo dicit serm. de ss. Petro et Paulo.

Adde tamen, quod etiamsi initio, qui regna constituerunt, fuerint invasores, ut plurimum: tamen successu temporis flunt vel ipsi, vel successores eorum legitimi principes, quia populi paulatim consentiunt. Hoc modo regnum Francorum nunc omnium consensu legitimum est, licet initio Franci injuste Gallias occupaverint. Atque idem dici potest de regno hispanico, quod ab invasione Gothorum coepit; ei de regno Anglorum, quod coepit ab injusta occupatione Anglo-saxonum; et de ipso imperio romano, quod a Julio Caesare patriae oppressore constitutum est; quod tamen postea adeo legitimum esse coepit, ut Dominus dixerit Matth.22. Reddite quae sunt Caesaris, Caesari etc.

### CAPUT VII.

### Idem asseritur ex antiquitate.

Quinta ratio sumitur ab origine; Nam etsi subjectio servilis coepit post peccatum Adae, tamen politicus principatus fuisset etiam in statu innocentiae; et probatur primo, quia etiam tunc homo fuisset naturaliter animal civile et sociale, ac proinde rectore opus habuisset.

Secundo, ex ipsa creatione; Nam ideo Deus fecil mulierem ex viro, et non creavit simul multos viros, sed unum tantum, ex quo omnes alii nascerentur; ut indicaret ordinem et praesecturam, quam inter homines esse volebat, ut Chrysostom. observat homil. 34. in 1. ad Corinth.

Tertio, quia in illo statu fuisset disparitas sexuum, statuum, ingeniorum, sapientiae et probitatis: ergo et praefectura ac subjectio; nam in humana societate debuit esse ordo. Rectus autem ordo postulat, ut inferior a superiore regatur, foemina a viro, junior a seniore, minus sapiens a sapientiore, et minus bonus a meliore: quod autem hae diversitates tunc etiam locum habuissent, sic osteudi potest.

In illo statu fuisset generatio, ut patet Genes. 1.

Crescile et multiplicamini: ergo et sexus disparitas, quae necessario praecedit generationem et disparitas aetatum, quae necessario sequitur generationem et disparitas sapientiae et probitatis, quae sequitur aetatum disparitatem; non enim fuissent nati homines perfecti in illo statu, sed debuissent paulatim discere et proficere. Fuissent quidem omnes nati in gratia Dei, et cum majori cognitione, quam nunc, ut Augustinus docet lib.

1. de baptismo parvulorum, c. 38. at sine dubio non fuissent tam perfecti, quam adulti; et inter ipsos adultos poterant per liberum arbitrium alii magis, alii minus applicari ad discendum.

Denique ingeniorum varietas oritur ex varietate corporum; fuissent autem tunc corpora varia magnitudine, forma, robore, et similibus, ut patet, quia illa corpora non erant exempta a legibus naturae, et egebant cibo, aeris inspiratione, coelorum influxibus; fuisset igitur etiam tunc ingeniorum diversitas. Vide b. Thomam 1. par. quaest.

96. et 105.

Quarto, inter angelos est praefectura et subjectio, cur ergo inter bomines non fuisset in statu innocentiae? Certe Beelzebub dicitur princeps daemoniorum, Matth. 12. qui sane principatum non acquisivit peccando, sed retinuit, quem ante habebat in eos angelos, qui eum sequuti sunt. Et apocalyps. cap. 12. dicitur: Michäel et angeli ejus. Denique Dionysius cap. 9. coelestis hierarchiae, dicit primam hierarchiam angelorum praeesse, et imperare secundae, et secundam tertiae. Et b. Gregor. homil. 34. in evangel. dicit, nomina principatuum et dominationum in angelis, aperte signi-

ficare, quod alii aliis praesint.

Ex his ad argumentum quintum respondetur, non pugnare libertatem, in qua creati sumus, com politica subjectione, sed solum cum despotica, idest, cum vera et propria servitute. Differt autem politica subjectio a servili, quod subjectus serviliter est, et operatur propter alium; subjectus politice est, et operatur propter se; servus regitur non in sui, sed in domini sui commodum; civis regitur in commodum suum, non in commodum magistratus; sicut e contrario princeps politicus, dum regit populum, non suam, sed populi utilitatem quaerit, tyrannus autem et dominus, non populi, sed suam quaerit, ut Aristot. docet, lib. 8. de morib. cap. 10. Itaque revera si ulla est servitus in politico principatu, magis proprie servus dici debet qui praeest, quam qui subjectus est, ut docet Augustinus lib.19.de Civitat.Dei cap. 14.et hoc ad literam significat illud Domini, Matth. 20. Qui voluerit inter vos primus fieri, erit omnium servus; quomodo episcopi servos se plebium suarum, et summus pontifex servum servorum Dei se no-

Ad primum locum ex cap. 1. Genes. dico: Ibi agi de principatu despotico; sic enim dominari debuit homo piscibus maris et volatilibus coeli, alfisque animantibus.

Ad secundum dico: Mulierem tam ante peccatum, quam post, sociam et subjectam esse viro, sociam in generatione, subjectam in gubernatione. Illud autem: Sub viri potestate eris, non significat quameumque subjectionem, sed involuntariam, et cum tristitia ac timore, qualem ut plurimum experiuntur mulieres conjugatae; ita docet b. Augustinus lib. 11. Genes. cap. 37. Neque enim, inquit, et ante peccatum aliter factam fuisse, decet credere, mulierem, nisi ut vir ei dominaretur, et ad eum ipsa serviendo converteretur, sod recte accipi potest hanc servitutem significatam, quae cujusdam conditionis est potius, quam electionis.

Ad tertium fateor: Cain primum aedificasse materialem civitatem, sed non propterea sequitur ibi coepisse politicum regimen; nam etiam sine civitate materiali potest esse respublica et principatus; neque negari potest, quin Adamo subjecti fue-

rint filii et nepotes ejus.

Ad quartum dico: Augustinum loqui de servitute proprie dicla, ut ex toto illo capite patet; ubi inter alia sic ait: Conditio servitutis jure intelligitur imposita peccatori etc. Neque obstat quod Augustinus ibidem dicit, quod primi justi, pastores, magis pecorum, quam reges hominum constituti sunt, ut hinc etiam insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, et quid exigat meritam peccatorum; nam hoc loco respicit ad abusum nominis regii, quod interdum accipiatur pro despotico principalu; nam ut idem Augustinus ait lib. 5. de Civil. Dei cap. 12. Rex dicitur a regendo et consulendo, non a regnando atque dominando; et hoc modo Abraham, Isaac et Jacob reges dici potuissent: tamen quia fastus humanus regem dici putat a regnando et dominando, unde est illud Domini, Luc. 22. Reges gentium dominantur eorum, ideo primi justi, pastores pecorum potlus, quam reges hominum dicti sunt.

Ad quintum dico, Gregorium non loqui de principatu politico simpliciter, sed adjuncto metu, et tristitia, et timore etc. quae per peccatum invecta sunt; et cum ait, omnes homines natura esse aequales, et per peccatum fieri inaequales, et ideo unum ab altero regi debere, non intelligit homines natura esse aequales sapientia vel gratia, sed aequales in essentia et specie humana; ex qua aequalitate recte colligitur, non debere unum alteri dominari, quomodo homo dominatur bestiis . sed solum debere unum ab altero regi politice. Unde ibidem subdit: Nam contra naturam superbire, est ab aequalibus velle timeri; Quia vero peccatores per peccatum simites flunt bestiis, et degenerant ab ea naturae integritate, in qua creati fuerant; ideo ibidem Gregorius dicit recte post peccatum unum alteri dominari coepisse; cum terrore minando et puniendo, quod in statu innocentiae non

fuisset.

### CAPUT VIII.

Principalum sive dominium in impiis esse posse.

Quod secundo loco proposuimus, videlicet principatum in impiis esse posse, facile probare poterimus. Ac primum occurrit error Armacani, qui



lib. 10. quaestionum Armenicarum, cap, 4. docet, titulum praecipuum dominiorum esse gratiam Dei, sive justitiam et charitatem: alios autem titulos omnes in hoc fundari, et qui justitia et gratia Dei carent, nullum habere verum dominium. Eundem errorem eodem tempore docuit Joannes Wiclef, quem refellit optime Thomas Waldensis lib. 2. doctrinalis fidei, cap. 81. et seq. usque in finem libri, et postmodum errorem eundem asseruit Joannes Huss, ut patet ex concilio constantiensi, sess. 15.

Argumenta eorum erant tria. Primum ex Scriptura Oseae 8. Ipsi regnaverunt, et non ex me. Principes existierunt, et non cognovi, argentum suum et aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent. Ubi Dominus improbat dominia improborum regum, et dicit, se non dedisse ea illis, et caussam reddit, quia idola sibi fecerunt. Secundum argumentum ex illo Eccles. 10. Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias. Argumentum tertium, ex ratione, quia non est dominium, nisi a Deo, Deus autem nullo modo conferret dominia improbis, tum quia hostes ejus sunt; tum etiam, quia videretur approbare abusum; abutuntur enim omnes impii sua potestate.

Hic error facile refellitur. Primo, Scripturis Sapient. 6. A Domino data est potestas vobis, et cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis etc. Isaiae 45. Haec dicit Dominus Christo meo Cyro etc. Hieremiae 27. Ego dedi, inquit Dominus, omnes terras istas in manu Nabuchodonosor regis Babylonis etc. Et Daniel. 2. Tu es rewregum et Deus coeli dedit regnum tibi etc. Et Roman. 13. et 1. Pet. 2. spostoli Petrus et Paulus docent, regum potestatem esse a Deo, et illis obediendum, cum tamen nulli tunc essent reges, nisi infideles.

Secundo, ex concilio constantiensi, sess. 8. et 15. ubi hunc errorem Ecclesia damnavit.

Tertio, ex Augustino, qui lib. 5. de Civit. Dei, cap. 21. Quae cum ita sint, inquit, non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno coelorum solis piis, regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet. Et infra: Qui dedit, inquit, Mario, ipse et Caesari, qui Augusto, ipse et Neroni, qui Vespasiano vel patri, vel filio, suavissimis imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo, el ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino christiano, ipse et apostatae Juliano.

Quarto, ratione: Nam dominii fundamentum non est gratia, sed natura; homo enim quia factus est ad imaginem Dei, proinde mente ac ratione praeditus est, ideo dominatur rebus inferioribus, ut ex 1. cap. Genes. deduci potest: at natura in infidelibus manet, licet gratia careant, igitur et dominia vera habere possunt. Ad haec cum gratia et justitia sit occultissima, et nemo sciat de se, vel de alio, an sit vere justus, si gratia esset titulus dominiorum, sequeretur, nullum dominium esse certum. Ex quo nasceretur incredibilis confusio et perturbatio inter homines. Neque argumenta eorum aliquid concludunt.

Ad primum dico, illis verbis non improbari a Beo reges malos, sed improbari, quod Judaei volucrint habere regem, cum Deus esset rex corum; nam, ut exponit b. Hieronymus, in hoc. cap. 8. explicat Oscae caussas, propter quas populus isrāci tradendus erat in captivitatem, et unam dicit esse, quia voluerunt habere regem; alteram, quod fecerunt sibi idola. Quod autem valde peccaverint, volentes regem habere, perspicuum est ex lib. 1. Reg. cap. 12. ubi post electum Saulem in regem, Samuel sic ait ad populum: State et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid non messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias; et scietis, et videbilis, quia grande malum fecerilis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.

Ad secundum dico, transferri, regna de gente in gentem propter injustitiam, quia Deus propter peccata regum saepe donat victoriam hostibus eorum, sed non propterea eo ipso, quod peccant,

jus regni amiserunt.

Ad tertium dico, Dei benignitatem decere, ut etiam hostibus suis benefaciat, ut legimus in evangelio Matth. 5. Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Neque propterea approbat abusum. Non enim donat regna impiis, ut eis abutantur, sed vel ut beneficentia ejus invitati convertantur a peccatis suis, ut b. Hieronymus exposuit in illud Isai. 45. Haec dicit Dominus Christo meo Cyro: Ego ante te ibo, et gloriosos terrae humiliabo, portas aereas conteram, et vectes ferreas confringam, et dabo tibi thesauros absconditos et arcana secretorum, ut scias, quia ego Dominus etc. vel ut remuneret quaedam benefacta eorum, ut b. Augustinus docet lib. 5. de Civil.Dei, cap. 15. vel denique, quia interdum hoc merentur peccata populorum, ut idem August. docet lib. 5. de Civit.Dei, cap. 19.ex illo Job. 34. Qui regnare facit hominem hypooritam propter peccata populi. Idem tamen Augustin. lib. 19. de Civit. Dei, cap. 21. dicit, spud infideles non pesse esse justitiam, nec jura, nec verum populum, aut rempubl. etc. sed vocat veram justitiam, et vera jura, quae dicunt ad vitam aeternam. Vide lib. 5. in Julian. cap. 3.

#### CAPUT IX.

Proponitur quaestio de potestate magistrutus.

Sequitur tertia quaestio: Liceatne christiano magistratui leges condere, judicia exercere et punire improbos. Sunt autem duo errores refellendi. Primus est Waldensium et Anabaptistarum, qui haec omnia negant. Argumenta vero eorum sunt, quod legum obligatio tollat christianam libertatem; judicia autem prohibeantur, Matth. 5. Si quis voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, da ei et pallium. Et 1. Corinth. 6. Deli-

clum est in vobis, quod judicia habetis inter vos; cur non mugis fraudem patimini? Quara non magis injuriam accipitis? Denique punire gladio interdictum videtur Christianis, Matth. 5. Dictum est antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente, ego aulem dico vobis non resistera mato; constat autem in lege veteri non fuisse permissum, nisi magistratui, poenam talionis inferre: ergo hoc ipsum Christus prohibet, qui etiam Matth. 26. ait: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Secundus error Calvini est, qui etsi lib. 4. Institut. cap. 20. probat contra Anabaptistas, in Ecclesia debere esse leges civiles, judicia et gladium, tamen lib. 4. Institut. cap. 10. § 5. asserit leges civiles non obligare in conscientia: quod ante illum docuerat Joannes Gerson de vita spirituali lect. 4. et Almain de potestate ecclesiastica

quaest. 1. cap. 10. Rationes hae sunt.

Prima, quia potestas politica est temporalis: ergo nihil ei cum conscientia. Secunda, quia finis legum civilium est pax externa. Tertia, quia princeps non judicat de internis. Quarta, quia princeps non potest inferre poenam spiritualem, ergo nec ad illam obligare. Quinta, quia princeps non potest absolvere, ergo nec ligare. Sexta, quia bis puniretur idem peccatum, semel hic, semel in alio saeculo. Septima, quia princeps ut plurimum non intendit obligare ad culpum. Octava, quis potius debemus praevaricari gravissimam legem civilem, quam levissimam divinam, ut illam de non mentiendo officiose; at ista non obligat, nisi ad venialem culpam: ergo illa ad nihil obligat : nam si obligaret ad peccalum, praecipue mortale, oporteret potius cavere mortale, quam veniale.

#### CAPUT X.

#### Prima propositio.

Licet christiano principi loges condere. Probatur; nam in primis proprium est principis leges condere, juxta illud Proverb. 8. Per me reges regnant, et legum conditores juxta décernant. Et Isaiae 33. Dominus rex noster. Dominus legifer noster; nam regis est jubere, et jubendo dirigere. Porro lex est ipsa jussio et regula: ergo si Christiani esse possunt principes, certe etiam possunt leges condere;et confirmatur ex Augustino lib. 19. de Civit. Dei cap. 17. Civitas, inquit, coelestis, dum apud terrenam civitatem, vel ut captivam vitam suae peregrinationis agit jam promissione redemptionis et dono spiriluali, tamquam pignore accepto, légibus terrenae civitatis ; quibus haec administrantur, quae sustenianda mortali vilae accomodata sunt, obtemperare non dubitat. Et infra: Haec ergo coelestis civitas dum peregrinatur in terra, ew omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis

peregrinum colligit socielatem, non curans quidiquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur. vel (enetur, nikil corum rescidens, vel destruens, immo clima comano de contens.

immo eliam servans, ac sequens.

Secundo probatur ex necessitate legum civilium. Christiani ex eo quod Christiani sunt, non desinunt esse homines et cives, et proinde membra reipublicae temporalis: ergo debent habere regulam aliquam actionum suarum humanarum qua dirigantur in commerciis, et consuetodine cum aliis hominibus. Non sufficit autem lex naturalis, quia solum principia generalia ostendit, neque ad particularia descendit. Non sufficit etiam lex evangelica, quia illa tractat solum de rebus divinis et coelestibus, ut notum est : lex autem divina politica Testamenti veteris jam cossavit, solum enim conveniebat uni illi populo Judaeorum, et in illo statu: ergo necessaria est alia aliqua regula humana, nimirum arbitrium principis, aut lex civilis auctoritate principis constituta. Et quamquam arbitrium principis aliquo modo sufficere possit, quando princeps est sapiens, et populus exiguus; tamen absolute necesse est, populum regi legibus, non solo arbitrio principis, si recte regi debeat. Quad interdum sufficiat arbitrium principis, patet, quia antiquiora sunt regna, quam leges. Justinus lib. 1. histor, dicit, olim populos sine ullis legibus, solo principum arbitrio, gubernari solitos; et ex Livio lib. 3. constat, romanam rempublicam ad annos 300. sine legibus gubernatam. Denique antiquissimus legislator vel est Moyses, ut Josephus contendit in 2. lib. contra Appionem, vel certe Phoroneus, qui 300. annis Moyse fuit antiquior, ut Eusebius in Chron.et Augustin.lib.18.de Civit.Dei cap. 3. docent. Alqui ante Phoroneum constituta sunt regna Assyriorum, Argivorum, Aegyptiorum et aliorum.

Quod autem melius sit regi populum legibus, quam solo principis arbitrio, immo quod sit hoc aliquo modo necessarium, affirmat Aristotel. lib.3. polit. cap. 11. Et probatur primo, quia facilius esti invenire unum vei duos bonos et sapientes, quam plurimos. Si respubl. debeat regi arbitrio boni principis, indigebit infinitis bonis principibus, quorum unus alteri succedat; at si gubernetur legibus, sufficit semel fuisse aliquos, vel unum sapientem, qui legem fecerit.

Secundo, qui leges condunt multi sunt; et diligenter eas examinant; at princeps est unus, et sae-

pe repente judicare debet.

Tertio, qui leges fecerunt, sine amore et edio judicarunt: nom de rebus absentibus judicarunt. Princeps de praesentibus judicat, ubi locum habent amici, propinqui, munera, terrores etc. unde judicium legum est judicium solius rationis, judicium hominis est judicium rationis et libidinis, idest, hominis et bestiae.

Quarto, judicium principis etiamsi rectissimum sit, vix unquam caret suspicione, invidia, querelis, maledictis; at judicium legis his omnibus caret, quippe quod scitur non posse corrumpi muneribus.

Quinto, gubernatio per leges potest longissimo

tempore eadem perseverare; at judicia hominum saepe mutantur.

Sexto, gubernatio per leges potest reduci ad artem, et facilior effici; non autem gubernatio ad arbitrium hominis.

Septimo, melior est gubernatio principis per se, quam per vicarios; at gubernatio sine legibus necessario requirit multos vicarios, qui omnes ad arbitrium suum judicent; quando autem per leges gubernatur, ipse princeps omnia per se judicare censetur, cum ejus legibus judicetur.

Tertio probatur; nam si non liceret principi christiano legibus obligare populum, id esset propter libertatem christianam, sed hoc dici non potest. Nam tantum abest, ut lex opponatur libertati chrislianae, ut potius opponatur servituti contrariae eidem libertati, id quod ostendo ex ipsa natura libertatis christianae: nam libertas christiana opponitur servituti peccati, Joan. 8. Amen, amen dico vobis, qui facit peccatum, servus est peccati, servus autem non manet in domo in aeternum: filius manel in aeternum; si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi erilis. Et Rom. 6. Liberati a peccato, servi facti estis justitiae. Vocatur autem haec justificatio a peccato libertas quaedam, quia qui in peccato est, donec non liberatur per gratiam, non potest velle bonum ordinatum ad vitam aeternam; habet quidem liberum arbitrium, quia potest ex pluribus malis eligere unum, et etiam eligere bonum morale; at eligere bonum divinum non potest, nisi saltem liberari incipiat per Dei gratiam praevenientem, quia captivus tenetur a diabolo ad insius voluntatem, ut dicitur 2. Timoth. 2. at liberum arbitrium liberatum per gratiam potest bonum divinum velle et facere. Sed major adhuc libertas erat in statu innocentiae, quia tunc homo poterat nullum unquam velle malum, quod nunc etiam justi non possunt; maxima autem erit in coelo, ubi non poterimus velle ullum malum.

Itaque triplex est gradus libertatis, sicut etiam triplex gradus vitae corporalis. Primus est beatorum, qui sic poterunt vivere, ut non possint mori, et sic poterunt bene agere, ut non possint peccare.

Secundus fuit Adami et Evae in statu innocentiae, qui sic poterant vivere, ut possent etiam numquam mori, et sic poterant bene agere, ut possent etiam numquam peccare.

Tertius noster, qui sic possumus vivere, ut non possimus aliquando non mori:et sic possumus bene agere, ut non possimus non peccare saltem venialiter. Infra hos tres gradus non est quartus, nisi non vivere, et non bene agere, qui gradus ad damnatos pertinet. Vide August. lib. de corrept. et grat. cap. 14. Cum ergo libertas consistat in eo, ut possimus eligere bonum et rejicere malum, manifestum est, legem non pugnare cum libertate; non enim impedit, quo minus possimus eligere bonum et rejicere malum, sed contra potius juvat: nam praebet materiam exercendae libertatis. At servituti recte opponi dici potest lex, quia non potest impleri a servo peccati. Unde Paulus Rom. 3. Quid ergo, inquit, legem destruimus per fidem? absit,

sed legem statuimus. Vide Augustin. de spirita et litera, cap. 30.

Probatur secundo hoc idem. Lex divina non pugnat cum libertate: ergo nec lex humana. Antecedens patet, nam Adam liber creatus est, et tamen lex ei imposita fuit, ut non vesceretur ligno scientiae boni et mali, Genes. 2. Probatur consequentia; nam lex divina et humana quoad obligationem sunt omnino aequales, ut patebit in seq. capite.

#### CAPUT XI.

#### Secunda propositio.

Lex civilis non minus obligat in conscientia, quam lex divina, elsi minus firma et stabilis sit haec, quam illa. Explico, lex divina et humana differunt quoad firmitatem, quia divina non potest abrogari ab homine, humana potest; at quoad obligationem non differunt, utraque enim obligat in conscientia, nunc ad mortale, nunc ad veniale peccatum pro rerum ipsarum gravitate; ita ut nulla sit melior regula ad discernendum, utrum lex humana obliget ad mortale, an ad veniale, quam cogitare legem illam esse divinam, et videre, si divina essel, quomodo obligaret.

Probatur primo, vis obligativa est de essentia legis, ut dictum est lib. 4. de pontifice, cap. 16. et obligare est effectus necessarius legis: ergo omnis lex et a quocumque feratur, sive a Deo, sive ab angelo, sive ab homine, et homine sive episcopo, sive rege, sive patre, eodem modo obligat. Probatur consequentia a simili, nam quia hominis essentia est, rationale esse, et propria passio esse risibilem, omnis homo est rationalis et risibilis, sive sit creatus a solo Deo, ut Adam, sive a Deo ex alio homine, ut Eva, sive ab hominibus genitus, ut Cain. Antecedens patet, nam lex est regula morum; regulae autem proprium est intrinsece ita dirigere, ut recessus ab ipsa sit peccatum in moribus, sicut recessus a regula in naturalibus dicitur peccatum naturae, ut sunt monstra, et recessus a regula in artibus est peccalum artis.

Ubi notandum est.quod sicut res caeterae, quoad existentiam, pendent ab agente, non quoad essentiam, essentiae enim sunt aeternae; sunt enim quaedam participationes possibiles divinae essentiae: ita etiam lex, quoad existentiam, pendet a legislatore; non enim erit lex, nisi dictetur ab eo, qui habet auctoritatem. At quoad essentiam non pendet; quod enim lex obliget est quid aeternum et immutabile, et participatio quaedam legis aeternae Dei, qui est prima et summa regula; et hoc videtur voluisse dicere b. Augustin, lib. 22. contra Faustum, cap. 27. cum ait: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum, contra aeternam Dei legem. Nam sive quis praevaricetur legem naturalem, sive positivam, sive divinam, sive humanam, semper peccat contra legem aeternam, quia omnis lex

est legis aeternae participatio. Et quamquam non potest fieri, ut aliqua vera lex non sit a Deo, cum lex non possit condi, nisi ab habente potestatem, et non sit potestas nisi a Deo, Roman. 13. tamen si (per impossibile) esset lex non a Deo, adhuc obligaret ad culpam, sicut si (per impossibile) homo existeret non factus a Deo, adhuc esset rationalis.

Probatur secundo; nam si lex obligaret solum quia divina, omnes leges divinae aequaliter obligarent, ut patet; nam cadem esset ratio obligationis in omnibus. At hoc est falsum:nam magis obligat lex, non occides, quam lex, non furaberis; et magis lex, non furaberis, quam lex, non mentieris; et lex, non mentieris, quam lex, non loqueris verbum otiosum.

Praeterea tertio, ostensive, illa lex divina magis obligat, cujus violatio est magis contraria fini legis, idest, charitati; ideo enim pejus est occidere quam furari, quia magis contra charitatem; et ideo mortale est mentiri perniciose, veniale est mentiri officiose, quia illud est contra charitatem; hoc vero praeter charitatem: sed lex humana etiam habet pro fine charitatem, et ordinat media ad hunc finem; quod enim ait apostol. 1. Tim. 1. Finis praecepti est charitas, de omni praecepto intelligitur, et patet, nam lex civilis justa, semper est vel conclusio, vel determinatio legis divinae moralis:ergo habent eundem finem, et solum in hoc videntur disserre, guod lex humana dirigit actus humanos in ordine ad actus externos dilectionis, idest, ad pacem et conservationem reipublicae; lex autem divina dirigit etiam in ordine ad internos actus charitatis:igitur eadem est ratio legis divinae et humanae, quod attinet ad obligationem.

Sed phicies: si ex natura rei, et ex ordine ad charitatem sumitur gravitas peccati, superfluae sunt leges, nam aeque obligamur ante legem, ac post legem ad id fugiendum, quod natura sua laedit charitatem, et ad id faciendum, quod est necessarium

ad conservandam charitatem.

Respondeo: Negatur consequentia: nam si lex non adsit generaliter aliquid praecipiens, aut prohibens, multa quae sunt mala uni, non erunt alteri mala, v. g. si lex non sit, quae prohibeat gestare arma, erit malum gestare arma ei,qui facile provocatur ad iram, et qui habet inimicos, quibus cupit nocere: at non erit malum homini pacifico, et qui solum cupit seipsum desendere. Tamen si id lex prohibent, jam est malum omnibus; lex enim non debet respicere, quid huic aut illi sit bonum vel malum, sed quid prosit, aut obsit reipublicae. Praeterea plurima sunt necessaria vel noxia bono communi, quae tamen non sunt bona vel mala ulli in particulari, nisi lege praecipiantur, vel prohibeantur: v. g. tributum necessarium est regi, tamen si lex non adsit, non est necessarium ut ego solvam; nam parum prodest meum solius tributum regi, neque ad me pertinet videre, quibus rebus indigeat respublica, et sic possent omnes dicere. Similiter noxium est reipublicae exportari aurum ex provincia, at non est noxium notabiliter, quod ego solus exportem meum aurum, et sic omnes dicere possent; lex ergo necessaria est, quae generaliter praecipiens et prohibens, publicae utilitati prospiciat

Quarto, lex divina positiva ideo obligat ad peccatum, quia constituit actum, quem praecipit in genere virtulis, cum ante non esset: nam si Judaeus non ex contemptu, sed ex cibi appetitu moderate comedisset carnem suillam in lege prohibitam, sine dubio peccasset, non autem peccasset formaliter contra obedientiam, quia non ex contemptu, ergo contra temperantiam; at moderate vesci carne suilla. ex se non est contra temperantiam, sed res quaedam indifferens, ergo lex fuit, quae illam abstinentiam fecit actum temperantiae necessarium. At hoc idem videmus in lege humana: nam lex divina non alia de caussa facit esse actum virtutis eum, qui ex se erat indifferens, nisi quia est regula morum ab eo posita, qui habuit auctoritatem praecipiendi. Sed homo etiam potest praecipere, et regulas morum constituere, ut supra ostendimus; potest igitur homo lege sua constituere actum, alioqui indifferentem, in genere virtutis: proinde pares sunt lex divina et humana, quoad obligationem.

Quinto, lex divina et humana ita disferunt, ut lex regis et proregis, sive lex pontificis et ejus legati. At istae obligant codem modo, et solum different firmitate, ergo et illae. Propositio patet, nam Scripturae passim testantur, reges esse ministros Dei. et ab illo habere auctoritatem, et loco ejus judicare, Proverb. 8. Sap. 6. Rom. 13. 1. Pet.2. Assumplio eliam patet, nam auctoritas proregis est a rege. et legati a papa; et experientia idem testatur, et confirmatur ex sanctis Patribus Augustino et Bernardo. Augustinus in titulum psal. 70. Ubi, inquit, hoc jubet paler, quod contra Pominum non sit. sic audiendus est, quomodo Deus etc. Certum autem est, majorem esse regis, quam patris auctoritalem, ut idem Augustinus dicit serm. 6.de verbis Domini. Bernardus tract, de praecept et dispensat. Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non praecipit homo; ubi clare dicit, disserre leges ex parte materiae, non autem ex parte praecipientium.

At objicies:nam b.Bernardus ibidem loquens de mandatis hominum, dicit, jussa sine culpa non negliguntur, sine crimine non contemnuntur, ubique enim et culpabilis neglectus et contemptus damnabilis est: ubi videtur dicere, legem humanam numquam obligare ad culpam mortalem, nisi ratione contemptus. Respondeo: Loquitur de praeceptis rerum levium, in talibus enim non potest esse crimen, nisi ratione contemptus. Nec enim possunt praelati pro arbitrio obligare ad culpam mor-

telem.

Sexto probatur, quia videtur implicare contradictionem, posse principes obligare ad poenam, et non ad culpam, si quidem culpa et poena relativa sunt. Et b. Augustinus dicit lib. 1. retract. cap.9. Omnis poena si justa est, poena peccati est. Et in epist. 405. et alibi, Deum ipsum fore injustum asserit, si quemquam damnaret innoxium. Quomodo igitur possunt principes damnare ad mortem eos, qui leges suas praevaricantur, si illi nihit

peccaverunt? si culpam in conscientia non contraxerunt?

Dices: quomodo ergo regulae quorumdam religiosorum obligant ad poenam, et non ad culpam? Respondeo: Obligant non per modum legis, sed per modum conventionis et pacti, ut leges pure poenales. Nec illa est proprie poena, sed poenalis afflictio suscepta in auxilium spiritus.

Septimo et ultimo ex doctrina apostolorum:nam Roman. 13. Paulus multis modis id asserit. Primo, cum ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sil: non enim est polestas, nisi a Deo.Secundo, cum ait: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Tertio, cum ait: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Id enim de neterna damnatione exponunt Patres graeci et latini in hunc locum. Quarto, cum ait: Ideo necessitate subditi estate. Quinto, cum ait: Non solum propter iran, sed etiam propter conscientiam. Sexto, cum ait: Ministri enim Dei sunt. 1. Pet. 2. Subjecti estote propter Deum, idest, non solum timore poenae. Hacc loca satis demonstrant quod volumus; Nam si principes a Deo potestatem habent imperandi, certe qui eis non parent, non solum princines, sed etiam Deum offendunt; et si qui principi resistunt, Dei ordinationi resistuat; certe peccant in conscientia, non secus ae si divinas leges praevaricaverunt; et si qui resistunt, dampationem sibi acquirunt, certe culpam ea poena dignam incurrunt. Et si necessitate subditi sint privati principibus non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, quomodo non peccant in conscien-· tia qui eis non obediunt? Denique si principes, Dei ministri sunt, et eis propter Deum parendum est, profecto majestatem Dei laedunt, qui principum mandala contemnunt. Ad argumenta in contrarium.

Ad primum, secundum et tertium respondeo: Ex eo, quod potestas política est temporalis, et ejus finis est pax exterior, et homo non judicat de internis, recte colligi, eam non posse obligare, nist ad actus temporales et exteriores; non autem non posse obligare in consciontia: nam etsi ista regula dirigat actus exteriores, tamen quia regula est, ab ipsa deviare, peccare est.

Dices: quomodo potest lex, vel potestas temporalis producero effectum spiritualem, idest, ligare conscientism? Respondeo: Licet potestas politica et ejus lex dicantur temporales ratione objecti, quia versantur circa temporalia et exteriora; tamen in se res sunt spirituales. Praeteroa, ligare conscientiam non est aliquid efficere in rem spiritualem, sed solum imperare alteri, et sic imperare, ut si is non obediat, peccet et testimonio propriae conscientiae intelligat, vel intelligere possit, se peccare. Itaque quicumque potest jubere, potest ligare conscientiam, etiamsi is de internis non judicet, nec serutetur conscientiam alterius.

Ad quartum et quintum dico:Principem non posse inferre poenam spiritualem et acternam, nec posse dimittere ejusmodi poenau, et tamen posse obligare ad illum; quia id facit auctoritate Dei, qui ci concessit unum et non alterum; sicut si rex permitteret proregi obligare subditos ad poenam capi-

tis, et tamen non permitteret ei per se exercare justitiam, vel condonare supplicium. Vel dicendum est, legem politicam obligare ad poenam actornam, non ut est lex hominis, sed ut est lex ministri Del. Qui enim ministrum Dei offendit, simul etiam Deum ipsum offendit; quocirca si (per impessibile) Deus non esset in rerum natura, et tamen lex politica similiter per impossibile extaret aliqua, illa obligaret in conscientia, et ejus praevaricatio peccatum esset, sed nulla sequeretur praevaricatorem poena spiritualis aut aeterna damnatio.

Ad sextum dico, non esse absurdum, idem peccatum puniri a pluribus, et pluribus in locis, quando plures offendit, sicut videmus homicidis saepe abscindi manus in eo loco, ubi caedem patrarunt, et deinde in loco publicae justitiae abscindi caput.

Ad septimum dico, ex intentione legislatoris pendere; an velit revera imperare, et veram legem condere, an vero solum ostendere quid agendum sil, sine alio imperio: sed si velit serio imperare, et veram legem condere, non est in ejus potestate impedire, quin lex obliget ad mortale, aut ventale, pro rei magnitudine.

Ad ultimum dico, quod legi divinae cedat humana, quando simul servari nequeunt, non esse caussam, quia humana non obliget ad peccalum, sed quia lex humana minus firmiter statuta est; in tali enim casu desinit esse lex, et proinde etiam obligare. Vide quae diximus in lib. 4. de pontifice; et praeterea Joannem Driedonem in 3. lib. de libertate christiana; Adrianum quod lib.6. Franciscum Victoriam in relectione de potestate civili; Alphonsum a Castro, lib. 1. de potestate legis poenalis, cap. 4. et Dominicum a Soto, lib. 1. quaest. 6.art. 4. de justitia et jure.

#### CAPUT XII.

#### Terlia propositio.

Judicia publica exercere non est illicitum Christianis. Probatur Primo, quia proprium est principis judicare. Scriptura enim fere conjungere solet regem et judicem, psal. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram. Isaine 33. Dominus rex noster, Dominus legifer noster, Dominus judex noster. Hieremiae 23. Regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra. Si ergo licet Christianis habere principem eur non et judicem?

Secundo, quia nibil prodessent leges, si nulla esse deberent judicia: at leges tolli non debent, ut supra ostensum est, igitur nec judicia.

Tertio, Scriptura utriusque Testamenti judicis admittit; sie enim legimus Deut. 16. Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio. 1. Corinth. 6. Saccularia judicia si habusritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum;

sie non est sapiens quisquam in vobis, qui judicare possit fratrem suum? Ubi apostolus monet Corinthios, ut in iis caussis, in quibus non tenebantur necessario adire tribunalia gentilium, con-

stituerent inter se judicem.

Neque difficile erit argumenta solvere, quae initio posita sunt. Ad illa igitur verba Matth. 5. Si quis voluerit tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, relinque illi et pallium. Respondeo cum s. Augustino in epist. 5. ad Marcellinum: Ea solum intelligi debere secundum animi praeparationem: nam ibidem Dominus ait: Si quis le percusserit in unam maxillam, praebe illi et alteram. Et tamen idem ipse Dominus Joann. 18. percussus in maxilla, non praebuit alteram, sed dixit: Cur me caedis? Quo exemplo docuit, quemadmodum praecepta intelligenda sint.

Ad verba apostoli 1. Corinth. 6. Delictum est in vobis etc. dico primo, vocem delictum, graece esse ητημα, quod non peccalum, sed imperfectionem significat, et sic exponit Theodoretus. Dico secundo, si delictum significet peccatum, ut exponunt Chrysostomus et Ambrosius in hunc locum, et Augustin. in Enchirid. cap. 78. et lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 15. et conc. 24. in psalm. 118. dico, inquam, vocari delictum, non quod in se peccatum sit, sed quia ut plurimum non caret peccalo, vel ratione finis, ut quando litigatur ex avaritia, vel ratione medii, ut quando litigatur cum odio, rancore, jurgiis, vel ratione injustitiae, ut quando miscentur doli et fraudes, vel ratione scandali, ut accidebat Corinthiis, qui cum offendiculo gentilium litigabant. Dico tertio, non reprehendi judicia ex parte judicis, sed ex parte litigan-tium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset judicare; judicia enim finem imponunt litibus, quod est bonum.

#### CAPUT XIII.

#### Quarta propositio.

Licet Christiano magistratui gladio punire perturbatores publicae quietis. Probatur primo Scripluris; nam in lege naturae, Moysis, et evangelica habemus praecepta, et exempla hujus rei. Nam Genes. 9. Deus ait: Quicumque effuderit humanum sangwinem, fundetur sanguis illius. Quae verbanon possunt sonare praedictionem, quia praedictio hujusmodi saepe esset falsa, sed ordinationem et praeceptum. Unde chaldaica paraphrasis vertit: Qui esfuderit sanguinem cum testibus, ex sententia judicis fundetur sanguis illius. Genes. 38. dixit Judas: Producite eam, ut comburatur. Ubi Judas patriarcha tamquam princeps familiae adjudicavit adulteram ad ignis supplicium.

In lege Moysis plurima sunt praecepta et exempls. Exod. 21. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Et ipse Moyses, Josue, Samuel, David, Helias, aliique sancti viri plurimos

Bellarmini, Vol. 11.

occiderunt. Matth. 26. Qui acceperit gladium, gladio peribit. Quae verba non possunt recte intelligi, nisi hoc modo: Omnis, qui caedem injustam fecerit, debet a magistratu pariter occidi. Reprehendit enim Dominus Petrum, non quod justa defensio sit illicita, sed quod non lam se aut Dominum defendere, quam injuriam Domino factam ulcisci vellet, cum tamen ipse non haberet publicam auctoritatem, ut recte exponunt August. tract. 112. in Joan. et Cyrill. lib. 11. in Joan. cap. 35.praelerca Rom. 13. Si male egeris, time; non enim sine caussa gladium portat, minister enim Dei est. Apostolus dicit datum gladium a Deo principibus contra facinorosos: ergo si in Ecclesia tales reperiantur, cur gladio feriri non poterunt?

Secundo probatur ex Patrum testimoniis. Innocentius I. in epist. 3. ad Exuperium, cap. 3. interrogatus, an post baptismum liceret magistratui gladio animadvertere in sontes? Respondet: Omnino licere. Hilarius in can. 32. sive in cap. 26. Matth. dicit licere occidere in duobus casibus, nimirum si quis judicis fungatur officio, aut in sui defensio. nem utatur gladio. Hieronymus in cap. 22. Hierc. miae: Homicidas, inquit, et sacrilegos, et venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. Augustin. lib. 1. de Civit. Dei, cap. 21. Neguaquam contra hoc praeceplum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui personam gerentes publicae potestatis sceleratos morte punierunt.

Ultimo probatur ratione: Nam ad bonum principem, cui bonum commune tuendum commissum est, pertinet impedire, ne parles, quae sunt pro-pter totum, illud corrumpant, et ideo si non potest omnes partes integras servare, potius debet unam partem ampulare, quam sinere ut bonum commune pereat; sicut agricolae amputant ramos et sarmenta, quae officiunt viti, vel arbori, et medicus amputat membra, quae totum corpus inficere

possent.

Ad rationem Anabaptistarum ex Matth. 5. Oculum pro oculo etc. duae sunt solutiones.Una,quod lex vetus, quia dabatur hominibus impersectis, permiserit vindictae appetitum, et solum praeceperit ne major expeteretur quam fuerit injuria;non quod petere vindictam sit licitum, sed quod sit minus malum expetere moderatam, quam immoderatam: porro Christum, qui persectiores instruebat, hanc permissionem sustulisse. Ita August. lib. 1. de serm. in monte, c. 35. et contra Adimantum, cap. 8. et idem sentit Chrysostomus et Hilarius in hunc locum; sed quia in Levit. cap. 19, prohibetur vindicta: Ne quaeras ultionem. Et in Eccles. cap.28. legimus: Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindiciam; rectius fortasse respondebimus cum s. Thoma et s. Bonaventura, et aliis nonnullis in 3. sentent. dist. 30. Dominum, cum ail: Audistis, quia dictum est antiquis, oculum pro oculo etc. non reprehendere legem illam, nec prohibere magistratum infligentem poenam talionis, sed repre-hendere pravam pharisaeorum expositionem, ct prohibere privatis hominibus desiderium et postu. Jationem vindictae. Deus enim Exod. 21. et Levit. 24. sanctam legem constituit, ut magistratus poena talionis afficiat sceleratos; pharisaei inde deducebant, licere privatis hominibus appetere vindictam; sicut ex eo quod lex dicebat: Diliges amicum tuum, deducebant licere odisse inimicos; Christus autem docet, istas esse legis corruptiones, et oportere diligere etiam inimicos et non resistere malo, sed polius paratos nos esse debere, si opus sit, ad vertendam alteram maxillam ei, qui unam percusserit. Et quod alloquatur Dominus privatos homines, patet ex iis, quae sequuntur. Sic enim Dominus ait: Ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in maxillam unam etc.

Est autem observandum, cum dicitur, non resistere malo, non prohiberi justam defensionem. sed repercussionem; jubet enim Christus, ne ferias eum qui te percussit, ul Theophylactus recte docet. Ille autem dicitur ferire, qui ferit ut noceat, non ille qui ferit ut se tueatur; ac breviter non defensio sed vindicta prohibetur, juxta illud Rom. 12. Non vos defendentes charissimi, idest, non vos ulciscentes. Sic enim est in graeco, έχδιχοῦντες, unde sequitur: Sed date locum irae, scriptum est enim: Mihi vindictam et ego retribuam. Sed nec ipsa vindicta simpliciter prohibetur, si pelatur a legitimo judice, et petatur ad bonum finem, nimirum, vel quia spes est emendandum hac poena malefactorem, vel quia non aliter posset reprimi, et impediri ejus malitia, et pergeret nocere, si impunitus dimitteretur; solum ergo prohibetur vindicta, quam privati homines per se exercere volunt, et quam petunt a judice ex desiderio nocendi inimico, et satisfaciendi propriae iracundiae, atque odio.

#### CAPUT XIV.

Licere Christianis aliquando bella gercre.

Sequitur quaestio quarta, quae est de bello. Continet autem hace disputatio partes tres. Primum enim demonstrandum erit, licita esse aliquando Christianis bella. Secundo, explicandae caussae justi belli. Tertio, propter Lutherum, probandum erit recte Christianos adversus Turcas arma sumere.

Ac ut a primo incipiamus, antiqua haeresis fuit Manichaeorum, qui bellum ex natura sua illicitum asserebant, et ideo Moysem, Josue, Davidem et caeteros veteris Testamenti Patres, qui bella gesserant, tamquam impios accusabant, ut b. Augustinus refert lib. 22. cont. Faustum, cap. 74. et seq. Eandem haeresim nostro saeculo aliqui excitarunt; ac in primis Erasmus cum alibi, tum praecipue in annotationibus ad cap. 3. et 22. Luc. prolixa disputatione contendit bellum esse unum ex malis, quae tolerantur, et veteribus Judaeis a Deo permissum, Christianis autem a Christo et apostolis interdictum.

Cornelius quoque Agrippa in libro de vanitate scientiarum, cap. 79 artem bellandi a Christo pro-

hibitam esse affirmat. Idem eliam sequulus est Jaanues Ferus lib. 4. commentariorum in Matthaeum,
exponens illud 26. cap. Qui acceperit gladium,
gladio peribit. Idem docent Anabaptistae, ut testatur Melanchthon in locis theologicis. capite de
magistratu. Idem etiam tribuit Joanni Oecolampadio Alphonsus a Castro, verbo Bellum, quod mirum mihi videtur, cum Zwinglius ejus collega adeo
probarit bellum, ut in praelio pugnaus perierit, et
similiter Calvinus lib. 4. institut. cap. 20. et Melanchthon, ubi supra, et caeteri haeretici hujus
temporis, verbo et opere doceant esse bellaadum.

Nos autem, ut semper docuit Ecclesia tota et verbis et exemplis, dicimus bellum ex natura sua non esse illicitum, et non solum Judaeis, sed etiam Christianis fas esse bellum gerere, modo conditiones serventur, de quibus postes dicemus. Id quod probatur Scripturae testimonio, Judicum 3. Hae sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Isräelem, et omnes qui non noverant bella Chananaeorum, et postea discerent filii eorum certare cum hostibus, et habere consueludinem praeliandi. Haec sane verba non permissionem, sed absolutam Dei voluntatem ostendunt. Item 1. Reg. 15. Haec dicit Dominus exercituum, recensui quaecumque fecil Amalech Isräeli;nune ergo vade et percule Amalech, et demolire universa ejus. Non parcas ei etc. Hic etjam non permissionem, sed praeceptum videmus, et similium plenum est Testamentum vetus. Item Luc. 3. In terrogabant eum et milites, dicentes; Quid faciemus et nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris. Anabaptistae apud Melanchthonem dicunt Joannem permisisse bellum Judaeis, ut imperfectis: Christum autem longe aliter docuisse.

At contra; nam Joannes praeparabat viam Domino, non ergo debuit permittere id quod Christus mox ablaturus erat; nam nec illi potuissent uti ea concessione, cum eodem anno venerit Christus, et prohibuerit bellum, ut ipsi volunt; et praeterea poterant suspicari homines Christum et Joannem non convenire inter se, quod absurdissimum fuisset. Respondet aliter Erasmus:Haec dici militibus, non ut ea servantes bene viverent, sed ut minus male viverent, ut videtur etiam explicare Theophylactus.

At contra; nam Joannes praemiserat: Facile fructus dignos poenitentiae, et omnis arbor non faciens fructum bonum, in ignem mittetur etc. Iade campuncti publicani et milites petierunt, quis esset fructus bonus, quem facere deberent: vel ergo Joannes eos decepit, vel possunt milites salvari, si servent quod Joannes illis praecepit.

Ad Theophylactum dico duo. Primo, eum non dicere bellum esse malum, sed solum dicere Joannem hortatum esse turbas, quae erant innocentes, ad opera bona, idest, ad communicanda bona sua cum aliis: Publicanos autem et milites, qui non erant capaces hujus perfectionis, et non poterant facere bonum supererogationis, hortatum esse ut desisterent a malo. Putavit enim Theophylactus

dare tunicam non habenti, ei qui habet duas, esse opus consilir et supererogationis, alioqui non vocaret turbas, quibus hoc dicitur, immocentes, nec distingueret hoc opus tamquam bonum a malo, nam si praeceptum sit non retinere duas tunicas, retinere erit malum.

Dico secundo, Theophylactum non recte exponere hunc locum; nam vocat turbas innocentes, quibus Joannes dicit: Genimina viperarum; Et: Facile fructus dignos poenitentiae. Et practerea habere duas tunicas, est retinere superflua, ut Hieronymus dicit quaest. 1. ad Hedibiam, peccatum autem est retinere superflua. Praeterea Matth. 22. Dominus docuit tributum Caesari esse solvendum; al certum est tributum non deberi regibus, nisi ut possint alere milites in defensionem reipub. quod exponit apostolus Rom. 13. Ideo, inquit, et tributa praestatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes, nimirum, ut gladio puniant perturbatores publicae pacis, id enim praemiserat: Non sine caussa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram.

Probatur secundo exemplis sanctorum, qui bella gesserunt; nam si bellum esset malum, certe a sanctis non gereretur. In veteri Testamento Abraham, Moysem, Josue, Gedeonem, Samsonem, Davidem, Josiam, Machabaeos magna cum laude bella gessisse legimus. In novo Testamento Matth. 8. Centurio cum diceret Christo: Habeo sub me milites, et dico huic, vade, et vadit etc. ejus fidem Dominus laudavit, non ut militiam desereret praecepit. Actor. 10. Cornelius item Centurio dicitur, Vir justus et timens Deum. Ita ut etiam angelum videre meruerit, nec postea cum a s. Petro viam salutis doceretur, dictum est ei, ut militiam desereret.

Deinde post Christi'in coelum ascensionem semper fuisse Christianos, aliquos vere sanctos et Deo gratos in militia, etiam sub ethnicis principibus, docet Tertallianus in apologet. c. 5. ubi refert miracolum insigne a Christianis militibus factum, cum sub M. Aurelio in Germania bellum gererent; qui certe vel non militassent, si hoc esset malum, vel si militassent non ita Deo grati fuissent, ut etiam miracula facere possent. Vide histor. Eusebii lib. 8. cap. 4. et lib. 9, cap. 10. Docet etiam Basilius in oratione de laudibus 40. militum martyrum, fuisse multos sanctorum in castris gentilium imperatorum, et similiter Gregorius nazianzenus orat. 1. in Jolianum ultra medium. Denique Constantinum, Theodosium, Valentianum, Carolom Magnum, s. Ludovicum regem Galliae, s. Mauritlum cum sua legione Thebacorum, aliosque plurimos sanctos christianos bella gessisse constat, quos s. episcopi numquem reprehenderunt, immo Theodosius consulebat de eventu belli Joannem abbatem, ut Augustin. refert lib. 5. de Civit. Dei, cap. 26.

Tertio probatur, quia Deus saepe justa bella adjuvat, quod nullo modo faceret, si bellum esset illicitum; nam mala permitti possunt, sed non etiam ad ea facienda auxilium dari. Gen. 14. Abrahae, cum debellasset quatuor reges cum solis 318. famulis suis, dictum est a Melchisedech: Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in ma-

nibus tuis sunt. Exod. 17. ad preces Moysis Deus dedit victoriam Hebraeis contra Amalech. Josue 10. pugnante Josue sol stetit, et Dominus pluebat de coelo lapides magnos, et plures occidit Deus lapidibus grandinis, quam filii Isräel hastis et gladiis. 2. Machab. 10. Angeli in specie equitum pro Machabaeis pugnabant, et cap. 15. legimus Deum non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dare dignis victoriam.

Constantinum Dei auxilio miraculis evidenter ostensis, vicisse in bellis testatur Eusebius in vita Constantini, et lib. 9. hist. c. 9.Cum Theodosio s. Joannem et s. Philippum apostolos palam pugnasse contra hostes ejus testatur Theodoretus lib. 5. hist. c. 24. pro Thedosio juniores pugnasse angelos contra Saracenos soribit Socrates lib. 7. cap. 18. De Clodoveo vide Gregorium Turonicum, lib. 2. hist. Francorum, cap. 30.Honorii exercitum divino miraculo victoriam incredibilem de Gothis retulisse, scribit b. Augustinus lib. 5. de Civit. Dei, cap. 23.innumerabilia exempla similia referri possent.

Probatur quarto ratione; Licet reipub defendere cives suos ab internis hostibus pacis, eos necando variis generibus suppliciorum, ergo etiam licebit bello alque armis, quando alia via non potest, defendere eosdem suos cives ab hostibus externis: quia ut possint conservari respublicae, necessarium est ut omnes hostes tam internos, quam externos arcere possint; et cum hoe sit jus naturae, nullo modo credibile est, per evangelium esse sublatum.

Probatur ultimo testimoniis Patrum. Tertullianus in apolog. cap. 42. Navigamus, inquit, et nos vobiscum, et militamus, et rusticamur, et mercamur.

S. Gregorius nazianzenus orat. 3.de pace:Licet, inquit, utriusque temporis habenda sit ratio, quandoquidem juxta illius legem, atque auctoritatem praeclare interdum bellum suscipitur, quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus, hoc enim sublimius est et divinius.

S. Joannes Chrysoslomus homil. in evang. de nupliis, Joan. 2. ex variis: Militiam, inquit, praetexis, et dicis, non possum esse pius: Centurio nonne miles erat, nihilque nocuit illum sua militia?

B. Ambrosius serm. 7. Non militare, delictum est, sed propter praedam militare, peccatum est. Et lib. 1. de officiis, cap. 46. et 41. numerat inter virtutes, bellicam fortitudinem, et eam nostris non defuisse multis exemplis probat. Item in oratione de obitu Theodosii, vehementer Theodosium a laude bellica commendat.

B. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum: Nam si christiana disciplina, inquit, omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis pelentibus in evangelio diceretur ut abficerent arma, seque militiae omnino subtraherent: dictum est autem, neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere praecepit, militare utique non prohibuit. Et epist. 205. alias 207. ad Bonilacium: Nolf, inquit, putare ne-

minem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat etc. Idem docet lib. 22. contra Faustum, cap. 74. et sequent. et libr. 6. quaestionum in Jo-

sue quaest. 10.

B. Gregorius lib. 1. epist. cap. 72. ad Gennadium: Sicut, inquit, excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiae ejus omni vivacitate mentis, et corporis obviare etc. Et cap. 73. Si non ex fidei merito, ex christianae religionis gratia, tanta excellentiae vestrae bellicorum actuum prosperitas eveniret, non summopere miranda fuerat, sed cum futuras (Deo largiente) victorias non carnali providentia, sed magis orationibus praevenitis, fit ut hoc in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente descendat.

Gregorius Turonicus, lib. 5. hisl.cap.1. Ulinam et vos, o reges, in his praelia, in quibus parentes vestri, exerceretis, ut gentes vestra pace conten-

tae vestris viribus premerentur.

B. Bernardus in serm. ad milites, cap. 3.Al vero Christi milites, inquit, securi praeliantur praelia Domini sui, nequaquam metuentes, aut de hostium caede peccatum, aut de sua nece periculum, quandoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda, et nihil habeat criminis, et

plurimum gloriae mereatur.

At contra objiciunt. Primo Scripturas, ac primum Deut. 32. Mea est ultio, et ego retribuam. Et Rom. 12. Non vos defendentes charissimi; scriptum est enim, mihi vindictam, et ego retribuam. Respondeo: Vindictam, quam exercent publicae personae, recte vocari vindictam Dei, Dei enim ministri sunt in hoc ipsum servientes, unde Paulus postquam dixerat in fine cap. 12. ad Rom. Mihi vindictam, et ego retribuam. Subdit in principio cap. 13. Si male egeris, time, non enim sine caussa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei, qui male agit.

Addunt deinde illud Isaiae 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad praelium, quae de tempore christiano praedicta sunt. Respondeo: Solum hoc loco praedicitur altissima pax futura, eo tempore, quo nasceretur Christus, ut b. Hieronymus exponit, et impletum esse scimus tempore Augusti Caesaris. Illud enim (ultra) non significat, in aeternum, sed in longum tempus. Praeterea etiamsi non esset hoc impletum, nihil inde concluderetur; nam non prohibet Isaias bellum, si sint hostes, qui nos infestent, sed praedicit futurum, ut nulli sint hostes. Donec igitur sunt hostes, etiam bellum geri potest. Potest etiam dici praedictum esse regnum Christi fore regnum pacificum, quandoquidem non est de hoc mundo, nec temporalia curat, et in hoc distingui a regno judaico, quod bello et caedibus firmandum et conservandum fuit.

Denique objiciunt illa verba Matth. 5. Si quis le percusserit in unam maxillam, praebe ei et alteram: et diligite inimicos vestros: benefacite his, qui vos oderunt. Et Matth. 26. Qui acceperit gladium.gladio peribit.Quibus similia sunt illa Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes, et non vosmetipsos vindicantes charissimi etc.

Respondeo: Eadem argumenta objecisse Julianum apostatam olim Christianis, ut Gregorius nazianzenus refert oratione prima in Julianum, procul a medio. Dicimus autem primo, haec omnia, sive praecepta, sive consilia dari privatis hominibus; non enim Dominus vel apostolus praecipit judici, ut non puniat eum, qui alteri fecit injuriam, sed praecipit unicuique, ut proprias injurias aequo animo ferat: bellum autem ad publicam justitiam, non ad privatam vindictam pertinet: et sicut dilectio inimici, ad quam omnes tenentur, non impedit judicem, aut carnificem ab officio suo; ita etiam non impedit milites et imperatores a suo.

Dico praeterea, etiam privatis haec non semper esse praecepta, sed interdum praecepta, interdum consilia; praecepta sunt semper in animi praeparatione, ita ut sit homo paratus praebere alteram maxillam, et auferenti tunicam dare etiam pallium potius, quam Deum offendere, sed re ipsa hoc præstare praeceptum est, quando necessitas honoris Dei id exigit, alias solum est consilium, et aliquando ne consilium quidem, ut si ex eo quod praebeam alteram maxillam nulla sequitur utilitas, nisi quod ille iterum peccat. Ita respondet Gregorius nazianzenus loco notato, et Augustinus epist. 5. ad

Marcellinum.

Secundo objici possunt tria decreta Ecclesiae. Primum est in concilio nicaeno, can. 11. ubi gravissima injungitur poenitentia iis. qui militiam, cui renunciaverant, repetierint. Secundum est in epistola b. Leonis 90. ad Rusticum, et habetur etiam canon. Contrarium, de poenit. distinct. 5. Contrarium, inquit Leo, est ecclesiasticis regulis post poenitentiae actionem redire ad militiam saecularem. Et infra: Non est liber a diaboli laqueis, qui se militiae mundanae voluerit implicare. Tertium est Gregorii, eadem distinct. canone, Falsas, ubi dicitur eos, qui exercent negotium quod sine peccato non potest exerceri, non esse capaces poenitentiae, nisi negotio ejusmodi renunciet, et ponit Gregorius exemplum de milite.

Respondeo ad primum: Agi de iis, qui ob confessionem fidei privati fuerant cingulo militari a Diocletiano, vel a Licinio, et postea repetebant cingulum, parati negare fidem. Vide Zonaram et Balsamonem in eum canonem, et Ruffinum lib. 10. hist. cap. 6. et quae nos scripsimus de hac re

lib. 2. de conciliis, cap. 8.

Ad secundum et tertium dico: Agi de iis, qui occasione militiae multa peccata commiserant, quique propterea poenitentiam egerant. Isti enim male faciunt, si ad militiam redeunt, in qua experti sunt, se sine peccato vivere non posse, non ex vitio militiae, sed ex proprio, et tunc praecipue male faciunt, quando imperatum eis fucrat a sacerdote, ne ad militiam redirent. Et quod revera isti canones non prohibeant absolute militiam, patet ex fine illius canonis, Falsas, ubi posteaquam dictum fuerat male facere eos, qui post poenitentiam ad

militiam redeunt, subditur, nisi consilio religiosorum episcoporum pro defendenda justitia.

Tertio objiciuntur ab Erasmo plura loca Patrum, quibus addimus duo, unum Tertulliani, alterum Hieronymi. Tertullianus lib. de corona militis, ultra medium, quaerit an Christiano militia conveniat? et respondet: Credimus ne, inquit, humanum sacramentum divino superinduci licere? et in alium Dominum respondere post Christum? licebit in gladio conversari, Domino pronun-ciante, gladio periturum, qui gladio fuerit usus? et praelto operabitur filius pacis, cui nec litigare conveniel?

Respondeo: Tertullianum non damnare militiam tamquam per se malam. Quod patet primo, ex locis supra citatis, ex apologetico cap. 5. et 42.

Secundo, quia in hoc libro de corona militis fatetur eos, qui milites erant ante baptismum, posse manere milites etiam post baptismum, et solum docet non debere ad militiam accedere post baptismum eum qui liber est: Plane, inquit, si quos militia praeventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut eorum, quos Joannes admittebat ad lavacrum, ut centurionum fidelissimorum, quem Christus probat, et quem Petrus catechizat, dum tamen suscepta fide, alque signata, aut deserendum statim sit, ut multis actum aut omnibus modis cavillandum, ne quid adversus Deum committatur.

Tertio patet, quia caussae praecipuae, quas reddit, cur Christiani non debeant militare, sunt propter periculum idololatriae, tunc enim omnes fere principes gentiles erant. Itaque per accidens judicabat Tertullianus malum esse bellum eo tempore: Excubabit, inquit, pro templis, quibus re-nunciavit? et coenabit illic ubi apostolo non placet? et quos interdiu exorcismis fugavit, noctibus defensabit? vexillum quoque portabit aemulum Christo etc. Porro aliae rationes ejus supra positae solum congruentiae sunt, ut patet.

Hieronymus in epist, ad Agerochiam de monogamia: Olim, inquit, bellatoribus dicebatur, accinge gladium tuum super femur tuum potentissime: nunc Petro dicitur, converte gladium tuum in vaginam etc. Respondeo: Vult dicere, in Testamento veteri bella fuisse imperata a Deo, et necessaria ad terram promissionis capiendam et conservandam: in Testamento novo non esse imperata bella, sed potius pacem, quia ad regnum coelorum acquirendum non sunt arma necessaria. Non tamen hinc sequitur, non posse Christianos, ut cives temporalis reipubl. bella gerere cum iis, a quibus injuriam acceperunt.

Praeter haec objicit Erasmus aliquot alios Patres, ac primum Origenem, qui lib. 2. cont. Celsum paulo ante medium dicit, Christum omnia bella sustulisse; et tractat. 7. in Matth. exponens obiler illud Luc. 22. Qui non habet gladium, vendat tunicam et emat gladium. Dicit perniciosum esse hunc locum iis qui carnaliter eum intelligunt, qui revera putant esse tunicam vendendam

ad emendum gladium.

Respondeo: In priore loco nihil esse pro Erasmo; cum enim Origenes dicit, Christum sustulisse omnia bella, non intelligit Christum prohibuisse bella, sed providentia sua generalem pacem mundo attulisse tempore nativitatis suae. Immo ibidem aliquid est contra Erasmum: dicit enim Origenes. proplerea Dei providentia factum esse, ut veniente Christo omnia romano imperatori subjecta essent, quia si multi fuissent reges, necessaria etiam fuissent bella, quibus alii aliorum injurias propulsarent. In posteriore etiam loco nihil dicitur contra bellum; fatemur enim non ita crasse verba Domini intelligenda, ut debeat unusquisque necessario vendere tunicam et emere gladium, sed solum modo illo loquendi Dominum explicare voluisse, in talibus angustiis et necessitate apostolos futuros tempore passionis, qualem patiuntur ii, qui ut se defendant, vendunt tunicam et emunt gla-

Sed quid hinc colligitur contra bellum? An quia Dominus hoc loco non jussit, ut apostoli vere gladios emerent, ideo intelligetur prohibuisse bellum? quod item Origines ait homil. 15. in Josue, non esse Christianis carnalia bella peragenda, significat militiam christianam sub imperatore Christo non esse carnalem contra homines, ut fuit militia Judaeorum sub Josue, sed spiritualem contra daemones, non tamen binc sequitur non licere Christianis, ut sunt cives politicae reipubl. bella gerere.

Ad eundem modum solvuntur, quae Erasmus affert ex Chrysostomo, Basilio et Theophylacto ex catena b. Thomae in cap. 22. Lucae, solum enim docent non jussisse apostolis, ut vere gladios emerent.

Deinde objicit Ambrosium, qui lib. 10. in Lucam exponens illud: Qui non habet, vendat tunicam et emat gladium: O Domine, inquit, cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? cur haberi praecipis, quem vetas promi? nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria. et videar potuisse vindicari, sed noluisse; lex tamen referire non vetal, el ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, sal est. dicis quasi licuerit usque ad evangelium, ut sit in lege aequitatis eruditio, in evangelio bonitatis perfectio. Respondeo primo: Nihil hoc loco dici de bello, quod publica auctoritate exercetur, sed de privata defensione, vel ultione. Secundo dico etiam privatam defensionem, secundum Ambrosii sententiam. non pertinere ad prohibitionem praecepti, sed ad perfectionem consilii, ut illa verba clare indicant, ut sit in lege aequitatis eruditio, in evangelio bonitatis perfectio.

Item objicit Erasmus Augustinum, quem dicit non sibi constare, et si alicubi belli patrocinium susceperit, tamen alibi contra bellum scripsisse; nam in psalm. 37. scribil: Non orare debemus, ut moriantur inimici, sed ut corrigantur. El epist. 5. ad Marcellinum multa scribit contra bellum, in epist. vero 158. et alibi supplicat eidem Marcellino, ut haereticos Donatistas citra sanguinem puniat.

Respondeo: Videtur Erasmus pueros pulasse. cum quibus agebat, quid enim haec ad propositum faciunt? nam in psalm. 37. reprehendit odium inimici, quo aliqui Deum orant pro morte inimicorum.

Quis autem negatesse malum optare mortem inimico ex odio et capiditate vindictae? Tamen optare mortem inimico, et etiam inferre. secundum ordinem justitiae malom non est, si flat non odio hominis, sed amore justitiae et communis boni. In epistola vero 5. nihil est centra bellum, sed potius pro bello, ut supra citavimus, nec seto quid Erosmus somníaverit. In epist. 156. supplicat judici pro vita sceleratorum, qui jam tenchantur captivi et crimen fatebantur, quod episcopi etiam modo facere solent. Sed quid hoc ad bellum? Num quicomque supplicat, ne latro aliquis suspendatur, continuo bellum prohibet?

Objicit etiam exemplum s. Martini, qui ut Sulpitius in ejus vita refert, Juliano imperatori dixit : Donativum tuum militaturus accipiat, ego christianus sum, mihi pugnare non licet. Respondeo: Non safis fideliter verba s. Martini Erasmus refulit, non enim ait: Ego christianus sum , mihi pugrare non licet, sed, hactenus militari tibi, nunc patere ut militem Deo, Christi ego miles sum . milit pugnare non licet; quibus verbis non significavit se tantum esse christianum, sed etiam voto et proposito monacham: id significat illud, patere ut militem Deo, et Christi ego miles sum: Unde paulo ante Sulpitius scripserat, s. Martinum post baptismum susceptum adhuc duos annes militasse, non quod non cuperet statim saeculo renunciare, sed quia tribunus militum, cut ipse contubernalis erat, promiserat se etiam exacto tribunatu saecule vale dicturum, idest, cum ipso monachum futurum. Itaque non Christiano. sed monacho bellum interdictum asseruit, cum ipse Christianus existens duos jam annos milita-

Postremo sic Erasmus instat, arma Ecclesiae sunt gladius verbi Dei, scutum fidei, galea satutis, lorica justitiae, jacula orationum, ut apostolus docet ad Ephes. C. non ergo ferro et armis Christiani pugnare debent.

Respondeo primo: Apostolus non describit bellum contra homines, sed contra daemones, ut patet ibidem; Non est nobis colluctatio etc. Secundo dico, praecipua Christianorum arma esse fidem et orationem, sed non propterea etiam arma ferrea non esse necessaria; nam Exodi 17. legimus Moyse orante, et Josue pugnante victorium Israeli a Deo donatam contra Amelec; et Machabaeos scimus orationibus et armis pugnavisse, et Augustinus scribit ad Bonifacium, epist. 194. Arripe manibus arma, oratio aures pulset auctoris. Et eidem Bonifacio scribit epist. 205. alias 207. Alii pro vobis orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros.

At, inquiunt, bellum opponitur paci. sed pax est bono, et effectus charitatis, igitur malum est bellum. Respondeo: Bellum sic paci opponi, ut sit etiam medium ad pacem, sed hoc interesse inter bellum justum et injustum, quod bellum injustum opponitur paci bonae, et ducit ad pacem malam, et ideo tale bellum vitiosum est: at bellam justum opponitur paci malae, et ducit ad pacem bonam, sicut vulnera chirurgi contraria sunt sanitati ma-

lae, et imperfectae quan habent aegroti, sed ad bonam et perfectam sanitatem, tamquam ud finem perducunt.

#### CAPUT XV.

Quot sint, et quae justi belli conditiones.

Belli justi conditiones quatuor numerare solent, qui haec tractant. Auctoritatem legitimam, canssam justam, intenfionem bonam, et modum convenientem. Sed de singufis scorsim divendum

Prima igitur conditio est auctoritas legitima, dicit enim s. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 75. Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut susciptendi belli auctoritas, atque consilium penes principem sit, exequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant paci, salvitique communi. Et ratio idem probat; nam privati homines, et qui superiorem habent, si ab aliquo injurias accipiant, possunt ad superiorem confugere, atque ab eo judicium petere. At principes si ab aliis principibus aliquid patiantur, non habent commune aliquod tribunal, ad quod illos accusent, et ideo licet ei bello injurias publicas propulsare.

Residet autem hace auctoritas' indicendi belli, secundum communem sententiam, in omnibus, principibus et populis, qui in temporalibus superiorem non habent, quales sunt reges omnes; item respub. Venetorum et similes etc. Item nonnulli duces et comites, qui nulli subsunt in temporalibus. non autem duces et comites, qui subsunt regibus immedinte, qui enim subsunt allis, non sunt per se capita reipub: sed potius membra. Nota tamen hanc auctoritatem non requiri ad bellum defensivum, sed solum ad offensivum; nam defendere se unicuique licet, non solum principi, sed etiam privato, at indicere bellum et invadere hostem, solius est supremi capitis.

· Secunda conditio est caussa justa, non enim sine caussa bellum indici potest, nec etiam propter quodeumque peccatum, sed tantum propter injuriam propulsandam. Ita b. Augustin. quaest. 10. in Josac: Justa bella, inquit, definiri solent, quae ulciscuntur injurias.si qua gens vel civilas,quae bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod a suis improbe facium est, vel reddere, qued per injuriam ablatum est. Ratio autem hujus est, quia princeps now est judex, nisi howhum sibi subditorum, ergo non potest quaecumque peccata alioram hominem punire, sed solum ea, quae caedunt in detrimentum populi sibi subjecti; nami etsi non est judex ordinarios allorum, est tamen defensor suorum et oratione hujus necessitalis efficitur etiam quodammodo judex corum, qui suis injuriam fecerunt, its ut possit eos gladio punire.

Est vero observandum caussam belli debere esse non levem, neque dubiam, sed magnam el certam, ne forte plus incomunodi bellum afferral,

quam sit utilitas, quae inde speratur. Si autem dubia sit distinguendum est de principe et militibus; nam princeps ipse sine dubio peccal; nam bellum est actus justitiae punitivae, injustum est autem punire aliquem caussa nondum probata: milites autem non peccant nisi constaret certo bellum esse illicitum; debent enim subditi parere superiori. nec debent disculere imperia ejus, sed polius praesumere debent principem suum bonam caussam habere, nisi manifeste contrarium noverint; sicut etiam cum dubia est culpa alicujus particularis, peccat judex, qui eum damnat, non carnifex, qui damnatum occidit; non enim tenetur carnifex discutere sententiam judicis, ita docet Bonifacius papa in Sexto, de regulis juris, regula 25. Quod quis, inquit, mandato facit judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse. Et b. Augustinus lib. 22, contra Faustum, cap. 75. Hoc etiam, inquit, fil ut vir justus, si forte sub rege sacrilego militet, recte possit illo jubente bellare, civicae pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei pracceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.

Nota tamen hoc intelligi de militibus, qui sunt obligati ei principi, qui bellum gerit, quales sunt subditi ejus, et etiam ii, qui ordinarium ab eo stipendium habent etiam tempore pacis, non autem de aliis qui aliunde adveniunt cum est bellandum; Qui enim non sunt obligati militare, non possunt tuta conscientia ad bellum accedere, nisi sciant bellum esse justum; Qui autem nihil cogitant, sed parati sunt militare, sive hellum sit justum, sive non modo stipendium habeant, ii in statu damnationis versantur.

Tertia conditio est intentio bona. Nam cum finis belli sit pax et tranquillitas publica, non licet bellum suscipere propter alium finem. Unde graviter peccant tam reges, quam milites, qui vel ut noceant alicui, vel ut imperium dilatent, vel ut exerccant fortitudinem bellicam, vel alia de caussa bellum suscipiunt, quam propter commune bonum, etiamsi auctoritas legitima, et caussa justa non desint, ita beatus Augustinus in epist. ad Bonifacium comitem, quae est 207. alias 5. Pacem, inquit. habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate, et conservet in pace. Non enim pax quaeritur ut bellum geratur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut cos, quos expugnas, ad pacis unilatem vincendo perducas. Et lib. 22. contra Faustum, cap. 74. Nocendi cupidilas, ulciscendi crudelilas, impacatus, atque implaca-bilis animus, feritas rebellandi; libido dominandi, et si qua similia, hacc sunt, quae in bello jure culpantur.

Sunt autem duo notanda. Primo, quoniam bele lum est medium quoddam ad pacem, sed valde grave et periculosum, ideo non esse mox inferendum bellum, cum caussa existit, sed esse prius procurandam pacem aliis rationibus facilioribus, nimirum pacifice petendo ab hostibus debitam satisfactionem. Deuteron. 20. Si quando accessaris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem etc. Et b. Augustinus epist. 207. ad Bonifacium: Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.

Sed quaeret aliquis, quid si hostis nolit initio satisfacere, sed paulo post bello jam inchosto petat pacem et satisfactionem offerat, an tenebitur alter a bello cessare. Cajetanus verbo. Bellum, dicit, quod non tenetur cessare, quando bellum jam est inchoatum, quamquam teneretur antea quam inchoaretur, acceptare satisfactionem. Sed (meliori judicio salvo) dicendum videtur, quod ex justitia numquam tenetur, qui habet justam caussam, acceptare satisfactionem nec ante bellum inchoatum, nec postea: tamen ex charitate utroque tempore tenetur; nisi per accidens aliud expediat. Prioris ratio est, quia princeps habens justam caussam belli, gerit personam judicis respectu alterius principis, qui injuriam tecit, judex autem non tenetur ex justitia condonare mortem reo, etiamsi offerrat satisfactionem, quamquam possit condonare ex misericordia, si sit supremus judex, verbi gratia, rex non tenetur donare vitam furi, eliamsi restituat, etsi ex misericordia potest. Ratio posterioris est, quia bellum est gravissimum supplicium, et quo non solum punitur qui peccavit, sed eliam per accidens multi innocentes involvuntur: ideo christiana charitas semper id videtur exigere ut a bello cessetur, quando qui nocuit debitam satisfactionem offert, nisi forte per accidens aliud expediat, idest, nisi talis sit hostis contra quem pugnatur, ut bono communi expediat cum vel subicctum esse alteri, vel funditus interire, quales erant Amorrhaei, quos Deus jussit penitus deleri. Deuter. 20.

Secundo notandum, differre hanc tertiam conditionem a duabus primis, quod illae si desint, faciunt bellum esse injustum, haec vero si desit, facit bellum esse malum, sed non injustum proprie. Qui enim sine auctoritate vel sine justa caussa bellum movet, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccat, et non tam est miles, quam latro: qui vero auctoritatem et caussam justam habet, et tamen amore vindictae vel augendi imperii, vel propter alium finem malum bellat, non agit contra justitiam, sed solum contra charitatem, nec est latro, sed malus miles.

Ex quo deducitur, quod cum solum deest haec tertia conditio, non tenentur milites, nec reges ad ullam restitutionem, sed solum ad poenitentiam :: cum autem deest prima vel secunda, tenentur omnes ad restitutionem damni illati, nisi excusentur ignorantia invincibili. Ignorantia enim crassa et culpabilis sicut a peccato non excusat, ita nec a restitutione, ut habemus capite finali, de injuriis et damno dato. Qui autem laborat ignorantia invincibili, non tenetur restituere donec ea ignorantia laborat; at cum cognoverit bellum fuisse injustum, tenetur restituere, non damoum tempore belli illatum, sed si quid habet alienum ex illo bello: et si nihil babet in specie, sed tamen rebus vendilis factus est dilior, tenetur restituere tan. tum, quantum est ditior factus; nam res aliena retineri non potest, etiamsi propter ignorantiam sine peccato acquisita sit, sed reddi debet vel Domino si scitur, vel pauperibus.

Quarta conditio est, modus debitus, qui in co praecipue consistit, ut nulli innocenti noceatur. ruod explicuit Joannes Baptista Luc. 3. Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris. Quibus verbis prohibet injurias, quas milites inferre solent innocentibus aut vi, aut fraude, vel in persona, vel in bonis. Cum dicit: Neminem concutiatis, prohibet injuriam, quae aperta violentia infertur personae, ut cum rusticos caedunt, nisi ad nutum obediant. Cum dicit: Nemini calumniam faciatis, prohibet injuriam, quae fraudibus et calumnia infertur, ut cum dicunt aliquem esse proditorem vel hostem. eliamsi contrarium noverint esse verum, et eo nomine vel ipsi eum spoliant, aut occidunt, vel deserunt ad ducem, vel praefectos: cum vero addit: Contenti estate stipendiis vestris, prohibet injuriam, quae alicui non in persona, sed in bonis infertur, ut cum furantur, et rapiunt undecumque possunt, vel etiam exigunt, et extorquent ab iis a quibus non debent.

Est autem observandum, tria esse genera personarum, quibus milites damnum inferre non possunt secundum regulam Joannis Baptistae. Primum est eorum omnium, qui ad rempub. hostium non pertinent. Ex quo excusari non possunt milites, qui damnum inferunt civibus, aut rusticis amicis, apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt. Neque excusantur si dicant, sibi stipendia non solvi; nam non propterea illis obligata sunt bona privatorum civium . neque luere debet poenam civis, aut rusticus, si rex aut dux peccat non solvendo stipendia militibus, nisi forte justa de caussa damnati sint homines alicujus loci ad hanc poenam, ut milites alant, quod tamen rarius accidit.

Secundum est quorundam, qui etsi aliquo modo ad rempub. hostium pertinent, tamen excipiuntur capite Innovamus, de tregua et pace, ubi sic dicitur; Innovamus, ut presbyteri, monachi, conversi, peregrini, mercalores, ruslici, euntes, vel redeuntes, vel in agricoltura existentes, et animabia, quibus arant, et semina portant ad agrum, congrua securitate laetentur. Ubi nomine mercatorum non videntur intelligi ii, qui in civitate hostium resident, et sunt pars quaedam civitatis, sed solum ii qui transeunt, vel ad nundinas veniunt, qui non sunt pars civitatis.

Tertium genus est hominum ineptorum ad bellum, quales sunt pueri, senes, mulieres: tales enim, etsi capi et spoliari possunt, quia sunt pars civitatis, tamen occidi juste non possunt, nisi forte casu et per accidens occidantur: ut cum miles jaculatur in cuneum hostium, et forte occidit puerum, aut mulierem, aut etiam sacerdolem, non peccat, sed tunc peccat, cum ex intentione occidit, et potest, si velit, non occidere. Nam et ratio naturalis hoc docet, et etiam Deus hoc jubebat Hebraeis Deuter. 20. nimirum ut parcerent parvulis et mulieribus, et Theodosius graviter ab Ambrosio reprehensus fuit, quod cum punire vellet Thes-

salonicenses, sine delectu obvios quosque necari jussit, ut refert Theodoretus lib. 5. hist. cap. 47. et 18. Quod si Moyses aliquando jussit etiam mulieres et parvulos occidi, ut patet Deuter. 2. et 3. et alibi, non propterea id etiam nostris militibus licet; nam ille Dei revelatione clare cognoscebat Deum sic velle, cui nemo dicere potest, cur ita facis?

#### CAPUT XVI.

# Licere bellum gerere Christianis contra Turcas.

Jam vero quaestio de bello contra Turcas omitti poluisset, nisi Lutherus inter alia sua paradoxa etiam hoc protulisset, ac defendere conatus esset, non licere Christianis contra Turcas bellum gerere, ut patet ex art. 34. in Bulla Leonis damnato. Luthero videtur assentiri Theodorus Bibliander in chronologia tabul. 13. ubi sic ait: Urbanus, seu potius turbo saevissimus, a spiritu malo homicidiis gaudente impulsus, bellum pro recuperanda Judaea commovit.

Est autem observandum, Lutherum non negare bellum contra Turcas esse licitum, quia putet in genere omne bellum esse illicitum; nam in assertione ejusdem articuli suadet bellum contra pontificem, quem Turcissimum Turcam esse dicit; neque quia existimet non habere Christianos justam caussam; constat enim omnibus Turcas nullo jure occupasse regna Christianorum, et quotidie plura occupare velle. Constat etiam eum extinguere cupere omnem religionem, et dare omnem operam, ut homines ex Christianis flant Mahumetani. Denique constat et antiquos pontifices, ut Urba. num II. Paschalem II. Eugenium III. et alios multos, necnon generalia concilia, ut lateranense, lugdunense, viennense, et alia, generale bellum indixisse Mahumetanis, et s. Bernardum, aliosque sanctos viros concionibus publicis excitasse populos ad hoc bellum, et sermonem miraculis confirmasse, ut ipsemet b. Bernardus modeste indicat initio libri 2. de consideratione, nec aliquid horum Lutherus negat; sed sunt aliae tres caussae cur senserit non licere contra Turcas bellare.

Prima, quia voluntas Dei esse videtur, ut a Turca, tamquam flagello quodam puniamur, neque licet nobis Dei voluntati resistere, quod autem ista sit voluntas Dei, probat in assertione art. 34. ab experientia, quae docuit hactenus nihil Christianis profuisse bellum contra Turcas.

Sed haec prima caussa parum valet; nam elsi voluntas Dei sit ut peccata nostra per Turcam puniantur, tamen non est voluntas Dei, ut Turcae non resistamus, immo voluntas ejus est ut resistamus; id quod ex fine probatur. Non enim Deus permittit Turcam in nos saevire ut pereamus, sed ut convertamur, tunc autem ad conversionem perducimur, cum Turcae nos oppugnanti resistere conamur, resistendo laboramus, laborando no-

stram infirmitatem agnoscimus, atque inde ad Doum toto corde revertimur, et ejus auxilium imploramus. Itaque ex fine, quo Deus permittit Turcam in nos saevire, sequitur manifeste ipsum velle ut Turcae resistamus. Praeterea, ita flagellum Dei est bellum Turcae, sicut pestis, fames, haeresis, fomes peccati, et similia; nemo autem tam est stultus, qui ideo putet non esse quaerenda medicamenta contra pestem, neque terram colendam, ne moriamur fame, neque haeresi et fomiti resistendum.

Neque verum est quod Lutherus dicit, experientiam docere nihil nobis prodesse bellum contra Turcas; nam ut omittam plurimas victorias de Turcis relates, certe cum primum arma illata sunt in terram promissionis, felicissimo eventu Hierusalem a nostris recuperata fuit, et regnaverunt Christiani annis 88. et super plura, et plura recuperabant, donec oriri coeperunt inter ipsos christianos principes contentiones, quemadmodum et nunc Turca plura occupat ob discordiam nostrorum, quam sua virtute, et harum discordiam potissima caussa fuit Lutherus ipse. Nam ut ex Joanne Cochlaeo patet in actis Lutheri anni 1526. Hungaria periit, quia Germani a rege Hungariae vocati in auxilium, maluerunt Luthero parere tunc concionanti contra bellum in Turcas, quam cogitare quid bonum commune postularet. Saltem hoc boni habet bellum, quod impeditur Turca ne tantum noceat quantum vellet. Nisi enim hactenus cum eo pugnatum esset, jamdudum ille omnia obtineret.

Secunda caussa ejus est, quia Ecclesiae utilior est tribulatio et persequutio, quam victoria et tranquillitas; unde in sermone de matrimonio reprehendit Ecclesiae consuetudinem, qua orat pro pace et quiete, cum potius pro tribulationibus orandum esset. Sed respondemus, tribulationem et persequutionem esse quidem utilem, sed periculosam, et ideo non expetendam, sed tolerandam, cum aliter fieri non potest. Unde Matth 6. jubemur orare. Et ne nos inducas in tentationem. Et 1. Tim. 2. apostolus jubet orare pro regibus, ut quietam et tranquillam vitam agamus. Et b. Augustinus lib. 10. Confessionis, cap. 28. dicit: Miserias tolerandas, non amandas, nec desiderandas

et petendas.

Tertia caussa, eaque praecipua fuisse videtur, odium pontificis, tanto enim odio pontificem aliquando Lutherus persequebatur. ut plane optaret videre Turcam occupantem omnia regna Christianorum, ut saltem eo modo nomen pontificis extingueretur. Neque hoc fuisse votum ac desiderium ejus nos divinamus, sed ex verbis ejus colligimus, nam in libro ad nobilitatem Germaniae, cap. 25. dicit, nullum esse pulchrius regimen usquam, quam apud Turcas, qui legibus Alcorani gubernantur, nullum sutem turpius, quam spud Christianos, qui jure canonico et civili reguntur. Et in assertione articuli 34. dicit, pontificem, et pontificios esse multo pejores, et truculentiores Turcis, et stultum esse pugnare pro pejoribus Turcis contra meliores, et in epistola quadam contra duo mandata imperialia: Oro, inquit, cunctos pios Christianos, ne ullo modo sequamur, vel in militiam ire,

BELLARMINI. Vol. II.

vel dare aliquid contra Turcas, quandoquident Turca decies prudentior, probiorque est, quam sunt principes nostri. Quibus verbis quid aliud suadere conatus est, quam esse juvandos Turcas contra Christianos?

Sed hace sententia tantam absurditatem et impictatem continct, ut ipse idem Lutherus postea. cum ille ardor nonnihil deferbuisset . plane contrarium scripserit. Sic enim ait in libro de visita. tione Saxonico? Clamant, inquit, aliqui praedicatores temerarie, non resistendum esse Turca. Hic sermo seditiosus est, qui neque ferri, neque permitti debet. Tenenter igitur potestates resistere Turcis, qui non solum cupiunt provincias devastare, uxores ac liberos violare, et interficere, verum etiam jura provinciae, cultum Dei, omnemque ordinationem bonam abrogare ac tollere. Ideirco debent principes ob id praecipue belligerare etc, Et ibidem: Multo, inquit, tolerabilius foret viro bono videre filiorum suorum interitum, quam Turcicis cos moribus imbui; Turcae enim nullam prorsus honestatem vel sciunt, vel curant. Hacc ille.

#### CAPUT XVII.

Ad magistratum non pertinere judicium de religione.

Quinta sequitur quaestio de officio magistratus politici in caussa religionis. Tres in hac parte sunt errores. Primus eorum qui nimis multum tribuunt magistratibus, ut Brentii in prolegomenis, Philippi in locis, capite de magistratu, et aliorum, qui reges esse volunt non solum custodes et defensores religionis, sed etiam judices et magistros. Dicunt enim ad eos, ut ad praecipua Ecclesiae membra pertinere, judicare controversias fidei, praesidere conciliis generalibus constituere ministros, et pastores et similia.

In quem errorem multa disputavimus in controversiis de judice controversiarum, de summo pontifice et de conciliis; ubi ostendimus reges habere primum locum inter Christianos, ut Christiani homines sunt, idest, ut sunt cives terrenae civitatis, non ut sunt cives sanctorum et domestici Dei, ac ut Ecclesiae membra sunt. Sic enim primum locum habent episcopi, et praecipue summus-pontifex, secundum presbyteri, tertium diaconi, aliique ministri ecclesiastici, ultimum laici, inter quos etiam reges et principes numerantur.

Unde Chrysostomus homil. 83. in Matthaeum alloquens diaconos: Si dux quispiam, si consul ipse si is, qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe et cöerce, majorem tu illo habes potestatem. Et Gelasius in epist. ad Anastasium imperatorem: Nosti, inquit, fili clementissime, quod ticet praesideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen praesulibus divinarum de-

Digitized by Google

votus colla submillis, alque ab eis caussas tuae salutis exspectas, inque sumendis coelestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subdite debere cognoscis religionis ordine potius, quam pracesse. Nosti itaque inter hacc ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam re-

gi posse voluntalem.

Denique, Christus Ecclesiam regendam Petro et episcopis commisit, non Tiberio, et ejus praefectis, et per annos 300. sine ullis regibus Christianis, exceptis paucissimis, qui vel brevissimo tempore imperarunt, ut Philippus Caesar, vel solum in aliqua provincia, ut Lucius rex Britannorum, Ecclesia a solis episcopis et presbyteris optime gubernata est. Vide caetera locis citatis.

#### CAPUT XVIII.

Ad magistratum pertinere defensionem religionis.

Secundus error est aliorum, qui ad alterum extremum deflectentes, docent reges debere curare rempublicam suam, et pacem publicam; de religione autem non curare, sed permittere singulis ut sentiant prout voluerint, et vivant ut voluerint, modo non perturbent pacem publicam. In hoc errore fuerunt olim ethnici, qui omnes religiones approbant, et omnium philosophorum sectas admittebant, ut August. dicit lib. 18. de Civit. Dei cap. 51. unde beatus Leo serm. 1. de sanctis Petro et Paulo. Haec autem civitas, inquit, ignorans suae provectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem. Et Themistius philosophus, ut refert Socrates lib. 4. hist. c. 27. Valenti imperatori persuadere conatus est, Deo gratam esse sectarum varietatem, dum ita pluribus modis colitur, et pluris sit, dum difficilius cognoscitur. Item haeresiarcha quidam nomine rethor apud Augustinum libro de haeresibus, cap. 72. omnes sectas veras esse docuit.

Denique, hanc libertatem voluerunt et obtinuerunt Germani anno 1526. quando principes imperii Spirae congregati fuerunt: et nunc idem feruntur in Flandria petere; quorum argumenta quatuor praecipue sunt. Unum, quod fides sit libera. Alterum, quod sit donum Dei. Tertium. quod experientia doceat cogendo nihil profici. Quartum, quod Christiani semper Judaeos toleraverint, cum tamen

Christi hostes sint.

At hic error perniciosissimus est, et sine dubiotenentur principes christiani non permittere subditis suis libertatem credendi, sed dare operam, ut ca fides servetur, quam episcopi catholici, et praecipue summus pontifex docet esse tenendam. Probatur primo Scriptura, Proverb. 20. Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne matum in-

tuitu suo. Ilem: Dissipat impios rex sapiens. Porro impios esse haereticos negari non petest. Item psalm. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore.

Augustinus epist. 30. Aliter servit, inquit, rex Deo, quia homo est, aliter quia rex est; quia homo est ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam rex est, servit, leges justa praecipientes, et contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo: sicut servivit Ezechias, lucos et templa idolorum destruendo: sicut servivit rex Josias, talia et ipse faciendo: sicul servivil rex Ninivilarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo: sicut servivil Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando: sicut servivil Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo. Et ibidem subjungit. Quis mente sobrius regibus dicat. Nolite curare in regno vestro, a quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri? Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus; quibus non polest dici: Non ad vos perlineat in regno vestro, quis velit esse pudicus, quis impudicus.

Praeterea in testamento novo Apoc. 2. reprehenditur Angelus Pergami, quod haberet apud se aliquos tenentes doctrinam Nicolaitarum, et Angelus Thiatyrae, quod permitteret Jezabel seducere servos Dei. Ex quibus colligitur, noxiam esse Ecclesiae, mixtionem haereticorum cum catholicis. Reman. 16. jubentur Christiani declinare haereticos. Galat. 5. Ulinam, inquit, abscindantur, Tit. 1. Increpa illos dure ut sani sint in fide, erge reges, qui sunt Ecclesiae nutricii, Isaiae 49. non debent

permittere islam confusionem.

Secundo probatur testimoniis pontificum et imperatorum. Leo epist. 75. ad Leonem Augustum: Debes, inquit, imperator incunctanter advertere regiam polestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta, defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas. Anastasius II. papa in epist.ad Anastasium imperatorem: Hoc, inquit, praecipue insinuo serenitati tuae, ut cum caussae Alexandrinorum patuerint piissimis auribus vestris, ad catholicam et sincerem fidem eos auctoritate, sapientia, divinisque vestris mandatis redire faciatis. Similia habet Gregorius lib. 9. epist. 60. ad regem Angliae, lib. 11. epist. 44. ad Leontiam Augustam. Similia babet Agatho in epistola ad Constantinum IV.

Porro imperatores pii idem senserunt; nam Theodosius L. cunctos populos, C. de summa Trinitate, et fide catholica, radicitus evulsit libertatem credendi, quam aliqui principes permiserant, ac jussit omnes credere eo modo, quo romanus pontifex docet esse credendum. Valentinianum juniorem laudat Ambrosius in oratione funebri, quod Romae repetenti antiquam libertatem in religione, ut colere posset sacrificiis Deos, fortissime restiterit. Similiter Martianus C. eodem, L. Nemo, severe probibet, ne quis ea, quae sunt in

conciliis episcoporum definita, revolvat, aut de iis

publice disputare praesumat.

Constantinus Magnus initio quidem imperii permisit libertatem religionis omnibus, ut patet ex historia Eusebii lib. 10. cap. 5. tamen postea jussit claudi temple idolorum, et solam christianam religionem vigere, ut Optatus refert lib. 2. contra Parmen. quem filii sunt imitati, Constans et Constantinus, ut Augustinus refert epist. 166. et (apud Rufflnum lib. 10. cap. 5.) exilium minatus est Constantinus iis omnibus qui non acquiescerent nicaeni concilii definitioni.

Qui libertatem credendi concesserunt, tres inveniuntur. Jovianus, qui tamen ne catholicos cum baerelicis misceret, graviter admonitus est a concilio antiocheno, ut scribit Socrates lib. 3. capite 21. Valens imperator Arianus omnibus haereticis et ethnicis liberam permisit religionem, ut scribit Theodoretus, lib. 4. cap. 22. Denique Julianus apostata, qui ideo permisit libertatem, quia sic sperabat posse interire christianismum; sic enim ait Augustinus epist. 166. alias 163. Julianus, inquit, desertos Christi et inimicus, haereticis libertatem perditionis permisit, et tunc basilioas haerelicis reddidit, quando templa daemoniis; co modo putans, christianum nomen posse perire de terris, si unitati Ecclesiae, de qua lapsus fuerat, invideret, el sacrilegas dissensiones liberas esse permitteret.

Probatur tertio rationibus. Primo, potestas temporalis et spiritualis in Ecclesia non sunt res disjunctae et separatae, ut duo regna politica, sed sunt conjunctae, ita ut unum corpus faciant; vel potius ita se habent, ut corpus et anima in uno homine, est enim potestas spiritualis quasi anima. el temporalis quasi corpus, ut Nazianzenus docet in oratione ad populum timore perculsum, ergo debet potestas temporalis spirituali service, eamque ab hostibus suis protegere ac defendere, ac (ul b. Gregorius ait, lib. 2. epist. 61.) terrenum regnum coelesti famulari; sed Ecclesiae exitialis est hacc libertas; nam vinculum Ecclesiae est unius sidei confessio, ad Ephes. 4. Una fides, et ideo dissensio in fide, Ecclesiae, est dissolutio. Debent lgitur principes hanc libertatem nullo modo permittere, si fungi munere suo volunt.

Secundo, quando apud Judaeos vera religio florebat, non poterant reges permittere libertatem religionis, ergo multo minus debent permittere reges christiani; non enim minus ordinata debet esse Ecclesia, quam fuerit synagoga. Antecedens palet Deuter. 17, ubi ex sententia judicis politici jubentur occidi, qui non obediunt sacerdoti. Et cap. 18. pseudoprophetae similiter exterminari jubeatur; et idem patet exemplis, quae affert Augustin. epist. de Ezechia, Josaphat, Josia, et aliis piis regibus, qui destruebant lucos, et templa idolorum, et severe puniebant idolatras, et populum ad cultum veri Dei compellebant. Quod autem paulo ante Christi tempora coeperint permitti variae bacreses, ac praecipue Sadducaeorum, qui negabant resurrectionem, non est mirum, quia synagoga tunc ad interitum propinquabat, nec habebat regem vere judueum, qui ista curaret, sed

idumaeum Herodem, pontifices autem nihil polerant.

Tertie, libertas credendi perniciosa est, etiam temporali bono regnorum, et publicae paci, ut patet primum ex Gregorio lib. 4. epist. 32. ubi dicit, reipub. civilis incolumitatem, ex Ecclesiae pace pendere. Deinde ratione; nam ubi servatur fides et obedientia Deo, ibi etiam servatur principi; nam fides ipsa hoc docet et exigit. Item dissensio in fide parit animorum et voluntatum dissensiones: omne autem regnum in seipsum divisum, desolabitur; et experientia nostri temporis adee manifeste hoc ostendit, ut frustra id probare nitamur.

Quarto, libertas credendi perniciosa est illis ipsis quibus conceditur; nam libertas credendi nihil est aliud, quam libertas errandi, et errandi in re omnium periculosissima; nam fides vera non est nisi una, Ephes. 4. Una fides, ergo libertas ab ista una fide recedendi, est libertas in errorum baratrum ruendi. Sicut ergo salubriter non permittitur ovibus libertas vagandi per montes, et salubriter non liberatur gubernacule, nec sinitur libere a quolibet vento circumferri navis; ita quoque salubriter non conceditur populis libertas credendi, posteaquam uni verac fidei se adjunxerunt. Argumenta solventur in sequenti quaestione.

#### CAPUT XIX.

Non posse conciliari catholicos cum haereticis.

Tertius error est Georgii Cassandri in libro de officio pii viri, ubi docet, debere principes invenire rationem pacis inter Catholicos, Lutheranos, Calvinistas etc. Sed interim dum non inveniunt, debere permittere unicuique suam fidem, modo omnes recipiant Scripturam et symbolum apostolicum. Sic enim omnes sunt vera Ecclesiae membra licet in particularibus dogmatibus dissentiant. Similia docuerunt olim pacificantes, auctore Zenone imperatore, de qua re vide Evagrium, lib. 3. cap. 14. et 30. Item Apelles, qui apud Eusebium lib. 5. hist. cap. 13. dicebat, non esse discutiendam rationem fidei, sed sat esse credere in crucifixum. Hic est manifestus error, et contra eum scripsit ex catholicis doctoribus Joannes a Lovanio, ex haereticis Joannes Calvinus.

Polest autem facile refelli haec sententia; primum enim, non possunt Catholici, Lutherani et Calvinistae eo modo conciliari; nam in ipso symbolo non convenimus, exempli gratia, per articulum: Descendit ad inferos, diversissima intelligimus; nos enim credimus, Christi animam a corpore separatam, secundum substantiam suam descendisse ad limbum Patrum; haereticorum alii volunt descendisse Christum ad inferos, nihil esse aliud, quam sepultum fuisse; alii passum dolores infer-

ni. Similiter articulum: Credo sanctam Ecclesiam, diversis modis intelligimus. Et illud etiam: Sanctorum communionem; nam de singulis sacramentis sunt controversiae. Denique de illo: Remissionem peccatorum, maxime dissentimus.

Dicet Cassander, sat est, quod omnes fateamur,

symbolum esse verum, et illud recipimus.

Contra; Primo: Symbolum unum est, et non in verbis, sed in sensu est fides, non ergo habemus idem symbolum, si in explicatione diffidemus. Praeterea si sufficeret verba symboli recipere, nulli fere veterum haereticorum jure damnati fuissent. Nam Ariani, Novatiani, Nestoriani, et alii fere omnes verba symboli apostolici recipiebant, sed quia in sensu dissensio erat, ideo damnati, et ab Eccle-

sia catholica ejecti fuerunt.

Secundo: Fundamentum Cassandri est falsum; non enim possunt vera membra Ecclesiae vocari Lutherani et Calvinistae, etiamsi in symbolo nobiscum convenirent; nam praeter illam fidem requiritur subjectio ad legitimum caput Ecclesiae a Christo constitutum, et communicatio cum aliis membris; Ecclesia enim est unum corpus visibile, et proinde caput et membra habet visibilia, nec potest dici membrum, quod a capite et corpore reli-quo separatum est. Certe Aerius, etiam quoad sensum in symbolo conveniebat cum catholicis, tamen quia nolebat subesse episcopo, et caeteris mem-bris communicare, ab Epiphanio et Augustino in catalogo haereticorum ponitur, et Cyprianus lib.4. epist. 2. dicit, Novatianum esse extra Ecclesiam, quia non volebat subjici pontifici Cornelio, etiamsi nullam aliam haeresim introduxisset.

Tertio: Cassander ita disputat, quasi inter Catholicos, Lutheranos et Calvinistas solum dissensiones sint de ritibus et caeremoniis humanis; at multa dogmata sunt maximi momenti, in quibus dissentimus, quaeque non habentur expresse in symbolo, et propter quae nulla pax sperari potest inter Catholicos et Lutheranos. Nam verbi gratia, nos dicimus, missam esse divinissimum cultum Dei; illi dicunt esse horrendam idololatriam: similiter. invocare sanctos nobis est pietas, illis impietas etc.

Quarto: Sancti Patres docuerunt nos, ut non solum fidei symbolum, sed etiam omnia alia dogmata fidei, licet minuta videantur, inviolata servemus, nec propter haereticos ullo modo immutari patiamur, Galat. 2. Paulus dicit, se nec ad horam cedere voluisse salsis sratribus. Et cum olim Ariani peterent a catholicis, ut saltem unam vocem omitterent, quae non habetur in Scriptura, nec in symbolo apostolorum, vel unam literam immutarent. idest, non dicerent όμοούσιον, sed όμοιούσιον, et si hoc fleret, pacem pollicerentur. Catholici noluerunt, et imperatori scripserunt, nefarium esse de rebus jam definitis aliquid immutare;et si quid justarum sanctionum fuerit immutatum, non propterea pacem futuram; nec enim apud eos pacem esse posse qui pacis jura nescirent. Vide Theodorelum, lib. 2. hist. cap. 18.ct 19.vel Tripar. lib.5. cap.21. et 33. et hoc verum esse patuit in concilio ariminensi; nam cum simpliciores Catholici ab Arianis decepti, nomen ouococov, tollendum esse decrevissent, mox Ariani loto orbe terrarum praedicaverunt, se vicisse; et non contenti sastulisse vocem όμοούσιον, et pro en substituisse όμοιούσιον, paulo post ipsum δμοιούσιον, in ετερούσιον, idest, dissimilis substantiae, transformarunt, ut Theodo-

retus refert, lib. 2. hist. cap. 21.

Hinc Basilius roganti praefecto Valentis imperatoris, ut tempori pareret, et non tot Ecclesias, propter parvam dogmatum subtilitatem, vexari pateretur, respondit: Qui divinis innutriti sunt eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus, ne unam quidem syllabam patiuntur, sed pro his, si contingat, omnes etiam mortis species amplecluntur. Vide Theodoretum lib. 4. cap. 17. Historiae ecclesiasticae. Eadem constantia praediti fuerunt Eustathius et Sylvanus, quibus cum imperator exilium minaretur, nisi vocem opooooo, abrogarent, responderunt, potestatem habes puniendi, non tamen nos Patrum statuta destruimus. Vide hist. Tripar, lib. 5, cap. 24.

Denique Gelasius in epistola ad Euphemianum, petenti haeretico, ut papa eis condescenderet, idest, aliquid remitteret de religione catholica, pacis gratia, eleganter ejus petitionem irrisit. Cum autem, inquit, dicis, condescendere nos debere vobiscum: interim jam vos descendere, aut descendisse monstratis. Unde quaeso, vel quo ista descensio est? Utique ex superiore quodam loco ad inferiora quaeque depositos, a catholica apostolicaque communione ad haereticam, damnatamque prolapsos videtis, cognoscilis, non negatis: sed etiam in superiore manentes sede, vultis impelli, condescendere nos vobiscum invitatis ad ima de summis; nos coascendere vos no-

biscum rogamus ad summa de imis.

Quinto: Non potest liberum esse credere in une quolibet dogmate, quin eadem ratione liberum csse debeat in omnibus, eliam in iis, quae in symbolo apostolico continentur; nam una est regula tidei indubitata, et certa in omnibus quae creduntur, nimirum verbum Dei per Ecclesiam explicatum. Si ergo credo Ecclesiae tradenti mihi symbolum apostolorum, quod non scio aliunde esse apostolorum, nisi quia Ecclesia dicit; cadem ratione credere debeo sanctos invocandos, quia eadem Ecclesia hoe dicit; vel si hoe possim non credere, eadem ratione possum non credere, symbolum illud esse apostolorum.

Sexto: Opinio ista Cassandri nova est, et ab ipse primum excogitata, ut ipse initio fatetur, suspecta igitur haberi debet. Ut enim pulchre docet Vincentius Lyrinensis in suo opusculo contra profinas novitates, suspicione carere non potest, quod novum est; cum vera sides una sit et antiquis-

Septimo: Ista opinio faciat veram Eoclesiam omnino occultam et invisibilem; immo ex solis edulatoribus et simulatoribus conflatam; nam Cassander dicit, ad veram Ecclesiam requiri duo, Adem in Christum et pacem cum hominibus, et inde deducit eos, qui hostiliter insectantur Calholicos et Lutheranos, non esse de Ecclesia, sed eos solum, qui cum omnibus pacem habent: ergo illi, qui sunt de Ecclesia, non possunt esse nisi occulti, et qui cum catholicis simulant se hostes Lutheranorum,

et cum Lutheranis hostes Catholicorum; nam Catholici non patiuntur in suo grege ullos, qui ostendant ullo signo externo, se favere Lutheranis: inter Lutheranos quoque, etsi permittuntur in iisdem provinciis omnes sectae, tamen nulla secta in suo grege patitur amicos aliarum sectarum, ut notum est: ergo isti pil, et pacifici viri necessario sunt omnes ficti et simulati, aliud ore profitentes, aliud in corde celantes, et similes Herodi.qui cum Ethnicis erat Ethnicus, cum Judaeis, Judaeus; nam et Caesari templa erexit, et simul Deo vero, ut Josephus refert lib. 15. Antiquit. cap. 13. et 14.

Adde, quod fatelur Cassander, suos istos collegas esse paucos et occultos, sed hine apparet, cos non posse Ecclesiam constituere; nam Ecclesia est manifesta et visibilis adeo, ut a Domino, Matth. 5. dicatur civitas supra montem posita. Denique, vera Ecclesia sine pastoribus esse non potest, ad Ephesios 4. isti autem homines occulti nullos pastores habent, nec habere possunt, dum ita manent occulti; proinde nullam Ecclesiam habent.

#### CAPUT XX.

#### Libros haereticorum abolendos esse.

Postrema restat quaestio de poenis haereticorum, quas post Ecclesiae judicium et declarationem, principes politici infligere possunt ac debent. Incipiemus autem a libris eorum, ac breviter ostendemus, libros haereticorum jure interdici et exuri. Id igitur probatur Primo ex antiqua et perpetua consuetudine, non solum Christianorum, sed etiam Ethnicorum.

Primo refert Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. quod cum Romae reperti fuissent libri quidam, qui nonnibil videbantur solvere religionem, praeter urbanus, ex auctoritate senatus, in conspectu populi eos cremavit. Marcus Tullius lib. 1. de natura Deorum refert, Protagoram Abderitem, quod libros noxios religioni scripsisset, Atheniensium jussu, urbe atque agro exterminatum, librosque eius in concione combustos.

Deinde, tempore apostolorum, refert Lucas Actor. 19. multos ab apostolis conversos, libros curiosos et vanos contulisse, et combussisse ceram omnibus: et Clemens lib. 1. constitut. apostol. cap. 7. dicit: Apostolos prohibuisse initio fidelibus libros gentilium, et falsorum prophetarum. Scribit etiam Eusebius lib. 7. histor. cap. 6. Dionystum episcopum alexandrinum, qui floruit circa annum 250. a fidelibus repreheusum, quod libros haereticorum legeret.

Consequente postea tempore crevit zelus fidelium contra libros haereticorum; Nam nicaenum concilium libros Arii igni adjudicavit, ut Nicephorus testatur lib. 8. cap. 18. et Constantinus id exequutioni mandari jussit, proposita poena capitis, si quis libros Arii occultassel, ut patet ex epistola ejus apud Socratem lib. 1. cap. 6. et Nicephorum lib. 8. cap. 25. Scribit etiam Socrates lib. 1. cap. 24. Marcellum Ancyranum damnatum fulsse, quod libros suorum errorum comburere noluisset; non enim recipiebantur ad poenitentiam haeretici, nisi prius libros suos combussissent.

Circa eadem tempora Epiphanias in synodo Cypri coacta, vetuit libros Origenis legi, ul Socrates lib. 6. cap. 9. historiae refert, et concilium carthaginense IV. can. 16. permittit solis episcopis, ut tempore necessitatis libros haereticorum legant. Non diu postea cum Nestorii haeresis in concilio ephesino damnata fuisset, libri quoque Nestorii in eodem concilio interdicti fuere, et a Theodosio imperatore exuri jussi, ut Liberatus refert cap. 10, Breviarii, et exstat adhuc lex Theodosii, L. Damnato, C. de haereticis. Circa idem tempus prodiit lex Honorii et Theodosii, qua jubentur mathematici omnes suos libros, in quibus aliquid est adversum catholicae religioni, in oculis episcoporum cremare, L. mathematicos, C. de episcopali audientia. Pari ratione in concilio chalcedonensi damnantur\_libri Eulychetis, et ab imperatoribus Valentiniano et Martiano severa lege prohibetur, ne ullus eos legere, aut habere audeat, sed omnes diligentissime quaesiti crementur, ut patet ex concilio chalcedonensi Actor. 3. et ex ipsa lege, quae adhuc exstat L. Quicumque, § Nulli, et § Omnes C. de haereticis.

Eodem tempore b. Leo in epist. 91.ad Turbium, cap. 15. et 16. interdixit lectionem librorum hacreticorum quorundam, et addidit eos episcopos, qui eos in domibus fidelium haberi sinerent, hacreticos censendos; Paulo post Gelasius in concilio 70.episcoporum, ut habetur dist. 15. can. Sancta romana, proposuit indicem hacreticorum, quorum libros a fidelibus vitandos ésse dicit.

Postmodum in V. synodo damnato Anthymo, damnantur etiam ejus libri, et Justinianus imperator gravem poenam statuit, nimirum amputationis manuum, in eos, qui ejusmodi libros describunt, ac jussit ubique comburi. Habetur haec constitutio in 1. Act. synodi V. et in Novellis, constit. 42. B. Gregorius lib. 14. Moralium cap. 32. refert jussu Tyberii imperatoris, crematum librum Eutychii, quem ipse Gregorius haeresis convicerat. In VII. etiam synodo Act. 5. înterdicuntur et comburi jabentur libri haereticorum, et can. 9. excompunicantur, qui libros haereticorum legunt. Concilium constantiense sess. 8. confirmat decretum concilii romani, quo interdicta fuerat lectio librorum Joannis Wicleft. Denique, concilium tridentinum indicem librorum haereticorum sieri jussit, ut omnes scirent, qui libri cavendi et exurendi essent. Ex quo apparet, semper eandem fuisse consuctudinem in Ecclesia.

Accedit etiam in argumentum hujus rei, quod nulli fere exstent libri veterum haereticurum; quomodo enim evanuerunt lot volumina Valentini, Marcionis, Arii, Eunomii, Nestorii, Pelagii, et aliorum, quibus sancti Patres respondent?

Probatur Secundo ratione; nam colloquia haereticorum sunt periculosissima, et ideo diligenter vitanda, ergo multo magis libri sunt noxii et pestilentes, ac vitandi. Ad Rom. 16. Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab eis; nam per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentum. 2. Timoth. 3. Hos devita. Titum. 3. Haereticum devita. 2. epistola Joannis. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Ave et dixeritis.

S. Irenaeus lib. 3. cap. 3. Tantum, inquit, apostoli, et horum discipuli habuerunt timorem, ut neque verbo tenus communicarent alicui eorum,

qui adulteraverant veritatem.

S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ed Cornelium: Declinent, inquit, fortiler, et evitent dilectissimi fratres nostri verba, et colloquia eorum, quorum sermo ut cancer serpit. Et infra: Nutia cum talibus commercia, nulla convivia, nulla colloquia misceantur, simusque ab eis tam separati, quam sunt illi ab Ecclesia profugi.

S. Athanasius de s. Antonio in ejus vita: Numquam, inquit. Manichaeis, aut aliis haereticis saltem amicabilia verba largitus est, denuncians talium amicitiam, atque sermones, perditionem esse animae. Sic etiam Arianos detestabatur, ut omnibus diceret, nec juxta cos quidem esse accedendum. Et ipse b. Anton. jam moriturus: Haereticorum, inquit, et schismaticorum venena vilate. meumque circa eos odium sectamini; scitis ipsi, quod nullus mihi, nec pacificus quidem sermo eum eis unquam fueril.

S. Augustinus in epist. 62. Haereticum, inquit, sicut vitandum monemus, ne infirmos. et parvulos fallat, ita non abnuimus quibuscumque modis possumus corrigendum etc. s. Leo serm. 18. de passione Domini: Viperea, inquit, haereticorum vitate colloquia, nihil vobis commune sit cum eis, qui solo sunt nomine Christiani.

Haec ille.

Jam igitur, si tantopere vitanda sunt colloquia hacreticorum, quanto magis libri? Nam oratio in libris scripta, est magis composita, et artificii plena, quam quae in colloquiis usurpatur. Deinde, est semper ad manus: nam conciones et colloquia sunt rara, et verba ore prolata mox -transeunt; at verba in libris manent perpetuo. et semper nobis adsunt, nobiscum peregrinantur, nobiscum domi sedent. Praeterea libri magis sparguntur; potest enim aliquis per libros toti fere orbi terrarum simul loqui, et multorum domos et cubicula libri penetrant, quos auctor libri numquam vidit, et ad ques forte numquam admilteretur. Denique, experientia idem docet; nam Joannes Wiclefus viva voce paucissimos pervertit; docuit enim solum in Anglia, et ibi pene nullos reliquit sui erroris hacredes : at per libros totam Böemiam pervertit. Vide Cochlaeum in hi**stor**ia Hussilarum.

At contra objiciont. Primo, quía multa bona sunt in libris haereticorum et stultum videtur, propter aliqua mala privare se etiam boais: et confirmatur, quia alioqui multorum Patrum scripta comburenda crunt. Item, quia Ecclesia tolerat libros Gentilium, Judaeorum, Turcarum, et veterum etiam haereticorum, ut Origenis, Tertulliani, Eusebii Pelagii

Respondeo: Veritatem quidem non esse negandam, tamen nec legendam in libris baereticorum; nam, ut ibi est, nocet, non prodest. Scribit b. Gregorius lib. 5. moral. cap. 11. hoc esse proprium haercticorum, ut veris falsa permisceant, et bonis mala; nam si sola falsa et mala dicerent, ab omnibus repellerentur; si sola vera et bona, haeretici non essent. Itaque omnia miscent,ut ex malis bona inficient, et per bona mala sua abscondant; quae etiam caussa est, cur Christus et apostoli prohiberent daemones vera dicere, ne videlicet per ea vera fidem sibi acquirerent, et postea falsa etiam illis crederentur. Luc. 4. Dominus non sinebat daemones dicere ; Tu es Christus Filius Dei. Et Actor. 16. Paulus prohibuit diabolo dicere: Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis.

Praeterea, etiam non decet, ut veritas ab hacreticis suscipiatur, qui hostes sunt veritatis. Ut scribit Gellius lib. 18. cap. 3. apud Lacedaemonios; cum de summa reipublicae ageretur, vir quidam disertus et doctus, sed improbus et impurus, optimam sententiam dixit, quae eum placeret omnibus, et juxta eam decretum faciendum videretur, et tamen ferre non possent, ut optimum consilium turpitudine actoris foedaretur, electus est vir quidam gravissimus, qui omnimm consensu eandem sententiam diceret, et pulla prioris habita mentione, hujus sententia in decretum referretur.

Ad Primam confirmationem de scriptis Patrum, respondeo in primis, Patres non esse hostes Ecclesiae, et eorum errata non haereses, sed humanos esse errores. Praeterea errores Patrum, esse errores extinetos et mortuos, qui nocere non possunt; nam error nocet quamdiu defeaditur pertinaciter: Patrum autem errores non fuerunt detecti, dum Patres ipsi viverent, alioqui enim vel ipsi eos emendassent, vel ab Ecclesia ejecti fuissent: sed post mortem eorum detecti, notatique sunt, et ab omaibus improbati, sicut etiem ab ipsis improbarentar, si viverent.

Ad illud de gentilibus dico eos tolerari, quia non nocent, cum sint errores mortui. Nulli enim nunc sunt, qui non rideant dogmata gentilium; nec unquam audimus Christianos depravatos libris gentilium, deficere ad gentilismum, ut quotidie deficiunt ad haeretices; Quia vero tempore apestolorum multi erant, qui propugnabant dogmata gentilium. Clemens scribit interdictos fuisse gentilium libros, lib. 1. Const. cap. 7. et eadem de caussa prohibentur libri gentilium in concilio carthaginensi IV. cap. 16.

Ad illud de Judacerum et Turcarum libris dico, libres Judacerum et Turcarum melioris conditionis esse, quam haereticerum; illi enim sunt aperti hostes Christianorum, nec fallunt sub nomine christiano, ut haeretici faciunt. Itaque etiam simplicissimi quique norunt discernere dogmeta Judaeorum et Turcarum a Christianis dogmetibus, discernere autem hacreses non possunt, nici homines valde docti. Praeterea etiam Judaeorum et Turcarum libri prohibentur, quando continent blasphemias in Christum, aut judicantur perniciosi Christianis, ut patet de Thalmud Judaeorum.

Ad illud de Origene, Tertulliano, Eusebio. Pelagio, dico eorum libros permitti, quia haereses illae sunt extinctae, et libri prosunt propter autiquitatem. Adde quod Pelagii nihil habemus sub nomine Pelagii, sed sub nomine s. Hieronymi, qualia sunt commentaria brevia in omnes epistolas b. Pauli, symbolum falso inscriptum ad Damasum, et epistola quaedam ad Demetriadem, quee habetur in 4. tomo, ubi sunt etiam alia Pelagii haeresim sapientia.

Argumentum Secundum: ex Paulo, qui 1. Thessal. 5. dicit: Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est, tenete: est enim sensus; Si quis futura praedicat, vel Scripturas interpretetur, ant verbo, aut scripto, nolite rejicere, sed audite, vel legite, et quod catholice fidei consonum est, accipite, reliquum o-

mittite.

Respondeo: Apostolus loquitur de prophetia et scriptis, quae nondum constat, an sint bona vel mala, et talia non vult rejici, nisi prius examinata; sed quando scriptum aliquod jam est examinatum, et constat esse malum, vult omnino rejici, et talia sunt scripta omnia, quae nobis prohibentur; sunt enim probata, idest, examinata omnia, et ideo prohibita, quia mala reperta sunt.

Deinde licet apostolus ad totam Ecclesiam seribat, tamen non vult omnia fieri ab omnibus, sed ab iis, qui possunt, et quibus ex efficio incumbit, sieut cum ad universitatem aliquam mittuntur articuli aliqui suspecti examinandi, non ad omnes, qui sunt in universitate, pertinet eos examinare, sed solum ad magistros, vel quos ipsi designaveriat; ita igitur cum apostolus jubet, in Ecclesia examinari prophetias et Scripturarum interpretationes, certe non vult hoc fieri a sartoribus et cementariis, sed ab episcopis, et aliis, quos episcopi

sibi adjungunt.

Aliud argumentum sumunt ex testimoniis quaturor veterum Patrum. Dionysii alexandrini. Theophili item alexandrini, b. Hieronymi et Gelasii; nam Dionysius, ut scribit Eusebius lib. 7. hist. cap. 6. cum reprehenderetur quod libros haereticorum legeret, respondit, se visionem habuisse, qua sibi dicebatur: Lege omnia, quae in manus tuas veniunt, valebis enim omnia expendere et probare. Theophilus, quoque cum argueretur quod Origenem legeret, respondit, ut Socrates refert lib. 6. hist. cap. 15. se legere, ut quod bonum est excerperet, quod malum respueret. B. Hieronymus in epistola ad Alexandrum et Migerium, dicit, se legere libros haereticorum, ut bona inde excerpat, etiamsi sciat, aliquos propterea de se murmurare.

Gelasius in tomo de vinculo anathematis, probare volens, posse concilium chalcedonense partim recipi, partim non recipi, affert exemplum librorum haereticorum, qui partim recipiuntur, partim rejiciuntur, et allegat illud: omnia probate, quod bonum est, tenete.

Ad hoc ultimum respondeo: Exemplum Gelasii in eo consistere, quod sicut in concilio chalcedonensi quaedam erant bona, quaedam mala; et quaedam recipienda, quaedam rejicienda, itu et in libris haeretigorum: non tamen vult dicere, posse recipi libros ipsos haereticorum propter vera admixia, sicut recipitur concilium chalcedo. nense, nam alia ratio est concilii sanctorum Patrum, alia librorum haereticorum, ut diximus, quamquam veritas ipsa inserta libris baereticorum bona sit, et recipienda, si tamen alibi reperiatur: verba ejus hace sunt: Num quidnam in ipsorum haereticorum libris non multa, quae ad veritatem pertineant, posita leguntur? Num quidnam ideo verilas refutanda est, quia illorum libri. ubi pravilas inest, refutantur? Aut ideo pravi libri suscipiendi sunt corum, quia verilas, quae illic inseria est, non negatur?

Ad alia respondeo: Primum; ex his locis colligi, semper in Ecclesia fuisse morem vitandi lectionem librorum haereticorum, alioqui enim nemo istos Patres reprehendisset. Dico Secundo, semper concessum fuisse, et modo eliam concedi episcopis, et aliis multis lectionem librorum haereticorum, et ideo non mirum, si Dionysius et Theophilus, qui patriarchae erent, et s. Hieronymus, qui semper doctissimus est habitus, poterant suo jure omnes libros legere. Dico Tertio, nullam tunc fortasse fuisse legem universalis Roclesiae, sed solum consuetudinem de non legendis libris haereticorum, exceptis hebris Arii; at nunc lex est Ecclesiae universalis.

cui parendum est.

#### CAPUT XXI.

Posse hacreticos ab. Ecclesia damnatos, temporalibus poenis, et etiam morte mutctari.

Joannes Huss art. 14. in concilio constantiensi, sess. 15. recitato, asseruit, non licere haereticum incorrigibilem tradere sacculari potestati, et permittere comburendum. Idem Lutherus in art. 33. et in assertione ejusdem. Nec novus est error, nam etiam Donatistae olim idem docuerunt, ut Parmenianus, Petilianus et Gaudentius, ut Augustinus testatur lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 7. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 10. Lib. 2. contra epist. Gaudentii cap. 17. et 26. et epist. 50. ad Bonifacium.

Contrarium docent omnes catholici, et aliqui etiem ex haereticis. Nam Calvinus posteaguam Mi-

350 DE LAIGIS

chäelem Servetum tamquam haereticum publice supplicio extremo affecisset, et ab aliis sectariis argueretur, libellum edidit, in quo demonstrat, licitum esse in haereticos gladio animadvertere. Benedictus quoque Aretius in historia de supplicio Valentini gentilis, eumdem gentilem ob haeresim jure caesum a Bernensi magistratu, contendit. Fusius vero id ipsum docet Theodorus Beza in lib. de haereticis a magistratu puniendis.

Nos igitur breviter ostendemus, haereticos incorrigibiles, ac praesertim relapsos, posse ac debere ab Ecclesia rejici, et a saecularibus potestatibus, temporalibus poenis, atque ipsa etiam

morte mulctari.

Probatur Primo Scripturis Scriptura veteris Testamenti Deut.13. severissime jubet falsos prophetas, qui suadent colere Deos alienos, sine ulla misericordia occidi, et cap. 17. postquam dixerat, ut in rebus dubiis consuleretur summus sacerdos. mox subdit: Qui autem superbierit. nolens obedire sacerdotis imperio, ex sententia judicis moriatur. Et rursum cap. 18. propheta faisus interficí jubetur. Et re ipsa legem hanc servarunt Helias, Josias, Jehu, et alii, qui falsos prophetas plurimos occiderunt, ut patet 3. Reg. 18. et 4. Reg. 10. et 23. nullum est autem fere discrimen inter nostros haereticos et falsos prophetas illius. temporis. Nec solum sancti reges et prophetae blasphemos morte mulctarunt, sed cliam Nabu-chodonosor (ut dicitur Daniel 3.) edictum constituit, ut quicumque blasphemaret Deum Danielis, idest, verum Deum, interficeretur, et donnus ejus vastaretur; in quo edicto Deo vero obseguium justissimum fecit, ut b. Aug. dicit in epist. 50. et alibi.

In novo Testamento habemus in primis Matth. 18. posse Ecclesiam eos, qui obedire nolunt, a se rejicere, et habere ut ethnicos et publicanos, ac proinde permittere eos potestati saeculari, tamquam non amplius Ecclesiae filios. Habemus deinde Roman. 13. saecularem potestatem, posse scelestos homines gladio punire: Non enim, inquit, sine caussa gladium portat. minister enim Dei est, vindex in iram etc. Ex quibus duobus locis aperte colligitur, licitum esse haereticos, qui omnium judicio sunt rebelles Ecclesiae et publicae pacis perturbatores. ab Ecclesia abscindi, et a saeculari judice morte mulctari.

Praeterea Christus et apostolus ejus haereticos iis rebus comparaverunt, quae sine controversia ferro et igni repelluntur; nam Matth. 7. Dominus ait: Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis orium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Actor. 20. Ego scio. quoniam intrabunt post discessum meum lupi rapaces. Nomine luporum certum est haereticos intelligi debere, ut pulchre explicats. Ambrosius in commentario ad initium capitis decimi b. Lucae. At lupi rapaces optimo jure occiduntur, si aliter abigi non possunt; pluris enim facienda est vita ovium, quam mors luporum. Item Joan. 10. Qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde ille fur est et latro: ubi nomine furis et latronis intelliguntur haeretici, et omnes se-

ductores, ac sectarum inventores, ut Chrysostomus et Augustinus exponunt; fares autem et latrones, quomodo puniantur notum est. Item 2. Timoth. 2. hacresis comparatur cancro, qui non curatur medicamentis, sed ferro exscindi debet, alioqui perpetuo serpit, et totam corpus corrumpit. Denique Christus Joan. 2. flagello cõegit negotiatores egredi de templo. Petrus Actor. 5. Ananiam et Saphiram, quia mentiri ausi fuerant Spiritui sancto, occidit: et Paulus Act. 13. falsem prophetam, qui proconsulem a fide impedire conabatur. caecitate percussit.

Probatur seeundo sententiis et légibus imperatorum, quas Ecclesia semper probavit. Constantinus I. imperator ad petitionem nicaenae synodi Arium cum aliquot sociis in exilium relegavit, ut auctor est Sozomenus lib. 1. cap. 20. historiae, item Donatistas supplicio affecit, ut Aug. refert lib. 1. contra epist. Parmeniani cap. 7.et in epist. 166. ad Donatistas, ubi enumerat multos imperatores optimos, qui severissimas leges tolerunt contra hacreticos, et unum solum Julianum apo-

statam haereticis favisse.

Deinde Theodosius Valentinianus, Martianus, et alii religiosissimi imperatores, leges tolerunt in haereticos, quibus cos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exilio et verberibus, interdum ultimo supplicio mulciari voluerunt, ut patet C. de haereticis L. Manichaeos, L. Ariani L. Quicumque, qua ultima lege, quae est Valentiani et Martiani jubentur ocidi omnes, qui prava docere tentant; qui vero eos docentes audiunt, aliquot libris auri mulctari. Justinianus apud Paulum diaconum lib. 16. lege edita omnes haereticos de finious totius imperii ejecit, concessis trium mensium ad conversionem induciis; deinde Michäel imperator apud eundem Paulum diaconum lib. 24. capitalem poenam in haereticos constituit.

Probatur tertio legibus Ecclesiae cap. Ad abolendam, et cap. Excommunicamus, extra de hacreticis . et in Sexto de hacreticis cap. super eo, definit Ecclesia, hacreticos incorrigibiles sacculari potestati tradendos, ut ab eis debito modo puniantur. Item constantiense concilium sess. 15. damnavit sententiam Joannis Huss; et ipsum Joannem et Hieronymum de Praga tradidit sacculari potestati, a qua ambo exusi fuerunt; denique Leo

X. articulos Lutheri damnavit.

Probatur quarto testimoniis Patrum. Cyprianus lib. de exhortatione martyrii cap. 5. postquam retulerat ex Deuter. 13. necandos esse pseudoprophetas, subdit: Si hoc in Testamento veteri fiebat;

nunc magis faciendum esse.

Hieronymus in illud Galat. 5. Modicum fermentum totam massam corrumpit: Igitur, inquit, scinitilla statim ut apparuerit extinguenda 'est, et fermentum a massae vicina semovendum; secandae putridae carnes, et scabiosum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, massa, corpus et pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.

Augustinus libr. 2. retract. cap. 5. et in epistol. 48. et 50. retractat. quod aliquando senserat, non esse vi eogendos haereticos ad fidem, et prolize probat id utilissimum; semper tamen excipit supplicium mortis, non quod illos hoc non mereri putaret, sed tum quia hoc dedecere Ecclesiae mansuetudinem existimabat, tum etiam quia nondum ulla exstabat lex imperatorum, qua haeretici juberentur occidi; illa enim lex, Quicumque, C. de haereticis, paulo post mortem Augustini lata est.

Quod autem Augustinus existimaverit, justum esse, si haerelici occiderentur, perspicuum est; nam lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 7. ostendit, quod si punirentur morte Donatistae, juste punirentur. Et tract. 11. in Joan. Occidunt, inquit, animas, affliguntur in corpore, sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur etc. ubi dicit falso illos conqueri, quod occiderentur ab imperatoribus: tamen si etiam verum esset, adhuc injuste conquererentur. Denique in epist. 50. ad Bonifacium dicit; Ecclesiam quidem nolle ullum haereticum occidi tamen sicut domus David non potuit habere pacem nisi Absalon extingueretur, et David pace regni moerorem mortis filii consolatus est: sic cum ex legibus imperatorum contra haereticos sequitur aliquorum mors, Ecclesiam dolorem malerni cordis lenire ac sanare tantorum liberatione populorum.

S. Leo in epist. 91. ad Turbium cap. 1. Merito, inquil, patres, nostri, sub quorum temporibus haeresis haec nefanda prorupit, per tolum mundum instanter agere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur;, quando etiam principes mundi hanc sacrilegam amentiam ita detestati sunt, ut auctorem ejus, ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent; et profuit diu ista districtio ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. Optatus Milevitanus lib. 3. respondens calumniae haereticorum, qui aegerrime ferebant duos ex suis a Machario praesecto intersectos: Videtis, inquil, a Moyse, et Phinee, et Helia, et Machario similia esse facta, quia ab omnibus unius Dei vindicta processit.

S. Gregorius lib. 1. epist. 72. ad Gennadium exarchum Africae, laudat eum, quod magno zelo haerelicos armis persequerelur, et hortalur ut

S. Bernardus serm. 66. in Cantica: Melius, inquit, proculdubio gladio cöercerentur, illius videlicet, qui non sine caussa gladium pertat, quam in suum errorem multos trajicere permittuntur; Dei enim minister ille est, rindex in iram ei, qui male agit. Mirabantur aliqui, qui non modo patienter, sed etiam laeti, ut videbantur, ducerentur ad mortem; sed qui minus advertunt, quanta sit potestas diaboli, non solum in corpora hominum, sed etiam in corda,

BELLARMINI. Vol. II.

quae semel permissus possederal: Nonne plus est sibimet hominem injicere manus, quam id libenter ab alio sustinere.

Probatur ultimo ratione naturali. Primo: Haeretici excommunicari jure possunt, ut omnes fatentur, ergo et occidi. Probatur consequentia, quia excommunicatio est major poena, quam mors temporalis. Augustinus lib. 1. contra advers. legis et prophetarum cap. 17. dicit, horribidus esse tradi Satanae per excommunicationem, quam gladio feriri, flammis absumi, ferisve subjici ad devorandum.

Secundo: Experientia docet, non esse aliud remedium; nam Ecclesia paulatim progressa est, et omnia remedia experta; primo solum excommunicabat; deinde addidit mulctam pecuniariam, tum exilium; ultimo, coacta est ad mortem venire; Nam excommunicationem contemnunt haeretici, ac dicunt esse fulmina frigida; si mineris mulctam pecuniariam, nec Deum timent, nec homines reverentur, scientes non defuturos stultos, qui illis credant, et a quibus alantur. Si in carcere concludas, vel in exilium mittas, corrumpunt vicinos verbis, et longe positos libris. Ergo solum remedium est, mittere illos mature in locum suum.

Tertio: Falsarii omnium judicio merentur mortem; at haeretici falsarii sunt verbi Dei.

Quarto: Ex ratione Augustini epist. 50. gravius est non servare fidem hominem Deo, quam foeminam viro, sed hoc morte punitur, cur non illud?

Quinto: Tres caussae sunt propter quas ratio docet homines occidendos esse, quas pulchre scribit Galenus in libro, cujus titulus est, quod mores animi corporis temperamentum sequantur, circa finem libri.

Prima caussa est, ne mali bonis noceant, neve innocentes a nocentibus opprimantur; alque hine justissime omnium judicio occiduntur homicidae, adulteri, latrones. Secunda est, ut paucorum supplicio multi corrigantur: et qui noluerunt prodesse reipub, vivendo, prosint moriendo. Atque hine videmus etiam justissime omnium judicio quaedam horrenda flagitia morte paniri, licet proximis non noceant, nisi exemplo, ut necromantiam, quaedam nefanda et contra naturam, ista ideo gravissime puniuntur, ut caeteri intelligant, immania esse scelera, et non audeant similia perpetrare. Tertia est, quia ipsis hominibus, qui occiduntur, saepe utile est occidi, quando videlicet semper fiunt pejores, et non est probabile unquam eos ad sanitatem mentis reversuros.

Hae autem rationes omnes suadent haereticos occidendos; nam primum nocent proximis magis, quam ullus pirata vel latro, quandoquidem animas occident, immo tollunt fundamentum omnis boni, et rempub. tumultibus replent, qui necessario religionum diversitatem sequentur.

Deinde, plurimis prodest eorum supplicium; multi enim, quos impunitas faciebat torpentes, supplicia proposita excitant, ut cogitent qualis sit haerosis, quam sequentur, et videant ne forte vi-

tam praesentem misere finiant, et ad futuram beatitudinem non perveniant. Itaque et b. Aug. in epist. 48. testatur, plurimos conversos esse, postquam leges imperatorum non sinebant haereticos impunitos, et nos quotidie idem videmus fieri in locis, ubi viget inquisitio.

Denique, haereticis obstinatis beneficium est, quod de hac vita tollantur; nam quo diutius vivunt, eo plures errores excogitant, plures pervertunt, et majorem sibi damnationem acqui-

runt.

#### CAPUT XXII.

#### Solvuntur objectiones.

Superest argumenta Lutheri atque aliorum haereticorum diluere. Argumentum primum, ab experientia totius Ecclesiae: Ecclesia, inquit Lutherus, ab initio sui usque huc nullum combussit haereticum; ergo non videtur esse voluntas spiritus, ut comburantur.

Respondeo: Argumentum hoc optime probat, non sententiam sed imperitiam, vel impudentiam Lutheri; Nam cum infiniti propemodum vel combusti, vel aliter necati fuerint, aut id ignoravit Lutherus, et tunc imperitus est, aut non ignoravit, et impudens ac mendax esse convincitur; nam quod haeretici sint saepe ab Ecclesia combusti, ostendi potest, si adducamus pauca exempla de multis. Priscillianus haeresiarcha cum sociis, a Maximo christiano imperatore necatus est, ut s. Hieronymus in lib. de viris illustribus testatur, et de Donatistis occisis meminit Optatus lib. 3. contra Parmenianum.

Basilius quidam magus, ac proinde haereticus; nam vix ulli sunt vere magi non haeretici, Romae combustus est a christiano et catholico populo, ut b. Gregorius testatur lib. 1. Dialogorum cap. 4.

Rursum alius Basilius auctor haeresis Bogomilorum ab Alexio Comneno imperatore publice exustus est, ut scribit Zonaras in vita Alexii.

Tempore etiam b. Bernardi, quod haeretici ultimo supplicio afficerentur, testatur ipse in Cantica serm. 66. Temporibus Innocentii III. fuerant aliquando simul exusti 180. haeretici Albigeases, cum antea et verbis, et miraculis eos s. Dominicus convicisset, et multos eorum socios convertisset. Scribit rem totam b. Antoninus 3.parte tit. 19.cap. 1.§ 4. historiae.

Ac ut alios infinitos omittam, Joannes Hess et Hieronymus de Praga in constanticasi concilio ab imperatore Sigismundo exusti fuerunt.

Respondet Lutheras ad hoc altimum exemplum: Ego de haereticis loquor, Huss autem et Pragensis non fuerunt haeretici. Contra. Saltem Priscillianus et Bogomiles et Albigenses fuerunt haeretici. Praeterea Joannes Huss, et nebis eatholieis, et ipsi

Luthero haereticus suit; quod nobis, netum est : quod Luthero, probatur; nam Lutherus in lib.contra regem Angliae asserit impium esse; et blasphemum negare verum panem in evcharistia eum corpore Domini: et pium, atque catholicum, negare conversionem panis in corpus. At Joannes Huss usque ad mortem in contraria sententia suit, et protestatus est in ea fide se mori, credens firmissime panis conversionem in corpus Christi, ut Joannes Cochlaeus resert lib. 2. de historia Hussitarum, pag. 76.

Argumentum secundum: Experientia testator, non profici terroribus. Respondeo: Experientia est in contrarium; nam Donatistae, Manichaei et Albigenses armis profligati et extincti sunt. Item Augustinus testatur plurimos conversos suo tem-

pore ob metum poenae, epist. 48.

Argumentum tertium: Écclesia tolerat Judaeos, cur non haereticos? Respondeo primo: Judaei numquam susceperunt fidem christianam, haeretici susceperunt. Secundo, Judaei religionem colunt, quam Deus instituit saltem pro tempore, haeretici eam, quam diabolus invenit. Tertio, secta Judaeorum Ecclesiae utilis est, quia eorum libri sunt prophetiae nostrarum rerum, et eorum caeremoniae figurae nostrorum mysteriorum, et hinc probamus gentilibus nos non finxisse haec vaticinia, quandoquidem servantur a nostris inimicis; denique Judaei non conentur pervertere Christianos, ut plurimum, sicut faciunt haeretici. Vide concilium toletanum IV. can. 55. et 56. et Augustinum in psalm. 59. Item Bernardum in epist. 322. ad Spirenses, et 323. ad episcopum inoguntinum.

Argumentom quartum, ex Isaia 2. Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces. Respondeo: Non estad propositum, nam ut b. Hieronymus exponit, describit propheta tempus adventus Messiae, ac dicit futurum tempus altissimae pacis, ila ut homines convertant instrumenta militiae in instrumenta agriculturae, et non exerceantur ultra, idest, in longum tempus ad praelium; hoc autem tempus impletum est in Christi nativitate; numquam enim fuit tam generalis, et tam diulurna pax in toto orbe, quam tempore Augusti. Deinde, si verum est, numquam futura in Ecclesia bella, ut Lutherus ex hoc loce deducit, manifestum erit apud Lutheranos non esse Ecclesiam, qui et inter se, et contra catholicos gravissima bella moverunt, quale fuit illud contra Carolum V. in quo captus fuit dux Saxoniae et landgravius.

Argumentum quintum: Ex Isaia 11. Non occident, et non nocebunt in omni monte sancto meo. Respondeo: Argumentum est contra ipsum Lutherum, nam non dicit propheta quod catholici non occident haereticos, sed potius contra quod haeretici non occident, et non nocebunt catholicis; loquitur enim propheta de leonibus, et ursis, et serpentibus, regulis alilsque venenatis bestiis, de quibus dixerat: Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; et in caverna reguli miltet manum suam etc. his autem bestiis diabolus, et haeretici ejus ministri si-

gnificantur, ut Hieronymus et Cyritius exponunt: Ac dicit, quod non occident, neque nocebunt in omni Ecclesia; tametsi enim haeretici videntur - Ecclesiae nocere, tamen re vera non nocent, sed eam exercent, et in sapientia ac patientia proficere faciunt.

Argumentum sextum: Matth. 18. Dominus constituit, ut haeretici haberentur pro ethnicis et publicanis, non ut comburerentur. Et Paulus ad Titum 3. jubet haereticum vitari, non occidi, crgo non licet eos occidere. Respondeo: Christum quidem, et Paulum hoc loco non praecepisse, sed nec prohibuisse, ut comburerentur haeretici: ac proinde nibil ex hoc loco deduci. Et hace est solulio; qua ipse etiam Lutherus uti consuevit: nam in lib. 2. contra Carolstadium, objicienti Curolstadio, cur vocaret sacramenta, quae Christus non praeceperat sic vocari; respondit Lutherus, el quare lu prohibes ea vocari sacramenta, quae Christus non prohibuit vocari. Praeterea Christus et Paulus nusquam jubent adulteros et falsarios eccidi, suspendi fures, comburi latrones, et tamen id fleri et recte sieri, neque Lutherus negare auderet.

Argumentum septimum: B. Martinus apud Sulpilium lib. 2. sacrae historiae circa finem , vehementer redarguit Idacium et Ithacium episcopos qui procurabant mortem Priscilliani haeretici apud imperatorem : eosdem eliam tamquam ingentis criminis reos propter eandem caussam ibidem Sulpitius accusat.

Respondeo: Duabus de caussis merito accusari illos episcopos. Primo, quia caussam ecclesiasticam ad imperatorem deferebant; nam Priscillianus accusatus apud concilium, provocavit a concilio ad imperatorem, et hoc episcopi permiserunt; et de haec re ait b. Martinus, novum et inanditum nefns est, ut caussam Ecclesiae judex saeculi judicaret. Secundo, quia episcopi illi assumpserent officium accusatoris in caussa sanguinis : etsi enim episcoporum est haereticos excommunicare, et relinquere judici saeculari, et hertari eliam judices, ut munere suo fungantur, non tamen decet episcopum accusatorem agere. Quod autem Sulpitius putaverit juste Priscillianum occisum cum sociis, patet ex illis verbis ejus: Hoc modo, inquit, homines luce indignissimi pessimo escemplo necati sunt.

Argumentum Octavum. 1. Corinth. 11. Oporta hacreses esse, ut qui probati sunt manifesti fami, ergo non debent extirpari. Respondes : Sessus illius sententiae est, posita nequitia diaboli, qui semper hacreses seminat, et natura hominum corrupta, atque ad malum propensa, et postreme divina permissione, necesse est in mundo hacreses inveniri, sicut dicimus, oportet in borto esse aliquas malas herbas, et sicut Dominus ail: Necesse est ut veniant scandala, Matth. 18. Itaque, non jubet apostolus ut hacreses seminemus, vel ut eas pro viribus non extirpe-mus, sed solum praedicit id quod semper in sundo erit: sieut scandala tollere, et malas herbas de horto extirpare justissime conamur, licet sciamus numquam omnia scandala tollenda.

Argumentum Nonum. Luc. 11. Discipulis cupientibus comburere Samaritas. Dominus ait: Nescitis cujus spiritus estis. Respondeo: Primo latissima differentia est inter Samaritas illos et haereticos; illi enim numquam promiserant se Christi religionem servaturos, sed tunc primum eis offerebatur, et ideo compellendi non erant. At haeretici promiserunt, professique sunt se Christi sidem servaturos, ideo merito compelluntur. Deinde Jacobus et Joannes non tam zelo salutis animarum, quam amore vindictae cupiebant Samaritas comburi, et ideo merito arguuntur. Ecclesia vero zelo salutis animarum, quas haeretici pervertunt, eos persequitur, quo relo ipse Christus bis flagello ejecit ex templo vendentes oves et boves: Et mensas nummulariorum subvertit, Joan. 2. et Matth. 21. Petrus occidit Ananiam et Saphiram, Actor. 5. Paulus tradidit fornicarium Satanae in interitum carnis: 1. Corinth. 5. ut omittam Moysem, Phinees, Heliam, Mathathiam et alios, qui zelo Dei plurimos occide-

Argumentum decimum. Matth. 13. Sinite utraque crescere usque ad messem. Hic aperte Dominus de haereticis loquitur, et prohibet eos occidi, ut Chrysostomus hunc locum exponens ait, ut etiam Cyprianus lib. 3. epist. 3. ad Maximum, et Urbanum, ubi de hac parabola loquens dicit, soli Domino concessum esse, vel fictilia va-

sa confringere, vel zizania evellere.

Respondeo: Nomine zizaniorum non intelliguntur soli haeretici, sed omnes homines mali, ul palet ex ipsa Domini explicatione, ait enim: Bonum semen, filii sunt regni, zizania filii nequam. Et infra: Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi: Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquilatem, et mittent eos in caminum ignis. Cum autem prohibet Dominus extirpari malos, non prohibet ne iste, aut ille occidatur, sed prohibet ne boni conentur omnes malos ubique extirpare, et nullum omnino permittere, id enim fleri non posset sine ingenti clade bonorum, et hoc est quod Dominus ait, ne forte cum eis eradicetis simul et triticum. Itaque parabola generalis est, et solum docet numquam futurum ante mundi consummationem, ut omnes mali eradicentur.

Cum autem in particulari quaestio est vel de haereticis, vel de furibus, vel de aliis malis; An sint extirpandi; semper considerandum est, juxia rationem Domini, an id possit fieri sine de-trimento bonorum; et si quidem potest fieri, sunt proculdubio extirpandi: si autem non possunt, quia vel non sunt satis noti, et periculum est ne plectantur innocentes pro nocentibus, vel sunt fortiores nobis, et periculum est ne si eos bello aggrediamur plures ex nobis cadant quam ex illis, tunc quiescendum est. Ha respondet Augustin. lib. 3. contra epist. Parmen. cap. 2. huno locum explicans sibi a Donatistis objectum. Neque aliud Chrysostomus docet, ut patet ex his verbis: Dominue, inquit, prohibet evelli zizania, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant; nam si tunc trucidarentur hacretici, atrox et irreconciliabile bellum orbi inferretur. Porro Cyprianus non de hacreticis, sed de malis Christianis in ea epistola hanc parabolam intelligit, nec tam prohibet occidi scedicit solius Domini esse discerne-

Argumentum undecimum. Joan. 6. cum multi ex discipulis recessissent, Dominus ait: Vultis et vos abire? Ergo sic etiam Ecclesia facere debet

Respondeo: Negatur consequentia; Primo, quia illi non obligaverant se ad manendum, sicut haeretici se per baptismum obligaverunt. Secundo, quia decebat ut Christus, qui venerat judicari non judicare. non per se suas injurias ulcisceretur, sed eas vindicandas filiis suis spiritualibus relinqueret. cujus rei figuram habemus in David, quousque vixit. numquam occidi voluit Semei, qui sibi maledixerat, sed tamen in morte praecepit Salomoni, ut ipse peccatum illud non relinqueret inultum, 3. Reg. 2.

Argumentum duodecimum. Fides est donum Dei, nemo igitur ad eam compelli potest. Respondeo: Sic eam esse donum Dei, ut etiam sit actus liberi arbitrii, alioqui etiam castitas, et caelerae virtutes sunt dona Dei, et tamen recte puniuntur adulteri, homicidae, latrones, et coguntur caste ac juste vivere. Sapientia quoque est donum Dei, et tamen scriptum est Proverb. 29. Virga et correptio tribuunt sapientiam. Denique fides est donum Dei, sed Deus hoc donum conservat variis modis, quorum unus correptio est.

Argumentum decimumtertium. Dominus attribuit Ecclesiae gladium spiritus, quod est verbum Dei, non autem gladium ferri, immo Petro volenti gladio ferreo ipsum defendere, ait: Mitte gladium tuum in vaginam, Joan. 18.

Respondeo: Ecclesia sicut habet principes ecclesiasticos et saeculares, qui sunt quasi duo Ecclesiae brachia, ita duos habet gladios, spiritualem et materialem, et ideo quando manus dextera gladio spirituali non potuit haereticum convertere, invocat auxilium brachii sinistri, ut gladio ferreo haereticos cõerceat, et hoc fortasse significavit Dominus, cum prohibuit Petrum, qui erat futurus princeps ecclesiasticorum, uti gladio ferreo.

S. Bernardus lib. 4. de consideratione: Quid, inquit, tu denuo usurpare gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negant, non satis mihi videntur attendere verbum Domini, dicentis sic: Gonverte gladium tuum in vaginam; tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, et si non tua manu evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus apostolis: Ecce duo gladii hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiae et spiritualis scilicet gladius et materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille vero et ab Ecclesia exercen-

dus est: ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, et jussum imperatoris. Haec ille. Posset tamen brevius dici, solum prohibuisse Dominum usum gludii privata auctoritate; tunc enim Petrus nondum pontifex, sed discipulus erat.

Argumentum decimumquartum. Ecclesia non parcit haereticis nisi semel, apostolus autem ad Titum 3. jubet ut bis ad minimum haereticis parcator.

Respondeo: Etsi nunc tam latini, quam graeci codices constanter habeant: Post unam et alleram correptionem. Tamen olim in graecis et in latinis quibusdam non habebatur, nisi: Post unam correptionem devita; ut patet ex Irenaeo lib. 3. cap. 3. Tertulliano de praescript. Cypriano lib. 3. ad Quirinum cap. 78. Ambrosio et Hieronymo in hunc locum apostoli; qui tamen s. Hieronymus magis approbat lectionem nostram, eamque dicit magis placuisse s. Athanasio; ideo dico aposto-lum non loqui de venia danda haeretico converso, sed de admonitione, quae praemittitur antequam haereticus excommunicetur per sententiam judicis: hoc autem Ecclesia serval non solum in haereticis, sed etiam in omnibus aliis, quos excommunicat, semper enim duas admonitiones ut minimum praemittit.

Argumentum decimumquintum. Haeretici sunt extra Ecclesiam: At nihil ad nos de iis, qui foris sunt, 1. Corinth. 6. Respondeo: Sunt extra Ecclesiam, sed cum debito atque obligatione manendi intus, et ideo cogi possunt ut redeant, sicut cogimus oves, quando de grege fugerunt.

Argumentum decimumsextum. Contra mansuetudinem Ecclesiae esse videtur velle mortem haereticorum.

Respondeo Primo: Non est contra mansuetudinem Ecolesiae, quia tenetur misereri filiorum suorum, et tunc vere immitis et crudelis esset, si mallet parcere lupis, quam ovibus. Secundo: Quia Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset; Nam initio, ut supra diximus, solum excommunicabat, deinde videns hoc non sufficere addidit poenam pecuniariam, tum amissionem omnium bonorum, postea exilium, tandem huc devenit, ut satis patet ex variis legibus antiquiorum imperatorum in C. tit. de haereticis.

Argumentum decimumseptimum. Fides est libera. Respondeo: Liberum duobus modis accipitur. Uno modo ab obligatione, quomodo dicimus liberum est vovere castitatem, intrare religionem; at nou est liberum frangere votum, egredi religionem; et hoc modo fides in iis, qui eam numquam receperunt, libera est ab obligatione humani juris, sed non divini; et ideo homines non cogunt, Deus tamen puniet. At in iis, qui eam in baptismo professi sunt, non est libera ab obligatione, nec juris divini, nec humani, et ideo cogunt homines, ut ea servelur. Altero modo sumitur liberum, ut distinguitur contra necessarium, et hoc modo liberum est non credere, sicut liberum est alia peccata committere, sed haec libertas non im-

pedil, quin homines male agentes puniantur. Immo polius exigit ut puniantur; nam si liberum est credere et non credere, ergo potuit credere et manere in Ecclesia, sicut debuit et quia non fecit, merito punitur: its respondet s. August. in epist. 30. ad Bouisacium, et lib. 2.contra epistolam Gaudenlii cap. 11. Datum est homini, inquit, liberum arbitrium, sed ut si esset male faciens, seret mala patiens.

Àrgumentum decimumoctavum. Numquam apostoli brachium saeculare contra haereticos invocaverunt. Respondet s. Augustinus in epist. 50. ct alibi, apostolos id non fecisse, quia nullus tunc erat christianus princeps, quem invocarent. Tunc enim implebatur illud psalm. 2. Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus-At postquam tempore Constantini coepit illud impleri, quod sequitur in eodem psalmo; Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore: Mox Ecclesia auxilium saecularis brachii imploravit.

Finis secundae controversiae generalis.

LAUS DEO, VIRGINIQUE MATRI MARIAE.

#### TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS

# DE ECCLESIA

QUAE EST IN PURGATORIO

DUOBUS LIBRIS EXPLICATA.

# INDEX

# LIBRORUM ET CAPITUM

### LIBER PRIMUS

#### **DE PURGATORIO**

#### Praefatio

CAP.	I.	De nomine purgatorii.		Patrum graecorum et latinorum.
>	II.	De erroribus circa purgatorium.	CAP.	
D	III.	Purgatorium esse probatur ex Scri-	))	XII. Solvuntur argumenta ex Scripturis.
		piuris Testamenii veteris.	n	XIII. Solvuntur objectiones ex Patribus.
u	IV.	V. VI. VII. VIII. Purgatorium esse pro- batur ex Testamento novo.	Ŋ	XIV. Solvuntur objectiones ex ratione de- promptae.
n	IX.	Asseritur purgatorium testimoniis conciliorum.	n	XV. Purgatorii confessionem ad fidem ca- tholicam pertinere.
Я	Y	Assertise murantarium testimamiis		

#### LIBER SECUNDUS

#### DE CIRCUMSTANTIIS PURGATORII

CAP.	I.	De personis quibus purgatorium con-	CAP.	. IX.	De tempore quo durat purgatorium.
		venit.	))	X.	Qualis sit purgatorii poena.
"	II.	In purgatorio non posse animas me-	<b>»</b>	XI.	Ignem purgatorii esse corporeum.
		reri vel peccare.	))	XII.	Sciri non posse, quomodo ignis cor-
D	III.	Solvuntur objectiones.			poreus animas urat.
1)		Animas in purgatorio certas esse de sua aeterna salute.	n	XIII.	An in purgatorio torqueantur animac a daemonibus.
)	V.	Solvuntur objectiones.	))	XIV.	De gravitate poenarum.
"		De loco purgatorii.	))	XV.	Suffragia Ecclesiae defunctis pro-
)		Sitne post hanc vitam aliquis locus			desse.
		pro animabus justis praeter coelum	))	XVI.	Quot sint genera suffragiorum.
		et purgatorium.	n	XVII.	Quis possit animas juvare.
))	VIII.	Num ex receptaculis suis animae defunctorum egredi valeant.	<b>))</b> ))	XVIII.	Quibus prosint suffragia. . De funere.

#### LIBER PRIMUS

# DE PURGATORIO

#### **PRAEFATIO**

Disseruimus hactenus de ea parte Ecclesiae, quae est in terris: Nunc de ea disputandum est, quae degit infra terram; disputaturi ultimo de illa, quae regnat in coelis; et quoniam fideles jam defuncti, necdum beati, et corpore et animo sunt infra terram, diversis in locis, ideo primum de loco animarum dicemus; secundo de loco corporum, idest, de sepultura.

Sed antequam ad quaestiones veniamus, tria praemittenda sunt. Primo, quid nomine purgatorii hoc loco intelligamus. Secundo, qui fuerint errores de purgatorio. Tertio, quo ordine sit explicanda haec disputatio.

Scripserunt autem de purgatorio Joannes Rof-

fensis contra artículos Lutheri; Joannes Eckius lib. 4. de purgatorio; Joannes Bunderius in suo compendio titul. 18. Joannes Garetius lib. de orat. pro defunctis; Jacobus Latomus in explicatione artic. sexti Lovaniensium; Jodocus Clictovaeus in lib. de purgatorio; Bernardus Lutzenburg. lib. unico de purgatorio; Alphonsus de Castro, verbo purgatorium; Martinus Peresius Ajala de traditionibus; Claudius Coussord contra Waldenses; Cajetanus tom. 1. tract. 23. et 24. Franciscus Orantius lib. 5. de locis catholicis; Hugo Etherianus de regressu animarum ab inferis; Catharinus lib. de veritate purgatorii.



### CAPUT PRIMUM

De nomine purgatorii

Tria in Scripturis inveniuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum, et purgatoria dici possunt. Primo, Christus ipse, de quo dicitur ad Hebr. 1. Purgationem peccatorum faciens. Joan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed de hoc non loquimur, tum quod non soleat Christus vocari purgatorium, tum quod sit extra controversiam eum purgatorem peccatorum esse.

Secundo, tribulationes hujus vitae, de quibus ad literam videtur intelligendus Malachias cap. 3. Ipse sedebit quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum, et quasi argentum. Nam, ut recte exponit b. Hieronymus, hic agitur de tribulatione, quae praecedet diem judicii ad purganda peccata fidelium, et Joan. 15. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. De hoc purgatorio non loquimur, tum quod sit extra controversiam, tum etiam quod non semper tribulatio hujus vitae sit purgatoria. Nam multi justi affliguntur, non ut purgentur, sed ut exerceantur, et probentur juxta illud Ecclesiast. 21. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Et multi injusti affliguntur, non ut purgentur, sed ut incipiant damnationis suae poenas gustare.

Vocatur ergo tertio purgatorium , locus quidam, in quo tamquam in carcere post hanc vitam purgantur animae, quae in hac non plene purgatae fuerunt, ut nimirum sic purgatae in coelum ingredi valeant, quo nihil intrabit coinquinatum. De

hoc est tota controversia.

#### CAPUT II.

De erroribus circa purgatorium.

Multi, et inter se contrarii errores fuerunt de purgatorio. Primus omnium, qui aliquid sensit

contra purgatorium, videtur fuisse Aerius, qui teste Epiphanio haeres. 75. et Augustino haeres. 53. docuit, non esse pro defunctis orandum. Hinc enim sequitur, aut non egere precibus, aut non posse juvari, quorum ulrumque purgatorio repugnat, saltem eo modo existenti, quo ab Ecclesia ponitur.

Diserte autem purgatorium negaverunt Waldenses, ut Guido Carmelita in Summa de haereticis et b. Antoninus 4. part. tit. II. cap. 7. § 2. sum-

mae theologiae referunt.

Idem docuerunt apostolici apud b. Bernardum serm. 66. in cantic.et forte Waldenses proles sunt apostolicorum; nam in erroribus, qui eis tribuuntur, conveniunt, et tempore sunt vicini. Nam Waldensium secta exorta est circa annum Domini 1160. juxta Trithemii Chronicum, vel 1170. juxta Guidonem in sua Summa cap. 1. et Reynerium, qui floruit ante annos 300. cujus testimonium vide in fine libri Claudii Caussordii contra Waldenses. Apostolici autem sunt paulo antiquiores, nam exorti sunt tempore b. Bernardi, qui obiit anno 1153. vocari autem voluisse apostolicos, etiam ipsos Waldenses, quod apostolorum paupertalem sectarentur, manifestum est ex historia ipsorum, apud Aemilium lib. 6.de gestis Francorum et abbatem urspergensem in Chronico anni 1212.

Idem cum Wadensibus docuerunt eodem tempore Henricus et Petrus Bruis, contra quos scribit b. Bernardus epist. 240. et Petrus Cluniacensis in

epistola ad omnes episcopos:

Idem postea docuerunt Albigenses, qui tamen non solum purgatorium, sed eliam infernum tollebant, testis b. Antonin. 4. part. tit. 11. cap. 7. § 5.

Idem tribuit Wiclesistis et Hussitis Bernardus Lutzenburgensis in praefatione libri sui de purgatorio, sed fortasse falso, cum nihil tale eis tribuat concilium constantiense, nec Thomas Waldensis; Aeneas autem Sylvius, qui inter errores Hussilarum hunc etiam numerat libro de origine Böemórum cap. 35. videtur confundere Hussitas cum Waldensibus.

Idem tribuitur Armenis et Graecis a Guidone Carmelita in summa de haereticis, et quamquam Graeci ipsi in concilio ferrariensi, sess. 1. affirmabant se non negare purgatorium, sed Ignem tantum, et existimare purgatorium esse locum tenebricosum et laborum plenum, tanen credibile est Graecos de hac haeresi saltem suspectos fuisse; nam b. Thomas in opusculo contra Graecos refellit etiam hunc errorem et probat, purgatorium esse, et in concilio florentino sess. ult. damnatus est idem error, cum tamen in eo concilio solum damnati sint errores Graecorum, aut certe de quibus Graeci suspecti erant.

Denique Lutherus, et omnes posteri ejus, licet in varias sectas dissecti, in hoc tamen conveniunt, ut purgatorium tollant, quamquam Lutherus ipse valde varius fuit. Nam primo, purgatorium plane catholice admittebat; nam in disputatione Lipsiaca, quae adhuc exstat: Ego, inquit, qui credo fortiter, immo ausim dicere, scio purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri

mentionem.

Deinde purgatorium admisit quidem, sed multis admixtis erroribus. Primus error fuit, purgatorium non posse probari ex Scripturis. Secundus, animas in purgatorio non esse certas de salute consequenda. Tertius, animas in purgatorio posse mereri et demereri. Quartus, animas in purgatorio sine intermissione peccare, dum horrent poenas et requiem quaerunt. Quintus, animas, quae liberantur per suffragia Ecclesiae, minus beari, quam si per se salisfecissent. Isti quinque habentur inter articulos a Leone damnatos in fine.

Ultimo, simpliciter sustulit purgatorium, suffragia pro defunctis, et asseruit nullum esse purgatorium post hanc vitam, sed solum in vita et in morte; horror enim et poena mortis purgat, si quid purgandum superest. Ita docuit in lib. de abroganda missa privata, ubi dicit melius esse in totum negare purgatorium, quam oredere b. Gregorio referenti animarum apparitiones, suffragia petentium, et in lib. ad Waldenses de eucharistia: Cum, inquit, negatis purgatorium, dammatis missas, vigilias, coenobia, monasteria, et quidquid per hanc imposturam erectum est, per omnia et-

iam probo.

Hoc ultimum sequuti sunt omnes haeretici hujus temporis. Lutherani rigidi, ut Centuriatores, centur. 1. lib. 2. cap. 4. col. 460. et cent. 4. cap. 5. colum. 304. Lutherani molles; et Philippus in locis cap. de satisfactione, et Brentiua in Confess. Wirtembergensi, cap. de purgatorio. Item Zwingliani apud Gochlaeum in actis Lutheri anni 1526. Item Bernardinus Ochinus in dialogo de purgatorio. Calviaus lib. 3. Instit. cap. 5. § 6. ubi dicit, Purgatorium esse exitiale Satanae commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei misericordiae irrogat, quod fidem nestram labefacit et evertit. Petrus Martyr in c. 3. 1. ad Corinth. duo dicit. Primo, sive sit, sive non sit purgatorium, certo non esse deguna

fidei. Secundo. dicit nec esse probabile purgatorium existere. Denique Anabaptistae Trinitarii lib.

2. cap. 1. ex iis, quos nuper ediderunt anno 1567. dicunt Lutherum jecisse fundamentum reformationis Ecclesiae, cum purgatorium, missas et similia sustulit; Fundamentum omnium Lutheranorum est, quia tollunt satisfactionem et discrimen peccati mortalis a veniali; isto enim fundamento posito, necessario sequitur nullum esse purgatorium.

Porro non defuerunt, qui adeo purgatorium probarint, ut nullas poenas nisi purgatorias post hanc vitam agnoverint. Ita Origenes sensit, qui omnibus impiis hominibus, et daemonibus tandem salutem pollicetur, ut refert Epiphanius in epistol. ad Joan. hierosolymitanum, et Augustinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 17. ubi addit aliorum opinionem, qui non quidem daemonum, sed hominum tamen omnium poenas solum purgatorias agnoscebant, et eodem lib. 21. cap.13. dicit eandem sententiam platonicorum fuisse, nullam videlicet esse poenam post banc vitam, nisi purgatoriam, et probat ex illis Virgilii versibus in 6. Aeneidos.

Quin et supremo cum lumine vila reliquit.
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes, penitueque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt etc.

Quamquam in ipsius Platonis operibus aliud legimus; nam in Phaedone et in Gorgia, tria facit hominum genera eorum, qui ad judicium evocantur post mortem. Unum eorum, qui pie justeque vixerunt, et hos statim ad insulas beatorum transmitti dicit. Alterum eorum, qui peccata curabilia perpetrarunt, et hos asserit ad tempus exerceri poenis, donec scelus eluatur. Tertium eorum, qui peccata incurabilia commiserunt, et hos dicit in tartarum dejici in aeternum puniendos, quorum supplicia ipsis quidem nibil prosint, sed aliis tamen prosint ad exemplum, et Virgilius quoque id non tacuit, ubi ait Aeneid. 6.

Sedel, aelernumque sedebil Infelix Theseus, Phlegiasque miserrimus omnes Admonel, el magna testatur voce per umbras: Discite justitiam moniti, el non tennere divos.

Sed de his satis.

Disputatio tota decem capitibus continetur. Primo, ostendemus esse purgatorium. Secundo, id fide tenendum. Tertio, quibus personis conveniat, an justis, an peccatoribus omnibus, an quibusdam tantum. Quarto, de statu corum qui sunt in purgatorio, an videlicet certi sint de salute. Quinto, possint ne mereri ac demereri. Sexto, de loco purgatorii. Septimo, de tempore quo durat. Octavo, de ipsa poena, qualis sit et a quibus infligatur. Nono, de remedio poenae. Decimo, de sepultura corporum.

#### CAPUT III.

#### Purgalorium esse probatur ex Soripturis Testamenti veteris.

Primum igitur purgatorium esse, quinque generibus argumentorum probabimus. Afferemus enim primo, Scripturas Testamenti veteris. Secundo, Scripturas Testamenti novi. Tertio, concilia. Quarto, Patres. Quinto, rationes, et tum demum solvemus argumenta. Primus locus habetur 2. Machab. cap. 12. ubi posteaquem Scriptura narravit, Judam Machabaeum misisse in Hierusalem 12,000. drachmarum argenti in sacrificia pro mortuis expendenda, subjungit: Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solventur.

Hine enim sequitur. Primo: Posse mortuos post hanc vitam a peccatis solvi, et proinde esse purgatorium. Secundo: Sacrificia, et orationes vivorum prodesse defunctis. Tertio: Non expiari semper in morte omnes peccatorum reliquias, ut Lutherus dicit: Nam isti pro quibus orari jussit, mortui erant morte violenta, et pro religione, tamen credebat Judas adhuc illos non plene esse purgatos. Quarto: Posse hominem sancte et pie mori, et tamen habere debitum aliquod solvendum, vel propter venialia peccata non remissa in vita, vel propter satisfactionem pro mortalibus remissis non plene expletam: Nam Scriptura hoc loco dicit eos, pro quorum peccatis jussit orari Judas, cum pietate durmitionem accepisse. Quinto: Hoc esse de fide.

Ad hunc locum respondent adversarii. Primo, librum hunc non esse canonicum, cum auctor ipse iu fine libri veniam petat, si qua in re erraverit: Ergo, inquit, Brentius, demus illi veniam quod erraverit, cum suffragia pro defunctis laudavit.

Secundo, quia saltem hace pars non potest esse canonica (sancte et pie de resurrectione cogitans, nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum pro defunctis orare) continet enim exploratum errorem quod aimirum animae cum corperibus moriantur et resurgant, alioqui non esset superfluum et vanum orare pro mortuis, etiamsi non resurgerent. Addit Ochinus, ex hac ipsa particula tolli posse purgatorium: Nam si purgatorium esset, etiamsi resurrectio mortuorum non esset, non tamen fuisset vanum orare pro mortuis, quia profuisset illis oratio ad liberationem a poenis purgatorii.

Tertio, quia illa conclusio: Sancta ergo et salubris est cogitatio etc. non videtur historico convenire, et forte erat annotatio aliqua marginalis, et inde in textum violenter intrusa est.

Quarto, quia non sit mentio in bac Scriptura purgatorii, sed solum resurrectionis; dicitur enim Jadas jussisse orare pro mortuis sancte et pie de resurrectione cogitans.

Quinto, quia sacrificia, et orationes jubentur fieri a Juda Machabaeo pro illis, quos constabat in peccato mortali decessisse; nam ibidem habemus reperta fuisse sub tunicis omnium illorum occisorum quaedam de donariis idolorum, quae illi ra-

puerant contra expressam prohibitionem Deuteronom. 7. Invenerunt, inquit, sub tunicis interfectorum de donariis idolorum, quae apud Jamniam fuerunt, a quibus lex prohibet Judaeos. Omnibus ergo manifestum factum est, ob bano caussam eos corruisse, ergo vel superstiosum fait factum hoc Judae, vel non erarunt ut animas ilias juvarent, sed solum ut seipsos consolarentur.

Sexto, quia non sequitur: oratum et sacrificatum est pro mortuis, ergo erant in purgatorio; nam potuerunt, pro quibus orabatur, esse in inferno, et potuerunt qui orabant, orare et sacrificare, ut pium erga eos affectum, et memoriam ostenderent et seipses consolarentur.

Septimo, quia Scriptura ista non profert legem aliquam, aut decretum, sed solum unius hominis exemplum, non tenemur autem imitari, immo nec possumus omnia exempla Scripturarum. Neque obstat quod laudatur hoc loco exemplum Judae; nam in eodem libro laudatur exemplum Raziae, qui se occidit, 2. Machab. 14.

Ad primum dico, lib. Machabaeorum non esse canonicum apud Judaeos, sed apud Christianos esse, siquidem Ecclesia universa legit hunc librum in missa, et legebat jam olim, ut patet ex epistela Petri Cluniacensis contra Petrobrusianos, et tamen prohibitum fuerat in concilio III. carthag. oap. 47. ne utlus liber legeretur in Ecclesia sub nomine divinorum librorum, nisi canonicus esset. Praeterea eum numerat cum divinis libris, ex conciliis carthaginens. III. canon. 47. ex pontificibus, Innocentius I. in epist. ad Exuperium, cap. utl. ex Patribus, August. lib. 18. de Civ. Dei cap. 36. ubi sic ait: Libros Muchabaeorum non Judaei, sed Ecclesia pro canonicis habet.

Ex quibus lestimoniis refellitur mendacium impudentissimum Ochini, qui in dialogo da purgatorio sic ait: Quod apocryphi sint, ex laodicensi et africama synodo manifestum est, immo ex omnibus sacris doctoribus qui sacrorum librorum ealalogum percensentes, de Machabaeicis nullam mentionem factunt. Haec ille. Qui quam aperte mentiatur, facile cognoscet, qui legerit carthagiu. concilium III. quod Ochinus Africanum vocat, et praeterea Innocentium loco citato, Augustin. lib. 2. de doctrina christiana cap. 8. Gelasium in decreto de libris canonicis, quod edidit in concilio 70. episcoporum, Isidorum lib. 6. etymologiarum, cap. 1. aliosque Patres a nobis citatos lib. 1. de Verbo Dei, cap. 15.

Respondet Petrus Martyr in cap 3. 1. Corinth. ab Augustino, et Ecclesia ipsa hune librum receptum in canonem, non corum librorum, qui valent ad confirmanda dogmata, sed corum qui valent ad morum aedificationem, et probat: quia August. lib. 2. contra epist. Gaudentii, cap. 23. dicit hunc librum non esse paris auctoritatis cum lege, prophetis et psalmis, sed tamen utilem esse si sobrie legatur. Item quia Cyprianus in expositione symboli dicit, hos libros non valere ad probanda dogmata.

At perfide agit pseudomartyr; nam August. adeo putabant hunc librum valere ad confirmanda dogmata, ut lib. 1. de cura pro mortuis, cap. 1. ex

solo hoc libro argumenta petat ad probandum orandum esse pro mortuis, et hoc esse dogma fidei idem August, docet, cum in lib. de haeres, cap. 53. ponit Aerium in numero haereticorum, quia negaverat orationes pro defunctis. In 2. autem lib. contra Gaudentium, cap. 23. non dicit eos libros non esse pares psalmis, legi et prophetis in Ecclesia, sed apud Judaeos: Et hanc quidem Scripturam, inquit, quae appellatur Machabaeorum, non habent Judaei sicut legem et prophetas et psalmos, sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobrie legatur, vel audiatur. Ex quo apparet insignis fraus Martyris. Quod autem Augustin. dicit, debere sobrie legi, non ideo dicitur, quia sint in hoc libro aliqui errores, sed propter exempla eorum, qui se occiderunt, qui in hoc libro narrantur, et imitanda non sunt; quomodo etiam Genesis sobrie legenda est, ne putemus imitandum factum Judae patriarchae, qui incestum perpetravit.

Deceptus est autem idem Martyr, cum Cyprianum pro Ruffino adduxit; illa enim symboli explicatio, Ruffini est, non Cypriani, ut patet ex praefatione, ubi auctor indicat, se esse aquilejensem, et Aquilejae baptizatum et educatum, et ibidem meminit Photini haeretici, qui centum annis Cypriano posterior fuit; et ubi libros sacros enumerat, ibidem meminit Donati, Manichaei, Arii, Eunomii, aliorumque haereticorum, qui post Cypriani obitum exorti sunt. Neque mirum esse debet, si Ruffinus hos libros non esse canonicos putavit: Nam libri Machabaeorum sunt ex eorum numero, de quibus aliquando etiam inter catholicos dubitatum est, et postea tomen ab universa Ecclesia, tamquam vere canonici, recepti sunt.

Ad probationem dico: Auctorem non pelere veniam errorum, sed eloquationis, quomodo etiam b. Paulus excusat sermonis sui imperitiam.

Ad secundum dico: Ideo videri ineptam sententiam hujus libri,quia non observatur apud Judaeos olim fuisse usitatissimum, habere pro eadem quaestione illam de resurrectione et illam de animorum immortalitate, et si revera distinctae sunt. Nam apud Judaeos, qui negabant unum, negabant alterum, ut Sadducaei; et qui unum fatebantur, fatebantur alterum, ut Pharisaei, ut patet Actor. 23. Nec immerito; nom cum anima rationalis sit vera forma corporis, et proinde vera pars hominis, non est verisimile. Deum voluisse animam perpetuo vivere sine corpore. Hinc Dominus Matth. 22.probaturus Sadducaeis resurrectionem, utitur illo testimonio Scripturae: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, et subjungit: Non est Deus mortuorum, sed viventium, ex quibus inferre intendit, ergo mortui resurgunt.

At hoc argumentum nihil concludit, nisi praesupponatur, quaestionem de immortalitate animorum, et de resurrectione corporum accipi pro una et eadem; posset enim alioquin negari consequentia. Nam Deus erit Deus viventium, etiam si mortui non resurgant, quandoquidem animi ipsi vivunt. Pari ratione apostolus cum ait 1. Corinth. 15. Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? comedamus et bibamus, cras enim moriemur; nisi

praesupponat animas esse mortales, si corpora non resurgunt, nihil concludit. Nam si animus est immortalis, etiamsi corpora non resurgant; multum proderit jejunare et bene vivere, quia proderit ad gloriam animae acquirendam. Scriptura ergo libri Machabaeorum loquitor omnino eodem modo, quo hic b. Paulus, et idem praesupponit. Vult enim dicere; Si mortui non resurgunt, inde sequi, animas esse mortales, et proinde superfluum et vanum orare pro mortuis, nisi speretur resurrectio.

Ad tertium dico: In textu graeco non haberi particulam; Ergo, sic enim legimus: Εἰτ' ἐμβλέπον τοῖς μετ' ἐυσεβείαν κοιμωμένοις κάλλις ον ἀποκείμενον χαριζήριον, ὁσία καὶ ἐυσεβὰς ἡ ἐπίνοια, ὁθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο, τῆς ἀμαρτίας ἀπολυθῆναι, hoc est: Deinde considerans, iis, qui cum pietate obdormierant optimam repositam gratiam, quae sancta et pia consideratio fuit, ideo pro mortuis expiationem fecit, ut a peccato solverentur. Tamen sensus est omnino idem. Nec potest rejici latina lectio, quin rejiciatur etiam graeca. Neque est insolitum historicis, aliquid interdum colligere ex rebus gestis, quod ad imitationem, et bonos mores pertineat.

Ad quartum dico: Non esse necesse fieri mentionem expressam purgatorii, cum satis aperte colligatur ex iis, quae hic habentur. Non enim de nomine, sed de re ipsa contendimus. Neque vero cum dicitur Judas jussisse orare pro mortuis, bene et religiose de resurrectione cogitans, sensus est, jussisse eum orare pro mortuis, ut resurgerent, sed est sensus, Judam, cum religiose cogitaret resurrectionem futuram, et proinde animas esse immortales, et formidaret ne animae interfectorum militum suorum, propter peccatum aliquod, in alio saeculo punirentur, jussisse pro eis orari et sacrificari, ut a peccatis solverentur, utin fine capitis exprimitur.

Ad quintum dico: Peccatum illorum aut fuisse veniale, quia forte ignorabant legis prohibitionem, et non acceperunt ex donariis illis in honorem idolorum, sed solum ditescendi cupiditate, quae venialis esse potest; aut certe si mortale fuit, in mortis articulo milites illos doluisse de peccato, et quoad culpam remissum illis fuisse, juxta illud psalm. 77. Cum occideret eos, quaerebant eum et revertebantur; aut saltem Judam Machabaeum ita existimasse, alioqui non diceret Scriptura, eum considerasse eos, qui cum pietate obdormierant, optimam habere repositam gratiam. Adde ultimo, saltem incertum fuisse statum illorum, et propterea licuisse pro eis orare, etiamsi damnati fuissent.

Ad sextum dico: Nostram consequentiam non esse istam, orarunt pro illis, ergo erant in purgatorio; sed, orarunt pro quibusdam defunctis, ergo existimarunt posse fieri, ut illi essent in purgatorio; vel istam, laudatur in Scriptura oratio pro defunctorum peccatis, ergo purgatorium est in alia vita: Nam alioquin frustra oraretur, et Scriptura erraret laudando ejusmodi orationem. Quod autem hoc loco laudetur oratio pro expiatione peccatorum, et non pro humano affectu ostendendo, patet,

term ex eo, quod occasio hujus oralionis fuit peccatum illorum mortuorum detectum ob donaria inventa sub vestibus eorum, ut historia dicit, tum ex eo, quod expresse dicitur Judas misisse 12,000. drachmas offerri sacrificium pro peccatis mortuorum, et infra, ut a peccatis solvantur.

Adde, quod si nullum esset purgatorium, liceret quidem flere ad humanum affectum ostendendum; at orare non item. Quorsum enim oratio pro
illis, qui aut non egent, aut juvari non possunt?

Ad septimum dice, argumentum non sumi ab exemplo unius hominis, sed partim ab antiquo ct solemni ritu Ecclesiae Testamenti veteris; partim a testimonio infallibili scriptoris sacri. Quod enim hic fuerit solemnis ritus Ecclesiae, patet, cum hoc loco dicitur: Omnes qui cum Juda erant ad preces conversos, et deinde: Collatione facta, idest, singulis conferentibus aliquid, collectam esse multam pecuniam, et missam a Juda, nomine omnium in Hierusalem, ad sacrificia pro mortuis; et hoc quidem magnum est argumentum: sed majus est, ad fidem catholicam faciens, quod sumitur a verbis Scripturae sacrae laudantis orationem pro peccatis mortuorum tamquam sanctam, piam et religiosam. Neque valet instantia de laude Raziae, qui se occidit; Nam, ut Augustinus ostendit lib. 2. contra epist. Gaudentii, cap. 23. Razias laudatur, quod fortiter et viriliter egerit, non quod pie et sancte, vel, si volunt probari hoc factum ab auctore hujus libri, potius dicendum est, habuisse Raziam peculiarem inspirationem, et praeceptum Dei, ut hoc faceret sicut habuit Sampson, teste Augustino lib. 1. de Civ. Dei cap. 21. quam dicendum esset, hune auctorem potuisse errare. Praeter hunc locum sunt alia quaedam, quae solum probabiliter suadent, et quibus tamen sancti Patres usi sunt. Igitur ea quoque hic breviter adnetabimus.

Secundus locus est Tobiae 4. Panem twum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare, el bibere cum peccaloribus. Hujus loci non potest esse alius sensus, quain is, quem communiter expositores tradunt, videlicet; Instruc convivium, et voca fideles pauperes, ut ipsi post acceptam eleemosynam orent pro anima defuncti. Hinc enim nata est illa consuetudo, quae et olim in Ecclesia fuit, et nunc etiam est, ut affines defuncti convivium faciant, et miltant etiam cibum et potum pauperibus et religiosis, ut orent pro anima defuncti. Chrysostomus hom. 32. in Matth. Cur, inquit, post mortem tuorum pauperes convocas? Cur presbyteros, ut pro eis velint orare obsecras? Neque valet quidquam commentum Munsteri, qui interpretatur nomine sepulchri, ora pauperum justorum, quia scriptum est ps. 5. Sepulchrum patens est guitur eorum, al sensus sit; Pone parem tuum in ore justorum, ut non moriantur fame. Haec enim falsa expositio est. Primo, quia nusquam Scriptura vocat sepulchrum os justi, sed solum os peccatoris, unde exhalant foetores vitiorum. Secundo, quia Tobias in codem capite multis verbis commendaverat pauperes vivos, et deinde transiit ad commendationem mortuorum, ut in litera patet.

Tertius locus est 1. Reg. ult. ubi legimus. quod Bellarmin. Vol. II.

habitatores Jabes Galaad audita morte Saul, jejonaverunt septem dies. Et 2. Reg. 1. David flevit et jejunavit pro Saule et Jonatha et ahis occisis, quod idem fecit pro Abner, 2. Regum 3. Quamvis enim haec videbantur feri in signum doloris et tristitiae, tamen credibile est, praecipue facta esse ad juvandas animas defunctorum, ut Beda exponit in fine commentarii in lib. 1. Reg. id quod ex duobus colligimus. Primo. ex eo, quod irrationabile fuisset in signum doloris septem dies jejunare. Secundo, ex eo, quod David 2. Reg. 12. jejunavit et oravit pro filio suo infantulo, dum aegrotaret; postea vero quando audivit eum esse mortuum, non amplius jejunavit, quo facto suo ostendit, se jejunare solitum, ut aliquid a Deo impetrarel; ideo enim pro morte pueri non jejunavit, quia sciebat. non esse puerum ad vitam rediturum, et praeterea eum suffragiis non egere, quo etiam spectat illa sollicitudo patriarcharum, qui cupierunt in terra promissionis sepeliri, Genes. 47. et 50 nimirum ut essent participes precum et sacrificiorum, quae ibi offerebantur.

Quartus locus est psal. 37. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.
Etsi enim haec verba varie exponi possint, tamen
b. Augustinus ita exponit, ut in furore argui a Deo,
sit in aeternum damnari; in ira corripi, sit punira
severe post hanc vitam, ad correptionem tamen et
emendationem. Unde subdit: In hac vita, inquit,
purges me, talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit etc. Eodem moda expanit
Beda, Haymo, Dionysius Carthusianus et alii.

Quintus locus est psal. 63. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.
Hic etiam locus potest habere varios sensus, tamen
Origenes hom. 25. in Num. et b. Ambrosius in
psalm. 36. et serm. 3. in psalm. 118. exponit per
aquam, baptismum; per ignem, purgatorium: Hic,
inquit, per aquam, illic per ignem; per aquam
ut abluantur peccata; per ignem ut exurantur.

Sextus locus est Isai, 4. Purgabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion, et sanguinem emundabit de medio eorum spiritu judicii et spiritu combustionis. Hunc locum exponit de poena purgatorii b. Augustinus lib. 20 de Civit. Dei cap. 25.

Septimus locus est Isai.9. Succensa est quast ignis impietas, et spinas devorabit; Basilius in hunc locum dicit, per confessionem peccatum arefleri, ut igne purgatorio post hanc vitam absumi possit; et ex hoc loco probat.

Octavus locus est Michaeae 7. Ne laeteris, inimica mea; nam si cecidi, resurgam; cum sedero in tenebris, iram Domini portabo, danec caussam meam judicet. Adducet me in lucem; videba justitiam ejus. Hunc locum afferri solitum pro purgatorio, docet Hieronymus in cap. ult. Isai. et Glossa ordinaria exponit; Iram Domini portaba hia vel in purgatorio.

Nonus locus est Zach. 9. Tu autem in sanguine Testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Etsi enim hunc locum adducunt passim pro liberatione Patrum ex limbo, tamen melius convenit liberationi animarum ex purgatorio, quas Christus e luxit, cum eo descendit post mortem suam. Primo, quia isti rectius dicuntur vincti. Secundo, quia in purgatorio non est aqua consolationis, quae est in limbo: ut patet Luc. 16. de Lazaro: Hic vero consolatur. Unde Augustinus epistol. 99. ad Evodium, et lib. 42. in Genes. cap. 33. contendit, Christum, cum descendit ad inferos, non solum Patres invisisse, sed etiam eos, qui cruciabantur in inferno, idest, in purgatorio, et multos eorum inde liberasse.

Decimus locus est Malach. 3. Ipse sedebit quasi ignis constans, et purgabit filios Levi, et colabit eos etc. Hunc locum exponunt de poena purgatoria Origenes hom. 6. in Exod. s. Ambrosius in psalm. 36. b. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei cap. 25. et b. Hieronymus in hunc locum, et quamquam poena illa purgatoria non est ea, de qua nunc agimus: Nam illa purgabit viventes, nos autem agimus de poena mortuorum; tamen inde recte infertur purgatorium. Nam ideo tune praecedet tribulatio gravissima, et postea etiam ignis descendet, et purgabit celerrime omnes reliquias peccatorum in hominibus justis, quia, ut Irenaeus etiam notat in fine lib. 5. tunc repente Ecclesia, quae est in terris, assumenda erit ad sponsum, nec erit tempus purgationis ulterius, ut nunc est post mortem ante judicium.

#### CAPUT IV.

# Purgatorium esse probatur ex Testamento novo.

Primus locus est Matth. 12. ubi dicit Dominus, esse quoddam peccatum, quod non remittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Hinc enim colligunt sancti Patres, quaedam peccata remitti in futuro saeculo per orationes et suffragia Ecclesiae: ita b. August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 24. et lib. 6. in Julianum cap. 5. b. Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 39. b. Beda in cap. 3. Marc. b. Bernardus hom. 66. in Cant. qui hoc solo testimonio contentus fuit contra hanc haeresim. Item Petrus Cluniacensis in epistola contra Petrobrusianos.Rabanus lib. 2. de Instituit. cleric. cap. 44. et omnes glossae, ut ordinaria, interlinearis etc.

At contra hunc locum objicit primo, Petrus Martyr. haec dici per exaggerationem. Respondeo: Hoc modo poterimus eliam tollere infernum, et dicere esse exaggerationem, cum dicitur: Ite in ignem aeternum. Praeterea exaggeratio non debet esse inepta, qualis est, cum sit partitio, et uni membro nihil respondet.

Secundo: Dicunt aliqui esse comminationem.

Respondeo eodem modo.

Tertio: Objiciunt alii, Christus comparat peccatum in Spiritum sanctum cum gravissimis peccatis mortalibus, cum blasphemia in Patrem et in Filium; ergo si vellet dicere, aliqua peccata posse remitti in alio saeculo, intelligeret maxime de iis, quibuscum comparabat tunc peccatum in Spiritum sanctum; at hoc est falsum, quia sola venialia dimittuntur, per nos, in alio saeculo etc. Respondeo:

Christus loquitur de perfecta remissione, quae complectitur remissionem culpae et poenae, quemodo peccata gravissima remittuntur etiam in alio saeculo, quia ibi completur eorum remissio.

Quarto, inquiunt: Christus videretur significare, graviora peccata remitti in futuro saeculo, ia hoc autem solum leviora, si aliqua ibi remitti vellet, alioqui non diceret: Neque in hoc saeculo, neque in futuro, sed e contrario dixisset: Non dimittetur, neque in futuro, neque in hoc; ut oratio croscat. Respondeo: Orationem crescere, quia in futuro majus spatium est diluendi peccata, quam hic; et praeterea praeponitur hoc saeculum, quia hic inchoatur, ibi perficitur remissio delictorum.

Quinto, objicit Calvinus: Dominus loquitur de remissione culpae, ergo male allegatis hunc locum pro remissione poenae purgatorii. Respondeo: In purgatorio remitti etiam culpas saltem veniales; praeterea falsum est, loqui Christum de sola culpa. Hic enim est sensus; Peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in hoc saeculo, nec in faturo, neque quantum ad culpam, neque quantum ad poenam, cum alia peccata vel remittantur in hoc saeculo, quoad culpam, et in alio interdum quoad poenam, ut mortalia; vel et hic et ibi quoad culpam, et quoad poenam, ut venialia.

Sexto, inquit Calvinus: In hoc saeculo et in faturo, vult dicere: In hoc judicio et in nevissimo non remittetur, et sic nulla sit mentio purgatorii. At contra, nam qui erunt illi, quibus hic non est remissum, et in judicio remittetur; nenne illi, qui aut venialium purgatione indigebunt, aut solius poenae debitores erunt? Qui enim hinc cum injustitia decedunt, certe in judicio non absolven-

tur.

Septimo, objicit Petrus Martyr: quia ex negatione non sequitur affirmatio in bona dialectica: non licet inferre, peccatum in Spiritum sanctum non remittitur in futuro saeculo, ergo quaedam alia peccata in eo remitti possunt, sicut non bene sequitur; rex Philippus non est rex Venetorum, ergo aliquis alius est rex Venetorum. Et confirmat Ochinus; Nam potuit Christus dicere: Hoc peccatum non remittetur in hoc saeculo, neque in inferno: et tamen non colligeremus inde, quaedam

peccala remitti in inferao.

Respondeo: Non sequi secundum regulas dialecticorum, id quod inferimus ex verbis Domini, sed tamen sequi secundum regulam prudentiae, quia alioqui faceremus Dominum ineptissime loquulum. Inepte enim diceret: Hoc peccatum non remittetur, neque in hoc saeculo, neque in futuro, si in futuro nullum remittitur; sicul inepte loqueretur qui diceret: Rex Philippus non absolvet te meque in aula Hispaniae, neque in aula Franciae. Non autem loqueretur inepte, si diceret, neque in aula Hispaniae, neque in aula Brabantiae. Unde Joan. 19.cum dixisset Christos: Regnum meum non est de hoc mundo. Intulit Pilatus: Ergo rex es tu; nec respondit Christus, non bene sequi ex negativo : mativum, sed approbavit. Neque valet similitade illata ab Ochino; nam Christus non potuit dicere: Neque in boc saeculo, neque in inferno, nisi incple loqui voluisset, tum quia saeculum tempus est, inferaus vero locus; proinde, non opponuntur, sicut saeculum praesens et futurum: tum etiam, quia in inferno constat nullam fleri remissionem.

Octavo, objiciunt illud: Neque in hoc saecuto, neque in futuro, idem significare, quod numquam, sive in aeternum, ut exposuit Marcus, qui cap. 3. ita att: Non habet remissionem in aeternum. Et sicut Petrus ait Joan. 13. Non lavabis mihi pedes in aeternum.

Respondeo: Non debero exponi Matthaeum per Marcum, sed potius Marcum per Mutthaeum, cum Matthaeus pluribus verbis utatur, et constet Matthaeum copiosius scripsisse, et Marcum fecisse quasi compendium ex evangelio Matthael. Neque ita accepit Marcus vocem, In acternum, sicut Petros apud Joannem. Nam inepte dixieset Petrus: non lavabis mihi podes, neque in hoc saeculo, neque in futuro.cum in futuro non laventur pedes. Non autem inepte dixit Dominus apud Matthaeum: Non remittetur neque in hoc sacculo, neque in futuro. Haque Petrus apud Joannem accepit vocem: In aeternum, improprie pro solo tempore hujus vitae, Marcus autem proprie pro toto spatio brojus saeculi et futuri. Praeterca aut Christus dixit, ut habet Matthaeus, vel ut habet Marcus, vel utroque modo, si primum vel tertium, habeo intentum; si secundum,quamquam hoc non est probabile, lunc Matthaeus, duce Spiritu sancto, exposuit verba Christi, et nisi inepte exposuerit, indicavit, in stio saeculo dimitti aliqua peccata.

Nono, dicunt esse phrasim hebraicam. Respondeo, falsum esse, phrasis quidem hebraica est illa Petri: In aeternum; dicunt enim passim Haebraei 7777 etiam de rebus temporalibus: At neque in hoc saeculo, neque in futuro, non est propria phrasis Hebraeorum. Neque Marcus phrasi hebraica utilur, sed proprie loquitur.

### CAPUT V.

Secondus locus 1. Corinth. 3. ubi apostolus dicit: Ippe autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Nota in primis, locum istum apostoli 1. Cor. 3. esse unum ex difficillimis et utilissimis totius Scripturse: Nam ex eo statuunt catholici duo ecclesiastica dogmata. pergatorium, et venialia peccata contra haereticos et haereticorum fautores, qualis in primis fuit Brasmus, qui annotatione in hunc locum constur ostendero, nec purgatorium, nec peccata venialia ex hoe loco statui posse.

Quod sit difficilimus, testatur Augustinus lib. de fide et operibus cap. 15. Diligenter, inquit, oportet allendere, quomodo accipienda sit apostoli Pauli illa sententia plane ad intelligendum difficilis, ubi ait: Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum etc. Et infra: In his deputanda est quae Petrus dicit, esse in Scripturis ejus quaedam difficilia intellectu, quae non debent homines pervertere ad proprium suum interitum. Et cap. 16. Fateor, inquit, me malle audire intelligentiores atque doctiores. Idem repetit q. 1. ad Dulcitium.

Nos igitur, ut locum istum diligenter explice-

mus, exponemus primum melaphoram, qua apostolus usus est: deinde proponemus et solvemus difficultates, quae circa hunc locum occurrent. Quantum ad primum, buec sunt apostoli verba: Secundum gratiam Dei, quae data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui. Alius autem superaedificat, unusquisque autem videal quomodo superaedificet; fundamentum enim aliud nemo polest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preliosos, lignum, foenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit ignis probabit. Si cujus opus arserit detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Utitur autem apostolus in hac sententia similitudine duorum architectorum, quorum unus super fundamentum lapidem et solidum erigit domum ex pretiosa materia et quae ignem non timet, qualia sunt aurum et argentum, lapides pretiosi, ut iaspis, porphireticus, parius lapis. Nam ex auro et argento flunt laminae et columnae, ut de templo Salomonis legimus; ex lapide pario et porphiretico etiam integri parietes erigi possunt. Alter vero super simile fundamentum, idest, lapideum et solidum, erigit domum more pauperum rusticorum ex asseribus et stipitibus, eamque terii form et etiatis.

git foeno et stipulis.

Hac posita similitadine, fingamus utrique domui adhiberi ignem, videbimus priorem nihit penitus laedi, et si architectus intus fortasse sit, similiter nihit pati. At posteriorem domum videbimus continuo ignem concipere et brevi tempore totam consumi, et si architectus intus sit et velit salvus egredi, videbimus eum exire non posso, nisi per ignem. In quo transitu non quidem morietur, sed tamen barba et capilli non egredientur incolumes, nisi fortasse flat miraculum trium puerorum, qui in fornace babylonica non comburebantur. Haec est similitudo, qua b. Paulus utitur, cum ait: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Quantum ad secundum; Quinque sunt difficultates hujus loci. Prima: Quid intelligatur per aedificantes. Secunda: Quid intelligatur per aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum et stipulas. Tertia: Quid intelligatur per diem Domini. Quarta: Quid intelligatur per ignem, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit. Quinta: Quid intelligatur per ignem, de quo dicitur: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. His explicatis, sententia erit perspicua.

Prima igitar difficultas est. Qui sint architecti, qui superaedificant. B. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 16. et in Enchir. cap. 68. et alibi, censet omnes Christianos dici hic ab apostolo architectos, et omnes superaedificare super fidei fundamentum, vel opera boua, vel mala. Idem mihi docere videntur, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus et Oecumenius in hunc locum.

Alii permulti docent: Architectos hic ab apostolo non vocari, nisi doctores et praedicatores evangelii; ita Ambrosius et Sedulius in hunc locum. Idem insinuat Hieronymus lib. 2.in Jovinian. Idem recipiunt b. Anselmus et b. Thomas in hunc locum, eliamsi priorem sententiam non rejiciant. Idem multi recentiores, ut Dionysius Carthusianus, Lyranus, Cajetanus et alii in hunc locum.

Utraque expositio est bona, et ex utraque deducitur assertio purgatorii et peccatorum venialium, tamen magis literalis est posterior, id quod patet manifeste ex verbis praecedentibus et sequentibus ejus capitis; dixerat enim antea. Ego plantavi, Apollo rigavit. Deinde in eodem sensu statim subjungil: Ego ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat. Et ibidem: Qui plantat et qui rigat unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem; Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis. Ubi apertissime comparat se et alios praedicatores evangelii agricolis et architectis; populos autem qui docentur, comparat agris et aedificiis. Item in verbis sequentibus iterum loquitur de doctoribus, cum ait: Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. Et rursum: Nemo itaque glorietur in hominibus; omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, idest, nolite gloriari in doctoribus et praedicatoribus vestris et dicere: Ego sum Pauli, ego vero Apollo. Nam. omnes sunt unum, et pro vobis omnes laborant. Itaque sicut dixerat, se plantasse, et Apollinem. rigasse, ita nunc dicit: Ego fundamentum posui praedicans Christi fidem; alii autem superaedificant docentes ea, quae ad vitam et mores pertinent, et etiam explicantes latius fidei nostrae mysteria. Et in hac prima quaestione conveniunt nobiscum Calvinus et Petrus Martyr atque Ochinus.

Altera difficultas est paulo gravior; sunt enim sex sententiae. Quidam nomine fundamenti intelligunt fidem veram, sed informem. Nomine auri, argenti, lapidum pretiosorum, opera bona. Nomine ligni, foeni, stipulae, peccata mortalia; ita Chrysostomus in hunc locum, quem seguitur Theo-

At hoc defendi non potest. Primo: Quia, ut Gregorius dicit lib. 4. dialog. cap. 39. peccata mortalia potius compararentur ferro et plumbo. Secundo: Quia sequeretur, veram esse haeresim Origenis, quod omnes salvarentur, quia apostolus dicit:

Salvus erit quasi per ignem.

Respondent Graeci: Salvus erit, idest, nunquam penitus consumetur, sed quasi per ignem, quia semper ardebit. Haec solutio in primis est dura et coacta; deinde est contra omnem usum loquendi Scripturarum. Numquam enim in Scripturis accipitur nomen salutis in malam partem, sed semper in bonam, ut in concilio florentino ante sessionem primam Latiai ostenderunt. Praeterea illud (Per) significat transitum, non mansionem. Non dicit apostolus: Salvus erit, sic tamen quasi in igne; sed salvus erit quasi per ignem; idest, ad similitudinem ejus, qui evadit mortem transiens per ignem. Denique ex communi consensu doctorum. Nam summa consensione volunt alii omnes tam Graeci, quom Latini hunc locum intelligi de venialibus peccalis, quorum sententias in quinta difficultate proferemus. Neque vero hinc putet aliquis Chrysostomum negasse purgatorium, vel peccata venialia. Nam purgatorium esse saepissime docet. sed praecipue hom. 3. in epist. ad Philip.et hom. 69. ad populum antiochenum. Item peccata venialia concedit hom. 24. in Matth. in hoc vero loce aliter exposuit, ut haeresim Origenis refelleret, quae docei, poenas gehermae non esse aeternas, ut palet ex ipsa homilia.

Secunda: Sententia est, nomine fundamenti intelligi Christum, sive fidei praedicationem: nomine auri, argenti et lapidum pretiosorum intelligi catholicas expositiones; nomine ligni, foeni et stipulae intelligi haeretica dogmata. Ita videtur docere commentarius Ambrosii, ita etiam Hieronymus exponens illud Isaiae. 5. Vae qui conjungitis domum ad domum. Atque buc propendet Calvinus, Martyr et Ochinus, qui docent, per ligna, focnum, stipulas intelligi humanas traditiones et com-

menta, quae pugnant cum verbo Dei.

Haec sententia minus defendi potest, quam praecedens. Primo: Quia haeretici non salvantur per ignem purgatorium, sed damnantur ad ignem acternum. Secundo: Quia haeretici non aedificant super fundamentum, quod est Christus, nisi nomine tenus. Omnis enim haeresis quantumeumque de Christo magnifice loquatur, tamen non verum Christum praedicat, sed alium, quem sibi finxit. Neque ista sententia, quam refellimus, est Ambrosii vel Hieronymi. Nam commentarius Ambrosii intelligit nomine ligni, foeni et stipulae, haereses quidem et falsa dogmata, sed per imprudentiam prolata et sine pertinacia: dicit enim, ejusmodi doctores salvos futuros per ignem purgatorium. Hieronymus vero aperte de haereticis loquitur, sed ex mente aliorum, non sua; cum enim posuisset suam expositionem, subdit: Quidam autem, inquit, hacc de hacreticis intelligunt etc.

Tertia sententia, nomine fundamenti intelligit fldem vivam: nomine auri, argenti et lapidum pretiosorum intelligit opera supererogationis: nemine ligni, foeni et stipulae intelligit omissionem consiliorum, et affectum quendam carnalem ad bona hujus mundi, licitum quidem, sed qui dolorem adfert, cum illa bona amittuntur. Ita b. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 16. quae sententia vera quidem est, sed non conveniens huic loco, nisi cum illo carnali affectu intelligamus peccata saltem venialia; nam non dantur opera media in particulari. Aut ergo ille amor carnalis est benus, aut malus: si bonus, quare ardebit mere stipulae; si malus, ergo saltem admixtum habuit pec-

calum veniale.

Quarta sententia est eorum, qui exponunt per aurum, argentum etc. opera bona; per stipulam, foenum etc. peccata venialia: ita b. Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 39. et alii, quae bena est, sed alia est melior.

Quinta est corum, qui intelligunt per aurum, argentum etc. bonos auditores; per stipulas, malos auditores. Sunt enim auditores opisieium doctoris, et quidem doctor salvus erit; sed ex auditoribus alii sic, alii non etc. Ita Theodoretus et Oecume

nias; at relelitur recte a Chrysostomo; nam detrimentum tribuitur etiam architecto, et îpse dicitur aedificare stipulam, ergo non est sola culpa et poena auditorum.

Sexta sententia, quam omnibus anteponimus, est, ut nomine fundamenti intelligatur Christus, a primis praedicatoribus annunciatus, quales erant apostoli, qui fidem Christi et evangelium detulerunt ad eos populos, qui nihil unquam de Christo audierant. Hine enim b. Paulus ait: Ego plantavi, et ego ul sapiens architectus fundamentum posui. Hinc etiam qui primi in aliqua regione fidem praedicant, dicuntur apostoli ejus regionis. Nomine vero auri, argenti et lapidum pretiesorum intelligatur doctrina utilis et salutaris aliorum praedicatorum, qui eos docent, qui jam fidem receperunt, et decent non solum verbo, sed eliam exemplo, ita ut vere auditores suos aedificent, et promoveant in religione et pietate. Nomine autem ligni, focni et stipulae intelligatur doctrina, non quidem haeretica, vel mala, sed tamen curiosa, inutilis, supervacanea eorum praedicatorum, qui ad catholicum populum catholice concionantur, sed absque eo fructu et utilitate, quam Deus requirit, ita ut sicut priores cum magno merito concionantar, ita isti non solum sine magno merito, sed etiam non sine peccatis venialibus concionentur.

Haec expositio maxime probatur propter tria. Primo: Quia (ut ostendimus) nomine aedificantium intelliguntur soli doctores, ergo nomine operis ip-

sorum intelligi debet doctrina.

Secundo: Quia valde convenit haec similitudo sic explicata doctoribus corinthiorum. Erant enim plus aequo dediti eloquentiae et philosophiae, quae licet ex se juvent, tamen interdum impediunt fructum concionum; quocirca b. Paulus de utroque

Corinthios in hac epistola reprehendit.

Tertio: Quia hoc totum caput optime explanatur, si quidem b. Paulus in hoc capite tres similitudines posuit. Primam, de agricolis plantantibus et r.gantibus, qua solum bonos doctores complexus est. Secundam, de aedificantibus super bonum fundamentum, qua non solum bonos, sed etiam malos doctores comprehendit. Tertiam, de corruptoribus templi, qua solos malos contineri voluit, et malos non quomodocumque, sed perfecte malos, ut haereticos, errores pro veritate, et vitia pro virtutibus docentes, de quibus non dicit, quod salvi erunt, quasi per ignem, sed quod disperdet illos Deus.

Tertia difficultas est de die Domini. Aliqui intelligunt nomine diei praesentem vitam, sive tempus tribulationis, in quo discernuntur saepe boni a malis, ita b. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 16. et Gregorius lib. 4. dialog. cap. 39.

Haec sententia non videtur ad mentem b. Pauli. Primo: Quia graece est dies cum articulo, ἡ γὰρ ἡμέρα, ex quo apparet certum quendam et definitum diem significari, sicul 1. Timoth. 4. Quam reddet mihi Dominus in illa die. Et 1. Tim. 2. Certus sum,quia polens est depositum meum servare in illum diem. Et paulo infra: Det ei Dominus invenire misericordiam in illa die.

Secundo: Quia praesens tempus non dicitur in

Scripturis dies Domini, sed dies nostra, sicut contra, tempus alterius vitae dicitur dies Domini, non nostra, ut Luc. 19. Et quidem in hac die tua. quae ad pacem tibi. Luc.22.Haec est hora vestra. Galat. 6. Dum tempus habemus, operemur bonum. Psal. 74. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Sophoniae I. Juxta est dies Domini magnus. Jöel. 2. Veniet dies Domini, dies tenebrarum et caliginis.

Tertio: Tempore vitae praesentis non declaratur opus uniuscujusque quale sit. Tribulationes enim communes sunt bonis et malis, justis et injustis.

Quarto, quia omnes doctores intelligunt hanc diem esse diem judicii; licet enim Augustinus et Gregorius docuerint posse diem illam referri ad hanc vitam, tamen in eisdem locis docent, etiam posse intelligi de tempore futuro post hanc vitam. Verum cum dies judicii sit duplex, una dies judicii particularis, altera dies judicii universalis, quidam, ut Gajelanus et alii, volunt, apostolum loqui de die judicii particularis. Primo: Quomam post hanc diem, de quo apostolus loquitur, aliqui purgandi sunt per ignem; id vero sieri non potest post diem ultimi judicii.

Secundo: Quia si haec dies, de qua apostolus loquitur, esset dies ultimi judicii, sequeretur nullum sanctorum ingredi posse in coelum ante diem judicii, qui est error damnatus in concilio florent. sess. ult. Consequentia probatur; Nam in hac die sunt examinanda omnia aedificia, et post examen aliqui statim coronandi, aliqui puniendi. Praeterea cum nihil inquinatum intret in regnum coelorum, si purgatio a venialibus non fleret, nisi in die ultimi judicii, omnes qui cum venialibus hinc migrant, expectare deberent eam diem, antequam in coelum intrare possent.

Tertio, quia graecus textus non habet, revelabitur, sed revelatur: ότι έν περί αποκαλύπτεται, quoniam in igne revelatur. Dies autem ultimi judicii non revelatur, ergo de die judicii particularis loquitur, qui singulis diebus modo uni, modo alteri revelatur. Omnes tamen veteres videntur accepisse per illam diem, diem ultimi judicii, ut Theodoretus, Theophilactus, Anselmus et alii, quorum mihi videtur verissima sententia, quamvis neutra repugnet purgatorio.

Primo: Quia ubique in Scripturis dies Domini,

significat diem ultimi judicii.

Secundo: Quia dicitur in illa die, quo designatur una quaedam certa dies, quo omnium hominum opera simul probantur; At dies judicii particularis non est una, sed multiplex, neque in ea probantur omnium hominum opera.

Tertio: Quia dicit apostolus: Dies Domini declarabit, quasi dicat, tunc erunt omnia omnibus manifesta, ut capite sequenti dicit: Donec veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium; id autem non

flet, nisi in novissimo judicio.

Quarto: Quia sequitur, Quia in rege revelatur. Dicitur enim dies judicii revelari in igne, quia ultimum signum, et omnium notissimum erit conflagratio totius mundi, et propterea semper fere dies judicii describitur per ignem; ut psal. 96. Ignis ante ipsum praecedet. Jöel. 2. Ante faciem ejus ignis vorax. 2. Thessal. 1. In revelatione Domini nostri Jesu Christi de coelo, cum angelis virtutis ejus in flamma ignis. 2. Pel. 3. Elementa ignis ardore tabescent. Quod si non placeat hic per ignem accipere ignem materialem, sed ipsum judicium Dei, ut alii exponunt, adhuc non potest intelligi per hanc diem, nisi dies ultimi judicii; Nam tune sensus est. quia in igne revelatur, idest, quia illa dies erit notissima propter judicium acerrimum et maximum, quod in illa exercebitur; At dies judicii particularis non est notissima propter judicium, sed magis propter mortem; Nam ipsum judicium particulare paucis est notum. Nec me movent argumenta in contrarium.

Ad primum dico: Post judicium novissimum non fore purgatorium, et ideo illa verba: Salvus erit, sic tamen quasi per ignem, non significant: salvus erit, dummodo prius transeat per ignem, sed: salvus erit, dummodo prius transieril per ignem; sive: salvus erit, ut illi qui per ignem trans-

ierunt.

Ad secundum dico: Si hoc concluderet, sequeretur, etiamsi purgatorium non esset. neminem beatificari, vel damnari, ante diem judicii; nam Scriptura passim tribuit distributionem praemiorum et poenarum ultimo judicio; immo et examen operum, ao sententiam judicis, ut patet Matth. 25. et alibi. Sicut ergo sententia fertur in morte uniuscujusque, et tunc 'incipiunt aliqui puniri, aliqui praemiari; et tamen dicuntur haec eadem fieri in novissimo judicio, quia tunc fient coram toto mundo manifestissime, et cum summo honore justorum et ignominia impiorum, ita et examen fieri potest in morte uniuscujusque privatim, et iterum postea in ultimo judicio publice.

Ad tertium dico: Pro uno verbo quod hic habetur in praesenti in gracco, haberi tria in futuro, nimirum Φανερὸν γερήσεται, ήμέρα δηλῶσει. et πῦρ δοχιμάσει; et valde credibile est etiam illud unum ἀποχαλύπτεται in textibus correctieribus fuisse in futuro ἀποχαλύψεται, quandoquidem noster interpres vertit revelabitur. Adde, quod frequentissime tempus praesens non ponitur ad significandam actionem certi temporis, sed consuetudinem, opinionem, professionem, aut aliquid simile, ut: Virum non cognosco. Luc. 1. ut sit b. Virgo. et Sadducaei dicebant: Mortui non surgunt. Et Carthusiani dicunt: Non vescimur carnibus. In hac difficultate dissentimus a Calvino et Martyre; nam illi intelligunt Paulum de judicio particulari; sed nihil hoc facit ad quaestionem de purgatorio.

Quarta difficultas est: Quis sit ignis, qui in die Domini uniuscujusque opus probabit. Aliqui intelligunt tribulationes hujus vitae, ut Augustinus et Gregorius locis notatis, sed hoc jam rejecimus. Alii intelligunt ignem acternum, verum id esse non potest, nam ille ignis non examinabit aedificium ex auro et argento, immo nec aedificium ex ligno et foeno, ut patet. Alii videntur intelligere ignem conflagrationis mundi, qui judicium universale praecedet. Id quoque esse non potest, quia ille ignis non comburet nisi inimicos Dei, psel. 96. Ignis ante ipsum praecedet, et inflammabit in cir-

cuitu inimicos ejus. Iste autem, de quo apostolus loquitur, omnes tanget, etiam eos, qui aurum et argentum superaedificaverunt: Praeterea iste ignis non potest probare opera, cum sit ignis materialis, et opera non sint nisi in mente, quia transierunt.

Alii intelligunt de poenis purgatorii, sed neque id recte dici potest. Prima: Quia ignis purgatorii non probat opera eorum, qui aedificant aurum et argentum. At iste ignis de quo loquimur: Uniuscujusque opus quale sit probabit. Secundo: Apostolus aperte distinguit inter opera et operantes; et de isto igne dicit, quod comboret opera, non operantes; ait enim: Si cujus opus manserit, etc: Si cujus opus arserit. At ignis purgatorii, qui verus et realis est ignis, non potest opera comburere, quae sunt actiones transeuntes, et jam transierunt.

Denique sequeretur, omnes homines etiam sanclissimos transire per ignem purgaterii et salvari per ignem; nam per hunc ignem, de quo loquimur, omnes transeunt. At omnes transire per ignem purgatorii et salvari per ignem, est aperto falsum; nam apostolus hic aperte dicit solum eos, qui aedificant ligna et foenum salvandos quasi per ignem. Ecclesia quoque perpetuo sensit sanctos martyres et infantes post baptismum morientes, mox in coelum recipi sine ullo transitu per ignem, ut concilium florentinum docet. sess. ult. etiam sancti Patres docent. B. Hieronymus lib. 2. in Jovin. et b. Augustinus in psalm. 37. Si aedificarent, inquit, aurum, argentum, lapides pretiosos, de ulroque igne securi essent, non solum de illo aeterno, qui in aeternum cruciaturus est impios. sed ctiam de illo, qui emendabit cos,qui per ignem salvi erunt.

Superest igitur. ut dicamus hic apostolum loqui de igne severi et justi judicii Dei, qui non est ignis purgans vel affligens, sed probans et examinans. Ita exponit Ambrosius in psalm. 118. concione 20. super illud. Vide humilitatem mean: Omnes nos. inquit, fornax probabit, ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus, ut judicio probari mereamnr divino, teneamus hie positi humilitatem. ut cum unusquisque nostrum venerit ad judicium Dei.ad illos ignes, quos transituri sumus, dicat, vide humilitatem meam etc. Item Sedulius in hunc locum: Examinationem judicii. inquit, igni volui comparare secundum consuctudinem Scripturarum; eodem modo exponunt Bionysius Carthasianus, Lyranus, Cajeta-

nus, et alii in hunc locum.

Quod haec sententia verissima sit, probatur primo, quia non aliter potest intelligi, quomodo ignis probet eos, qui aurum et argentum aedifica-

Secundo: Quia hace expositio optime convenit verbis apostoli, cum alt: Univecujusque opus quale sit, ignis probabil; si cujus opus manserit, mercedem accipiet; si cujus opus areerit, detrimentum patietur. Licet enim opera transierint ab oculis hominum, et igne maleriali examinari non possint, tamen non transierunt ab oculis Dei, sed, ut dicitur Eccles. utl. Cuncta quae funt adducel

Deus in judicium, et ea examinabit, et si cujus opus munserit, idest, si cujus opus judicium Dei sustinere petuerit, sicut aurum sustinet ignem, mercedem accipiet, probabitur et coronabitur a Deo: si cujus opus asserit, idest, si cujus opus judicium Dei non sustinuerit, sicut foenum et stipula non sustinent ignem, detrimentum patietur, reprobabitur et rejicietur.

Tertio: Quia judicium Dei rectissime vocatur ignis, cum sit purissimum, celerrimum, efficacissimum et maxime penetrativum; unde Dan. 7. Fluvius igneus egredietur de ore ejus. Et quoniam Deus totus est justilia, totus judicium, inde etiam in Scripturis vocatur ignis, Malach. 3. Ipse quasi ignis conflans. Et Hehr. 12. Etenim Deus noster ignis consumens est. Et in hoc non dissen-

timus a Calvino et Martyre.

Quinta et ultima difficultas est: Quid per ignem intelligatur, cum ait: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Aliqui intelligunt tribulationes hujus vitae. At hoc non potest convenienter dici, quia tunc etiam qui aedificant aurum et argentum, salvarentur quasi per ignem. Quocirca b. Augustinus et Gregorius, qui sunt auctores hujus sententiae, cum in ea non acquiescerent, etiam aliam posuerunt, de qua infra dicemus. Alii intelligunt ignem seternum, ut Chrysostomus et Theophylactus, sed hoc jam refutavimus. Alii ignem conflagrationis mundi. Id quoque dici non potest, propter rationes antea positas; et praeterea, quia sequeretur eos qui habent peccata venialia, non posse ad beatitudinem pervenire ante diem judicii; nec enim intrabit in coelum aliquid coinqui-

Calvinus et Martyr, Ochinus et Lutherus art. 37. intelligunt per hunc ignem judicium Dei, quod doctrinam veram approbat, falsam confutat, sicut ignis perficit aurum, consumit foenum. Dicunt autem hoc judicium fieri, dum quis convertitur, et praecipue in hora mortis, tunc enim illustrantur multi, et sic intelligunt se deceptos, et jacturam fecisse doctrinae suae, et confunduntur etiam et erubescunt, et sic per ignem salvi flunt. Addit Martyr se non dubitare, quin b. Bernardus, b. Franciscus, b. Bominicus, et alii Patres hoc modo salvi facti sint, quia nimirum in morte a Deo illustrati intellexerunt, et damnaverunt errores suos de monachatu, de missa etc.

At contra: Primo: Quia istud judicium sit solum in morte, adhuc vivente homine. vel potest fleri eliam post mortem: si potest fleri eliam post mortem, ergo post mortem flet alique remissio et purgatio peccati, saltem per illam confusionem et peenitentiam, quod ipsi nullo modo admittunt; hoc enim esse genus quoddam purgatorii: si autem solum in ipsa morte fit hoc judicium, peto, quomodo agetur cum illis, qui superaedificarunt lignum, foenum, stipulas, et moriuntur repente. ita ut non habuerint tempus poenitentiae? Isti enim non salvantur quasi per ignem, qui non habuerunt ignem istum judicii, et refutationis suorum errorum, nec tamen possunt damnari ad gehennam, quia habuerunt Christum in fundamento, et Paulus de omnibus talibus pronunciat, quod salventur. Nec possent etiam salvari, nisi admittatur purgatorium, quia cum decesserint in peccato cum suis stipulis et foeno, non possunt salvari nisi per ignem.

Secundo: Ignis iste, de quo Paulus loquitur, afficiet poena proprie et vere, praeter jacturam ipsorum operum et confusionem, quae inde oritur; ergo illud judicium confutans errores, non est ignis de quo hic agitur. Probatur antecedens primo ex illo verbo, ipsum detrimentum patietur. Graece ζημιωθήσεται mulctabitur, dabit poenas. Nihil enim est apud Graecos frequentius quam ζημούσθαι θανάτω morte mulctari; Item ex illo, salvus erit quasi per ignem, similitudo transcuntis per ignem significat poenam ac dolorem; qui enim transiret per ignem sine ulla laesione, non dicerctur transire per ignem, quasi per ignem, sed quasi per flores. ut de sancto Tiburtio legimus.

Tertio: Quia apostolus opponit hunc transitum per ignem mercedi, sicut enim dixerat: Si cujus opus manserit, mercedem accipiet, ita nunc dicit, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, et: salvus erit quasi per ignem. At illa merces significat aliquid praeter ipsum bonum opus, et praeter laetitiam, quam ex se affert bonum opus. Non enim diceret, mercedem accipiet, si nihit aliud esset merces, quam id quod ex se habebat, qui sedificavit aurum etc. ergo etiam detrimentum et transitus per ignem ejus, qui superaedificavit stipulam, est aliqua poena praeter jacturam operum, et prae-

ter confusionem, quam ex se affert.

Quarto: Quia illud judicium confutans errores, non adfert defrimentum, sed lucrum; nam est illustratio quaedam mentis, ut ipsi dicunt, et veritatis cognitio; et sicut qui habet auricalchum putans esse aurum, non existimat detrimentum, si quis ei auricalchum illud auferat et aurum verum donet; ita qui habebat errores in mente et per divinam illustrationem discit veritatem, non detrimentum patitur, sed lucrum acquirit. At Paulus dicit: Detri-

mentum patietur, ergo etc. Quinto: Quia sequeretur, omnes qui salvantur, salvari quasi per ignem, contra apostoli distinctionem: nam etsi Paulus hic solum agat de peccatis, quae committuntur in docendo, tamen eadem est ratio omnium aliorum peccatorum. Sicut enim Deus judicabil doctrinam, ita eliam opera omnia. Al secundom Calvinum, et Lutheranos omnes, omnia opera nostra, quamvis justissima videantur in oculis hominum tamen peccata sunt in oculis Dei, nec ferre possunt judicium divinum, sed arguentar eo. modo plane, quo falsa doctrina, quare si ignis, de quo Paulus loquitur, est judicium Dei, omnes salvabuntur quasi per ignem. Nec valet responsio, quod justorum opera non sint arguenda, quia sunt tecta per non imputationem, impiorum autem qui non sunt per fidem justificati, arguenda sint; nam Paulus cum dicit: Salvus erit quasi per ignem, loquitur de justis, qui aedificarunt stipulas, retento vero fundamento, idest, vero fide in Christum.

Quod autem Martyr ait de beatis, Bernardo, Dominico et Francisco, impudentissimum est mendacium. Illi enim usque ad ultimum spiritum commendaverunt suis perseverantiam in monasterio,

et obedientism romanae Ecclesiae. De s. Francisco scribit d. Bonaventura, cap. 14. vitae ejus: Hora, inquit, transitus sui propinquante fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, et eos consolatoriis verbis pro sua morte demuleens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem, de patientia et paupertate, et sanctae romanae Ecclesiae fide servandis sermonem protraxit; et insuper adjecit: valete filii omnes in timore Domini, et permanete in eo semper; et quoniam futura tentatio et tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his, quae coeperunt, ego vero ad Deum propero, cujus gratiae vos omnes commendo. Haec est palinodia scilicet, quam somniat pseudomartyr Petrus.

Est igitur communis theologorum sententia, nomine ignis hoc loco intelligi poenam aliquam purgatoriam et temporalem, ad quam post mortem adjudicantur, qui in judicio particulari inveniuntur aedificasse lignum, foenum aut stipulam. Haec expositio praeterquam quod optime convenit textui, salis probatur ex communi consensu Patrum. Latini omnes hoc docent. Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antonianum: Aliud est, inquit, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei et virtutis acciperc mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgasse. Hic b. Cyprianus non meminit aperte hujus loci b. Pauli, sed tamen cum nusquam in Scriptura flat mentio ignis, ubi aperte de purgatorio agitur, nihil dubium est, quin b. Cyprianus ad hunc locum respexerit.

Ambrosius in hunc locum: Sed cum, inquit, Paulus dicit (sic tamen quasi per ignem) ostendit quidem illum salvum futurum, sed poenas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi aeterno igne in perpetuum torqueatur. Idem habet serm. 20: in psalm. 118.

Hieronymus in 4. caput Amos, exponens illud; Facti estis sicut torris raptus de incendio: Juxta illud, inquit, quod in apostolo legimus, Ipse autem salvus erit quasi per ignem; qui ergo salvatur per ignem, quasi torris de incendio rapiatur. Idem docuit in ultimis verbis ultimi libri super Isaiam, et lib. 2. in Jovinianum ultra medium.

Augustinus in psaim. 37. In hac vita, inquit, purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non sit. Et infra explicans locum apostoli: Dicitur, inquit, salvus erit quasi per ignem, et quia dicitur, salvus erit, contemnitur ille ignis, ita plane quamvis salvi per ignem. gravior tamen est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.

Gregorius lib. 4. dislogorum; cap. 39. Quamvis hoc (inquit, explicans hunc locum 1. Cor. 8.) de igne tribulationis in hac vita nobis adhibitae possit intelligi.tamen si quis hoc de igne futurae purgationis accipiat, pensandum sollicite est, quia illum per ignem dixit salvari, non qui super hoc, ferrum, aes, vel plumbum aedificat, id-

est, peccata majora, et ideireo duriora, atque tune jam insolubilia, sed lignum, foenum, stipulam, idest, peccata minuta, atque levissima, quae ignis facile consumit. Alcuinus lib. 3. de Trinitate. Rupertus in 3. cáp. Genes. exponens illud, quod ibi dicitur de gladio flammeo et versatili. Magister in 4. dist. 21. et cum co b. Bonaventura et alii scholastici. Item b. Anselmus, Haymo, et beatus Thomas in hune locum. Denique Innocentius III. in psalmum 37. et omnes Latini recentiores sic exponunt.

Ex Graecis habemus in primis Origenem apertissime hoc docentem, hom. 6. in Exod. et homil. 14. in Levit. et hom. 12. in Hieremiam. Homil. 6. in Exod. sic ait: Sed et illuc cum convenitur, si quis multa opera bona et parum aliquid iniquilatis attulerit, illud parum tamquam plumbum igne resolvitur et purgatur etc. Praeterea Oecumenium in hunc locum, qui etiam testatur Basilium bunc locum intellexisse de igne purgatorie; Adducit etiam b. Thomas in opusculo primo contra Graecos, Theodoretum explicantem hunc locum his verbis: Hunc credimus ignem purgatorium, quo purgantur animae, ut aurum in conflatorio. Gagnejus vero eandem Theodoreti sententiam ex Graecorum scholfis graecis verbis ita citat: Τούτο το πύρ πης έυομεν καθαρτήριον έν ι καθαρίζον ται άι ψυχαί, καθά περι χρυσίον έν τῶ χωνευτηρίω.

At contra objiciunt: Primo, absurdum esse, quod apostolus in eadem sententia varie accipiat nomen ignis semel pro judicio, et semel pro vero igne purgalerio.

Respondeo primo: Nos cogi ab ipso textu ad aequivocationem non unam; sed duas admittendas; nam cum dicit diem judicii manifestari per ignem, videtur omnino loqui de igne conflagrationis; cum addit, cujusque opus iguis probabit, non potest loqui de igne materiali, qui non potest probare opera quae transierunt; rursum cum secundo isto igne dicat apostolus omnia opera examinanda; terlio vero, non opera, sed operarios, et eos non omnes. sed eos solum, qui aedificant lignum, foenum, stipulam; necessario diversi ignes esse debent. Nec tamen proprie aequivocatio, sed elegans allusio mihi videtur esse in verbis Pauli. Hic enim est sensus totius hujus loci: Dies Domini per ignem conflagrationis declarabitur, et sicut ipsa dies per ignem declarabitur; ita eadem dies manifestabit per ignem, nimirum judicii, uniuscujusque opus; et sicul opera per ignem manifestabuntur; itá eliam operarii, qui purgatione egebunt, per quendam ignem purgabuntur.

Secundo dico: Non esse insuetum b. Paulo in eadem sententia uti varie aliquo nomine; varie enim accipit vocem peccati, cum ait 2. Corinth. 5. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Et Rom. 8. De peccato damnavit peccatum.

Tertio dico: Quod si quis omnino non vellet significationum varietatem admittere, sed ubique acciperet ignem pro judicio, adhue non efficeret, quin ex hoc loco purgatorium statueremus. Tune enim hic esset sensus: Si cujus opus arserit, detrimentum palietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, idest, si cujus opus judicium Dei sustinere non poterit, opus quidem reprobabitur, ipse vero salvus erit, sed sic tamen quasi is qui per ignem divini judicii transiit, quod judicium cum sit justissimum, omnino aliqua poena eum affecit.

Objiciunt secundo particulam, quasi, quae non veritatem, sed similitudinem significare solet. Respondeo: Particulam, quasi, similitudinem significare non ignis, quasi ignis ille non sit verus, sed phantasticus, sed transeuntis per ignem, ita ut sit sensus: Ad salutem perveniet, qui nedificavit foenum, sed ad eum modum perveniet, quo pervenit ad aliquem locum is, qui transit per ignem, sicut dicitur Joannis 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, idest, vidimus eum gloriosum ad eum modum, quo decet gloriosum esse Filium Patris unigenitum.

#### CAPUT VI.

Tertius locus est, 1. Cor. 15. Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis? Hic locus aperte convincit, quod volumus, si bene intelligatur, ideo breviter eum expendamus. Sex invenio

hujus loci expositiones.

Prima est, quod apostolus probet futuram resurrectionem, ex errore quorundam, qui baptismum suscipiebant nomine alicujus amici sui defuncti sine baptismo; existimabant enim, quod sicut orationes et jejunia vivorum prosunt defunctis, ila et baptismus prodesset. Ita exponunt Tertullianus lib. 5. in Marcionem, et libro de resurrectione, Ambrosius, Anselmus et Haymo; secundum quam expositionem colligitur oratio pro defunctis ex hoc loco, quia docent isti Patres, quod apostolus, licet non probet errorem istorum, tamen probat intentionem, quam habebant juvandi defunctos, et ex ea argumentatur; si igitar apostolus probat intentionem juvendi mortuos, certe reprobari non potest, nec debet ab ullo Christiano; tamen non puto veram hanc expositionem.

Primo, quia apostolus debuisset saltem insinuare hunc esse errorem, ne daret occasionem errandi. Secundo, quia non solide argumentaretur apostolus; posset enim responderi, non bene probari resurrectionem ex eo, quod ita credant quidam errantes. Sicut enim errant in eo, quod baptizant unum pro alio, sic possunt errare in eo, quod credunt futuram resurrectionem. Tertio, quia nullus veterum historicorum tradit hunc errorem tempore apostolorum fuisse; tribuit enim Phylaster hunc errorem Montanistis qui 100. annis post obitum s. Pauli exorti sunt, eandem tribuunt Chrysostomus et Theophylactus, ubi supra, Marcionistis, qui etiam post obitum Pauli 80. annis inceperunt; denique Epiphanius haeresi 28. hoc tribuit Cherinthianis, quorum sexta 20. annis post obitum Pauli orta est. Adde quod Chrysostomus et Epiphanius, non ipsi Marcioni et Cherintho, sed posteritati corum hunc errorem tribuunt et merito. Alioqui enim quomodo Irenaeus et Tertullianus hunc errorem non refutassent, qui diligentissime refutarunt omnes er-

BELLARMINI. Vol. II.

rores Cherinthi et Marcionis. Dicit quidem Tertullianus, hunc errorem fuisse tempore apostolorum, sed non habet nisi hinc. Itaque merito Chrysostomus et Epiphanius et Theophylactus, hanc expositionem ut falsam rejiciunt.

Allera expositio est, quod apostolus nomine

mortuorum intelligat peccata, cum dicit, qui baptizantur pro mortuis, quasi dicat: Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, idest, pro peccatis diluendis? ita Sedulius, et b. Thomas in hunc locum a-

postoli.

At contra; Primo, quia apostolus subdit: Si mortui non resurgunt; ut quid baptizantur pro illis? nimirum hominibus mortuis, qui non resurgunt; itaque clare docet, se non de peccatis, sed de hominibus agere. Non enim vult probare, quod peccata resurgant, sed quod homines resurgant. Secundo, quia tota vis argumenti perit, si dicatur, quid facient qui baptizantur pro peccatis diluendis si mortui non resurgunt? Posset enim responderi, multum prodesse diluere peccata, etiamsi mortui non resurgant, quia bonum est in hac vita frui testimonio bonae conscientiae. Tertio, quia peccata non dicuntur mortua, nisi quando sunt deleta et extincta, non ergo Paulus nomine mortuorum intelligit peccata, quae adhuc delenda sunt.

Tertia expositio est, baptizari pro mortuis, esse, baptizari simpliciter baptismo Christi, sed ideo dici baptizari pro mortuis, qui baptismum suscipiunt, quia antequam baptizentur, recitant symbolum, in quo est unus articulus, Carnis resurrectionem, ita illud, pro mortuis, significet pro spe resurrectionis, vel pro corporibus mortuis, idest, in eum finem, ut corpora nostra quae moritura sunt, aliquando immortalia resurgant. Ita Chrysostomus, Oecumenius et Theophylactus, sed certe

dura et violenta expositio est.

Primo: Quia non diceret apostolus: Quid facient qui baptizantur pro mortuis, sed quid facimus qui baptizamur pro mortuis? Non enim quidam, sed omnes sic baptizantur. Apostolus autem de quibusdam tantum loquitur, ut palet tum ex forma verborum, tum ex eo quod sequitur,ut quid et nos periclitamur tota die? Secundo: Quia inauditum est, ut nomine mortuorum intelligatur spes resurrectionis, vel corpora mortua, cum in graeco sit vexpoi, in genere masculino, et corpora sint generis neutri σώματα. Tertio: Quia si ideo diceremur baptizari pro mortuis, quia recilamus articulum de mortuorum resurrectione, etiam possemus dici baptizari pro Deo Patre, et pro Christo, et pro Spiritu sancto, et pro Ecclesia, quia haec omnia recitamus in symbolo. Quarto: Quia apostolus videtur omnino nomine mortuorum, homines mortuos intelligere, et nihil aliud, cum enim ait: Si mortui non resurgunt, ut quid baptizantur pro this? quid possumus intelligere per vocem, illis, nisi illis mortuis, qui non resurgunt?

Quarta expositio est, baptizari pro mortuis esse baptizari baptismo Christi; dici autem baptismum pro mortuis, quia dum baptizamur, agimus et repraesentamus personam mortui, dum mergimur in aquam; et resurgentis, dum surgimus ab aquis, et sic profitemur resurrectionem, et ex hac professione apostolus probat futuram resurrectionem.Ita exponunt Theodoretus et Cajetanus.

At contra; Primo: Quia neque hebraice, neque graece, neque latine, agere pro aliquo, significat eum repraesentare, sed agere loco ejus, vel in ejus utilitatem. Quis unquam dixit de agente in theatro personam Davi, aut Pamphili, ille egit pro

Davo, aut pro Pamphilo?

Secundo: Quia qui baptizantur, repraesentant mortem Christi, et simul mortem suam, ut patet ex apostolo, Rom. 6. Quotquot baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, conseputti enim sumus cum illo per baptizmum etc. Itaque baptizari pro mortuis, erit baptizari pro se et pro Christo, quod absurdissimum est. Nec in Scripturis unquam reperitur baptizari pro Christo, sed solum baptizari in Christo, vel in ejus nomine, ut patet Roman. 6. Gal. 3. Act. 10. et 19.

Tertio: Quia argumentum apostoli nullum esset; nam ex eo quod qui baptizatur, agit personam mortui, non sequitur quod profiteatur resurrectionem. Debuisset ergo apostolus dicere: Quid facient qui baptizantur pro suscitatis, vel pro mortuis et suscitatis? sed etiamsi hoc dixisset, adhuc leve esset argumentum ejus, quia posset responderi, in baptismo repraesentari resurrectionem, non carnis a morte, sed animae a peccato. Id enim apostolus significat Rom. 6. Ut in novitate vitae ambulemus. Et Coloss. 3. Si consurrexistis cum

Christo, quae sursum sunt quaerite.

Quinta expositio est Epiphanii, haeresi 28. quam adfert Petrus Martyr, quod Paulus loquatur de baptismo eorum, qui baptizabantur in lecto, cum essent in extremis, qui olim dicebantur clinici, et quos Cyprianus festive opponit peripateticis lib.4. epist. 7. ad Magnum, quod nimirum clinici non ambulent, sed haereant lecto affixi; κλινή enim lectum significat. Volunt ergo quidam hunc esse apostoli sensum: Quid facient qui baptizantur pro mortuis, idest, qui baptizantur quando habentur magis pro mortuis, quam viventibus, et quando certum est eos non baptizari pro ullo commodo hujus vitae, cum pro mortuis habeantur.

Haec expositio refellitur. Primo, ex illis verbis, ut quid baptizantur pro illis? nam dicere debuisset, ut quid baptizantur pro se, non pro illis; Secundo, quia illud, pro mortuo, non potest dici, nisi in iis actionibus quae flunt circa mortuos. Verbi gratia, recte dicimus, ille cecidit ex loço edito; et pro mortuo sublatus fuit, vel pro mortuo lotus sepultusque fuit, etiamsi viveret. At non recte dicitur, ille ambulabat, vel comedebat, vel loquebatur pro mortuo. At baptizari est vivorum non mortuorum; non ergo recte dicitur baptizari aliquem pro mortuo, etiamsi agat in extremis, sed potius deberet dici baptizari pro vivo, etiamsi fere sit mortuus.

Est igitur sexta expositio vera et germana, quod apostolus loquatur de baptismo lachrymarum et poenitentiae, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo etc. Et sensus sit: Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent, idest, quid facient qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non

resurgunt? ila exponunt Ephrem in suo testamento, Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobrusianos, Dionysius, Hugo, Gagnejus, et alii in hune locum.

Haec expositio verissima est. Primo, quia baptizari passim in Scripiura et Palribus accipitur pro affligi. ut Marc. 10. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, et baptismo quo ego baptizor baptizari? Luc. 12. Baptismo habeo baptizari. Patres passim vocant poenitentiae afflictionem baptismum laboriosum, et secundam tabulam. Cyprianus in sermone de coena Domini: Lachrymis, inquit, se baptizat. Et in procemio lib. de exhortatione martyrii, mori pro Christo, frequenter vocat baptisma; et Gregorius nazianzenus oratione de Epiphania: Scio, inquit, quartum baptisma, quod per martyrium et sanguinem fit, scio et quintum, lachrymarum et poenitentiae.

Secundo: Quia ipsa poena purgatorii a Scriptura et Patribus vocatur baptisma, nam quod legimus Matth. 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. B. Hleronymus exponit in Spiritu sancto, in hac vita, igne vero, in futura; sieut ante enm exposuerat b. Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 15. et post eos Beda in cap. 3. Lucae. Item Gregorius nazianzenus in fine orationis de Epiphania. vocat ignem purgatorii in alia vita, ultimum baptisma. Itaque elegantissime apostolus dixit, eos baptizari pro mortuis, qui affigentes se oratione et jejunio, sumunt in se partem illius baptismi ignei, quo a-

nimae baptizantur in purgatorio.

Tertio: Quia base expositio maxime quadrat cum sequentibus: Ut quid et nos periclitamur tota die? quasi dicat; Cur quidam se affligunt orando pro mortuis, et ego affligo me praedicando evangelium si mortuorum resurrectio non est?

Quarto: Quia ista sententia eadem est cum illa ; 2. Machab. 12.si mortui non resurguat, superfluum

est et vanum orare pro mortuis.

At contra hane expositionem duo argumenta objiciuntur. Primum est, quia non debuisset apostolus dicere, quid facient qui baptizantur pro mortuis, sed quid faciemus qui baptizamur pro mortuis; nam omnes Christiani orant pro mortuis. Respondeo: Apostolus argumentari voluit non a consuetudine Christianorum, quae tamquam nova rejici potuisset ab incredulis, sed a consuetudine Judaeorum, qui more veteri, et secundum Scripturarum exempla orabant et jejunabant pro mortuis,
quasi dicat: Quid facient illi qui imitantes antiquos
Patres jejunant et orant, ac se affligunt pro mortuis, si mortui non resurgunt?

Secundum argumentum est: Quia non videtur bene probari mortuorum resurrectio, ex eo, quod oratur pro mortuis, quia oratur non ut resurgant, sed ut a poenis illis liberentur, atque ad requiem transeant. Respondeo: Quaestionem de resurrectione et de inimortalitate animorum ita fuisse conjunctas tempore apostolorum, ut pro una haberentur, ut supra ostendimus, cum testimonium ex libris Machabaeorum exponeremus. Sive igitur habe expositionem sequamur, quae nobis verissima videtur, sive primam, quae melior est caeteris tribus, aperte colligitur oratio pro defunctis.

Quartus locus est. Matth. 5. et Luc. 12. Esto consentiens adversario tuo cito dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius judici, et judex tortori, et mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem; exponendum est quid sit via, quid adversarius, quid judex, quid tortor, quid carcer, quid quadrans.

De primo Chrysostomus in cap. 5. Matth.docet. viam hic accipi proprie pro vera via, qua itur ad judicem in hoe mundo; Chrysostomus enim existimat nullam hic esse parabolam, sed Dominum ad literam terrere diffidentes comminatione humani periculi, ita ut etiam judex intelligatur homo, tortor, homo, carcer materialis hujus vitae, et quadrans verus nummus aereus. Quo etiam modo contendit Ochinus esse hunc locum exponendum. De

qua explicatione duo dico.

Primo: Eam simpliciter non esse probabilem, tum quod repugnent omnes alii expositores, Origenes, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Beda, Anselmus, et recentiores, Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Jansenius, et alii qui omnes docent, hie viam significare vitam praesentem, ut cum dicitur: Beati immaculati in via. psalm. 118. et magna ex parte hunc sermonem esse metaphoricum; tum eliam quod non soleat Dominus tam serio docere et instruere humanam prudentiam, cum ipse saepe testatus sit, filios hujus saeculi prudentiores esse filiis lucis. Adde . quod non tam assertive Dominus diceret: Amen dico tibi, non extes inde, donec reddas novissimum quadrantem; si loqueretur de humano judicio, cum saepe videamus contrarium accidere, ut rei liberentur favore alicujus, vel per se fugiant et nihil solvant.

Dico secundo: Si Chrysostomi sententia recipi debeat, ut probabilis, solum recipi posse pro iis verbis quae habentur Matthaei 5. quae ipse exponit; pro iis autem quae habentur Lucae 12. nullo modo recipi posse; ut enim Ambrosius recte notavit, bis Dominus bacc verba loquutus est, diversisque oblatis occasionibus. Nam Matthaei 5. dixit hacc verba, cum loqueretur de amore inimicorum, et de injuriis condonandis, et ideo tolerari utcumque expositio Chrysostomi potest. At Lucae 12. Dominus loquitur de judicio futuro; dicit enim: Sint lumbi vestri praecincti. El postea: Vigilate quia qua hora non putatis, Dominus véniet. Et in fine concludit: Cum ergo vadis oum adversario tuo ad principem. Ubi aperte ostendit se loqui de futuro judicio, quod erit post hanc vilam; quod eliam confirmatur ex verbis immediate praecedentibus, ait enim: Quid autem et a vobisipsis non judicatis quod justum est? Cum enim vadis cum adversario etc. Vult enim eos admonere, parabolam banc sumptam ex iis quae homines facere solent; nam debitores, dant omnem operam libereadi se a creditore antequam ad judicium veniatur. Quocirca Theophylactus et Euthymius qui in cap. 5. Matth. sequentur Chrysostomum, tamen in

cap. 12 Lucae diount recte intelligi per viam, vitam; per judicem, Deuta etc.

De secundo, etsi parum refert, quod attinet ad nostrum propositum de purgatorio, quis sit adversarius, quia tamen res est dignissima cognitione. explicemus breviter. Quidam per adversarium intelligunt diabolum, ut Origenes hom. 35. in Lucam; Ambrosius, Euthymius et Theophylactus in c. 12. Lucae, et Hieronymus in epist. 8. ad Demetriadem. Neque Hieronymus hanc sententiam reprehendit in commentario Matth. 5. cum sit: Quidam coactive disserunt etc. Nam illud. Coactivs. est error impressorum, et debet legi, Cautius.

Si petas quomodo debemus esse consentientes diabolo, cum e contratio jubeamur illi resistere? Respondet Hieronymus: Debere nos consentire illi, quatenus tenemur stare pactis cum ipso initis in baptismo; tunc enim renunciavimus diabolo et pompis ejus; si enim rursum appetamus et invadamus pompas ejus, quibus renunciavimus, merito nos coram Domino accusabit. Haec opinio non est multum prohabilis, et ab August. refellitur lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 22. nam graeca vox est euvouv, idest, benevolus et concors at diabolo non possumus esse benevoli; deinde cum ipse cupiat ut concupiscamus pompas ejus, et ad hoc nos tentet, tunc essemus consentientes illi, si appeteremus ejus pompas et Deum offendere-

Alii exponunt per adversarium, carnem; sed refelluntur merito ab Augustino, com non possit juberi spiritui ut consentiat carni, cum hoc peccatum sit. Alii intelligunt spiritum per adversarium, cui caro jubetur consentire. Refellit hoc Hieronymus, quia non est credibile spiritum traditurum judici suam carnem; neque ibit in carcerem caro sine spiritu, sed vel solus spiritus, vel spiritus et caro. Alii per adversarium, saltem apud Lucam, intelligunt peccatum, quia Lucas dicit: Da operam liberari ab eo, ita Ambrosius, sed non est probabile; nam liberari ab adversario, non est ab illo fugere, vel illum extinguere, sed componere cum illo, ut patet tum ex Matthaeo, tum ex verbo ἀντίδικος, idest, litigator, sive actor. Alii intelligunt per adversarium, alterum hominem, qui nimirum nos laesit, aut nos ilium; ita Hilarius, Anselmus et Hieronymus in caput Matthaei 5. Quae sententia etsi probabilis est, quantum ad locum Matthaei, tamen eam refellit Augustinus loco citato. Primo, quia videtur hie Dominus loqui de adversario qui semper nobiscum est in via, et cum quo semper possumus concordare, dum via durat: at adversarius homo saepe moritur ante suum adversarium, et illum deserit in via. Nec tamen dicendum est, non posse justum, qui est in via, per poenitentiam salvari, licet non possit cum adversario consentire.

Secundo, quia non proprie unus homo tradet alterum Deo judici; vel saltem multa sunt alia: quae magis proprie dicantur tradere, ut dicemus, praesertim quia vox graeca est àvilôixos, quae non significat adversarium ratione injuriae, sed ratione litis, idest, actorem, sive accusatorem.

Est ergo verissima expositio, adversarium esse

Dei legem, sive Deum ipsum, quatenus praecipit contraria carni, sive conscientiam, quae Dei legem semper objicit peccanti; haec enim fere in idem coincidunt; ita exponunt Ambrosius, Beda et Bonaventura in cap. 12. Lucae. Item Anselmus et Augustinus in c. 5. Matthaei, necnon idem Augustinus homil. 1. de verbis Domini, homil. 5. in lib. 50. homiliarum, et in libro de decem chordis, cap. 3. Gregorius homil. 39. et Bernardus serm. 85. in Cantica. Nam lex Dei et conscientia nostra semper sunt nobiscum in via, semper adversantur pravis desideriis, iisque utilissimum est cito consentire, et ab eorum inimicitia liberari; denique accusatores et testes erunt contra nos in judicio.

Unum solum obstare videtur huic expositioni, quod Matth. 5. immediate ante hanc parabolam Dominus loquebatur de reconciliatione adversarii hominis. Respondeo: Dominum posteaquam docuit debere hominem homini reconciliari, monere voluisse hac parabola, ut etiam recordaretur reconciliari cum Deo sive cum ejus lege. Praeterea, etiamsi probabile sit propter eam rationem, Matthaei 5. per adversarium intelligi hominem, tamen Lucae 12. non possumus intelligere nisi legem Dei, aut conscientiam; unde Cajetanus qui Matthaei 5. exposuit de homine, Lucae, 12. exposuit de conscientia.

De tertio, conveniunt omnes, judicem esse Christum; nam Scripturae passim hoc docent, et praecipue Joan. 5. Pater omne judicium dedit filio.

De quarto, Ambrosius in cap. 12. Lucae, et Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte, cap. 21. intelligunt per ministros, angelos bonos. Gregorius homil. 39.et Theophylactus in 12. Lucae, intelligunt daemones, utrumque est probabile.

De quinto, conveniunt similiter omnes carcerem esse infernum,in quo tamen multae sunt mansiones, aliae pro damnatis, aliae pro his, qui purgantur. Exstitit olim absurdissima haeresis Carpocratis, ut refert Irenaeus lib. 1. cap. 24. qui dicebat, debere unumquemque exerceri in omni genere flagitiorum, et ideo animas a corpore, quasi a carcere abeuntes examinari a judice, et nisi omnia flagitia patrassent, rursum remitti in aliud corpus tamquam in carcerem, et toties id fieri, donec per omnia omnino flagitia transisset, et hoc voluisse Dominum dicere cum ait: Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. Sed absurdior est sententia, quam ut refutari debeat.

De sexto, conveniunt etiam fere omnes, per novissimum quadrantem intelligi minuta peccata, quadrans enim est minima moneta. Quod enim Augustinus dicit, ultimum quadrantem significare peccata terrena, quia terra est ultimum elementum, nimis durum et coactum videtur, quia tamen non vult dicere Dominus, solum quadrantem solvendum, sed totum debitum usque ad ultimum quadrantem, dubium manet, an haec solutio fiat in gehenna, an in purgatorio. Augustinus putat hic agi de poenis aeternis gehennae, et ideo dicit, illud: Donec reddas, non significare certum tempus, sed aeternitatem, sicut cum dicitur Matth. 1. Non cognovit eam donec pareret filium suum. Et psalm.

109. Sede a dexiris meis, donée ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et 1. Cor. 15. Oportet illum coelum suscipere, donee omnia subjiciantur pedibus ejus. Non enim licet colligere, ergo postquam Maria peperit, cognovit eam Joseph etc.

Alii, ut Albertus et Cajetanus exponunt de gehenna et purgatorio simul, ut sensus sit; si debitum erit insolubile, numquam exibis; si erit solubile, exibis, cum totum exacte solveris; alii intelligunt de solo purgatorio, nempe ii, quos statim

cilabimus.

Tertia haec sententia est omnium verissima. Probatur primo, quia hoc modo hunc locum intellexerunt vetustissimi Patres. Tertullianus libro de anima, cap. 17. Ille te in earcerem, inquit, mandet infernum, unde non dimittaris niai modico quoque delicto mora resurrectionis expenso. Ubi nota, solum esse manendum in carcere purgatorii ad summum, usque ad resurrectionem.

Cyprianus lib. 4. epist. 2. Aliud est ad veniam stare; aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei et virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo tempore cruciatum emendari, et purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.

Origenes homil.35. in Lucam: Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille, qui scribitur decem millia talenta debuisse. quanto tempore claudamur in carcere, non possum manifeste pronunciare: si enim qui parum debet non egreditur nisi exsolvat minutum quadrantem, utique qui tanto debito fuerit obnoxius infinita ei ad reddendum saccula numerabuntur. Et in epistala ad Rom. Quamvis, inquit, promittatur exeundum esse quandoque de carcere, tamen designatur non inde exiri posse, nisi reddat quisque novissimum quadrantem.

Eusebius Emissenus, sed potius Caesarius Arelatensis, vel quicumque fuit auctor earum homiliarum homil. 3. de Epiphania: Hi vero, inquit, qui temporalibus poenis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, qued non execunt inde, donec reddant novissimum quadrantem, per flu-

vium igneum transibunt etc.

Ambrosius in cap. 12. Luc. exponens hunc locum: Quadrantem, inquit, in balneis dare solere reminiscimur, cujus oblatione, ut illic unusquique lavandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi. Quia uniuscujusque peccalum suprascriptae genere conditionis eluitur, cum tandiu exercetur noxius poenis, ut commissi supplicia erroris expendal.

Hieronymus in cap. 5. Matth. Hoc est, inquit, quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam munita peccata persolvas. Bernardus serm de obitu Huberti: Illud, inquit, scitote quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quae fuerint hic neglecta, redduntur, usque ad

novissimum quadrantem.

Probatur secundo, quia illud: Donec solvas ultimum quadrantem, non videtur recte posse dici, nisi aliquando sit futurus finis solutionis. Neque

exempla b. Augustini satisfaciunt; nam cum dicitur: Non cognoscebat eam donec pareret, non licet quidem inferre, ergo postea cognovit eam, sed inferre licet, ergo illa aliquando paritura erat; similiter cum dicitur: Sede a deatris meis, donec ponam etc. recte infertur, ergo aliquando ponentur omnes inimici Christi sub pedibus ejus; alioqui illud: Donec, inepte diceretur; ita ergo cum dicitur: Non exies donec solvas ultimum quadrantem, inferimus recte, ergo aliquando solvet ultimum quadrantem, et consequenter exibit inde.

Tertio probatur ex fundamento et scopo ipsius parabolae; nam simititudo non est sumpta ab homicida, vel adultero, vel proditore, qui damnantur ad mortem, vel ad perpetuos carceres, vel triremes, sed a debitore, qui non propter orimen, sed propter debitum pecuniarium conjicitur in carcerem, donec solvat. Solent autem hujusmodi homines ordinarie egredi post aliquod tempus, ut patet. Itaque scopus parabolae est, ut in hac vita componamus cum Deo, quando facile impetramus remissionem poenae peccatis nostris debitae, nec exspectemus saeculum faturum, in quo severissime agetur. Atque haec de isto loco.

#### CAPUT VIII.

Quintus est Matth. 5. Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui diwerit fratri suo racha, reus erit concilio, qui diwerit fatue, reus erit gehennae ignis. Nota, hic certum esse agi de poena injungenda in foro Dei, ut patet ex illo: Reus erit gehennae ignis. Unde Augustinus lib. 1.de serm. in monte, cap. 19. exponit omnia tria de poenis animarum post hanc vitam. Nota secundo, certum etiam esse hic distingui tria genera peccalorum et poenarum, ut ibidem Augustinus exponit, et damnationem aeternam solum tribui tertio generi peccatorum, idest, criminibus. Aliis autem utpote levioribus peccatis, poenas leviores, ac proinde temporales; ex quibus infertur, snimas aliquas post hanc vitam puniri temporalibus poenis.

Dices, at Christus dixerat: Qui occiderit, reus erit judicio; ergo reum esse judicio est damnari ad gebeanam: nam homicidium crimen laethale est. Respondeo: Cum ait Dominus: Dictum est antiquis: qui occiderit, reus erit judicio, loquitur de judicio humano et temporali, quo homicidia mulciantur morte temporali; nec enim lex vetus aliam mortem comminabatur homicidis, ut patet Exodi 21. Vult ergo Dominus dicere homicidium puniri morte in hoc mundo, at in alia vita commotionem irae internam, etiamsi peccatum sit veniale, puniri poena quadam, temporali quidem, sed quae acquetur morti temporali; iram autem exterius prodeuntem puniri adhuc gravius; at verbum contumeliosum, et multo magis homicidam puniri

Dices rursum: Esto, hoc loco loquatur Dominusde poenis infligendis judicio Dei, non tamen sequitur in alia vita esse poenas temporales; nam Deus in hac vita potest infligere hujusmodi poenas. Respondeo primo: Ab Augustino aliisque Patribus hunc locum intelligi de poenis post hanc vitam. Secundo dico: Saltem ex hoc loco posse deduci poenas aliquas post hanc vitam purgatorias esse; nam hine habemus quaedam peccata non mereri nisi poenam temporalem; sed potest fieri, ut quis moriatur cum talibus peccatis, quia potest mori repente; vel dormiens, ita ut nullum habeat spatium poenitentiae, ergo in alia vita purgabitur, alioqui vel ibit in coelum aliquid coinquinatum, vel injuste damnabitur ad poenas aeternas, qui non merebatur nisi temporales.

Sextus locus est Luc. 16. Factte vobis amicos de mammona iniquilatis, ut cum defeceritis. recipiant vos in aeterna tabernacula. Per (deficere) intelligunt omnes mori, per (amicos) intelligunt sanctos; qui cum Christo regnant, ex quibus sequitur homines post mortem juvari precibus sancearum.

Sed quía posset aliquis dicere hic agi de virtute eleemosynae, et sensum esse, eos qui eleemosynas fecerunt, cum moriuntur salvari propter opera illa bona, quae fecerunt; observandum est, non hoc solum velle Dominum, sed etiam velle post mortem juvari animas precibus sanctorum; nam prime ad id cogunt verba illa: Facite amicos. qui recipiant. Nam eleemosyna, quae datur malis hominibus, bona tamen intentione, meritoria est, et tamen non facit amicos, qui possint recipere in aeterna tabernacula; unde Hieronymus lib. contra Vigilantium in fine, dicit, hic Dominum hortari ut detur eleemosyna potius bonis quam malis, ut bonorum intercessione salventur qui eleemosynas faciunt; similiter Ambrosius in hunc locum et Augustinus libro 21. de Civit. Dei, cap. 27. dicunt, hic per amicos intelligi sanctos cum Christo regnantes, qui suis precibus nos juvant, et juvabunt cum mortai fuerimus.

Secundo: Ad id nos cogit ipsa similitudo; nam parabola sumpía est a quedam oeconomo, qui depositus ab officio, et egenus factus opem implorabet amicorum suorum: quod autem in applicatione parabolae deponi ab officio sit mori, Dominus ipse

Adde tertio: Quod Augustinus lib. 21. de Civit. Dei, cap. 27,ex hoc loco purgatorium demonstrat. Dicit enim esse quosdam tam sanctos, qui recta ad coelum evolant post mortem, et qui non solum ipsi salvantur, sed etiam alios juvare possunt; rursum quosdam alios tam malos, qui nec seipsos juvare possunt, nec ab aliis juvari, sed ad poenas aeternas sine remedio descendunt. Denique esse quosdam medios, qui ita moriuntur, ut nec digni sint morte aeterna, nec tamen sufficiant eis propria merita ad salutem, nimirum statim recipiendam, et isti sunt, inquit, qui recipiuntur in aeterna tabernacula precibus amicorum.

Ad hunc locum nihil respondet Petrus Martyr, sed objicit sibi nomine catholicorum ea, quae sequentur post hanc parabolam, aitque nos asserere Epulonem fuisse in purgatorio, cum ab Abrahamo auxilium petiti, et hoc argumentum, quasi noster esset Achilles, operose solvit, et simul inde deducit non posse animas juvari a viventibus; quando-

quidem nec Abraham, nec Lazarus Epulonem juvare potuerunt, et per jocum miratur, cur Epulo non petierit anniversaria et missas pro se fieri. Sed catholici fere omnes Epulonem in gehenna esse dicunt, proinde Petrus Martyr in ventum pugnat.

Seplimus locus est Luc. 23.-Memento mei dum veneris in regnum tuum. Numquam hoc diceret bonus ille vir a Spiritu sancto edoctus, nisi crederet post hanc vitam posse remitti peccata, et auxilio animas indigere, et juvari posse. Certe Augustinus lib. 6. in Julian. cap. 5. hinc probat aliqua

peccata remitti post mortem.

Octavus est Actor. Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri eum ab illis. Hunc locum ita intelligit b. Augustin. epist. 99. ad Evodium, et lib. 12.Genes. cap. 33. ut sensus sit, Christum cum descendit ad inferos, multos liberasse a cruciatibus inferni, quod cum non possit intelligi de damnatis, necessario videtur accipiendum de iis, qui purgabantur. Quod etiam affirmat Epiphanius in haeresi Taliani, quae est ultima primi libri; dicit enim Christum, cum descendit ad inferos, liberasse eos, qui per ignorantiam peccaverunt, nec tamen a Dei fide recesserunt; et practer horum Patrum auctoritatem, probatur ex ipsis verbis Scripturae : nam illud: Solutis doloribus inferni, non potest intelligi de doloribus ipsius Christi, dolores enim Christi, in cruce finiti sunt, ut patet ex illis verbis Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso. Nec de doloribus damnatorum, ut patet, quia illi aeternis ignibus addicti sunt: nec de doloribus sanctorum Patrum, illi enim nullos patiebantur dolores, ut Augustinus docet locis citatis, et Gregorius homil. 22. Relinquitur igitur ut de doloribus animarum purgatorii hoc loco agatur.

Dices: Graeci non legunt solutis doloribus inferni, sed solutis doloribus mortis τοῦ θανάτου, non tou abou. Respondeo: Nobiscum facere Prima: Vulgatam antiquam editionem latinam. Secundo: Syriacam, quae similiter legit: Deus, inquit, excitavil illum, et solvit funes inferni. Tertio: Antiquissimos Patres graecos et latinos; nam b. Polycarpus initio epistolae suae, citans bunc locum, scribit solutis doloribua inferni.Item Cyprianus serm. de coena Domini initio ad hunc locum respiens ait: Sed volebat, inquit, pius magister ostendere impossibile esse suam animam ab inferno detineri. Epiphanius quoque et Augustinus sine dubio ita legerunt. Denique probatur ex verbis sequentibus; nam probat Petrus id qued dixerat ex psalm. 15. Non derelingues animam meam in inferno . nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Nonus locus est Philipp. 2. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum. Utitur hoc loco b. Augustinus lib. 12. de Gen. c. 33. quamquam per illud infernorum non improbabiliter accipiuntur daemones. Similis huic est locus Apocal. 5. Quis dignus est aperire librum, et solvere septem signacula ejus? et nemo inventus est neque in coelo, neque in terra neque subtus terram. Per eos qui sunt in coelo intelliguntur angeli, per eos qui in terra homines

justi, per eos qui sob terra, non possunt intelligi nisi animae purgatorii, nec enim id damnatis tribueretur. Patres autem qui fuerant in limbo jam liberati erant.

Utuntur nostri hoc loco, sed tamen non videtur multum urgere; nam probabile est intelligi per eos qui sunt infra terram, Patres, qui erant in limbo; etsi enim quando Joannes haec scripsit Patres exierant ex limbo, non tamen exierant eo tempore, quo loquitar; loquitar enim de tempore, quod praecessit Christi mortem, ideo enim sabjungitur, Vicit Leo de tribu Juda radix David aperire librum etc. Christus enim morte sua apercit mysteria libri usque ad illam diem clausa; similiter quod affertur ex hoc eodem cap. 5. Apocal, ubi dicuntur creaturae quae sunt in coelo et in terra, et quae subtus terram dedisse laudem Beo.nen convincit; nam possent hic per creatures intelligi res inanimes, vt. *ignis* , *grando etc.* Quae in **esalm**. 148. ad Deum laudandum invitantur, praesertim cum Joannes addat etiam ea quae sunt in mari.

### CAPUT IX.

Asseritur purgatorium testimoniis conciliorum.

Secundum argumentum sumitur ex concilis et Ecclesiae consuetudine; nam in primis quid Ecclesia africana senserit, patet ex concilio III. carthaginensi, eap. 29. Et sacramenta, altaris, inquit, non nisi a jejunis hominibus celebrentur, si autem aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commendatio facienda est; solis orationibus fiat; similia habes in concilio IV. carthaginensi, cap. 79.

Idem sensit Ecclesia hispanica, ut patet ex concilio bracarensi I. cap. 34. ubi jubet non orari pro illis, qui seipsos interimunt, et cap. 39. ubi jubet dividi inter elericos oblationes factas, ut oraretar

pro defunctis.

Idem Ecclesia gallica, ut patet ex concilio cabilonensi, et habetur de consecrat. dist. 1. can. Visum est: Visum est, inquit, praeterea, ut in omnibus missarum solemnibus pro spiritus defunctorum loco competenti in Ecclesia ad Dominum deprecetur. Vide etiam concilium aurelianense II. cap. 14.

Idem sensit Ecclesia germanica, ut patet ex concicilio wormatiensi, cap. 10. ubi definitur, etiam pro suspensis in patibulo esse orandum et sacrifi-

candum.

Idem Reclesia italier, ut patet ex concilie VI. sub Symmacho, ubi dicitur sacrilegium, fraudare animas defunctorom orationibus etc.

Item Ecclesia gracca, ut patet ex Graccbrum synodis a Martino Bracarensi episcopo collectis, canone 69. Imma videntur aliqui Gracci etiam nimium velvisse juvare animas defoactorum, nam in concilio VI. can. 83. reprehenduntur illi, qui iis, qui sine communione sacra obierant, sacram eucharistiam in os ingerere conabantur. Accedant concilia tottus Ecclesiae generalia, lateranense sub Innocentio III. can.66. florentinum sess. ult. in decreto de purgatorio, et tridentinum sess. 25. in initio, et omnes liturgiae, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii etc. Nam in omnibus

fit oratio pro desupetis.

Respondet Peirus Martyr tripliciter loco notato. Primo: Solet, inquit, nobis objici, Ecclesiam semper pro defunctis orasse, quod quidem non inficior, sed assero, istius facti neque verbi Dei, neque exempli, quod desumitur ex sacris literis, auctoritatem habere. Facile moventur homines naturali quadam charitate impulsi, et amore in defunctos, ut illis bene cupiant, et in aliquas preces pro eis erumpant, sed affectio hase vehementior, videndum est, ne fidei, et justae pietati adversetur. His verbis arguit totam Ecclesiam Martyr, quod sine testimonio Scripturae oret pro defunctis, et quod id faciat ex vehementiore affectu erga mortuos; quae affectio fidei et pietati repugnat.

Primae parli accusationis satisfacit Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 1. Adjungis, inquit, vacare non posse quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consueverit. Et infra, approbans hanc sententiam b. Paulini, ad quem scribit: In Machabaeorum, inquit, libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine elaret, auctoritas: ubi in precibus sacerdotis, quae Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet eliam commendatio defuncto-

rum.

Secundae parti accusationis facile respondetur; Nam quod ex naturali affectu prorumpatur in preces pro charis defunctis, etiamsi quis putet nihil eis prodesse, potest contingere in precibus privatis, et quae ex tempore recitantur; at in solemnibus precibus Ecclesiae, quae leguntur ex libro, et maturo judicio compositae sunt, et a concilio episcoporum approbatae', quomodo potest id fieri?

Tertiae parti satisfecit b. Paulus, cum dicit: Ecclesiam esse columnam et firmamentum veritatis.

1. Tim. 3. Necnon Augustinus, qui epist. 118. dicit insolentissimae insaniae esse disputare contra id, quod universa Ecclesia facit. Denique ipsa ratio; nam si universa Ecclesia potest verae fidei et justae pietati adversari, ut Martyr dicit, potest ergo tota Ecclesia ruere contra Christi praedictionem, Matth. 16. Portae inferi non praevalebunt adversus eam. Utrum autem credibilius sit, Ecclesiam universum posse ruere, et Christum ac Paulum mentiri, an Petrum Martyrem insolentissima insania laborare, cujustibet hominis, modo sani, appello judicium.

Secunda solutio Martyris est: Quod Ecclesia non oret pro defunctis, ut eos liberet a purgatorio, sed ut memoriam corum se habere testetur, et conservet etiam quam diutissime potest. Et alia caussa, inquit, citra purgatorium esse potsit, ut pro defunctis in Ecclesia preces fierent. Nobuerunt enim defunctorum nomen, et memoriam facile inte-

rire. At Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap.

1. tractat quaestionem: An prosint animabus defunctorum preces Ecclesiae, et dicit prodesse illis, qui in hac vita non fuerunt valde mali, et qui meruerunt, ut sibi prodessent; non autem illis, qui fuerunt valde mali, et proinde nihil tale meruerunt: Proinde commentitia Petri Martyris solutio est.

Tertia solutio est: Ecclesiam fungi munere suo erga mortuos, ac si adhue viverent, et ideo precari illis id quod putat jam eos consequutos, quomodo Christus oravit pro Lazari excitatione, eliamsi sciret, jam se accepisse quod petebat; et Ambrosius in oratione de obitu Theodosii gratulatur illi quod jam cum Christo regnaret, et tamen ibidem orat pro illo, ut optatam requiem Deus illi concedat; et Epiphanius haeresi 75. dicit orari etiam pro sanctis patriarchis, prophetis, apostolis et martyribus.

Respondeo: Si ita esset, Ecclesia oraret pro omoibus aequaliter, etiam pro martyribus. At non ita facit; nam ut Augustinus dicit tract. 84. in Joan. Ideo ad ipsam mensam non sic martyres commemoramus, quemadmodum alios defunctos, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed

magis, ut orent ipsi pro nobis.

Neque videtur ullo modo convenire, ut quis petat quod jam habet; et Christus cum oravit pro Lazaro, nondum acceperat quod petebat, neque enim Lazarus adhue resurrexerat. Aliud autem est petere id quod seimus nos accepturos, aliud petere id quod jam accepimus. Porro Ambrosius sperabat, Theodosium jam esse in coelo, et ideo gratulabatur ei, et simul, quia non certo sciebat, an ita esset, pro illo orabat. Epiphanius vero nusquam dicit in Ecclesia orari pro sanctis, sed dicit memoriam fieri in Ecclesia omnium defunctorum fideliam tam peccatorum, quam justorum; et addit: Peccatorum quidem, ut illis a Deo misericordiam imploremus: Justorum autem, ut eos a Christo separemus.

Separamus autem sanctos a Christo, non, ut Martyr dicit,quia pro sanctis oramus,non pro Christo, sed quia pro sanctis offerimus sacrificium gratiarum actionis; Pro Christo autem non offerimus. sed ipsi potius Christo cum Patre et Spiritu sanolo offerimus. Quod intelligi potest ex liturgia Graecorum, de qua Epiphanius loquitur, et quae extat in quinto tomo Chrysostomi; ibi enim fit commemoratio omnium sanctorum, et dicitur: Offerimus tibi , Domine , sacrificium pro patriarchis , apostolis, prophetis, martyribus, et praecipue pro beatissima Deipara; quod autem hoc sacrificium non offeratur pro peccatis, sed pro gloria corum, patet: Nam statim-subjungit liturgia: Quorum supplicationibus respice nos Deus; et deinde oratio subjungitur pro alijs defunctis: Et memento, inquit.omnium fidelium defunctorum, qui dormierunt in spe resurrectionis. et quiescere cos facito, ubi vidètur lumen vultus tui.ldem potest cognosci ex Augustino tract. 84. in Joan. et ex Cyrillo catechesi 5. mystagogica, et ex nostra liturgia, quae omnino talis est, qualem Cyrillus, Epiphanius et Augustinus describunt.

#### CAPUT X.

## Asseritur purgatorium testimoniis Patrum graecorum et latinorum.

Primus ex Patribus, Clemens lib. 8. constit. c. 47. longam orationem describit pro defunctis fieri solitam. Dionysius de ecclesiastica hierarchia, cap. 7. par. 3. Accedens, inquit, deinde venerandus antistes, precem sacram super mortuum peragit, precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat, et regione vivorum. Athanasius, vel quicumque sit auctor, quaest. 34. ad Antiochum, quaerit, num animae sentiant utilitatem ex orationibus vivorum. Respondet, sentire omnino. Basilius in liturgia instituit orationem pro mortuis.

Gregorius Nazianz. in orat. in Caesarium circa fin. Ipsi Deo, inquit, et nostras et eorum, qui quasi in via paratiores prius ad hospitium pervenerunt, animas commendemus. Ibidem orat pro anima ejusdem Caesarii: Ephrem in suo testamento: Assidue, inquit, in vestris orationibus mei memoriam faoiatis; etenim in vanitate, et iniquitate vi-

tam peregi meam.

Cyrillus catechesi 5. mystagogica. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes esse animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, et tremendi sacrificii. Eusebius lib. 4. de vita Constantini, dicit, eum voluisse sepeliri in celebri templo, ut fieret particeps multarum orationum. Epiphanius in fine operis contra haereses, numerat inter dogmata Ecclesiae orationem pro defunctis, et haeresi 75. Aerium haereticum facit, quia hoc negabat.

Chrysostomus homil. 41.in priorem ad Corinth. Juvetur, inquit, mortuus non lachrymis, sed precibus . supplicationibus, eleemosynis. Et infra: Ne fatigemur mortuis auxilium ferre, preces pro illis offerentes. Homil. 69. ad populum: Non temere ab apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis, defunctorum agatur commemoratio; sciunt enim inde multum illis contingere lucrum, utilitatem multam. Idem homil.32. in Matth. et 84. in Joan. homil. 3. in epist.ad Philipp. et 21. in acta apostolorum, et alibi. Theodorotus lib. 5. histor. cap. 26. scribit. Theodosium juniorem procubuisse ad reliquias s. Joannis Chrysostomi, et orasse pro animabus parentum suorum Arcadii et Eudoxiae jam defunctorum.

Theophylactus in cap. 12. Luc. Hoc autem dico, inquit, propter oblationes et distributiones, quae fiunt pro defunctis, quae non parum conducunt etiam iis, qui in gravibus delictis mortui sunt. Damascenus in lib. de iis qui in fide migrarunt, probat hanc veritatem testimoniis multis Dionysii, Alhanasii, Gregorii nazianzeni, Gregorii nysseni, et aliorum. Vide etiam Palladium in historia Lausi-

aca, cap. 41.

Veniamus ad Latinos. Tertullianus in lib.de Corona militis, inter traditiones apostolicas numerat suffragia pro defunctis, et lib. de monogamia ultra

medium: Pro anima, inquit, ejus conjugis defuncii, oret, et refrigerium interim adpostulet ei, et in prima resurrectione consortium et offerat annuis diebus dormitionis ejus; nam haec nisi fecerit vere repudiavit quantum in ipsa est. Idem lib. de exhortatione castitatis procul a medio.

B. Cyprianus lib. 1. epist. 9. Episcopi, inquit, antecessores nostri censuerant, ne quis frater excedens ad tutelam vel curam, clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Et infra: Et ideo Victor cum contra formam nuper in concilio a sacerdotibus datam Germinium Faustinum presbyterum ausus sit actorem constituere, non est quo pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua.

B. Ambrosius lib. 2. epist. 8. ad Faustinum de obitu sororis: Itaque, inquit, non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor,nec moestificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Deo commendandam. Vide etiam orationes de obitu Theodosii, de obitu Valentiniani, et de obitu Satyri, in quibus omnibus pro animabus praedictorum Deo supplicat, et sa-

crificia se oblaturum pollicetur.

B. Hieronymus in epist.ad Pammachium de obitu Paulinae uxoris ante medium: Caeteri mariti, inquit, super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia floresque purpureos, Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynae balsamis rigat, his pigmentis alque odoribus fovet cineres quiescentes, sciens scriptum: siout aqua extinguit ignem, ita eleemo-

syna peccatum.

B. Paulinus nolanus in epist. ad eundem Pammachium laudat eum, quod et corpori et animae uxoris defunctae satisfecerit, corpori lachrymis, animae eleemosynis. Idem in epist. 5. ad Delphinum episcopum commendans illi animam fratris sui: Fac, inquit, ut orationibus tuis condenetur tibi, et ut illius animam de minimo sanctitatis tuae digito destillans refrigerii gutta respergat. Et in epist. sequenti, quae est prima ad Amandum, similia dicit, commendans eandem animam Amando episcopo.

B. Augustimus de cura pre mortuis, cap. 2. In Machabacorum, inquit, libro legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed et si nusquam in Scripluris veleribus legeretur, non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quae domino Deo ad ejus altere funduntur, locum suum habet eliam commendatio mortuorum. Et cap.4. Cum itaque recolit animus ubi sepultum sit charissimi corpus, et occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyr animam dilectam commendat recordantis et precantis affectus:qui cum defunctis a fidelibus exhibetur, eum prodesse non dubium est. Et infra: Non sunt praetermittendae supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in christiana et catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filit, aut quicumque cognati, vel amici ab una eis exhibeatur pia matre communi. Vide eundem in enchirid. cap. 110. lib. 9. Confess. cap. 13. serm. de verbis apostoli 17. et 34. lib.21. de Civit. Dei cap. 24. tract. 84. in Joann. quaest. 2. ad Dulcitium, ac demum lib. de haeresibus, cap. 53. ubi propterea haereticum facit Aerium, quod negasset pro defunctis sacrificia offerenda.

B. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 53. Multum, inquit, solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiae salutaris adjuvare, ita ut hanc nonnumquam ipsae defunctorum animae expetere videantur. Et cap. 50. Quas gravia, inquit, peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt.

Isidorus lib. 1. de officiis divinis cap. 18. Nisi catholica Ecclesia crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel elemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Victor. lib. 2. de perseq. Wandal. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morien-

ies ?

Denique b. Bernardus serm. 66. in Cantica, et Petrus Cluniacensis in lib. contra Petrobrusianos, directe in hunc errorem scripserunt. Malachias apud Bernardum: Nec parum spei mihi repositum, inquit, in illa die, qua defunctis tanta a vivis be-

neficia impenduntur.

Sed operae pretium est audire quid ad haec Calvinus et Petrus Martyr respondeant. Petrus Martyr respondeant. Petrus Martyr respondet, sere omnes patres in áliqua re errasse, et enumerat eorum errores. At errarunt in privatis opinionibus, quas alii resutarunt, at simul omnes in uno errore convenire non possunt, quin Ecclesia universa erret et pereat.

Calvinue autem quatuor dicit, lib. 3. Institut. c. 5. § 10. Primo sic ait: Ante 1300. annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. Et aliquot interpositis: Sed omnes, fateor, in errorem abrepti fuerunt. Certa ista confessio sufficit ad Calvinum damnandum. Quomodo enim credibile est Ecclesiam per annos mille trecentos in tam crasso errore versatam, et nullum fuisse ex antiquis, qui restiterit, excepto Aerio, quem et nos, et Calvinistae pro haeretico habemus?

Secundo dicit: Veteres orasse pro mortuis, non ut eos juvarent, sed ut ostenderent erga eos piuma affectum, et ut seipsos consolarentur. At hoc mendacium est; aperte enim patres citati dicunt juvari animas, et distinguunt solatia vivorum ab auxiliis mortuorum, ac praesertim Augustinus in enchirid. cap. 110. et libro de cura pro mortuis

passim.

Tertio dicit: Vulgus Christianorum coepisse orare pro mortuis ex imitatione gentilium, Patres autem se accommodasse opinioni vulgarium, ut patet
ex Augustino, qui in libro de cura pro mortuis, ubi
praecipue de hac re agit: Ita dubie, haesitanter et
frigide disputat, ut suo frigore Zelum extinguere
possit pugnantium pro purgatorio; Quod autem

BELLARMINI. Vol. 11.

oravil pro matre, id fecil, inquit Calvinus, quia anile volum matris non examinavil ad Scripturas, et privato quodam affectu omnibus probari voluit.

At hoc etiam mendacium est; nam in primis numquam surrunt Patres diligentiores in ethnicorum ritibus prohibendis, quam quando multi ethnici convertebantur. Certe Tertullianus et Cyprianus severissimi fuerunt castigatores omnis ethnicae superstitionis, adeo ut Tertulfiànus acerrime reprehenderit christianos milites, qui coronam gestarent more militum ethnicorum; et tamen isti ipsi ad orationem pro defunctis hortantur. Praeterea Paires non solum non reprehendunt hunc usum, sed etiam statuunt in suis conciliis sic esse faciendum, hortantur ut sic flat, ipsi exemplo suo praecedunt, ac demum multi eorum dicunt, hanc esse apostolicam traditionem, et inter haeroticos numerant Aerium contrarium sentientem; quid amplius dicere poterant? B. Augustinus autem in lib. de cura pro mortuis, cap. 4. diserte dicit, non dubium esse quin juventur animae, et in toto libro non est una syllaba, quae dubium vel insinuet, de quo Calvinus loquitur; quod vero vocat anile votum s. Monicae, et b. Augustinum arguit quod illud implere curaverit, non est mirum; est enim familiare Calvino reprehendere, et ridere sanctos.

Quarto dicit: De purgatorio autem adeo nihil asseruisse Patres, ut illud pro re incerta haberent. At hace cliam est intoleranda impudentia vel imperitia; nam in primis, etiamsi nusquam nominassent purgatorium, tamen satis intelligi poterat quid Patres de co sentirent ex co, quod tam perspicue docent, animas quorundam fidelium egere refrigerio

et juvari orationibus viventium.

Deinde sunt apertissima loca in Patribus, ubi asserunt purgatorium, quorum pauca quaedam afferam. Gregorius nyssenus in orat, pro mortuis procul a medio: Vel, inquit, in praesenti vita precibus sapientiaeque studio purgatus, vel post obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem. Et infra: Non poterit, inquit, a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit. Et infra: Aliis, inquit, post hanc vitam purgatorio igne materiae labes abstergentibus etc.

Ambrosius in illud psalm. 36. Gladium evaginaverunt peccatores: Et si salvos faciet, inquit, Dominus servos suos, salvi erimus per fidem, sic tamen salvi quasi per ignem. Etsi non exuremur, tamen uremur. Quomodo tamen alii remaneant in igne, alii pertranseant, alio loco nos doceat Scriptura divina, nempe in mare rubrum demensus populus est Aegyptiorum, transivit autem populus Hebraeorum, Moyses pertransivit, praecipitatus est Pharao, quoniam gravia eum peccata merserunt, eo modo praecipitabuntur sacrilegi in lacum ignis ardentis etc. Vide etiam eundem serm. 20. in psal. 118.

B. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei, cap. 16. loquens de infantibus baptizatis morientibus: Non tantum poenis, inquit, non praeparatur aeternis, sed nec ulla post mortem purgatoria tormenta

patitur. Et cap. 24. loquens de adultis sidelibus, qui tamen cum levibus peccatis decedunt: Tales, inquit, constat ante judicii diem per poenas temporales, quas eorum spiritus paliuntur, purgatos, aeterni ignis suppliciis non tradendos. Idem homil. 16. ex lib. 50. homiliarum: Qui temporalibus poenis, inquit, digna gesserunt, per ignem quemdom purgatorium transibunt; de quo apostolus inquit : salvus erit sic tamen quasi per ignem. Et lib. 2. de Genes. contra Manich.cap.20. Qui forte agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terrae suae in omnibus operibus suis;et post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel poenam aeternam. Denique in psal. 37. Quia dicitur, inquit, salvus erit, ille ignis contemnitur, ita plane quamvis salvus per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita.

Duare cum d. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei, c. 26. et in enchirid: cap. 69. dicit, posse dubitari et quaeri, an post hanc vitam animae torqueantur purgatorio igne: non dubitat de poena animarum, sed de modo et qualitate; nam in priore loco solum dubitat, an ignis purgatorius sit idem in substantia cum igne gehennae; de quo dicitur Matth. 25. Ite in ignem aeternum. In posteriore autem dubitat, an post hanc vitam urentur animae igne illo doloris de amissione temporalium, quo hic uri solent, cum rebus valde dilectis carere co-

guntur.

B. Hierenymus in fine commentarii in Isaiam: Sicut, inquit, diaboli, et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus aeterna tormenta, sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiae sententiam judicis.

B. Gregorius lib. 4. dialogorum, cap. 39. De quibusdam, inquit, levibus culpis esse ante judicium, purgatorius ignis credendus est. Et in psalmum tertium poenitentialem in ipso initio: Scio, inquit, futurum esse, ut post hujus vitue exitum, alii flammis expientur purgatoriis . alii sententiam aeternae subeant damna-

tionis.

Origenes homil. 6. in Exodum: Qui salvus fit, inquit, per ignem salvus fit, ut si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat et resolvat, ut essiciantur omnes aurum purum.

Gregorius nazianz. orat. in sancta lumina, circa finem: In allero suo, inquit, igni baptizabuntur, qui postremus est baptismus, nec solum acerbior, sed et diuturnior, qui crassam materiam instar ferri depascitur vilique levilatem absumil.

Basilius in cap. 9. Isaiae: Si igitur per confessionem, inquit, detexerimus peccatum, jam succrescens gramen arefecimus, dignum plane quod depascatur ac devoret purgatorius ignis. Et infra: Non omnimodam, inquit, internecionem, et exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, juxta apostoli sententiam. Ipse autem salvus erit quasi per ignem.

Eusebius Emyssenus homil. 3. de epiphania: Hace poena, inquit, infernalis illos manebit, qui amisso, el non servato baptismo in aeternum peribunt. Hi vero qui temporalibus poenis digna gesserunt, per fluvium igneum, per vada ferven.

tibus globis horrenda transibunt.

Theodoretus in scholiis graccis in 1. Corinth.3. Hunc ipsum ignem purgatorium credimus in quo animae defunctorum probantur et repurgantur, sicul aurum in conflatorio. Occumentus in cundem locum: Salvabitur et ipse quoque, non tamen cilra dolorem, ut par est eum qui transit per ignem, et a concretis levioribus maculis expiatur. Tertullianus lib. de anima, cap. 17. In carcerem te mandet infernum, unde non dimillaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso. Cyprianus lib. 4. epist. 2. Alfud est pro peccatis longo tempore cruciatum purgari, et emendari diu igne, aliud peccata omnia passio-

Hieronymus lib. 1.contra Pelagianos ultra med. Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicil non esse perdendas, et diabolo tribuil poenitentiam: quid ad nos, qui diabolum et satellites ejus, omnesque impios et praevaricalores dicimus perire perpetuo, et Christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poe-

nas?

Paulinus epist. 1. ad Amandum: Ob hoc impense rogamus, ut quasi frater orandi labores conspires ut misericors Deus refrigerel animam ejus stillicidits misericordiae suae per orationes vestras etc. Böetius lib. 4. Prosa 4. Nulla ne supplicia animarum post defunct<del>um morte corpus re-</del> linguis? et magna quidem, quorum alia poenali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto. Isidorus lib. 1. de divinis officiis, cap. 18. Nam et cum Dominus dicit: Qui peccaveril in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro, demonstral quibusdam illic dimittenda esse peccata, et quodam purgatorio igne purganda.

Beda in psalm. 37. Quidam, inquit, committunt quaedam peccata venialia graviora et leviora,et ideo necesse est , ut hi tales in ira corripiantur. idest,in purgatorio igne nunc interim ante diem judicii ponantur, ut quae in eis immunda sunt per illum exurantur, et sic tandem idonei esse cum his. qui in dextra coronandi sunt, inventantur. Ibidem dicit hunc ignem graviorem esse

poenis latronum, martyrum etc.

Petrus Damianus in serm. 2. de s. Andres: Non tibi blandiaris si graviter peccanti levior poenitenlia a mansueto, vel a dissimulante dicialur, cum in purgatoriis ignibus perficiendum sit quidquid hic minus feceris, quia dignos poenitentiae fructus quaerit Altissimus.

Anselmus in 1. Corinth. 3. Nam de quibusdam levibus culpis esse ante corporum resurrectionem, purgatorius ignis credendus est. Et ibidem

asserit esse gravissimam poenam,

Bernardus serm. de obitu Humberti: Volat fra-

tres irrevocabile lempus, et dum creditis vos cavere islam poenam minimam, incurritis ampliorem: Illud enim scilote, quia post hanc vitam in purgatoriis locis centupliciter, quae fuerint hic neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quam durum sit homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere, sed durius, et multo durius erit futuras molestias tolerare.

Lactantius lib. 7. cap. 21. Quorum peccata pondere aut numero praevaluerint, perstringentur

igne alque amburentur etc.

Hilarius in psal. 118. in illud: Concupivit anima desiderare judicia justitiae tuae: Nobis, inquit, est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expiandae a peccutis animae supplicia.

#### CAPUT XI.

### Idem asserilur ratione.

Argumentum quartum ex rationibus. Prima ratio: Quaedam peccata sunt venialia solaque temporali poena digna. At fieri potest, ut cam solis talibus homo decedat ex hac vita; igitur necesse

est in alia vita posse purgari.

Esse autem quaedam peccata venialia, probatur ex Jacobo qui sic ait, Jacobi 1. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua; concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem. Hic describitur peccatum veniale ex imperfectione actus. Neque locum hie habet distinctio haereticorum de impulatione; nam Jacobus explicat processum peccati secundum se, ac docet post tentationem concupiscentiae, quae sine peccato esse potest, continuo sequi peccalum, si quis non caveat; nam ex concupiscentia oritur delectatio in parte inferiori, quae nonnullum peccalum est non tamen mortiferum, si non adsit consensus mentis deliberatus; ideo enim subjungit: Peccatum vero si consummatum fuerit, accedente nimirum pleno consensu, generai mortem.

Praeterea 1. Corinth. 3. Qui superaedificat kigna. foenum, stipulas, salvus erit quasi per ignem. Hic describitur veniale ex levitate materiae,
et quomodocumque intelligamus verba apostoli sive de hac vita, sive de alia, sive de doctrina, sive
de omnibus operibus necessario cogitur exponere
per ligna, foenum, stipulas, peccata venialia, quandoquidem qui ista habet, salvatur quasi per ignem.

Augustinus lib. 83. q. 26. Alia, inquit, sunt peccala infirmitatis, alia imperitiae, alia malitiae; infirmitas contraria est virtuti, imperitia sapientiae, malitia bonitati. Quisquis igitur novit quid sit virtus et sapientia Dei, potest existimare quae sint venialia peccata; et quisquis novit quid sit bonitas Dei, potest existimare quibus peccalis certa poena debeatur, et hic et in futuro saeculo, quibus bene tractatis probabiliter judicari potest qui non sint cogendi ad poeniten

tiam lucluosam et lamentabilem, quamvis peccata fateantur, et quibus nulla omnino speranda sit salus, nisi sacrificium obtulerint Deo, spiritum contribulatum per poenitentiam.

Probatur ultimo ratione; nam intelligibile non est quomodo verbum otiosum ex natura sua dignum sit perpetuo odio Dei, et sempiternis flammis. Hic enim in terris stultissimus haberetur, qui ob levissimam offensionem amici, nec malo animo factam, nollet amplius esse amicus, immo usque ad mortem persequeretur eum, quem amicum paulo ante habuerat. Maneat igitur, quaedam esse peccata venialia, ac sola poena temporali digna. Quod autem cum ejusmodi peccatis aliqui interdum de hac vita migrent, ac proinde in alia vita purgatione temporali egeant, probatur hoc modo. Potest quis dum moritur, habere voluntatem permanendi in peccato veniali, igitur tale peccatum deleri in morte non potest: praeterea cum septies in die cadat justus, ut dicitur Proverb. 24. et multi moriantur repente, quomodo credibile est, non mori aliquos cum peccato veniali? Haec est jgitur prima ralio.

Secunda ratio: Cum reconcilianter Dec peccatores, non dimittitur semper cum peccato tota poena temporalis: at potest fleri et saepe fit, ut in tota vita aliquis non satisfecerit plene pro temporali illa poena: ergo necessario statui debet purgatorium. Probatur major proposito breviter : nam alibi ex professo probabitur, 2. Reg. 12. cum David dixisset: Peccavi, Domino, ait propheta. Deus quoque translulit a te iniquilalem, sed quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi morte morietur. Num. 12: Cum Maria murmurasset contra Dominum, punita est morbo leprae: orante aulem pro ea Moyse, dimissa est ei culpa, et tamen poenam voluit Deus ut illa lueret per unam hebdomadam.

Ad haec et similia respondet Calvinus lib. 3. Instit. cap. 4. § 31. duo esse genera flagellorum Dei; quaedam enim sunt proprie poenae, et infliguntur a Deo ut judice in vindictam peccatorum praeteritorum, ut justitiae satisflat; quaedam autem sunt castigationes. quae infliguntur a Deo ut patre, non in vindictam peccatorum praeteritorum, sed ad futurorum remedium, nimirum ut homo admoneatur flagello, ne iterum facilis sit ad peccandum. Primum genus, inquit Calvinus, ad solos inimicos pertinere, secundum ad solos amicos; et proinde cum non sint istae poenae ex justitia luendae, non esse opus ut maneat earum debitum post mortem, quando non est periculum recidendi in peccatum.

At frusire laborat Calvinus; nam etsi fatendum est flagella justorum esse eliam paternas castigationes, et remedia contra peccata futura, tamen simul est agnoscenda vera poena et satisfactio debita culpa praeteritae ex justitia. Quod sic probatur; nam in primis 2. Reg. 12. exprimitur caussa cur puniretur David. et non dicitur; ne iterum pecces; sed, Quia blasphemare fecisti nomen pomini

Deinde mors est vera poena peccati originalis,

et eam luunt homines justi, non ut abstineant a peccato, sed ut satisfaciant justitiae divinae. Quod patet, quia non est inflicta a Deo post peccatum, ut sunt castigationes paternae, sed est lege statuta ante peccatum tamquam poena peccati, et eadem perseverat post peccatum et peccati remissionem, ut patet Genes. 2. Quaecumque die comederis, morte morieris. Et Rom. 5. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt. Et Rom. 6. Stipendium peccati mors. Et Calvinus ipse lib. 2. Institut. cap. 1. § 8. aperte confitetur, mortem veram esse peccati poenam; denique quomodo potest esse mors flagellum paternum ad peccatum cavendum institutum? Qui enim moritur, non potest amplius emendari.

Praeter mortem istam communem, quae est poena peccati originalis, habemus alia exempla in Scriptura eorum, qui puniti sunt morte violenta, cum eis remissum esset peccatum, cum tamen mors non possit esse paterna castigatio in remedium peccati futuri; nam Exod. 32. Deus pepercerat populo orante Moyse, et tamen Moyses in vindictam peccati jussit oocidi multa millia de populo sine ullo defectu. Et similiter Numer. 14. Cum populus murmurasset, et Deus placatus a Moyse fuisset, plurimi tamen in deserto perierunt. Incredibile est autem ex tot millibus nullum fuisse quem delicti poenituerit. 3. Regum 13. propheta Domini quia inobediens fuit voci Domini, a leone extinguitur, juxta quod ei ab altero propheta praedictum fuerat, et tamen ut intelligeremus ei culpam antea remissam fuisse, et sancte illum obiisse, neque ejus cadaver, neque jumentum, quo vectus fuerat leo tetigit, sed utrumque potius custodivit, donec venerunt qui eum sepelirent; denique 1. Corinth. 11. dicitur: Ideo inter vos multi imbecilles, et dormiunt multi. Ubi, ut exponunt Ambrosius et alii, apostolus indicat in primitiva Ecclesia multos eorum, qui indigne communicabant, morte a Deo punitos fuisse, quibus tamen culpam antea remissam patet ex eo quod apostolus subjungit : A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

His accedant duo clarissima b. Augustini testimonia. Primum est tract. 124. in Joan. Cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamvis, ut in eam veniret miseriam.primum fuerit caussa peccatum, productior est enim poena quam culpa, ne parva putaretur culpa si cum illa finiretur et poena: ac per hoc vel ad demonstrationem debitae miseriae, vel ad emendationem labilis vilae, ad exercitationem necessariae patientiae, temporaliter hominem delinet poena etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non delinet culpa. Secundum est in psalm. 50. Veritalem, inquit, dilexisti: hoc est, impunita peccata eorum'etiam quibus ignoscis non reliquisti, sic praerogasti misericordiam ut servares et veritatem, ignoscis confilenti, ignoscis, sed seipsum punienti, sic servatur misericordia et veritas.

Probatur jam assumptio hujus argumenti; nam multi qui plurima peccata commiserunt, in articulo mortis convertuntur, quando nullam possunt agere poenitentiam; ex quo certe illud sequitur. ut post hanc vitam satisfacere debeant. Respondent in morte deleri omnia. Contra: nam mors est poena peccati originalis, et ideo communis omnibus etiam infantibus, ergo pro actualibus debet inveniri alia poena. Praeterea Deus injuste ageret, nec videretur habere providentiam rerum nostrarum, si una et eadem poena, idest, naturali morte puniret peccata magna et parva, multa et pauca.

Tertia ratio sumitur a communi opinione omnium gentium: id enim confitentur Hebrael, Mahumetani, Gentiles, iique tam philosophi, quam põetae. De Hebraeis patet ex libr. 2. Machabaeorum, cap. 12. nam saltem fides adhibenda est ei libro quae adhibetur Livio: praeterea Josephus filius Gorionis in libro de bello judaico cap. 19. indicat Judaeos consuevisse orare pro mortuis, non tamen

pro illis qui se interimunt.

De Mahumetanis patet ex Alcorano, ubi purgatorium diserte confitentur. De ethnicis patet ex Platone in Gorgia et Phaedone: ex Cicerone in somnio Scipionis in fine: et Virg. 6. Aneid. Ergo exercentur poenis, veterumque malorum suppticia expendunt: et ex Claudiano lib. 2. in Russinum circa finem:

Quos ubi per varios omnes, per mille figuras. Egit Lethaco purgalos flumine etc.

Neque dicat aliquis hos potius argumentum esse erroris et fabularum, quandoquidem id sentiunt Ethnici et Mahumetani; nam illa in quibus omnes fere nationes conveniunt, vix possunt aliunde provenire, quam a naturali lumine omnibus hominibus communi. Quae enim sunt excogitata et conficta ab hominibus, varia sunt, et diversa pro gentium varietate. Sicut ergo Deum esse, in quo omnes nationes conveniunt, dicimus verissimum esse, nec tamen recipimus in particulari Deos varios et multiplices, quos sibi quaelibet natio fabricavit: et sicut post hanc vitam esse poenas et praemia, in quo etiam conveniunt omnes, recipimus ut verum, nec tamen recipimus varias fabulas quibus hoc explicant (nam esse poenas, et praemia post hanc vitam docuit omnes homines cognitio divinae providentiae, fabulas autem ex se finxerunt) ita etiam purgatorii confessionem, in qua omnes fere gentes conveniunt, oportet dicere esse confessionem luminis naturalis; ejusdem enim providentiae divinae cognitio docuit purgatorium, quae docuit in fernum et paradisum, saltem generali et confuso quodam modo, quia nimirum videmus poenas et pracmia ita distribui in hac vita, ut plura bona habeant mali, et plura mala boni, ut plurimum: inde judicamus divinam providentiam in aliam vitam distulisse judicium, et veram distributionem praemiorum et poenarum.

Rursum videmus ex iis, qui migrant ex hac vita, alios esse valde bonos, alios valde malos, alios mediocriter bonos et mediocriter malos: quocirca judicamus naturali lumine esse post hanc vitam poenas acternas pro valde malis, praemia acterna pro

valde benis ac poenas temporarias, et per eas transitum ad praemia pro iis qui sunt mediocriter mali vel boni. Hanc rationem sequutus est Plato et alii, qui solo lumine naturali praediti, purgatorium esse confessi sunt.

Quarta ratio sumitur ab apparitionibus animarum, quae se in purgatorio esse renunciaverunt, atque opem a vivis imploraverunt, quas apparitiones cum viri gravissimi retulerint, non immerito veras fuisse credimus, rideant licet Lutherus et Magdeburgenses. S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 40. scribit de animae Paschasii, quae in thermis puteolanis apparuit s. Germano episcopo, et ejus precibus liberata est, et cap. 55. scribit aliud simile exemplum; et praeterea de quodam monacho suo, pro quo triginta missas ipsemet Gregorius dici jussit, et ex ejus apparitione dicit liberatum.

Gregorius Turonicus lib. de gloria confess. cap. 5. scribit, b. Martino s. virginem quamdam nomine Vitalinam jam defunctam significasse se adhuc in purgatorio degere ob leve quoddam peccatum, ac paulo post precibus ejusdem s. Martini liberatam.

Petrus Damiani in epist. ad Desiderium scribit, b. Severinum Coloniensem episcopum apparvissa cuidam presbytero ejusdem Ecclesiae, sique significasse se adhuc in purgatorio graviter torqueri, quod horas canonicas non distinctis temperibus persolvisset, sed mane omnes horas simul coacervasset, ut tota die negotiis imperialibus liberius vacare posset.

Beda lib. 3. hist. Anglorum cap. 19. scribit b. Fursaeum a mortuis resurgentem narrasse multa, quae vidit de purgatoriis poenis, et lib. 5. cap.13. refert mirabilem visionem cujusdam Diethelmi, qui similiter mortuus, et postea reviviscens mira narravit de inferno. purgatorio et paradiso. Et vita e-jus sequens, ac fructus spiritualis, quem in aliis multis operatus est, testabatur veram fuisse visionem.

S. Bernardus in vita b. Malachiae refert, b. Malachiae sororem ejus defunctam non semel apparuisse cum adhuc in purgatoriis poenis degeret, et tandem, frequenti eucharistiae ad Deum oblatione liberatam: et lib.1. vitae b. Bernardi cap. 10. refert Gulielmus abbes, qui vitam sancti Bernardi scripsit, ipso adhuc vivente, apparuisse aliquando b. Bernardo unum ex defunctis monachis, in purgatorio laborantem, et precibus ac sacrificiis viri sancti paulo post liberatum. Quod exemplum ipsum b. Bernardum narrare solitum scribit auctor ejus vitae.

Libro primo vitae b. Anselmi similiter legimus, b. Anselmum annum integrum institisse sacrificiis quotidianis, et tandem apparente sibi amico defuncto, pro quo tamdiu oraverat, didicisse eum de purgatorio liberatum. Plura similia legi possunt apud Vincentium lib. 23: speculi historialis, in revelationibus s. Brigittae, et in vita Christianae mirabilis: sed quae attulimus sunt megis authentica.

Respondet Magdeburgenses, esse fabulas. At nec est credibile, tam sanctos viros decipere vo-

luisse, neque etiam ipsos deceptos fuisse, cum haberent spiritum discretionis et essent emici Dei

Ultima ratio esse potest, quia ista opinio, quae tolit purgatorium, non solum est falsa, sed etiam perniciosa: siquidem homines socordes facit in peccatis cavendis et bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat nullum esse purgatorium, sed omnia peccata per mortem aboleri in iis, qui moriuntur cum fide, facile dicet apud se: Quorsum ego laboro in jejuniis, precibus, continentia, eleemosynis? Cur fraudo cor meum deliciis et voluptatibus? quandoquidem in morte sive pauca, sive multa peccata habuero, omnia delebuntur. At qui cogitat remanere praeter gehennam, ignem acerrimum purgatorii, et quicquid hic deletum non fuerit per debitae poenitentiae opera ibi diluendum, certe diligentior cautiorque evadit.

## CAPUT XII.

### Solvuntur argumenta ex Scripturis.

Superestargumenta adversariorum solvere, quae partim ex Scriptura, partim ex Patribus, partim ex naturali' ratione sumuntur.

Prima objectio, psalm. 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce haereditas Domini; non igitur purgatorium intercedit inter mortem fidelium et coelestis haereditatis consequationem.

Respondeo: Tractat psalmus de generali resurrectione, ut s. Augustinus recte exponit: et hic est sensus eorum verborum; Cum dederit dilectis suis somnum, idest, cum dormierint per corporalem mortem omnes electi, ecce haereditas Domini, idest, continuo tunc apparebit haereditas Christi, resurgentibus in gloria omnibus ejus electis,quae haereditas est etiam merces ejusdem Christi, qui passione et morte sua nos acquisivit. Itaque idem est haereditas et merces; idem filii et fructus ventris; filii enim Dei per adoptionem sunt haereditas Domini; et iidem filii, qui et fructus ventris appellantur, sunt ejusdem Domini merces. Adde quod in textu hebraico, quem adversarii latino praeferunt, non habetur, cum dederit, sed sic dabit לליתן. Proinde ruit vis tota argumenti, non enim exprimitur quando adveniet haereditas Domini.

Secunda objectio, Ecclesiastae 9. Quodeumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Videtur enim sapiens his verbis significare voluisse, nullum esse remedium in alio saeculo.

Respondent aliqui: Hace dici a Salomone in persona impiorum, qui non medo purgatorium, sed etiam gehennam tollunt, et nibil omnino esse credunt praeter hanc vitam. Alii docent Salomonem ad eos loqui, qui otiose et flagitiose vivunt, et ad gehennam recta proficiscentur: quo in loco verissimum est nullam esse remedium vel solatium. Utramque expositionem altingit s. Hieronymus in commentario. At sanctus Gregorius lib. 4. dialog.

cap. 39. accomodat haec omnia satis apte ad eos etiam, qui ad purgatorium deducuntur; nam soli illi purgari possunt, et precibus viventium juvari, qui dum hic viverent, id meruerunt bonis suis operibus, ut in alia vita juvari possent; quae omnes debent in hac vita quidquid possunt boni peragere, quia in alia vita non juvabuntur, nisi per ea, quae hic gesserunt, meruerint, ut juvari possent.

Tertia objectio, Ecclesiastae 11. Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit. Non igitur, inquiunt, datur tertius locus, idest purgatorium, unde ali-

quando exeundum sit.

Respondeo: Ad literam Sapientem loqui de morte corporali, ac velle dicere, ita homines necessario morituros, et cum mortui fucrint, per se numquam surrecturos, quemadmodum lignum tandem aliquando cadit, et ibi manet ac putrescit, ubi cecidit. Si tamen velimus haec ad statum animae accommodare, lum dicendum erit, eos qui ad purgatorium pertinent, ad austrum cecidisse, idest, ad statum salutis aeternae, et in eo statu salutis perpetuo permansuros: vel certe dici poterit per austrum gloriam coelestem, per aquilonem gehennam intelligi, sed non ownes cadere ad austrum aut ad aquilonem. Porro hunc locum nibil officere assertioni purgatorii, ex eo etiam intelligi potest, quod si purgatorii assertioni officeret, officeret etiam assertioni ejus loci, ad quem sancti Patres ante Christi adventum descendebant, sive is locus sinus Abrahae, sive limbus Patrum, sive infernus nominetur; constat enim Patres in eo loco non mansisse perpetuo. Vide Hieronymum in commentario, et Bernardum serm. 49. ex parvis.

Quarta objectio, Ezechielis 18. Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor. At quomodo, inquit Petrus Martyr, non recordatur Deus iniquitatum amicorum suorum, si eas tam severe in purgatorio

punit?

Respondeo dupliciter. Primo non recordari iniquitatum, nihil aliud esse, quam non servare inimicitiam cum eo qui peccavit; nam si recordari iniquitatum, esset punire mala merita, recordari justitiarum esset remunerare bona merita. At non concedunt adversarii, recordari justitiarum, esse remunerare bona merita, ne videlicet merita justorum admittere cogantur, igitur neque debent concedere, recordari iniquitatum esse punire iniquitates; nam Ezechiel eodem modo de justitia et de iniquitate loquitur.

Secundo responderi potest a Recordari iniquitatum esse quidem punire, sed punire in aeternum; nam cnm ibidem legimus, si justus averterit se a justitia, omnes justitiae ejus non recordabuntur: cogimur ita exponere, ut dicantur justitiae tradi oblivioni, non quod non remunerentur temporali aliquo praemio, sed quod non liberent hominem a gehenna, nec remunerentur praemio sempiterno; nam alioqui opera bona impiorum non fraudari temporali mercede, docent Patres, Chrysostomus homilia 67.ad populum Antiochenum, Hieronymus in cap. 29. Ezechielis, Augustinus lib. 5. de Civitate Dei cap. 15. et Gregorius hom. 40. in evan-

gelia, et colligitur ex il lis verbis Lucae 16. Recepisti bona in vita tua.

Quinta objectio, Matthaei 25. Duo solum ordines hominum inveniuntur; aliis enim dicitur: Venite benedicti. Aliis: Ite maledicti. Item Marci ultimo: Qui orediderit et baptizatus fuerit. salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Denique Joannis 3. Qui credit, non judicatur; qui non credit, jam judicatus est; non igitur, inquit Brentius, locus ullus remanet purgatorio, cum duo solum sint loca post hanc vitam.

Respondeo: In extremo judicio, de quo agitur Matth. 25. recte duos tantum fleri ordines, quia tunc purgatorium finem accipiet ac deinceps duo tantum loca remanebunt, paradisus et gehenna. Porro, qui credit, salvus erit et non judicatur, idest non condemnatur, modo etiam addat caetera quae requiruntur; fides enim ex se justificat et salvat, si aliunde non sit impedimentum. Quemadmodum dicere solemus, ex hoc semine nascetur arbor, si videlicet non desint calor solis, humor aquarum, et si qua alia requiruntur; neque continuo qui salvus erit per fidem, sine purgatorio salvus erit, multi enim salvantur, sie tamen quasi per ignem, ut supra ex apostolo demonstravimus.

Sexta objectio, Lucae 23. Latroni in extrema hora converso dicitur a Christo: Hodie mecum eris in paradiso. Non ergo, inquiunt Petrus Martyr et Bernardinus Ochinus, remanet purgatorium pro iis, qui in hac vita non egerunt poenitentiam. Respondeo: Mortem illam durissimam patientissimo animo toleratam, et confessionem tam admirandam eo tempore, quo Christum apostoli ipsi negabant, potuisse juste in plenam satisfactionem reputari. Adde, quod privilegia paucorum legem non faciunt.

Septima objectio, Rom. 8. Nihil damnationis est

iis, qui sunt in Christo Jesu.

Respondeo: Paulum eo loco disputare de concupiscentia ac velle dicere, iis qui sunt in Christo Jesu, et ejus gratia muniti, non consentiunt motibus carnis suae, nihil peccati contrahere ex ejusmodi motibus. Itaque hic locus non purgatorium oppugnat, sed haeresim adversariorum, qui vera peccata esse volunt eos etiam motus, quos interdum justus sentit, licet eis noh consentiat.

Octava objectio 2. Corinth. 5. Si domus terrenae nostrae habitationis dissolvitur, habemus domum non manu factam, aeternam in coelis; recta igitur post mortem sine ullo purgatorio pii

homines transferuntur in coelum.

Respondeo: B. Paulum id solum asserere, patere domum coelestem post mortem, non patere ante mortem. Quod autem continuo omnes pii transferantur ad coelum post mortem, ipsum nen dicere, sed contrarium potius indicare, cum ait: Si tamen vestiti et non nudi inveniamur. Significat enim his verbis eos, qui meritis et virtulibus vestili sunt, ac proinde perfectam poenitentiam in hac vita egeruni, mox in domum coelestem deduci; alios autem salvari quidem, sed sic tamen, quasi per ignem, ut ipse idem ait, 1. ad Corinthios 3.

None objectio, 2. Corinth. 5. Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum. At si post hanc vitam pecceta remitterentur, et locus esset purgationi, certe non reciperet unus-

quisque prout gessit in corpore.

Respondeo: Verissimam esse b. Pauli sententiam; Nam etiam illi, qui remissionis et purgationis locum inveniunt in futuro saeculo, nihil recipiunt, nisi quod gesserunt in corpore; id enim meruerunt perseverando in fide et charitate usque ad mortem, ut etiam post mortem purgari et juvari possent. Quaratione etiam sancli viri post mortem. etsi nihil proprie mereantur, tamen impetrant a Domino quicquid postulant, quoniam id meruerunt in hac vita recte vivendo, ut etiam post hanc vitam a Domino exaudirentur. Vide hoc ipsum quod nos docemus, apud Dionysium lib.de Eccles.hierarch. cap. ultim. part. 3. apud Augustinum lib. enchiridii cap. 110. et lib. de cura pro mortuis c. 1. et apud Gregorium lib. 4. dialogorum cap. 39. Atque ad eundem modum intelligenda sunt illa: Reddet unicuique secundum opera sua, Roman. 2. Et illa: Unusquisque onus suum portabit. Et: Quae seminaverit homo, haec et metet, Galat. 6.

Decima objectio, Apocalypsis 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos. At pii omnes in Domino moriuntur, omnes igitur pii post mortem requiescunt, neque ullus est qui in purgatorio tor-

queatur.

Respondeo cum S. Anselmo: In commentario liujus loci, illud, amodo, non significare a morte uniuscujusque, sed ab extremo judicio, de quo in toto eo capite s. Joannes loquitur. Itaque hic erit sensus: Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo enim, idest, a fine hujus judicii, de quo nunc loquor, in aeternum requiescent a laboribus suis: vel si id minus alicui probetur, respondere possumus cum Richardo de s. Victore et Haymone in hunc locum, loqui b. Joannem de viris perfectis, ac praesertim de sanctis martyribus ( eos enim eo loco consolari volebat ) qui simpliciter moriuntur in Domino, neque aliquid purgandum secum ferunt; nam qui decedunt cum peccatis venialibus, aut cum debito poenae alicujus temporalis, ii non simpliciter moriuntur in Domino, sed partim in Domino ratione charitatis, quam secum ferunt, partim non in Domino ratione peccatorum, quae nihilominus secum ferunt. Neque mirum videbitur, quod aliquos dicamus mori partim in Domino, portim non in Domino, si legatur s. Augustinus lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. ubi eosdem homines in hac vita partim esse dicit filios Dei, partim filios hujus saeculi. Alque hacc de Scripturis.

## CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Ex Patribus profert Brentius primo Cyprianum, qui tract. 1. contra Demetrianum, ait in fine:

Quando isthine excessum fuerit, nullus jans poenitentiae locus est, nullus satisfactionis effectus.

Respondeo: Loqui eum de satisfactione proculpa, quae praecedit justificationem; Patres enim diserte duplicem ponunt satisfactionem. Unam ante justificationem, qua Deus placatur de congruo: et inclinatur ad culpae remissionem, de qua Daniel 4. Peccata tua eleemosynis redime. Alteram post justificationem, qua Deo ex condigno satisfit pro poena. Quod hic Cyprianus de priore loquatur, patet ex praecedentibus, ubi ait: Hortamur, inquit, dum adhuc aliquid de saeculo superest, Deo satisfacere, et ad verae religionis candidam lucem de profundo tenebrosae superstitionis emergere. Item ex sequentibus: Nam post verba citata s Brentio, immediate sequitur: Hic vita aut amittitur, aut tenetur.

Secundo, profert Chrysostomum hom. 2. de Lazaro, ubl sic dicitur. Cum hinc discesserimus, non est in nobis situm poenitere, neque commissa diluere. Et rursum: Neque enim qui in praesenti vita peccata non abluerunt, postea consolationem alimentationem and processes.

lationem aliquam inventuri sunt.

Respondeo: Loqui eum de remissione mortalium; nam exemplo Epulonis, qui in gehenna cruciabatur, monet, ne differamus conversionem in aliam vitam. Nemo autem catholicorum docet, culpas laethales remitti in purgatorio.

Tertio, proferunt Ambrosium lib. de bono mortis cap. 2. Qui enim, inquit, hic non acceperit remissionem peccatorum, illic non erit, nimirum

in patria beatorum.

Respondeo: Loqui Ambrosium de remissione mortalium; Nam subjungit explicans: Non erit autem, quia ad vitam aeternam non potuerit pervenire. quia vita aeterna remissio peccatorum est; ubi vitam aeternam vocat gratiam justificationis, quae est vita quaedam aeterna inchoata; nisi enim hic vitam aeternam inchöemus, numquam ad gloriam beatorum veniemus.

Quarto, objicit Petrus Martyr eundem Ambrosium, qui in cap. 23. Lucae, et serm. 46. ait: Lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego.

Respondeo: Appellari satisfactionem eo loco excusationem. Solemus enim vulgo dicere; Ego satisfaciam illi, idest, purgabo verbis crimen objectum, et ostendam me injuste accusari. Laudat igitur ibi Ambrosius Petrum, quod non excusaverit peccatum suum, quomodo Adam fecit, sed lachrymis potius confessus fuerit et accusaverit, sic enim subjungit: Recte plane Petrus flevit, et tacuit, quia quod defleri, solet, non solet excusari, et quod defendi non potest, ablui potest. Et supra dixerat: Invenio quod fleverit, non invenio quid dixerit, quia nimirum nihil Petrus dixerat in sui purgationem.

Quinto, objicit Calvinus Augustinum tract. 49. in Joan. Habenti inquit, omnes animae, cum de saeculo exierint, diversas receptiones suas; habent gaudium boni et mali tormenta; sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Et infra de

gaudio bonorum loquens: Requiem, inquit, quae continuo post mortem datur, si ea dignus est,

tunc accipit quisque cum moritur.

Respondeo: Gaudium et requiem dari statim a morte omnibus, qui in charitate decedunt; Nam mox omnes certi fiunt suae aeternae salutis, quod ingens gaudium affert; tamen non eodem modo datur istud gaudium, sed diversimode, pro meritorum diversitate; quibusdam enim datur sine admixtione doloris, quibusdam non sine temporalium admixtionem poeuarum, ut idem b. Augustinus saepissime docet.

Sexto, objiciunt Augustinum lib. hypognostici ultra medium: Primum, inquit, locum fides catholicorum divina auctoritate credit, regnum esse coelorum; secundum, gehennam, ubi omnis apostata, vel a fide Christi alienus, aeterna supplicia experietur; tertium penitus ignoramus, immo nec esse in Scripturis sanctis invenimus. Idem habet sermone 14. de verbis apostolicis et lib. 1. cap. 28. de peccatorum meritis

et remissione.

Respondeo: Loquitur de locis acternis, Scribit enim contra Pelagium, qui invenerat tertium locum pro parvulis non baptizatis, quos volebat fore beatos quadam naturali beatitudine extra infernum, et extra regnum coelorum. Quod autem non negaverit Augustinus, aut quicumque fuit, auctor hypognostici, tertium locum temporarium post hanc vitam, ex eo potest intelligi, quod fides catholica docet praeter coelum et infernum fuisse ante Christi passionem sinum Aabrahae, ubi degebant animae sanctorum Patrum, Luc. 16. inepte igitur Erasmus ponit in margine ad illa verba: tertium penitus ignoramus purgatorium, quasi dicat, purgatorium est locus tertius, quem ignorat fides catholica.

Septimo, Petrus Martyr objicit eundem Augustinum, exponentem illud psalm. 31. Beati quorum tecta sunt peccata, ubi sic ait: Si texit peccata, noluit advertere: si noluit advertere, noluit amimadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Respondeo: Loqui eum de poena seterna; Nam de temporali, quod eam requirat Deus, patet ex locis supra citatis ex eodem Augustino tract. 124. in Joan. et in psal. 50.

Octavo, proferunt Augustinum in epistol. 54.ad Macedonium, ubi dicit, post hanc vitam non esse locum morum corrigendorum. Respondeo: Nihil hoc facit ad rem; Nam etsi non erit post hanc vitam locus, ubi flagitiosi convertantur, et mores suos corrigant; erit tamen, ubi peccata levia justorum, quae flagitia dici non possunt, purgentur, et pro criminibus jam dimissis poena temporalis

lui possit

Nono, objiciunt eundem Augustinum in epist. 80. ad Hesychium: In quo, inquit, quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum compraehendet mundi novissimus dies, quoniam qualis in die isto quieque moritur, talis in die illo judicabitur. Respondeo: Significat Augustinus post hanc vitam non crescere merita vel demerita et ideo judicandos omnes ad gloriam, vel ad ge-

hennam, et ad majora vel minora praemis vel tormenta, prout erunt opera facta ante mortem.

Objiciunt decimo Theophylactum, qui in cap.8. Matth. sic ait: Anima egressa, in mundo non errat : justorum enim animae in manu Dei sunt peccatorum vero et ipsae hinc abducuntur, ut anima divitis. Respondeo: Indicat Theophylaotus, non vagari libere animas per mundum, ut daemones faciunt, sed clausas esse in suis receptaculis, et quamquam non meminit nisi duorum locorum, tamen non excludit alia. Possumus autem animas, quae ad purgatorium deducuntur, revocare ad quodlibet eorum duorum, quae ipse ponit; Nam quia justae sunt, recte possunt dici esse in manu Dei , licet non sint in regno; et similiter dici possunt esse in inferno. quia purgatiorium pars est inferni, vel certe locus vicinus.

Undecimo, Hieronymum objiciunt, qui sic in cap. 9. Amos loquitur: Quando anima vinculis laxata corporeis, volandi quo velit, sive quo tre compellitur, habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, de quibus scriptum est; In inferno quis confitebitur tibi? aut certe ad coelestia sublevabitur.

Respondco: Non loqui Hieronymum de morte naturali, sed de solutione animae a corpore per speculationem; Nam disputat eo loco de anima impia, quae quocumque se verterit cogitatione, ibi Deum ultorem inveniet. Itaque cum dixisset: Aut certe ad coelestia sublevabitur, subjungit: ubi sunt spiritualia nequitiae in coelestibus, et si sibi vere circumcisionis scientiam voluerit vendieare, et humilitate concepta habitare in montibus, et ibi scrutantem manum Dei evadere non valebil; quod si desperans salutem oculos Domini vitare tentaverit, et in ultimos falsorum fluctuum terminos pervenire, eliam ibi mandabit Dominus serpenti tortuoso et antiquo, qui est inimicus et ultor, et mordebit eam. Capta quoque viliis, alque pecealis gladio Domini percutielur, ut per cruciatus, atque supplicia ad Dominum revertatur.

### CAPUT XIV.

Solvuntur objectiones ex ratione depromptae.

Ultimo, argumenta sumunt a rationibus. Prima ratio; Post remissam culpam nulla remanet poena; Nam remissio culpae sit per meritum passionis Christi, quod est infinitum et sufficientissimum ad tollendum omnem culpam et poenam, nihit igitur purgandum superest post justificationem.

Respondeo: Primum retorquendo argumentum, nam si Christus satisfecit pro omni culpa et poena nostra, cur post remissam culpam adhuc tam multa patimur et tandem etiam morimur? et ne dicant esse paternas eastigationes in remedium futuri peccati, cur infantes baptizati aegrotant, qui non sunt capaces peccati actualis? Dico igitur Christi meritum sufficere ad omnem culpam et poenam

toltendam, sed debere applicari, ut sit efficax, alioqui omnes homines salvarentur.

Porro applicatio fit per actus nostros et sacramenta. Voluit autem Deus ut post baptismum per contritionem et confessionem cum absolutione sacerdotis, applicetur meritum Christi ad tollendam culpam, per opera autem satisfactoria applicetur ad tollendam poenam temporalem; nam poena acterna commutatur in temporalem, quando remittitur culpa; quia cum remittitur culpa, redditur amicitia, ét datur consequenter jus ad gloriam, ac proinde non debet puniri in acternum, quia eo modo numquam ad gloriam perveniret, et tomen justitia exigit: ut peccatum puniatur aliquo modo, ideo mutatur poena acterna in temporalem, de qua re dictum est aliquid supra, et plara dicentur in disputatione, de satisfactione.

Secunda ratione; In baptismo remittitur omnis culpa et poena; sed poenitentia est quaedam baptismi commemoratio, immo est baptismus quidam; nihil igitur post poenitentiam remanet purgandum

Respondeo: Si sacramentum poemitentiae accipiatur catholice et integre, ut comprehendit contritionem, confessionem et satisfactionem, plenam et jam perfectam, potest admitti totum argumentum; si autem accipiatur pro sola absolutione; in qua praecipue sacramentum consistit, negatur.consequentia: Nam maximum discrimen est inter sacramentum ablutionis et sacramentum absolutionis, cujus ignoratio caussa est omnium errorum de satisfactione, de clavibus, de indulgentiis, de purgatorio.

Dicimus ergo, in sacramento baptismi, Deum liberalissime agere, et applicare Christi meritum per unam illam actionem absolutionis, ad tollendam omnem culpam et poenam futuri saeculi, idest, taru gehennae quam purgatorii: nam poenas temporales hujus vitae ne baptismus quidem aufert, ut patet in pueris baptizatis aegrotantibus et morientibus. At in sacramento absolutionis Deum contrahere nonnihil manum, et applicare Christi meritum ad tollendam culpam et poenam aeternam; tamen adhuc requirere opera poenitentiae, quibus redimamus temporales poenas, id quod patet ex cap. 6. ad Haebraees, ubi dicit apostol. Impossibile esse cos, qui semel sunt illuminati, idest, baplizati, ilerum renovari ad poenilentiam, nimirum baptismalem, quia Deus semel tantum utitur ea liberalitate. Et cap. 10. Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, idest.post illuminationem baptismi, non relinquitur hostia pro peccato, idest, non relinquitur alius Christus patiens et moriens, cui possimus rursum com-mori per baptismum; Sic enim exponunt hece duo loca omnes veteres Graeci et Latini.

Ex quo habetur argumentum insigne pro purgatorio: Nam statim ponitur adversativa particula, sed terribilis expectatio judicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios. Si enim iste ignis significaret solum ignem gehennae, sequeretur, omnes qui peccant post baptismum necessario damnandos, vel certe Paulum inepte loqui. Nec enim recte dicimus, peccanti post bapti-

BELLABMINI. Vol. II.

smum, non relinquitur alius baptismus, sed gehenana, si praeter baptismum sunt alia remedia, ut revera sunt.

Oportet ergo dicere, b. Paulum per ignem intelligero ignem in genere, sive gehennae, sive purgatorii, ita ut hic sit sensus; Peccanti pest baptismum, non relinquitur alius baptismus, neque aliquod remedium aequivalens, idest, aeque facile, quod mox liberet ab omni poena; sed relinquitur ignis necessario, aut perpetuus, si homo non convertatur, aut temperalis, si convertatur, qui tamen ignis temporalis purgatorii erit in alio saeculo, nisi afflictionis ignis voluntarie assumptus purgaverit hominem in hac vita, et haec est quam vocamus satisfactionem.

Idem patet ex Patribus, qui propterea baptismum aquae vocant baptismum facilem, et comparant navi, qua facile trajiciuntur flumina; At poenitentiam vocant baptismum laboriosum, lachrymarum, ignis et secundam tabulam post naufragium.

Denique ratio idem suadet; nam post primam reconcliationem qui peccat, tanto gravius peccat. quanto est magis ingratus, et majus lumen et auxilium habuit. Vide Gregorium nazianzenum oratione in sancta lumina, et Theodoretum in epitome divinorum decretorum, capite penultimo, et Damascenum lib. 4. cap. 10.

Tertia ratio; Christi honor debet illibatus manere, ipse enim solus est liberator et redemptor noster. At si nos satisfacimus, jam dividimus cum Christo honorem; sumus enim et nos ex parte aliqua redemptores nostri, nectotam salutem nostram; sed solum partem Christo debebimus.

Respondeo: Si de verbis agitur, Scriptura aperte dicit Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime. Et Philip. 2. Cum metu et tremore salutent vestram operamini, ubi homo sui ipsius redemptor et salvator appellatur; nec propterea ulla sit Christo injuria, siquidem tota virtus operum et satissactionis nostrae a Christi sanguine pendet, et si rediminus peccata, vel operamur salutem, id sacimus per ejus spiritum nobis donatum, vel potius ipse Christi spiritus in nobis ista operatur, sicut nibil detranitur Deo, quod per secundas caussas operatur; immo potius additur ad gloriam ejus, quia hine apparet magis potentia et efficacitas Dei, cum non solum operari pessit, sed etiam dare aliis rebus vim operandi.

Quarta ratio; Si applicatur nobis per nostra opera Christi satisfactio, vel sunt duae satisfactiones simul junctae, una Christi, altera nostra, vel una tantum; si duae, ergo bis punitur cadem culpa, et duae poenae respondent uni culpae, si una tantum, vel illa est Christi, et tunc nos non satisfacimus; vel nostra, et tunc excluditur Christus, aut vere dividemus cum Christo honorem; Nam ille solvet pro culpa, nos pro poena.

Respondeo: Tres esse modos dicendi. Primus quorundam est, qui asserunt esse unam tantum, et illam Christi esse, ac nos proprie non satisfacere, sed solum facere atiquid, cujus intuitu Deus applicat nobis Christi satisfactionem, quod est dicere, nostra opera non esse nisi conditiones, sine quibus non applicaretur nobis Christi satisfactio, vel

ad summum, esse dispositiones. Ita Michäel Bajus lib. de indulgentiis cap. ultimo, quae sententia erronea mihi videtur, nam Scriptura et Patres passim vocant hostra opera satisfactiones, et peccatorum redemptiones. Deinde si potest homo justus suis operibus mereri de condigno vitam acternam, cur non satisfacere pro poena temporali, quod est minus?

Secundus est aliorum, quod sint duae, sed una ab altera pendens, qui modus non videtur mihi improbabilis: Nam etiamsi una sufficeret, tamen ad majorem gloriam Dei, cui satisfit, et majorem honorem hominis satisfacientis, placuit Christo conjungere nostram suae. Quomodo una gutta sanguinis Christi sufficiebat redimere mundum, et tamen voluit totum sanguinem effundere, ut esset copiosissima redemptio; quomodo etiam homo justus adultus, duplici titulo jus habet ad eandem gloriam, uno ex meritis Christi sibi communicatis per gratiam, altero ex meritis propriis.

Tertius tamen modus videtur probabilior, quod una tantum sit actualis satisfactio, et ea sit nostra; neque hinc excluditur Christus, vel satisfactio ejus; nam per ejus satisfactionem habemus gratiam, unde satisfactious, et hoc modo dicitur applicari nobis Christi satisfactio, non quod immediate ipsa ejus satisfactio tollat poenam temporalem nobis debitam, sed quod mediate eam tollat, quatenus videlicet ab ea gratiam habemus, sine qua nibil valeret nostra satisfactio.

Praeter has haereticorum objectiones discutiemus etiam duas alias objectiones, quas theologi proponere solent, ut rei veritas clarius elucescat. Sit igitur

Quinta ratio: In purgatorio non est meritum, ergo nec satisfactio: Nam idem requiritur ad merendum et satisfaciendum, et omnis satisfactio est meritoria.

Respondeo: Negandam esse consequentiam; nam requiruntur quidem communia quaedam ad meritum et satisfactionem, sed etiam quaedam propria, ex quorum defectu aliquod est meritum sine satisfactione, et e contrario. Requiritur ad utrumque gratia inhabitans, sed hoc non sufficit? Nam ud satisfactionem requiritur, ut opus, quod fit, sit poenale, quod non requiritur ad meritum. Ad meritum requiritur libertas, quam sequitur laus; id quod non requiritur ad satisfactionem; qui enim a judice cogitur solvere debitum, vere satisfacit, etiamsi coactus. Requiritur praeterea ad merendum status viae; Deus enim Agonotheta noster stadii tempus, praesentem vitam esse voluit; hinc igitur animae, quae degunt in purgatorio, quia mediae sunt, quoad statum inter viatores et beatos, vel damnatos (nam sunt confirmatae in bono, et tamen adhuc retardantur a consequatione summi boni); ideo possunt satisfacero, non mereri, cum nos utrumque possimus; beati et damnati neutrum.

Sexta ratio; Purgatorium constituitur partim ad remissionem culpae venialis, partim ad satisfaciendum pro poena, sed neutrum habet locum post hanc vitam; nam ejus est a culpa resurgere, cujus

est in culpam incidere, sed post hanc vitam non possunt animae committere venialia peccata. Praeterea peccata omnia remittuntur per poenitentiam, sed post hanc vitam non est poenitentia; nam idem est hominibus mors, quod angelis casus, ut Damascenus dicit lib. 2. cap. 4. Sed angeli per casum facti sunt immobiles in malo. Denique in hac vita, sicut potest homo justus mereri gratiae augmentum, ita etiam remissionem venialium offensarum. At post hanc vitam nullum est meritum. De poena autem probatur sic: Poena est propter culpam, et crescente culpa, crescit poena, decrescente culpa, decrescit poena: ergo remota culpa, removeret poena.

Respondeo: Non defuerunt, qui propter haec argumenta negarent peccatum veniale post hanc vitam posse remitti, ut b. Thomas refert in 4. dist. 21. quaest. 1. artic. 2. Sed dicebant remitti omnia venialia in ipsa morte per gratiam finalem; At errabant, quia Scripturae et Patres diserte docent, post hanc vitam remitti peccata levia, neque fundamentum eorum est solidum; nam gratia finalis non potest remittere peccatum, quod actu placet, immo quod non displicet aliquo modo; At potest quis mori in complacentia peccati venialis, vel certe sino ullo actu, ut si morialur repente, vel phraeneticus, vel dormiens.

Alii, ut Scotus in 4. dist. 21. quaest. 1. dicupt, peccatum relinquere solum in homine, postquam actus transiit, reatum poenae, et ideo peecatum veniale dici remitti in purgatorio, quia totaliter ibi punitur; mortale autem non dici remitti post hanc vilam, quia non punitur unquam ibi totaliter; nisi enim in hoc mundo mutetur reatus poense seternae in reatum poenae temporalis, et sic iccipiat hic remissio, non poterit ibi purgari. Haec sententia falsa est, tum quia sine ullo dubio pecoatum relinquit in homine praeter reatum poenae, etiam maculam, aut aliquid simile, per quod dicatur homo formaliter peccator, et dignus poena, tum etiam. quia hoc modo revera peccata venialia non possent dici remitti in purgatorio, non enim remittitur, quod totaliter punitur; remissio enim sonat condonationem.

Alia est opinio ejusdem Seoti ibidem, peccata venialia remitti in primo instanti separationis animae a corpore, remitti autem per merita praecedentia. Dicit enim ipse, omne opus bonum quod magis placet Deo, quam displiceat veniale peccatum, remittere venialia peccata; caeterum dum homo vivit, non remitti omnia venialia per hujusmodi opera bona, quia est impedimentum ipsius complacentiae peccati, quo impedimento sublato, quod fit in primo instanti post mortem, mox remitti peccatum. Non placet, quia non est probabile per omne opus bonum remitti venialia, nisi adsit displicentia saltem virtualis illorum peccatorum.

Deinde, quia sequeretur post hanc vitam numquam remitti nisi unum peccatum, nimirum illud, cujus actus continuatur usque ad mortem,id quod ipse admittit, sed est contra Scripturas et Patres; ut ex dietis patet. Tertio, quia non esset opus orare pro defunctis, ut a culpis veuialibus solveren-

tur, ut Ecclesia orat, ut patet apud Dionysium cap. ult. Eccles. hierarch. et ex orationibus Ecclesiae, quibus petimus, ut dimittantur eis, quae humana

fragilitate contraxerunt.

Est ergo opinio vera b. Thomae in 4. distinct. 21. quaest. 1. articul. 2. dimitti in purgatorio culpas veniales, per actum dilectionis et patientiae; illa enim acceptatio poenae a Deo inflicta, cum ex charitate prodeat, dici potest virtualis quaedam poenitentia, et licet non sit proprie meritoria, quia non meretur gloriae vel gratiae augmentum, tamen est remissoria peccati.

Ad primum negatur major universaliter; Nam habet locum solum in mortalibus peccatis; quod enim ad venialia attinet, potest in purgatorio anima liberari a veniali, quia habet media convenientia, idest, actum dilectionis peccato contrarium, non tamen potest cadere in peccatum veniale, quia caret fomite, et praeterea quia est in bono confir-

mala.

Ad secundum dico: Post hane vitam non esse poenitentiam de mortalibus, quia damnati sunt obfirmati in malo, et hoc sibi vult Damascenus, tamen in animabus purgatorii bene potest esse displicentia peccati, aeque ex charitate, et proinde utilis.

Ad tertium dico:Animas purgatorii non esse omnino in via, et propterea non posse mereri augmentum gratiae: tamen neque esse omnino in termino, et ideo posse aliquid facere, quod pertineat ad peccati venialis remissionem.

Ad alteram partem argumenti respondeo: Poenam pendere a culpa in fieri, non in esse, et ideo illud (decrescente culpa, decrescit poena) si intelligatur quod quo minor est culpa, eo minorem generat poenam, verum est, alioqui est falsum, nam etiam ob culpam praeteritam debetur poena.

#### CAPUT XV.

Purgatorii confessionem ad fidem catholicam pertinere.

Superest nunc, ut Petri Martyris sententiam discutiamus, qui in commentario cap. 3. prioris ad Corinthios contendit, purgatorium esse, non posse ad dogma fidei ullo modo pertinere; quae fuit prima Lutheri opinio, sive primus ejus error. Ratio-

nes ejas sunt quinque.

Prima: Quia scriptura tacuit purgatorium in iis locis, ubi maxima suit occasio de eo loquendi. Nam in Genesi cap. 49. describuntur sunera Abraham, Isaac, Jacob, Sarae, Rachelis, diligentissime, et tamen ne verbum quidem de purgatorio. Item in Levitico instituuntur sacrificia plurimorum generum pro variis rebus, et nullum ibi instituitur pro defunctis. Denique Paulus in priori epistol. ad Thessal. cap. 4. cum ex professo de mortuis agat, nihil dicit de purgatorio, sed solum asserit eos resurrecturos, et concludit: Consolamimi invicem in verbis istis.

Secunda ratio est: Quia Ecclesia graeca, quae est altera pars Écclesiae, diu restitit huio dogmati

in concilio florentino. ergo si usque ad nostra fere tempora media pars Ecclesiae non credidit purgatorium, quomodo est articulus fidei?

Tertia ratio est: Quia Dionysius cap. ult. ecclesiasticae hierarchiae, quaestionem proponit; Cur antistes in sepultura fidelium oret pro defunctis; et purgatorii non meminit, sed anxie laborat, ut quaestionem solvat. At si purgatorium esset dogma fidei, potuisset statim facillime respondere, orare pro defunctis, ut a purgatorio liberentur.

Quarta ratio est: Quia b. Augustinus disertis verbis asserit, se habere opinione tantum incerta, non certa fide purgatorium esse, in enchiridio cap. 69. Tale, inquit, aliquid eliam post hanc vitam fieri incredibile non est, el ulrum ita sit, quaeri potest, et aut inveniri, aut latere nonnullos fideles, per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusve salvari. In libro de octo quaestionibus Dulcitii quaest. 1. Sive ergo, inquit, in hac vila tantum homines ista paliuntur, sive eliam post hanc vilam talia quaedam judicia subsequuntur, non abhorret quantum àrbitror a ratione veritatis iste intellectus hujus sententiae. Idem habet lib. de fide et operibus cap. 16. Denique lib. 21. de Civilale Dei cap. 26. ail: Post islius sane corporis mortem, donec ad illum veniatur: qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis, et remunerationis ultimus dies, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum ejusmodi ignem dicuntur perpeti, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores, et amores in hujus corporis vila, ul eorum ligna, foenum et stipula consumatur : alii vero sentiant, qui ejusmodi secum aedificia portaverunt, sive ibi tantum, sive hic et ibi, sive ideo hic, ut non ibi, saecularia, quamvis a damnatione venialia, concremantem ignem transitoriae tribulationis inveniant, non redarguo, quia forsitan ve-

Quinta ratio est, quia Scriptura aperte repugnat, Joan. 5. Luc. 13. Apocal. 14. ut supra attulimus

et refutavimus.

Haec sunt ipsius firmamenta, quae adeo nos nihil movent, ut constanter iterum asseramus, dogma esse fidei purgatorium, adeo, ut qui non credit purgatorium esse, ad illud numquam sit perventurus, sed in gehenna sempiterno incendio cruciandus. Nam dogmata fidei quatuor modis probari solent.

Primo, ex testimonio expresso Scripturae cum Ecclesiae declaratione, quomodo probamus, Christum esse opocioto Patri, ex illo Joan. 10. Ego et Pater unum sumus, addita nicaeni concilii declaratione; nam alioqui numquam lis cum Arianis finiri potuisset, cum eum locum, et omnia alia, quae afferri solent, ipsi aliter exponerent.

Secundo, per evidentem deductionem ex iis, quae habeptur expresse in Seriptura; quomodo probamus, Christum habere duas voluntates, divinam et humanam, quia secundum Seripturas Deus et homo est, addita concilii sexti declaratione.

Tertio, ex verbo Dei per apostolos non scripto,

sed tradito, quomodo probamus evangelia et epi-

stolas Pauli esse divinas Scripturas.

Quarto, per evidentem deductionem ex verbo Dei tradito; quomodo b. Augustinus passim probat, peccatum originale esse in pueris necessario credendum, etiamsi in Scripturis non haberetur, quia deducitur evidenter ex traditione apostolica de baptismo parvulorum. Sufficientia horum quatuor modorum inde patet, quia id solum est de fide, quod est à Deo revelatum mediate, vel immediate, revelationes autem divinae partim scriptae sunt, partim non scriptae. Itaque decreta conciliorum et pontificum et doctorum consensus, et alia omnia ad ista quatuor reducuntur, tunc enim solum faciunt rem de fide, cum explicant verbum Dei, aut inde aliquid deducunt.

Jam vero his omnibus modis probatur purgatorium. Nam de primo modo patet ex viginti locis Scripturae, quae attulimus, quorum aliqua a tota Ecclesia exponuntur de purgatorio, ut patet ex conciliis et Patribus, quos citavimus.

De secundo modo patet ex duabus primis ratio-

nibus, quas fecimus.

De tertio modo perspicuum est ex eo, quod non invenimus initium hujus dogmatis, sed omnes veteres Graeci et Latini ab ipso tempore apostolorum constanter docuerunt purgatorium esse. Talia enim ad apostolicam traditionem referenda esse, b. Augustinus affirmat lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 24.

De quarto modo patet ex Clemente, Tertulliano, Epiphanio et Chrysostomo supra citatis; quia asserunt, orationem pro defunctis esse apostolicam traditionem; et nulli unquam veterum contrarium dixerunt. Hinc enim evidenter colligitur purgatorium esse. Nam si traditio est apostolica, orandum esse pro defunctis; quis non advertat, continuo inde sequi, ut animae post hanc vitam egeant auxilio, et proinde sint in poenis non sempiternis, sed temporalibus. Neque argumenta Petri Martyris difficulter solvi possunt.

Ad primum ergo respondeo, primo non esse ne-

cesse, ut Scriptura ubique omnia dicat.

Dico secundo ad illud de Genesi, in Genesi non fuisse occasionem ponendi doctrinam de purgatorio. Nam Genesis non est liber dogmatum, sed historia quaedam patriarcharum. Porro doctrina eo tempore non Scriptura, sed traditione conservabatur. Nam alioqui dicemus, ante Abrahae tempora neminem fuisse justificatum, quia Scriptura non tradit, quomodo justificarentur homines tempore Adae, Henoch, Nöe.

Dico ultimo, implicite saltem contineri in Genesi mentionem purgatorii; quando enim dicitur Gen. 23. Et surrexit Abraham ab officio funerie, quis prohibet per illud, Officium, intelligere non solum lachrymas, sed etiam orationem et jejunium? et cur, quaeso, Jacob et Joseph, in Aegypta morientes, cupierunt ossa sua deferri in terram promissionis, nisi quia ibi solum sacrificia pro defunctis facienda esse noverant.

Ad illud de Levitico, nego non fuisse in Levitico instituta sacrificia pro defunctis, quandoquidem illa, quae instituta sunt pro peccatis, intelligebantur

pro peccalis tam vivorum, quam mortuorum, ut patet ex lib. 2. Machab. cap. 12.

Ad illud ex Paulo, dico: Paulum in eo loce solum voluisse dicere, non esse mortuos immoderate deflendos, quomodo ethnici faciebant. Ad hoe autem propositum non solum non proderat, sed etiam operat mentio purgatorii. Dicere enim, animas propinquorum gravissime torqueri in purgatorio, non est adferre materiam consolationis, sed majoris luctus; Paulus autem consolari volebat eos, ut patet, et ideo meminit resurrectionis et gloriae; et concludit: Itaque consolamini invicem in verbis istis. In aliis autem locis, ut in priori epist.ad Cor. cap. 3. et 15.et ad Hebraeos 10.diserte Paulus ponit ignem purgatorii, et baptismum laboriosum pro mortuis susceptum.

Ad secundum dico: Ecclesiam graecam numquam dubitasse de purgatorio, ut patet ex Patribus citatis; Dionysio areopagita, Origene, Athanasio, Basilio, Gregorio nazianzeno, Gregorio nysseno, Ephrem, Chrysostomo, Cyrillo, Epiphanio, Theodoreto, Oecumenio, Theophylacto, Damasceno, et ex ipso concilio florentino. Nam quod Petrus Martyr dicit, in eo concilio Patres graecos dia restitisse, mendacium est; siquidem in prima sessione, et rursum in ultima, affirmant, se perpetuo purgatorium credidisse, et orationem pro defunctis, sed solum ambigere de qualitate poenae; An sit videlicet ignis, an aliquid aliud. Quod ergo de Graecis jactatur, quod purgatorium negent, aut est falsum, aut de particularibus hominibus intelligendum est.

In tertio argumento miror Petrum Martyrem; nametsi Dionysius non nominat purgatorium, tamen expresse dicit, orari pro defunctis, ut a peccatis liberentur. Sic enim ait cap. 7. part. 3. Precibus, inquit, a divina benignitate contendit, ut omnia peccata, quae humana fragilitate admissa sunt ei, qui excessit e vita, remittat. Deinde quaerit, cur oretur pro defunctis, ut eis peccata remittantur, cum scriptum sit omnes accepturos, prout in corpore gesserint? Et respondet, ideo orari, quia illi per merita hujus vitae digni facti sunt, quibus preces viventium prodessent. Nisi ergo s. Dionysius secum ipse pugnaverit, non potuit purgatorium ignorare, aut negare cum tam aperte orationem asserat pro defunctorum peccatis.

Ad quartum, opponimus alia loca s. Augustini. Nam in eodem enchiridio eap. 110. asserit, orationes et sacrificia prodesse animabus, et similiter q. 2. ad Dulcitium, et lib.21. de Civit. Dei eap.24. dicit, constare, animas purgari post hanc vitam, et cap. 1. de cura pro-mortuis agenda dicit: Non dubium est, prodesse orationem defunctis.

Respondet Petrus Martyr: Debere haec loca expeni per illa, in quibus dubitat. At quemodo, quaeso, exponemus; constat, et non dubium est, per illa; Incredibile non est, et; Forsan verum est? Nocesse est igitur dicere. Augustinum aliquid de purgatorio certa fide tenuisse, et de aliqua re dubitasse, quid sit de quo dubitavit, nos facile exponemus. At non ita poterit ille exponere, quid sit, de quo non dubitavit; nihil enim minus dari potest, quam eum non dubitasse de purgatorio in genere,

idest, quod sit aliquod purgatorium post hanc vitam. Cum qua fide certa, potest consistere dubitatio de qualitate poenae, quae infligitur; de qualitate peccati, quod punitur; de loco, tempore etc. At cum dubitatione de purgatorio in genere, non potest consistere ulla certa fides circa purgatorium, quam tamen Augustinus habere se dicit.

Dico igitur, Augustinum in illis quatuor locis dabitare solum de genere peccati, quod punitur; An videlicet, sicut in hac vita immoderatus amor erga temporalia, purgatur a Deo variis afflictionibus, ut mortibus uxoris, liberorum etc. Ita etiam credibile sit, post hanc vitam adhuc remanere in anima se-

parata aliquas reliquias talium affectionum actualium, quae purgari debeant tribulationibus et molestfis. Etsi enim animae corpore vacantes, non videntur posse tangi ejusmodi affectionibus corporalibus, tamen cum sint formae corporum, et in
corpore diu fuerint, et rursum appetant conjungi
corpori, non est incredibile, eas recordari adhuc
voluptatum, quas per instrumenta corporea perceperunt. et earum desiderio aliquo teneri. Quia
vero res ista difficillima est, ideo recte Augustinus dicit, posse quacri, et numquam forte inveniri etc.

Ad quintum supra responsum est.

## LIBER SECUNDUS

DE

## CIRCUMSTANTIIS PURGATORII

#### CAPUT PRIMUM

De personis, quibus purgatorium convenit.

Demonstravimus hactenus purgatorium esse; nunc de circumstantiis purgatorii, idest, de personis, loco, tempore, poenis, suffragiis aliisque id genus differendum est. Prima igitur illa quaestio occurrit: Quibus personis purgatio post hanc vitam conveniat? Multi autem extiteruut errores de

ejusmodi personis.

Primus fuit, purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto. Haec sententia solet tribui Alcuino, sed videlur esse non ejus solum, sed multorum Patrum. Origenes enim hom. 14. in Lucam: Ego, inquit. puto, quia et post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacramento eluente nos atque purgante; nemo enim absque sordibus resurgere poterit, nec ullam posse animam reperiri, quae universis statim vitiis careat. Et in psalm. 36. Omnes nos venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis, vel Petrus.

Ambrosius in psal. 36. Igne ergo, inquit, purgabuntur filii Levi, igne Ezechiel, igne Daniel. Et in ps. 148. serm. 20. adducens illud Genes. 4. Posuit ante paradisum flammeum gladium, dicit, illum gladium igneum, esse ignem purgatorium, per quem necessario transit, quicumque in paradisum intrat: Omnes, inquit, oportet transire per flammas, sive ille Joannes sit, sive Petrus etc. Et infra: Unus ignem illum sentire non potuit, qui est justitia

Dei Christus.

Idem videtur sensisse Hilarius in illa verba ps. 118. Concupivit anima mea desiderare judicia justitiae tuae. Ubi insinuat etiam b. Mariam trans-

ire debuisse per illum ignem. Idem Lactantius lib. 7. c. 21. divin. Institut. et Hieronymus in cap. 7. Amos in illa verba: Ecce vocabit ignem ad judicium. Denique Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 32.

explicans flammeum gladium.

Haec sententia accepta, ut sonat, manifestum errorem continet. Nam in concilio florentino sess. ultima definitum est, aliquas animas in infernum, aliquas in purgatorium, aliquas in coelum mox recipi. Deinde Ecclesia semper credidit eos, qui mox a baptismo moriuntur, nullam purgatorii poenam sentire posse, ut constanter Augustinus docet lib. 21. de Civ. Dei cap. 16. et similiter eos, qui baptizantur in sanguine suo, ut Cyprianus lib. 4. epist. 2. dicit, omnia enim peccata passione purgari affirmat, et ideo martyres statim ad praemium pervenire.

Adde, quod Patres adducti (Origene excepto, cujus verba in homil. 14. in Lucam, non patiuntur commodam expositionem) videntur sano modo intelligi posse: Nam aliqui eorum per ignem non intelligunt ignem purgatorium, sed ignem divini judicii, quomodo loquitur Paulus in priori epistola ad Corinthios cap. 3. cum ait: Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Et hoc modo fatendum est, omnes sanctos, Christo excepto, per ignem transire. Ita videntur de igne loqui Hilarius et Hieronymus, et in loco posteriore Ambrosius.

Aliqui vero videntur intelligere per ignem verum ignem purgatorii, per quem tamen dicunt transire sanctos sine ulla laesione, ita ut transeant per purgatorium materialiter, non formaliter. Ita videntur loqui Lactantius, Ambrosius et Rupertus. Lactantius enim sic ait: Sed et justos cum judicaverit Deus, etiam igne eos examinabit: tum quorum peccata vel pondere, vel numero prae-

valuerint.perstringentur igni atque amburentur: quos autem plena justitia et maturitas virtutis decoxerit, ignem illum non sentient, habent enim aliquid in se Dei, quod vim flamma repellat. Sic etiam Ambrosius in psalm.36. ubi dixerat, omnes transituros per ignem, subjungit, quosdam mansuros in illo igne perpetuo, quosdam urendos, non tamen exurendos, quibusdam, idest, sanctis instar roris futurum, ut quondam tribus pueris in Babylonis fornace.

Conformis est huic sententiae visio b. Fursaei, quam describit Beda lib. 3. hist. cap. 19.Ille enim vidit in via ad coelum maximos ignes, per quos necessario transeundum erat, sed vidit simul eos, qui nihil haberent combustibile, idest, nullum culpae aut poenae reatum, illaesos transire, alios vero magis minusve exuri, prout plus minusve materiae combustibilis afferebant. Sane hanc sententiam, quae docet omnes transituros per ignem, licet non omnes laedendi sint ab igne, nec auderem pro vera asserere, nec ut errorem improbare.

Secundus error, est, omnes malos, tam daemones, quain homines tandem inferno penitus evacuato salvandos, et proinde omnes poenas post hanc vitam esse purgatorias. Hic error Origenis fuit, ut referunt et refellunt Epiphanius epist. ad Joannem hierosolymitanum, Augustinus lib. 21. de Civitate Bei cap. 17. et 23. Hieronymus in cap. 3. Jonae, et Gregorius lib. 9. moral. cap. 45. et 46. et 1th. 34. cap. 12. et 13. Nam Matth. 25. dicitur: Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. El no forte responderent, ignem esse aeternum, sed non mansionem in igne, concludit Dominus: Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam. Et Apocal. 20. Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi bestia et pseudoprophetae cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum.

Errorem eundem tribuit s. Hieronymo, Ruffinus lib. 1. invectiv. in Hieronymum, sed injuria: nam b. Hieronymus hujos erroris hostis acerrimus fuit, ut praeter locum citatum patet ex apologia 2. contra Ruffinum, ex lib. 1. contra Pelagianos, ex epistola ad Pammathium de erroribus Joannis hierosolymitani, et ex commentario in ultima verba Isaiae. Quod autem citat pro hoc errore Ruffinus ex commentariis Hieronymi in epistolam ad Ephesios, sunt dicta in persona Origenis, ut idem Hieronymus docet de similibus erroribus, in apologia 1. contra Ruffinum. Dicitur exstare liber cujusdam Stanislai Anabaptistae pro hoc errore Origenis, qui inscribitur de divina philanthropia; sed eum librum nondum videre polui.

Tertius error est eorum, qui non quidem diaboli, sed tamen omnium hominum peccatorum poenas, post hanc vitam dicebant esse temporales, et purgatorias, ut Augustinus refert et refellit lib. 21. de Civit. Dei cap. 18. et 24.

Quartus error est eorum, qui id sentiebant solum de omnibus Christianis, sive haeritici, sive catholici essent; refert Augustinus ibidem c. 19. et 25. Quintus corum, qui id sentichant de solis et omnibus illis, qui aliquando fuissent catholici. Augustinus ibidem refert cap. 20. et 25. Hi errores refelluntur, tum ex Matth. 25. Ite in ignem acternum. Et Apocalypsis 20. Cruciabuntur in saccula sacculorum; tum etiam ex Isaiae ultimo: Ignis corum non extinguetur. Et Galatas 5. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Nam in his locis non sell daemones, nec soli homines ethnici aut haeretici, sed etiam flagitiosi catholici puniendi esse dicuntur sine ullo fine.

Fundamenta errorum istorum erant quatuor. Primum, quia psalm. 76. dicitur: Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Secundum, quia Roman. 11. dicitur: Conclusit Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur. Tertium, quia si sancti orabant pro inimicis et exaudiebantur in hoc mundo, multo magis orabunt, et exaudientur in die judicii. Quartum, quia videmus in Scriptura supplicia a Deo absolute intentari, et tamen postea non inferri, ut patet Jonae 3. Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur. Unde intelligimus, inquiunt, cum Deus minatur supplicia, non significari ea re vera inferenda, sed tantum eos, quibus intentantur, dignos esse, qui ita punirentur.

Sed ad primum respondet Augustinus lib. 21.de Civit. Dei cap. 24.intelligi illa verba solum respectu bonorum, vel si extendantur ad damnatos, sensum esse, damnatos puniendos quidem in aeternum, sed tamen citra condignum. Posset etiam dici, intelligi illa verba, in hac vita. de qua dicitur: Ecce nunc tempus acceptabile: Nam de judicio futuro dicitur Jacobi 2. Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.

Ad secundum respondet Augustinus ibidem, illud: Ut omnium misereatur, non significare omnium hominum, sed omnium nationum, idest, tam Gentilium, quam Judaeorum, ita ut aliqui ex Gentibus, aliqui ex Judaeis salventur, sicut illud: Conclusit omnes in infidelitate, significat tam Gentes, quam Judaeos, idest, aliquos ex Gentibus, aliquos ex Judaeis; Deus enim ante Christi adventum permisit Gentes ingredi vias suas in infidelitate et idololatria, ut postea confusi medicum requirerent et invenirent, ut factum est. Deinde Gentibus conversis, permisit in infidelitatem ruere Jüdaeos, ut et ipsi circa finem mundi confusi et humiliati, similiter convertantur.

Ad tertium respondet: Sanctos in hoc mundo orasse, quia sciebant in hac vita tempus esse fructuosae poenitentiae, at in judicio non oraturos pro damnatis, sicut nec nunc oramus pro diabolo aliisque damnatis.

Ad quartum respondet Augustinus: Ninivem vere fuisse eversam, ut praedictum fuerat; Nam omnes de malis facti sunt boni, quae est eversio optima et Deo gratissima. Potest etiam responderi, supplicia a Deo intentata in hac vita, esse comminatoria, quia intelliguntur sub conditione, nisi quis egerit poenitentiam, at post hanc vitam non est poenitentia, saltem fructuosa: Nam Joan. cap. 9. dicitur: Operamini dum dies est; venit nox, in

qua nemo potest operari. Et Eccles: 9. Apud in-

feros non est opus, nec ratio etc.

Sextus error est aliorum, qui volebant, omnes et solos catholicos in side perseverantes ad purgatorium descendere, quamvis alioqui pessime vixissent, resert et resellit hunc errorem Augustinus lib. 21. de Civitate Dei cap. 25. et 26. Enchiridius cap. 68. de side et operibus cap. 14. 15. et 16. et quaest. 1. ad Dulcitium. Nam Matth. 3. de sidelibus malis dicitur: Paleas autem comburet igni inextinguibili. Et Matth. 25. sidelibus immisericordibus dicetur: Ite in ignem aeternum. Et 1. ad Corinth. 6. scribitur sidelibus a Paulo: Neque ebriosi, neque avari, neque adulteri, neque moltes, neque maledici regnum Dei possidebunt. Et similia habentur ad Galat. 5. et ad Ephes. 5.

Fundamentum hujus erroris erat locus ille 1. ad Corinthios. 3. Ipse autem salvus erit quasi per ignem; Putabant enim illi per fundamentum intelligi fidem catholicam, per argentum et aurum omnia opera bona; per ligna, foenum et stipulas, omnia peccata; sed hoc supra sufficienter refuta-

tuin est.

Est autem observandum, esse aliquos, qui arbitrentur b. Hieronymum in hoc errore fuisse, quia in ultima verba Isaiae dicit: Sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus aeterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, et mixtam clementiae sententiam judicis. Item lib. 1. contra Pelagianos: Si Origenes, inquit, omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, quid ad nos? qui et diabolum et satellites ejus, omnesque impios dicimus perire perpetuo; Christianos vero si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas.

Videlur tamen Hieronymus in hoc errore non fuisse, quandoquidem in cap. 23. Matth. ubi manifeste agitur de damnatione aeterna fidelium peccatorum, ita scribit: Prudens lector attende, quod et supplicia aeterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum. Et in cap. 5. ad Galat. Putamus, inquit, nos regnum Dei consequi, si a fornicatione, idololatria, veneficiis immunes simus? Ecce inimicitia, contentio, ira, rixa, dissensio, chrietas quoque, et caetera, quae parva arbitramur, excludunt nos

a regno Dei.

In locis ergo citatis in contrarium. non vult b. Hieronymus dicerc, omnes Christianos sulvandos post poenas, sed nullos salvandos post poenas nisi Christianos. Unde in priore loco dicit quidem Christianos impios salvandos, sed addit conditionem restringentem, cum dicit: Quorum opera in igne probanda et purganda sunt; idest, illi soli Christiani impii salvabuntur, quorum opera mala jam purgata, quoad culpam, purganda crunt quo ad reatum poenae. In posteriore loco opponit impiis Christianos, qui in peccato praeveniuntur morte, ut judicet se loqui solum de piis Christianis.

Septimus error eorum est, qui existimabant, emnes illos salvandos per ignem purgatorii, qui elecmosynas (ecissent, eliamsi alioqui in sceleribus perseverassent usque ad mortem.

Refellit hunc errorem s. Augustinus in enchiridio cap. 75. et 76. et lib. 21. de Civitate Dei cap. 22. et 27. Nam Scriptura manifestissimis verbis multa requirit ad justificationem impii praeter eleemosynam, et Luc. 13. Si poenitentiam non habueritis omnes similiter peribitis. 1. Corinth. 3. Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihit mihi prodest. Qualem autem, quaeso, charitatem habet, qui Deum offendere non timet, aut post quam eum offendit, non quaerit reconciliationem?

At inquiunt, in die judicii examen fleri videmus solum de eleemosyna, Matth. 25. qui enim fecerunt eleemosynam, mittuntur in regnum, qui non

fecerunt, mittuntur in gehennam.

Respondeo: Dominum minora posuisse, ut inde colligeremus majora; qui enim minatur gehennamiis, qui non dederunt sua, multo magis puniet eos, qui fecerunt eleemosynam ea pecuniis suis; multo magis coronabit eos, qui vitam pro fide ponunt. Vide, si placet, plura in disputatione nostra de c-

lecmosyna.

His ergo erroribus confutatis, manet ultima sententia vera et catholica: Purgatorium pro iis tantum esse, qui cum venialibus culpis moriuntur, de quibus agitur 1. ad Corinth. cap. 3. Illi enim sunt, qui aedificant super fundamentum ligma et stipulas et salvi erunt quasi per ignem. Et rursum pro illis, qui decedunt cum reatu poenae, culpis jam remissis, de quibus agitur Lucae 12. Non exies inde. donec reddas novissimum quadrantem: et aliis locis supra citatis.

## CAPUT II.

## In purgatorio non posse animas mereri vel peccare.

Sequitur altera quaestio: An in purgatorio sil locus mérito et peccatis. Lutherus enim quonism purgatorium confitebatur, ita confitebatur, et illud partim cum hujus vitae statu, partim cum inferno confunderet. Dicebat animas purgatorii posse mereri, quod est vitae hujus, et sursum eas peccare continuo, ac disperare salutem, quae sunt propria danmatorum. Redix horum fuit, quia existimavit ees animas ad purgatorium mitti, quae non sunt perfectae in charitate; quae enim nullam habent charitatem mittuntur in gehennam, quae habent perfectain ascendunt in coelum. Quia vero imperfecta charitas debet augeri, et non potest augen sine novis meritis, ideo merendi statum posuit in purgatorio. Rursum quia perfecta charitas foras mittit timorem, et proinde imperfecta habet admixtum timorem, servilem scilicet, et honc timorem Lutherus peccatum esse existimat, inde deduxit animas peccare continuo, quia continuo timent. horrent ac refugiunt poenas, quaerunt quae sua sunt etc. Vide librum Lutheri de purgatorio, quem Joannes Eckius refellit.

Et quidem hanc Lutheri sententiam manifeste hacreticam esse, probatur testimoniis Scriptura-



rum et Patrum. Primus locus Eccles. 9. Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem. Hieronymus in hunc locum: Donec vivunt,
inquit, homines possunt fieri justi, post mortem
vero nulla datur-boni operis occasio. Et infra:
Viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare, mortui vero nihil valent ad id adjicere,
quod semel secum tulere de vita. Et infra: Nec
juste quippe possunt agere, nec peccare, nec virtules adjicere, nec vitia.

Secundus ibidem, ait Scriptura: Quodeumque potest agere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, est apud inferos, quo tu properas. Non possumus dicere in alia vita nibil agi, aut sciri, cum Lucae 16. de Epulone legamus, eum et vidisse Lazarum in sinu Abrahae, et primum pro se, deinde pro fratribus opere Abrahae imploravisse; quare loquitur de opere meritorio, ut'exponit Hieronymus. Neque loquitur de inferno inferiore, sed de inferno in genere, ut complectitur omnis loca, ad quae descendebant omnes homines ante Christi resurrectionem, ut idem Hieronymus exponit.

Tertius locus est, Eccles.11.Si ceciderit lignum sive ad austrum, sive ad aquilonem, ubicumque ceciderit, ibi erit. Hieronymus in hunc locum, et Bernardus serm. 49. ex parvis, exponunt de immutabilitate animae post hanc vitain quae non potest de bona fieri mala, nec bona de mala.

Quartus est, Eccles. 14. Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire cibum.

Quintus est, Eccles. 18. Ne verearis usque ad mortem justificari. Quare usque ad mortem; nisi quia post mortem non erit amplius tempus.

Sextus, Joan. 9. Venit nox, in qua nemo potest operari. Origenes psalm. 36. Chrysostomus, Augustinus, Euthymius et Theophylactus in hunc locum, Hieronymus in c. 9. Eccles.et Gregorius lib. 4. dialog. cap. 39. exponunt summo consensu per noctem, tempus alterius vitue, per operari, facere opera meritoria significari.

Septimus est, 2. Corinth. 3. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sicut gessit, sive bonum, sive malum. Quem locum exponens Augustinus in lib. de praedest. sanctorum c. 12. monet propria corporis non vocari opera corporalia, quasi spiritualia judicanda non sint, sed vocari omnia opera, quae fiunt dum sumus in corpore, quia post hanc vitam non superest tempus operandi sed praemium aut poenas recipiendi.

Octavus est, Gal. 6. Quae seminaverit homo, haec et metet. Et infra: Bonum autem facies non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes; ergo dum tempus habemus, operemur bonum. Hieronymus in hunc locum docet, tempus sementis non extendi, ultra hanc vitam, serere autem esse bene operari.

Nonus est, Lucae 16. Redde rationem villicationis tuae, jam enim non poteris amplius villicare etc. Exponunt Ambrosius et Theophylactus

BELLARMINI. Vol. II.

in hunc locum, Hieronymus quaest. 6. ad Algasiam, Augustinus lib.21. de Civ. Dei, cap. 27. et alii omnes per depositionem a villicatione, mortem, per non posse amplius villicare, non posse amplius mereri et lucrari.

Decimus est, Apoc. 10. Angelus habens unum pedem super mare et alterum super terram, jurat per viventem in saecula saeculorum, quia tempus non erit amplius, nimirum bene operandi. Denique Scripturae hoc passim testantur, et nec ulla syllaba invenietur pro Lutheri errore.

Probatur Secundo ex Patribus Cyprianus serm. 4. qui est de mortalitate, ad hor plurimum prodesse mortem dicit, ut eripiamur a periculis percandi. Dum enim sumus in hac vita, in stadio pugnamus, pugnae finem obitus affert: quem locum Cypriani adducens Augustinus lib. de praedest, sanctorum c. 14. inquit: His, atque hujus modi doctor ille sententiis in catholicae fidei luce clarissima satis aperteque testatur usque ad hujus corporis depositionem peccandi pericula, tentationesque metuendas, deinceps nulla talia quemquam esse passurum, quod etsi non testaretur, quando de hac re christianus qualiscumque dubitaret?

Nota, Lutherum non posse vocari christianum qualemcumque, ex sententia Augustini, sed plane ethnicum, cum de re dubilet, de qua dicit Augustinus, nullum christianum dubitare posse. Idem Augustinus in enchir. cap. 110. Quocirca, inquit, hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vet gravari: nemo autem se speret, quod hic negleweril, cum obieril apud Deum promereri.

Chrysostomus hom. 2. de Lazaro multa dicit in hanc sententiam, et hom. 37. in Matth. Praesens, inquit, haec vita tam recte, quam contra tibi vivendi tribuit potestatem; postquam vero diem tuum obieris, judicium et poena consequetur. Hieronymus in cap. 9. Eccles. Mortui, inquit, neo juste possunt agere, nec peccare. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 4. Quod est angelis casus, idem hominibus mors.

Tertio probatur ratione: Nam Lutheri sententia secum ipsa pugnat; dicit enim Lutherus animas illas debere, et posse mereri, quia imperfectae sunt in charitate, ut nimirum per nova merita augeatur, et perficiatur charitas. Ipse idem dicit animas illas, quia imperfectae sunt, timere poenas, et timendo peccare, et quia semper timent dum imperfectae sunt, proinde etiam semper peccare dum imperfectae sunt.

At ista pugnant inter se; nam qui peccat praesertim mortaliter, non potest mereri dum peccat: Animae autem illae semper peccant, dum sunt in purgatorio, quia semper sunt imperfectae, ergo numquam mereri possunt, dum sunt in purgatorio. Praeterea secundo, quia sequitur impossibile esse liberari animas de purgatorio; nam semper peccabunt, dum timebunt; semper timebunt, dum erunt imperfectae, semper erunt imperfectae, donec accesserit nova charitas:nova charitas non potest accedere nisi per merita, non possunt illi mereri dum peccant; igitur numquam liberabuntur.

#### CAPUT III.

#### Solvuntur objectiones.

Superest argumenta solvere, Argumentum Primum: Animae quae in purgatorio degunt sunt imperfectae in charitate, igitur proficere debent et inereri ut perficiantur. Quod sint imperfectae probatur. Primo quia si illae animae essent perfectae, certe non punirentur; quorsum enim puniantur spiritus perfecti? Si dices, ut satisfaciant Deo. Contra, quia Deo maxime satis sit per charitatem: Charitas enim operil multitudinem peccatorum, inquit Petrus 1. Pet. 4.

Secundo: Quia si is qui moritur, debitor sit adhuc decem dierum jejunii, et tamen summe diligat Deum, incredibile est Deum non condonare illi decem illos dies, cum soleat Deus libenter acceptare voluntatem, ubi non invenit facultatem, ergo si illi non condonatur debitum, signum est non fuisse per-

fectum in charitate.

Tertio: Quia si essent perfectae, non timerent poenas; nam perfecta charitas foras mittit timorem; si non timerent poenas, non punirentur, quia non est poena id quod amatur, et libenter recipitur; ergo non esseut in purgatorio, nisi essent imperfectae.

Quarto: Quia nihil esse potest perfectum extra Deum, juxta illud 1. Corinth. 13. Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est; ergo animae purgatorii, quae beatae non sunt, necessario imperfectae sunt. Deinde probatur consequen-

tia primi argumenti.

Primo: Impossibile est in via stare; semper enim oportet progredi, aut regredi, ut Bernardus dicit, animae autem purgatorii sunt in via, nondum enim pervenerunt. Secundo: Virtus in infirmitate perficilur, 2. Corintli.12. et aurum in fornace fil lucidius. Tertio: Impossibile est creaturam aliquam conservari, nisi accipiat semper amplius et amplius, donec absorbeatur in suum principium, ut patet in fluviis, qui semper accipiunt novam aquam. donec in mare ingrediantur, unde conservatio dici solet continua quaedam creatio. Quarto: Charitas post hanc vitam erit major, ergo augebitur, ergo per merita.

Respondeo ad antecedens: Animas purgatorii posse dici imperfectas respectu earum quae sunt in gloria; et etiam unam in purgatorio posse dici imperfeciam respectu alterius, sive in pargatorio, sive in hoc mundo existentis. Tamen absolute omnem animam in purgatorio existentem esse perfectam in charitate. Nulla est charitas simpliciter imperfecta; dicitur enim 1. Joan. 2. Qui servat verbum cjus, vere in hoc charitas Dei persecta est. Sufficit autem quilibet gradus charitatis, ut quis servet verbum, idest, praecepta Domini.

Ad consequentiam dico, animas purgatorii, quatenus sint imperfectae respectu earum, quae sunt in coelo, debere perfici in charitate, sed illud augmentum non requirere nova merita; nam erit pracm'um omnium meritorum practeritorum. Dupliciter enim augetur charitas; uno modo in genera graliae, ut flat homo aptior ad magis merendum, et hoc

augmentum non datur post hanc vitam; altero modo in genere gloriae, ut remunerentur omuia merita praeterita, et hoc siet in ipsa beatitudine, pars enim praemii erit, ut Augustinus dicit, lib.de corrept. et gratia cap. 10. tanta copia charitatis, ut numquam excidere possit a beatitudine, et a justitia, qui ea

copia charitatis praeditus erit.

Ac ut ordine respondeamus ad singula capita hujus objectionis. Ad primum dico: Quamquam potest fieri, nt dolor internus sit tantus, et a tanta charitate procedens, ut plene satisfaciat pro omni reatu, tamen potest etiam fieri, ut non sit tantus dolor, et propterea remaneat aliquid in purgatorio luendum: non enim repugnat perfectioni charitatis, quae habetur extra regnum coelorum, reatus poenae, pro quo satisfaciendum sit. Ad verba b. Petridico charitatem operire multitudinem peccatorum, sed non codem modo quoad culpam, et quoad poenam; nam culpam totam semper delet per actum suum proprium, poenam autem tollit non semper tolam per actum suum, sed per opera satisfactoria, quae ipsa charitas imperat.

Ad secundum dico similiter: Si is qui moritur. summo amore doleat de peccalis, posse eum eo modo satisfacere pro omni poena; si autem non sit tantus dolor, debere satisfacere postea in purgatorio. Neque obstat, quod ille cuperet jejunare, si superesset vita, et Deus acceptat voluntatem ubi non invenit facultatem; nam in isto invenitur facullas satisfaciendi, si non jejunando, certe patiendo

in purgatorio.

Ad lertium dico, animam purgatorii non timere, sed pati reipsa poenas; timor enim est futurorum, non praesentium: dico praeterea non repugnare perfectae charitati timorem poenae, alioqui Christus qui timuit poenas, et ex eo timore sanguinem sudavit. Luc. 22.non fuisset perfectus in charitate. Quod autem Joannes dicit: Perfecta charitas foras mittit timorem, non intelligitur de quocumque timore poenae, ut naturali vel filiali, sed de timore servili, idest, de timore culpae praecipue propter poenam; qui epim perfecte diligit, metuit offendere Deum, praecipue propter ipsum Deum, non propter poenam, quae sequitur offendentes Deum; alque ita perfecta charitas libera est ab illo metu servili, quo quis non audet peccare, ne damnetur, peccaturus si non timeret damari.

Ad quartum dico: Extra Deum non posse inveniri aliquid ita perfectum, quod non debeat dici imperfectum respectu perfectionis gioriae, tamen illud ipsum erit simpliciter perfectum: unde Paulus Philip. 3. dicit: Non quod jam perfectus sin; sequor autem si quo modo apprehendam. Et infra: Quicumque ergo perfecti sumus: ubi se perfectum dicit absolute, et tamen imperfectum, com-

paratione facta ad beatos.

Jam ad primum in confirmationem consequentine, dico: Animas purgatorii non esse in via, sed in termino, quantum ad gratiae augmentum; qui enim ad urbem aliquam tendit, et pervenit ad ejus portas nocturno tempore, dicitur jam pervenisse, et totam viam confecisse, licet portas inveniat clausas, et non possit ingredi, donec Sot oriatur. Praeteres quod Bernardus ait: In via Dei non progredi esse retrogredi, non debet accipi muthematice, sed moraliter; non enim vult dicere in quolibet opere nos mereri augmentum gratiae aut perdere aliquid gratiae, sed eos qui non dant operam, ut proficiant, facile impelli posse a diabolo, et mundo ad casum etc.

Ad secundum dico:In primis Paulum ad literam loqui de virtute Dei, quae dicitur perfici in infirmitate, quia tunc magis apparet Dei potentia, quo plura ei resistunt; habetur enim in graeco δήναμις μου, idest, virtus mea. Dico praeterea, virtutem etiam nostram perfici in tribulationibus, sed in hac vita tantum quoad verum augmentum virtutis, quia in hac vita tantum est locus merendi; at in futura dici posse perfici in purgatorio, non quod ei aliquid addatur, sed quod auferatur rubigo peccatorum; quomodo aurum in fornace fit lucidius, non quia illi aliquid additur, sed quia separatur a terra, et plumbo, et similibus.

Ad tertium dico: Falsissimum esse illud principium Lutheri in rebus permanentibus, solumque habere locum in successivis, alioqui res permanentes numquam essent eaedem, et sic Deus nunc non puniret in inferno Judam illum qui peccavit, sed alium quem postea creavit; nec remuneraret Petrum, qui meruit, sed alium quendam postea creatum. Quod autem dicitur, conservationem esse continuam creationem, est verum, sed intelligitur oreari illud idem, non augeri vel fieri aliud novum.

Ad quartum jam est responsum.

Secundum argumentum Lutheri; Animae in purgatorio continuo peccant; ergo sunt in statu merendi et demerendi. Probat antecedens: Animae illae horrent poenas, ac refugiunt, et requiem quaeruni, ergo peccant. Antecedens probat tum quia alioqui non punirentur, poena enim involuntaria esse debet, et amara, tum etiam, quia non deberemus precari illis requiem et liberationem a purgatorio, si amarent ipsae eas poenas.

Probat deinde consequentiam. Primo: Quia vere amanti omnes poenae dulcescunt, ergo animae illae dum refugiunt poenas non perfecte amant, proinde peccant. Secundo, quia dum refugiunt poenas, quaerant quae sua sunt, non honorem Dei. Tertio, quia Deum amant amore concupiscentiae, dum cupiunt ab eo liberari. Quarto, quia Christus dicit, quia non accipit crucem suam, non est me dignus, idest, qui non accipit sponte et libenter. At crux animarum purgatorium est; peccant igitur dum eam

crucem refugiont.

Respondeo: Animas in purgatorio horrere ac refugero poenas, et requiem quaerere, quatenus eas considerant ut malas et naturae contrarias, et tamen simul eas libenter admittere et tolerare, quatenus considerant ut instrumenta, per quae purgantur; quomodo aegrotus horret medicinani amaram, et tamen libenter sumit, quia per eam curari sperat, neque in hoc ullum peccatum esse potest. Nam Dominus qui peccare non potuit, horruit tamen poenas, et dixit: Pater transfer calicem hunca me, Matth. 26. et David clamat: Quoniam tribulor, velociter exaudi me, psalm. 68. Et de Petro Christus ait, Joan. ult. Cum senueris alius cinget le, et ducet quo tu non vis.

Denique s. Cyprianus ait lib.de mortalitate: Quis non tristia carere optet?quis non ad lactitiam venire festinet? Et b. Augustinus lib. 10. Confessionum c. 28. de poenis loquens: Tolerare eas jubes, non amare; nemo autem quod tolerat amat, quamvis tolerare amat.

Ad primum ergo, quo probatur consequentia, dico: Vere amanti non sic dulcescere poenas, ut cas non sentiat, sed sic, ut licet amaras, toleret tamen alacriter propter amatum, ut patet tum ex dictis, tum ex verbis s. Eleazari 2. Machab. 6: Tu scis, inquit, Domine, quia cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo labores: secundum animum vero propter timorem tuum libenter haec patior. Et hic fait communis affectus martyrum, qui revera sentiebant acerbissimos dolores, et tamen libenter eos ferebant, licet quibusdam Deus privilegio quodam sensum doloris abstulerit per affuentiam consolationis, ut scribit Ruffinus lib. 10. hist. cap. 36. de Theodoro.

Ad secundum dico: Eas non quaerere, quae sua sunt, sed honorem Dei; cupiunt enim cito liberari, ut possint magis, et melius Deum laudare.

Ad tertium dico: Eas amare Deum amore amicitiae, quia bonum suum referunt in Deum.

Ad quartum dico: Eas accipere crucem suam, quia libenter patiuntur, nec petunt liberari, nisi secundum Dei voluntatem, et per media, quae Deus instituit, et certe si essent vera quae dicit Lutherus, idest, animae illae si quaererent quae sua sunt, et amarent Deum amore concupiscentiae, nec vellent accipere crucem, non jam imperfectam charitatem, sed nullam haberent, et non in purgatorio, sed in inferno essent.

Argumentum tertium, quorundam catholicorum. Animae purgatorii habent omnia necessaria ad meritum; nam habent gratiam, fidem, spem ' charitatem, et liberum arbitrium, saltem quoad exercitium; cur igitur non merentur? Deinde beati mereri possunt, ut patet de Christo qui semper fuit beatus, et tamen merebatur, ergo multo magis animae purgatorii mereri poterunt. Item dives in inferno oravit pro se, et suis Lucae 16. ergo etiam animae purgatorii orare possunt, at ista oratio procedit sine dubio ex charitate, meretur igitur exaudiri. Denique idem confirmant auctoritate s. Thomae, qui in 4. dist. 21. quaest. 1. art. 3. ad 4. dicit, post hanc vitam non posse reperiri meritum respectu praemii essentialis, sed tantum respectu accidentalis.

Respondeo ad argumentum: Deesse ad meritum animabus purgatorii statum vitae; Deus enim. ut ex Scripturis manifeste probatur. solum pro tempore hujus vitae constituit acceptare bona opera ad meritum, vel demeritum. Post hanc vitam vero bona opera erunt effectus gloriae, et mala effectus damnationis.

Ad primam confirmationem dico: Christum simul fuisse comprehensorem et viatorem, et ideo qua parte viator erat, mercri poterat, unde post mortem suam, quia desiit esse viator, nihil amplius meruit.

Ad secundam dico: Si animae purgatorii prent pro se vel nobis, de quo inferius in quaestione de suffragiis disseremus, non mereri, sed solum impetrare ex meritis praeteritis, quomodo nune sancti orando pro nobis impetrant, licet non mereantur.

Ad tertiam confirmationem dico: S. Thomam mutasse sententiam; nam in quaest. 7. de malo artic. 11. diserte docet, in purgatorio nullum posse esse meritum nec essentialis, nec accidentalis praemii; quod idem docent Benaventura, Scotus, Durandus, et alii: fortasse etiam b. Thomas in 4. nomine meriti non proprie uti voluit, sed improprie; vocavit enim actum dilectionis in purgatorio meritorium remissionis culpae venialis, quia est remissorius, licet non per modum meriti proprie dicti, sed per modum contrarii tollentis suum contrarium.

#### CAPUT IV.

Animas in purgatorio certas esse de sua aeterna salute.

Tertia quaestio nunc tractanda est. Sintne in purgatorio animae certae de sua salute, an incertae. Lutherus art. 38. docet, non esse certas. Idem docent quidam catholici, qui existimant varias esse in purgatorio poenas, et unam esse omnium maximam, incertitudinem salutis, qua dicunt quasdam solum animas mulctari, quae licet revera certo salvandae sint, tamen ipsas hoc ignorare. Ita videtur sentire Dionysius Carthusianus ob quasdam visiones, quas ipse refert libro de quatuor novissimis art. 47. Idem docet Michäel Baii lib. 2. de merit. operum cap. 8. ubi probare volens peccatum veniale mereri ex natura sua mortem aeternam, adducit in argumentum, quia alioqui sequeretur animas in purgatorio certas esse de sua salute, quod absurdum ei esse videtur.

Denique idem videtur deduci ex sententia Gersonis lectione 1. de vita spirituali, et Joannis Roffensis contra articul. 32. Lutheri, qui admittunt veniale peccatum non esse tale, nisi ex misericordia Dei, ac proinde juste posse puniri in aeternum, si Deus velit. Hinc enim sequitur, animas, quae habent venialia peccata, non posse certo scire, an non punientur in aeternum, quamquam Roffensis in art. 38. Lutheri contendit, animas purgatorii esse certas de sua salute, quod non video quomodo cohaereat cum priore sententia.

At communis theologorum sententia est, omnes animas quae in purgatorio sunt, habere certitudinem suae salutis. Ut autem intelligatur quantam habeant certitudinem, notandum est, tres esse gradus certitudinis:

Primus est ille, qui excludit omnem spem et omnem timorem, et talis est beatorum, quibus beatitudo non est futura, sed praesens.

Secundus est ille, qui excludit omnem timorem, sed non omnem spem, et talis est in purgatorio; nam beatitudo est illis futura, non praesens, et ideo non tollit exspectationem; et cursum est ardua, quia per poenas ad eam pervenient, et ideo illorum exspectatio potest vocari spes, tamen non est contingens, sed necessaria, quia non possunt

amplius ab ea excidere, et ideo tollit omnem ti-

Tertius est ille, qui neque spem, neque timorem excludit, et dici potest conjecturalis certitudinis grades, et talis est noster; nobis enim beatitudo est bonum futurum non praesens, arduum non facile, contingens non necessarium vel impossibile, et ideo propriissime speramus et timemus, sumus enim adhuc in praelio, in stadio, in agone.

Nunc ostendamus rem ita esse. Si animae non haberent certitudinem salutis, id necessario fleret propter unam ex quatuor causis, vel quia adhuc possunt mereri et demereri, vel quia nondum sunt judicafae, vel quia ignorant sententiam judicis, licet lata sit, yel quia propter magnitudinem dolorum ita absorbetur et obscuratur earum judicium, ut non possint cogitare et videre hanc certitudinem: sed nihil horum habet locum; non primum, ut patuit; non secundum, quia licet judicium universale nondum sit factum, tamen praeter illud est particulare: quo judicantur animae statim a morte, ut theologi in quartum dist. 47. et b. Thomas 3. part. quaest. 59. art. 5. docent.

Adduci solent ad hoc judicium particulare probandum loca duo: Unus ex illo Jean. 5. Pater omne judicium dedit filio; cum enim dicit, omne judicium, videtur plura judicia significare. unum videlicel particulare et aliud universale. Alter ex illo Hebr. 9. Statutum est hominibus semel mori, et post hoc judicium. Sed illa loca non concludunt, uterque enim potest intelligi de judicio universali; nam Joan. 5. illud (omne) non necessario refertur ad duo judicia, particulare et generale, sed ad varios homines judicandos, et ad varia opera, de quibus judicandum erit, certe Augustinus exponit de ultimo judicio. Alterius autem loci ex capite 9. ad Hebr. sensus est, cum faerint mortui omnes homines, tunc fiet judicium, ut Oecumenius exponit.

Efficaciter tamen probatur juficium particulare ex illis verbis Eccles. 11. Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Item: In fine hominis denudatio operum illius. Et praeterea idem colligitur evidenter ex alia veritate; nam de fide est, mox a morte impios descendere ad aeterna supplicia, ut patet Luc. 16. de divite, et justos ad aeterna gaudia, ut patet Luc. 23. de latrone: Hodie mecum eris in paradiso. At non est ullo modo credibile prius distribui poesea et praemia, gaum fiel judicium.

nas et praemia, quam fiat judicium.

Deinde Patres idem docent. Cyprianus sermone de mortalitate, Gratulari, inquit, oportet, et temporis munus amplecti. quod dum nostram fidem firmiter promimus, et labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, praemium vitae et fidei ipso judicante capiamus. Chrysostomus hom. 37. in Matth. Postquam, inquit, diem tuum obieris, judicium et poena consequetur. In inferno enim, psalmista dicit, quis confitebitur tibi? Ubi etiamsi non additur statim, tamen necessario subintelligitur. Nam refellit Chrysostomus illorum errorem, qui putabant Christum post mortem praedicaturum, et ad poenitentiam adducturum defunctos.

Utitur autem hoc argumento; Post mortem sequitur judicium, et post judicium poena inferni, in inferno autem nemo potest confiteri Domino: igitur post mortem non est locus poenitentiae; quod si Chrysostomus non vellet dicere, statim a morte impios judicari, et trudi in infernum, sed differri haec omuia in idem novissimum, nihit valeret argumentum ejus. Responderetur enim, hoc medio tempore praedicari posse defunctis, dum judicium universale differtur. Augustinus lib. 2. de origine animae, cap. 4. Jam illud, inquit, rectissime, et valde salubriter credit, judicari animas cum de corporibus exierunt, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari.

His accedant exempla eorum, qui se judicatos testati sunt. Scribit b. Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 36. de quodam Stephano, qui cum esset mortuus, et judici oblatus, audivit judicem indicentem, non hunc sed Stephanum Ferrarium vocari jussi. Atque ita ille revixit, et simul Stephanus Ferrarius, qui in vicinia morabatur, obiit; cui simile narrat s. August. lib. de cura pro mortuis cap. 12. de quodam Curma. Addit autem Gregorius baec non sieri vero errore, sed ut per istum quasi errorem, qui mortuus fuerat, revivisceret, et narraret viventibus tormenta, et judicium quod manet impios post hanc vitam. Ibidem cap. 38. narrat exemplum de quodam Chrisorio, qui in articulo mortis positus, adhuc vivens vidit sententiam suae damnationis.

Duo similia narrat Beda lib. 5. hist. cap. 14. et 15. de duobus, qui desperantes mortui sunt, quia jam viderant judicium suum peractum, et sententiam latam. Simile narrat Joannes Chimacus in sua scala gra. 7. de quodam eremita, qui in articulo mortis audiebatur quasi in judicio positus respondere, accusationibus, et interdum dicere, falsum est, non feci: interdum feci, sed poenitentiam egi; interdum: verum dicitis, nec habeo quod respondeam.

Denique exstat memorabile exemplum in vita s. Brunonis, de quodam parisiensi doctore, qui in ipsa ecclesia, dum exequiae fierent, sublato capite ex feretro clamavit: Justo Dei judicio accusatus sum, et sequenti die iterum clamavit. justo Dei judicio judicatus sum, et tertio die justo Dei judicio damnatus sum. Est autem notandum circa haec exempla, tam judicium illorum, quod ante mortem peractum est, quam istius parisiensis, quod in triduum post mortem dilatum fuit, pertinere ad pa:ticularem quamdam, et extraordinariam providentiam. qua Deus utitur ad nos sive instruendos, sive terrendos, alioqui regulariter credendum est judicium fleri statim a morte; nam ordinarie tempus penitentiae utile durat usque ad extremum spiritum, ut aperte docet Leo epist. 90. ad Rusticum; nec est ratio cur post mortem retardetur judicium, cum Deus non egeat testibus, nec allegationibus, sed in instanti possit judicare. Diei posset etiam, et fortasse probabilius, in exemplis a Beda allatis judicium ante mortem non peractum, sed praeustensum tantum fuisse: in exemplo autem illius doctoris parisiensis, judicium non dilatum in al-

terum diem, sed solum altero die manifestatum.

Est etiam observandum, non posse certo definiri, an animae deferantur ad judicem, an ibi judicentur ubi corpus relinquunt, et similiter an judicentur immediate a Christo in forma humana sententiam proferente, an solum divina virtute, quae ubique praesens est, an vero per angelos sententia manifestetur. Quod enim Scripturae passim dicunt, Christum hominem esse judicem vivorum et mortuorum, intelligunt de novissimo generali judicio; nam etiam ante Christi incarnationem judicium particulare exercebatur; unde non solum non est certum, sed nec admodum probabile, quod Innocentius III. affirmat libr. 2. cap. ult. de contemptu mundi, Christum in forma crucifixi apparere omnibus morientibus, tam bonis, quam malis.

Quantum ad tertium, quod sententia judicis lateat animas quae judicantur, et falsum est, et impertinens; falsum quidem, quia judicium particulare praecipue fit ad hoc, ut innotescat sententia ei qui judicatur. Nam propter alios erit generale judicium; propter Deum non est necessarium judicium, ipse enim omnia novit, ergo solum fit, ut innotescat ipsi animae quae judicatur; et idem colligitur ex visionibus supra citatis. Est etiam impertinens, nam etiamsi non eis innotesceret sententia judicis, tamen facile possent per se cognoscere qualis sit, ab effectu, quia videbunt se statim in inferno, aut in coelo, aut in purgatorio.

At poterunt, inquies, dubitare, an sint in inferno, vel in purgatorio. Non its est; nam in inferno
blasphematur Deus; in purgatorio laudatur; in inferno non est fides infusa, neque ulla spes, aut
charitas Dei: in purgatorio haec omnia reperiuntur; ergo anima, quae videbit se sperare in Deo,
laudare et diligere Deum, evidenter, cognoscet se
in inferno non esse.

At poterit, inquiunt, metuere ne in infernum mittatur, licet ibi adhuc nen sit:sed neque hoc dici potest; nam eadem fides manet in illa, quam hic habuit; hic autem credidit secundum clarissima Scripturarum testimonia; post mortem non posse fieri ullos de bonis malos, nec de malis bonos, et nullum nisi malum in infernum esse mittendum; cum ergo videat, se diligere Deum, et proinde se esse bonam, non metuet damnationem.

Dices: Nos hic videmus nos diligere Deum, et tamen non sumus certi, an simus justi,ergo etiam animae illae non certo colligent ex dilectione sua justitiam suam.

Respondeo: Nos non videmus habitum charitatis infusum, quo justificamur, sed ex conjecturis fallibilibus colligimus eum in nobis esse, at animae separatae sicut seipsas perspicue intuentur, nec enim pendent ibi a phantasmatibus, ita etiam vident omnia quae in se habent, ac proinde vident, an habeant verum habitum charitatis, an non: praeterea sciunt animas esse immobiles tam in bono, quam in malo, ergo etiamsi non viderent habitum suum infusum charitatis, tamen scirent numquam se Deum blasphematuras, nec odio habituras, ac proinde numquam in infernum mittendas. Denique ex fide noverunt animas impiorum mox a morte

corporis detrudi in infernum, nec differri ulterius eorum supplicia, id enim omnes catholici credunt ex cap, 16. Lucae ergo animae quae se vident extra infernum, credunt firmiter se in eum numquam mittendas.

Quantum ad quartum, quod animae illae propter nimios dolores impediantur a cognitione sui status, et proinde putent se esse in inferno, et in quadam turbatione et desperatione versentur, ut Lutherus dicit, falsissimum est. Nam primo, anima divitis in inferno, Lucae 16. non impediebatur a cognitione sui status, quanto minus ergo impedientur animae, quae sunt in purgatorio?

Secundo, quod in hoc mundo impediantur homines a recto judicio ex intensione dolorum, provenit ex laesione organi corporei; at ibi est pura mens

spiritualis et incorruptibilis.

Tertio quia Ecclesia in canone missae dicit, Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, quae nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ubi Ecclesia orat pro animabus purgatorii; nam subdit, ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, tucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. At certe quae dormire dicuntur in somno pacis, non sunt anxiae, nec desperant, sed pottus habent admixtam cum summis cruciatibus incredibilem consolationem propter certam spem salutis.

Quarto, quia si crederent se damnatas, non peterent suffragia vivorum, nec dicerent se brevi liberandas si pro eis oretur, ut patet apud Gregorium lib. 4. dialogorum cap. 40. et exemplis allatis

in prima quaestione.

#### CAPUT V.

#### Solvuntur objectiones.

Objicient primo testimonia quaedam Scripturarum quibus utitur Ecclesia in officio defunctorum,
dum pro animabus. quae degent in purgatorio,
orare cupit. psalm. 6. Anima mea turbata est valde. Et ibidem: Sana animam meam, quoniam
conturbata sunt ossa mea. Et psalm. 114. Circumdederunt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me. Certo ista tanta perturbatio
et anxietas non potest nasci ex solis poenis, sed ex
incertitudine, et metu aeternae damnationis; nam
si animae illae perfectae essent in charitate, et certae essent de sua salute, non ita timerent, cum
scriptum sit proverb. 12. non contristabit justum
quidquid acciderit ei.

Respondeo: Stultum esse, ex co quod Ecolesia utitur aliquo psalmo in officio defunctorum, velle omnia verba ejus psalmi intelligere ad literam de defunctis; quomodo enim intelligemus de defunctis illa verba ejusdem 6. psalmi: Lavabo per singulas noctes lectum meum.lachrymis meis stratum meum rigabo? Itaque Ecclesia propter unam aut alteram sententiam.quae ad rem praesentem facit, votum aliquem locum Scripturae legere solet, etiamsi major, pars illius loci ad rem praesentem non faciat. Sic in dedicatione Ecclesiae legitur evangelium de Zachaeo, quia illa ultima verba: Hodie sa-

lus huic domui facta est, conveniunt aliquo modo dedicationi et consecrationi Ecclesiae: Sic in assumptione b. Virginis legitur evangelium de Martha et Magdalena propter illa verba: Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. Sic denique (ut omittam caetera) in officio defunctorum propter illa verba ps. 6. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Et propter illa psalm. 114. Placebo Domino in regione vivorum: leguntur integri illi psalmi.

Adde, quod falsum etiam est, quod in argumento assumitur, turbationem et tristitiam non nasci ex dolore, sed ex incertitudine aut desperatione salutis; nam Dominus ipse Joan. 12.cap. de se ait: Nunc anima mea turbata est. Et Matth. 26. Coepit contristari et mocstus esse, et tamen nec incertitudo, nec desperatio in Dominum cadere poterat. Locus autem proverbiorum non debet accipi de quavis tristitia, sed de tristitia dejiciente ac deprimente, quae mortem operatur, quam b. Paulus 2. Corinth. 7. vocat tristitiam hujus saeculi.

Altera objectio sumitur ex illa oratione, quae post evangelium in missa de mortuis recitatur: Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus,

ne cadant in obscurum etc.

Respondent aliqui: Ecclesiam orare pro agonizantibus, ne damnentur ad inferos; sed repugnat illud: Libera animas omnium fidelium defunctorum, non enim agonizantes dicuntur animae defunctorum. Deinde usus Ecclesiae habet, ut haec oratio dicatur eliam in anniversarils defunctorum pro iis animabus, quae ante multos annos migrarunt a corpore. Alii dicunt, hanc orationem fundi pro iis, qui sunt in gehenna, quas interdam liberari contingit, ut fertur de Trajano:sed, ut omittem improbabilem esse illam Trajani historiam, qui in gehenna sunt jam ceciderunt in obscurum, atque absorpti sunt a tarturo. Quid igitur pro illis Ecclesia orat ne cadant in obscurum, neve absorbeantur a tartaro? Deinde Ecclesia pro fidelibus tantum orat: Libera, inquit, animas fidelium defunctorum. Non autem sunt fideles, qui damnati sunt ad inferos.

Duae igitur solutiones atiae dari possunt. Una est, quod Ecclesia orat pro animabus, quae in purgatorio degunt, ne damnentur ad poenas gehennae sempiternas, non quidem quod certum non sit eas non damnandas ad eas poenas, sed quia vult Deus nos orare etiam pro iis rebus, quas certo accepturi sumus.

Sed adversus hanc responsionem objici potest, quia etsi Ecclesia interdum oret pro tis rebus, quas certo est acceptura, non tamen orat pro iis rebus, quas jam accepit: porro jam accepit ne animae illae damnentur, cum certam sententiam illae habuariat, et serurissimae sint. Deinde mens fide-

buerint, et securissimae sint. Deinde mens fidelium, qui pro defunctis orant vel orari cupiunt, certe eo fertur, ut animas illas juvent, et expediant

a praesentibus poents purgatorii.

Verum istae objectiones facile diluuntur; nam etsi animae purgatorii jam acceperint primam sententiam in judicio particulari, saque sententia liberae sint a gehenna: tamen adhuc superest judicium generale, in quo secundam sententiam accepturae sunt. Quocirca Ecclesia orans, ne in judicio extremo animae illae cadant in obseurum, neve absorbeantur a tartaro, non orat pro ea re quam accepit, sed pro ea, quae acceptura est.

Ad illud vero de intentione fidelium, respondeo, etiam illi intentioni satisfieri; nam in illa oratione utrumque petitur, nimirum, ut liberentur animae illae de poenis inferni, idest, purgatorii, quas in praesenti patiuntur, et postea liberentur a sententia damnationis in extremo judicio ferenda.

Altera solutio est, quod Ecclesia vere orat quantum ad intectionem suam, ut animae liberentur a poenis purgatorii, tamen utitur eo modo loquendi, quasi animae tunc migrarent a corpore, et in periculo essent aeternae salutis, quia commemorat, et repraesentat diem depositionis sive obitus. Ut enim in celebritatibus festorum incarnationis, natalis, apparitionis, passionis, resurrectionis et ascensionis Domini Ecclesia ita orat, ac si tunc deberet Christus, vel incarnari, vel nasci etc. quia repraesentat illa mysteria ut praesentia, et tamen non intendit ad literam precari, ut Verbum carnem asaumat, aut nascatur de Virgine etc, sed ut nobis applicetur fructus eorum mysteriorum: ita quoque in sacrificio pro defunctis, quia commemoratur dies obitus illorum, Ecclesia ila pro illis orat, ac si tunc morerentur; et tamen intendit orare, ut liberentur ab inferno eo modo, quo liberari possunt, idest, ut non delineantur diutius ia illis poenis, vel ut refrigerium aliquod doloribus misceatur. Denique quomodo non est absurdum, nunc post mille et quingentos annos in adventu Domini dicere: Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem: et alia mulla id genus, ita non est absurdum pro defunctis dicere: Libera eas de ore leonis, ne cadant in obscurum elc.

#### CAPUT VI.

#### De loco purgatorii.

Sequitor quaestio quarta: Ubi sit purgatorium? De qua quaestione nihil Ecclesia definivit; sunt autem multae opiniones.

Prima quorundem qui putant ibi animas purgarii, ubi peccaverunt, idest, variis in locis, et quidem quod variis in locis animae purgentur, satis probabiliter colligitur ex Gregorio lib. 4. dialogorum cap. 40. et cap. 55. qui resert animam Paschasii, et cujusdam alterius in balneis quibusdam purgatas. Nec non ex epist. Petri Damiani de miraculis sui temporis, ubi describit visionem de purgatione animae s. Severini in quodam flumine. At quod omnes ibi puniantur, ubi peccaverunt, non est probabile; nem contingit aliquem in multis locis peccasse, nec est verisimile in omnibus illis purgandum. Praeterea visiones praedictae contrarium ostendunt; nam Paschasius diaconus peccaverat Romae in electione pontificis, purgabatur autem in thermis puteolanis, et s. Severinus pecca-verat in palatio imperatoris, et purgabatur in flumine.

Secunda opinio, loca animarum non esse corporalia: ita Augustinua lib. 12. de Gen. cap. 33. sed retractavit lib. 2. retract. cap. 24.

Tertia. loca poenalia animarum esse hunc mundum, in quo animae manent in corpore tamquam in carcere, Hanc refert, et refellit Irenaeus in fine libri 5. nam Scriptura dicit, animas post hanc vitam descendere in infernum, ut patet Lucae 16. et alibi.

Quarta, infernum et purgatorium animae, nihil esse aliud praeter conscientiam accusantem et punientem peccata: ita Phile in libro de congressu quaerendae eruditionis gratia, et Origenes, ut refert Hieronymus in epist. ad Avitum. Hase refellitur; nam si ista opinio esset vera, non minus essemus nunc in inferno vel purgatorio, quam post mortem.

Quinta est. infernum, et proinde purgalorium (sunt enim loca vicina) fore in valle Josaphat. Ita refert Chrysostomus sensisse veteres aliquos hom. de praemiis beatorum, tomo 3. Similem sententiam refert Gregorius lib. 4. dialogorum cap. 42. forte argumentum istorum fuit, quia Christus passim infernum vocat gehennam, gehenna autem est vallis quaedem adeo conjuncta cum valle Josaphat, ut para ejus esse videatur, de quo nomine infra dice-

Sexta opinio est, infernum esse statum animae extra corpus; nam dum est in corpore in luce versatur, ut ex operibus apparet: cum de corpore exit, nihil amplius videre potest nisi beata sit, et istae sunt tenebrae exteriores:ita refert Theophilactus in capit, 16. Luc.

Septima est locum poenalem animarum non esse terram, sed aërem istum caliginosum ubi doemones versantur: ita Gregorius nyssenus in lib. de anima et resurrectione, et Chrysostomus homilia de praemiis bealorum, et Auctor operis imperfecti in Matthaeum hom. 53. cui sententiae favet historia s. Fursaei apud Bedam lib. 3. historiae Auglorum cap. 19. illo enim defuncto cum ab angelis in coelum deduceretur, ostensi sunt maximi ignes supra aërem, qui servabantur (ut angelus dicebat) ad mundi conflagrationam, et interim examinabantur ibi hominum opera.

Octava est communis scholasticorum, purgatorium esse intra viscera terrae inferno ipsi vicinum. Constituunt enim scholastici communi consensu intra terram quatuor sinus, sive unum in quatuor partes divisum, unum pro damnatis, alterum pro purgandis, tertium pro infantibus sine baptismo obeuntibus quartum pro justis, qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet: Quorum sufficientia sumitur penes genera poenarum, sunt enim haec omnia loca poenalia; omnis autem poena, aut est tantum damni, aut etiam sensus; et rursus aut aeterna, aut temporalis: pro poena ergo solius damni aeterna, est lymbus puerorum; pro poena solius damni temporali, erat lymbus Patrum; pro poena damni, et sensus aeterna, est infernus; pro poena damni et sensus temporali, est purgatorium.

Quia vero bacc omnia sabulas esse Calvinus dicit lib. 2. Instit. cap. 46. § 9. et similiter discipu-

lus ejus Beza in cap. 2. Actor. et magister ejus Bucerus in cap. 27. Matth. de singulis probandum est. Ac Primum, quod intra viscera terrae sit locus aliquis animarum, qui generali vocabulo vocatur infernus, demonstratum est a nobis lib. 4.de Christo cap. 9. inde petat lector si velit plene cogno-

scere, quae ad hunc locum pertinent.

Porro ad argumenta, quae tunc attulimus, accedant variae eruptiones ignis, quae in terra apparent, quas non temere b. Gregorius putat esse indicia quaedam inferni, intra viscera terrae existentis lib.

4. dialogorum cap. 35. nam in eodem lib. cap. 30. scribit se certa relatione cognovisse, eadem ipsa hora, qua obiit rex Theodoricus arianus, visam fuisse animam ejus jactari in foveam Vulcani, quae est in Sicilia, et Laurentius Surius in historia anni 1537. scribit circa montem Heelam insulae Islandiae, unde erumpunt flammae, et audiuntur quaedam quasi tonitrua horribilia, saepe apparere animas, quae dicant se mitti ad illum montem. Hanc de inferis in genere.

Nunc de singulis locis. Ac primum quod infernus damnatorum sit in profundissimis terrae partibus, probatur primo, quia intra viscera terrae est infernus, ut jam probavimus, sed Luc. 16. anima divitis Epulonis dicitur fuisse in inferno, et non solum in inferno, sed etiam in loco profundissimo, quandoquidem ut videret Lazarum, qui etiam tunc erat in locis subterraneis, sursum versus aspicere debuit. Praeterea ratio ipsa dictat, ut si locus beatorum est in summo coelo, locus damnatorum sit in loco remotissimo a coelo, nihil autem remotius

Deinde, quod purgatorium sit etiam sub terra, et inferno damnatorum vicinum, probatur primo ex illis verbis Actor. 2. Solutis doloribus inferni, quae intelliguntur ab Augustino epist. 99. de poenis purgatorii, unde etiam Ecclesia in missa de defunctis dicit: Libera animas defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu. Secundo, id contirmatur ex visione, quam refert Beda lib. 5. cap. 43. historiae, ubi aperte visum est purgatorium inferno damnatorum contiguum. Denique. theologi fere omnes docent eodem in loco esse, et eodem igne torqueri damnatos, et animas purgatorii.

Quod autem lyabus puerorum sit in inferno, probatur; nam conchium florentinum sessione ultima, diserte definit tam eos qui moriuntur cum peccato mortali, quam eos qui cum solo originali, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendos; et b. Augustinus lib. 4. de baptismo parvulorum cap. 28. et lib. 5. hypognostici dicit, fluem catholicam non nosse nisi duo loca, ubi homines sint futuri perpetuo; coelum beatorum, et infernum damnatorum. Est tamen communis opinio scholasticorum, lymbum puerorum esse in loco inferni alttore, quam sit purgatorium, ita ut ad eum ignis non perveniat; quam sequutus est Innocentius III. cap. Majores, extra de baptismo: sed de hac re alibi disputandum est.

Quod denique lymbus Patrum sit in inferno, sed in parte suprema, probatum est satis accurate in lib. 4. de Christo cap. 10. unum solum argumentum repetemus, quod in co loco nimis breviter tractatum fuit. Igitur lib. 1. Reg. cap. 28. anima Samuelis de locis subterrancis ascendere visa est: Vidi, inquit pythonissa, Deos ascendentes de terra.

Respondebunt adversarii illum non fuisse vere Samuelem, sed diabolum in forma ejus, ut docent Tertullianus lib. de anima prope tinem. Auctor quaestionum apud Justinum quaest. 52. et auctor quaestionum veteris Testamenti quaest. 27. apud Augustinum, et auctor librorum de mirabilibus sacrae Scripturae lib. 2. cap. 11. Procopius et Eucherius in hunc locum libri Regum, et Isidorus lib. 8. etymologiar. cap. 9. qui his rationibus moventur.

Primo: quia non est credibile Samuelem subjectum fuisse pythonissae, nec etiam sponte venisse; quia artem magicam confirmasset. Secundo: Quia Samuel non se adorari passus fuisset, utilla umbra fecit. Tertio: Quia non dixisset Sauli: Crastu et filit tui mecum eritis. Nec enim Saulis anima ad lymbum Patrum, sed ad gehennam descensuraerat. Quarto: Quia Deus negavit Sauli responsum per prophetas, per oracula et per somnia, ut in eo capite dicitur, ergo non est credibile responsurum

postea fuisse per pythonissam.

At his non obstantibus, tenendum est, vere Samuelis animam fuisse eam, quae apparuit, et proinde vehementer confirmari sententiam nostram de loco subterraneo animarum. Nam in primis auctores citati sunt omnes aut incerti, aut obscuri; at qui contrarium docent, certi et clarissimi sunt, nimirum Josephus lib. 6. antiq. cap. 15. Justinus in dialogo cum Triphone ultra medium. Basilius epistol. 80. ad Eustathium medicum. Ambrosius in cap. 1. Lucae. Hieronymus in cap. 7. Isaiae, et Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 15. Neque obstat quod Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quaest. 3. dubitaveri, an fuerit illa anima, nec ne; nam librum de cura pro mortuis scripsit posterius, et re diligentius considerata. Praeter hos veteres idem docent recentiores in hunc locum. Lyranus. Abulensis, Dionysius Carthusianus et Cajetanus.

Sunt eliam pro hac sententia fortissimae rationes: Prima: Quia Scriptura perpetuo vocat Samuelem, eum, qui apparuit: Cum vidisset, inquit. mulier Samuelem. Et rursum: Dixit Samuel ad Saul; et, intellexit ergo Saul quod Samuel esset. At certe non diceret, intellexit, sed cogitavit, vel putavit, si id non esset verum.

Secunda: Quia Eccles. 46. ponitur in laudibus Samuelis quod mortuus prophetaverit et annunciaverit regi quae ventura erant. At quaenam laus est quod diabolus alicujus speciem assumat et decipiat?et hoc est argumentum propter quod Augustinus lib. de cura pro mortuis asserit, vere fuisse Samuelem illum, qui apparuit, cujus testimonii non meminerat cum scriberet ad Simplicianum.

Terlia: Quia praedixít Sauli futura, quae diabolus scire non poterat, nimirum sequenti die eum cum filiis periturum, exercitum dissipandum, Davidem regnaturum etc.

Ultimo: Quia rationes contrariae nihil concludunt.

Ad Primum dico: Samuelem non venisse jussu pythonissae, sed jussu Dei, et potius impedivisse quam confirmasse artem magicam. Praevenit enim Samuel adventu suo effectum incantationis; et contrario modo ascendit atque alii soleaní, qui per incantationem excitantur: et haec est caussa cur pythonissa turbata fuerit, et sibi impositum diceret. Si enim verum est, quod rabbini scribunt, umbrae mortuorum, quae vi magicae artis evocantur, rapite deorsum verso ascendunt: Samuel autem recta figura ascendit, ita ut primum caput, deinde pectus, postremo pedes e terra emergere visi sint.

Ad Secundum dico: Illam adorationem non fuisse latriam, sed reverentiam debitam animae Samuelis.

Ad Tertium dico: Illud: Mecum eritis, non significare, in sinu Abrahae eritis, sed mecum eritis sub terra, idest, mortui eritis; nam cum inter filios Saulis esset etiam Jonathas justus, non erant descensuri ad eundem locum Saul et Jonathas, el tamen Samuel dicit in genere: Mecum eritis.

Ad Quartum dico: Deum se iratum Sauli ostendere voluisse, idque fecisse tam non respondendo quando interrogabatur, quam respondendo quando non interrogabatur; utrumque enim est signum irae. Adde, quod cum Saul interrogabat Deum, si Deus respondisset, potuisset Saul declinare bellum, et poenam sibi a Deo paratam; at cum interrogavit pythonissam, jam erant omnia parata, et acies instructae, et in conspectu positae, ut nullo modo praelium detrectari posset. Tunc ergo Deus, ut magis puriret Saulem, praedixit ei per prophetam interitum suum, et filiorum, et totius exercitus.

Habemus igitur, purgatorium, infernum ac lymbos Patrum et puerorum, loca subterranea esse.

#### × CAPUT VU.

Sitne post hanc vitam aliquis locus pro animalus justis praeter coelum et purgatorium.

De praedictis receptaculis subterraneis animarum, duo quaedam a theologis tractari solent, quae hic breviter inserere placuit, plenioris doctrinae caussa. Primo, quaerunt, an praeter haec loca sit aliquis alius locus, ubi retineantur animae antequam ad regnum coelorum perveniant. Secundo,

an ex his locis egressi possint.

Quantum ad Primum: Difficultas est satis magna, quia ex una parte omnes theologi docent, non esse alia receptacula praeter quatuor numerata, et concilium florentinum sess. ult. definit. animas, quae nihil purgandum habent, mox recipi in coelum. Ex altera parte narrat Beda lib. 5. hist. cap. 13. visionem valde probabilem. cui ipse fidem adhibere non dubitavit. Fuit autem in illa ostensum cuidam animae, quae ad corpus postea rediit, praeter infernum et purgatorium, et regnum coelorum, quoddam quasi pratum florentissimum, lucidissimum, odoralum, amoenum, in quo degebant animae quae nibil patiebantur, sed tamen ibi manebant, quia aondum idoneae erant visioni beatae: cui revela-

BELLARMINI, Vol. II.

tioni multas alias conformes adducit Dionysius carthusianus in dialogo de Judicio particulari art. 31. et Ludovicus Blosius Monili spirituali cap. 43.

Videtur mihi dicendum, non esse improbabile talem aliquem locum reperiri, caeterum ejusmodi locum ad purgatorium pertinere. Etsi enim ibi nulla sit poena sensus, tamen est poena damni: poena autem non convenit nisi animae, quae nondum plene purgata est, ilaque erit locus ille mitissimum purgatorium, et quasi carcer quidam senatorius, atque honoratus.

Hoc tamen addendum est, animas, quae in eo loco morantur, non solum carere beatitudine, sed etiam affligi, ac torqueri ex illa dilatione beatitudinis. Dixi autem, mihi non videri improbabile talem aliquem Locum reperiri, quia s. Thomas in 4. sent. dist. 21. quaest. 1. art. 1. scribit, in iis quae de purgatorio determinata non sunt ab Ecclesia. standum esse iis quae sunt magis conformia dictis ct revelationibus sanctorum. Movit me etiam auctoritas Joann. de Turrecremata doctissimi atque optimi cardinalis, qui in prologo, qui preemittitur Revelationibus s. Birgittae, cum diligenter expendisset eas revelationes, assirmare non dubitavit s.Birgittae convenire id, quod dicitur Judith. 8. omnia quae loquuta es, vera sunt, et non est in sermonibus tuis ulla reprehensio. Scribit autem s. Birgitta lib. 4. cap. 124. animam quandam in purgatorio nullam aliam poenam habuisse, nisi dolorem ex desiderio dilatae felicitatis.

#### CAPUT VIII.

Num ex receptaculis suis animae defunctorum egredi valeant.

Alterius autem quaestionis triplex esse potest sensus. Primus, an possint exire numquam rediturae, quia nimirum transferantur de uno receptaculo ad aliud. Secundus, an possint exire. ut rursum redeant ad suum locum. Tertius, an possint ita egredi, ut hic nobiscum iterum vivant.

Quantum ad primum sensum, facile responderi potest, ex inferno damnatorum, lymboque puerorum non dari regressum; ex purgatorio, lymboque Patrum dari; sunt enim animae impiorum damnatae ad perpetuos carceres et ignes gehennee. et similiter animae puerorum ad perpetuum exHium et tenebras. Animae autem sanctorum Patrum damnatae erant ad exilium temporale, et animae purgalorii ad carceres temporales. Ratio est, quia caussa carceris, vel exilii damnatorum est culpa mortalis actualis, vel originalis, quae numquam remittetur: caussa autem exilii Patrum fuit debitum temporale contractum ex peccato primi parentis; ille enim suo peccato coelum clauserat, quod aperiri non potuit, nisi Christi sanguine reipsa effuso; caussa vero purgatorii est reatus temporalis poenae, quae necessario finem habet.

Contra hoc tamen est auctoritas Joannis Damasceni, qui in oratione de mortuis dicit, orationibus s. Theclae liberatam de inferno animam Falconillae cujusdam foeminae paganae. et orationibus s. Gregorii papae animam Trajani imperatoris.

Digitized by Google

Respondeo: Si haec historia defendi debeat. oportere dicere, Trajanum non fuisse damnatum absolute ad inferos, sed solum punitum in inferno secundum praesentia ejus demerita, et suspensam sententiam propter praevisas b. Gregorii preces;et praeterea non immediate ex inferno ad coelum transisse, sed prius corpori unitum, et lunc baptizatum, et poeniteutiam in hac vita egisse. Ista enim est communis solutio b. Thomae, Durandi, Richardi, et aliorum in 4. dist. 45. Quia tamen Trajanum resurrexisse, sine teste dicitur, nec enim ullus veterum hujus rei meminit, et repugnat hoc sententiae Damasceni, qui satis aperte docet de inferno ad coelum transisse, non autem ad hanc vitam rediisse Trajanum, et si poenitentiam egit, in inferno illam egisse: Cum tamen solius Damasceni auctoritate nitantur auctores citati. ideo magis propendeo in sententiam Melchioris Cani, qui lib. 11. de locis, cap. 2. simpliciter improbat hanc historiam ut confictam, et Dominici a Soto, qui in 4. dist. 45. quaest. 2.art. 2. dicit, hanc historiam sibi creditu durissimam esse, non obstante apologia Alphonsi Ciaconis, pro hac historia ante hoc triennium edita. Rationes autem, quibus moveor, sunt quatuor.

Prima: Quia quotquot hanc historiam admiserunt, id fecerunt propter Damasceni auctoritatem; at librum illum non esse Damasceni, facile probari potest; nam in eo libro auctor non solum dicit Trajanum et Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum coelorum transivisse, sed ctiam multos alios, qui in infernum descenderant, quia fide divina caruerint, a Christo conversos, et salvatos quando ad inferos descendit: quod et per se erroneum est, et contrarium verbis Damasceni lib. 2. de fide, c. 4. ubi dicit hominibus id esse mortem, quod fuit

angelis casus.

Secunda ratio est: Quia nullus auctor latinus historiae ejus meminit, ut Paulus diaconus, Anastasius bibliothecarius, Marianus Scotus, Ado, ac ne ipse quidem Beda, qui beati Gregorii studiosissimus fuit. Immo in ipsa romana Ecclesia, et ejus archiviis nulla hujus rei memoria exstabat, quando Joannes diaconus vitam beati Gregorii scripsit. Ipse enim vitam beati Gregorii ex archiviis romanis diligentissime collegit, et tamen lib. 2. cap. 44. dicit, hanc historiam de Trajano repertam in Ecclesia quadam anglorum, nec fidem certam illi habitam a Romanis.

Tertia, quia b. Gregor. lib. 34. mor. c. 13. alias 16. diserte docet, non posse orari pro infidelibus defunctis, quemadmodum nec pro diabolo, quandoquidem in eadem aeterna, et irrevocabili damnatione sunt; Quomodo ergo credibile est eum id secisse? Respondet Abulensis quaest. 57. in 4 .lib. Regum, ideo Gregorium peccasse mortaliter orando pro Trajano. Sed absurdissimum est et fere blasphemum.cum constet Gregorium virum fuisse non modo sanctissimum, verum etiam prudentissimum. Deinde si peccavit mortaliter orando, quomodo fuit exauditus? Num Deus placatur, quando offenditur? Respondet Cicconus, non peccasse Gregorium orande, sed meruisse potius, quia licet ordinarie non liceat orare pro damnatis, tamen licet ex peculiari instinctu divino.

At contra. Eadem historia refert Gregorium propter hoc peccatum punitum fuisse perpetuo dolore stomachi et pedum. Respondet ipse: Hunc dolorem non datum Gregorio in poenam, sed ne elatio illi subreperet. At contra; nam Petrus diaconus, quem ipse citat ex libro quodam bibliothecae vaticanae, dicit, Gregorio ab angelo dictum fuisse, quoad quia praesumpserat hoc petere, laboraret usque ad mortem dolore etc. ergo in poenam peccati, nam praesumptio peccatum est.

Quarta ratio est, quia argumenta Ciaconis non concludunt; ipse enim nititur praecipue his testibus. Primo, testimonio Petri et Joannis diaconorum Gregorii, quoad exstare dicit in bibliotheca vaticana. Secundo, testimonio innominati auctoris, qui scripsit vitam b. Gregorii, quae praeponitur operibus ejus impressis Basileae anno 1564. qui auctor videtur vixisse tempore insius Gregorii. Tertio, testimonio Damasceni. Quarto, testimonio Joannis diaconi, lib. 2. cap. 44. vitae b. Gregorii. Quinto, testimonio b. Thomae. Sexto, testimonio s. Birgit-

tae. Septimo, testimonio Mechtildis.

Primum testimonium mihi valde suspectum est; nam si illud esset vere Petri diaconi, non diceret Joannes diaconus, historiam banc non exstare in romana Ecclesia, sed solum apud Anglos. Praeterea iste Petrus dicit, Gregorium a Deo petivisse,ut quotquot sepelirentur in ecclesia s. Andreae in clivo Scauri, non possent damnari, dummodo fidem tenuerint christianam, et impetravisse. At certe Gregorius vir prudentissimus numquam ita orasset; nam vel intelligit de fide informi, vel de formata; si de informi, ergo voluisset salvari homines morientes sine charitate, quod quis credat? si de formata, non erat opus id petere; nam ubicumque sepeliatur, qui moritur cum charitate, damnari non potest. Adde, quod totum illud fragmentum redolet novitatem, et proinde supposititium videtur:vocat enim Gregorium divum, quod nomen eo tempore erat inusitatum. Item anteponit cardinales episcopis; quod repugnat Joanni diacono, qui in vita s. Gregorii scribit, ex cardinalibus consuevisse promoveri a Gregorio multos ad episcopatum, ut ad gradum alliorem, alia quoque habet non pauca si-

Secundum testimonium nihil novi adfert; auctor enim ille sine nomine non vixit tempore s. Gregorii, sed posteriore tempore; redegit enim in compendium vitam s. Gregorii, quam seripserat fusis-

sime Joannes diaconus.

Tertium testimonium jam est rejectum.

Quartum est contra ipsum Ciaconum; nam Joannes diaconus dicit, animam Trajani non esse liberatam de inferno, sed solum id obtinuisse, ut in inferno existens non pateretur poenam ignis, Ciaconus autem vult eam in coelo beatam.

Quintum est etiam contra ipsum, nam b. Thomas ubi ex professo hoc tractat, nimirum in 4. dist. 45. quaest. 2. probabilissimum putat animam Trajani liberatam solum a poenis inferni usque ad diem judicii, ac deinceps cruciandam cum caetoris.

Sextum est valde obscurum; nam s. Birgitta non dicit Trajanum' esse salvum, sed solum elevatum

ad gradum altiorem, ubi indicat in inferno aliquid salutis recepisse.

Septimum est expresse contra ipsum; nam Mechtildis dicit, se petivisse a Domino quid egerit cum animabus Sampsonis. Salomonis, Origenis et Trajani, et responsum esse, Deum velle esse omnibus incognitum, quid sua liberalites cum illis egerit. Si ergo Deus vult esse incognitum, non est credendum auctoribus, qui asserunt Trajanum esse in coelo. Adde, quod Deus in hac revelatione conjungit Trajanum cum Origene: At in Prato spirituali, quod citatur a VII. synodo, et a Joanne diacono lib. 2. cap. 45. vitae b. Gregorii, narratur alia revelatio, qua Origenes visus est in gehenna ignis cum Ario et Nestorio, et V. synodus cap. 11. dicit anathema Origeni sicut Ario, Nestorio, et caeteris haereticis.

Quantum ad secundum, quidam existimant animas non posse unquam de suis receptaculis egredi, sed omnes apparitiones esse daemonum, qui fingunt se esse animas de purgatorio exeuntes, et suffragia postulantes. Ita Tertullianus lib. de anima circa fin. et auctor quaestionum ad Antiochum quaest. 11. et 13. idem videntur dicere Chrysostomus homil. 29. in Matth. et homil. 2. et 4. de Lazaro, et Theophylactus in cap. 8. Matth. quamquam hi duo, si bene legantur, non dicunt, nullo modo posse animas egredi ad nos, sed non posse egredi pro arbitrio suo, nec verti in daemones, nec vagari inter nos more daemonum. Haeretici hujus temporis omnes apparitiones animarum rident, tamquam daemonum illusiones, praecipue Magdeburgenses.

Verissima tamen est Augustini sententia, lib. de cura pro mortuis, cap. 15.et 16. nimiae impudentiae esse negare animas interdum ad nos redire Deo jubente, vel permittente. Habemus, enim testimonia gravissimorum auctorum, de regressu animarum ex omnibus receptaculis, praeterquam ex lymbo puerorum. Nam quod ex coelo animae beatae ad nos aliquando veniant, sunt exempla certissima apud Eusebium lib. 6. histor. cap. 5. Augustinum de cura pro mortuis. cap. 16. Sulpitium in vita Martini. Paulinum in vita Ambrosii. Theodoretum lib. 5. histor. cap. 24. Gregorium lib. 3. dialogor. cap. 24. et 25. et in VII. synodo, act. 4.

Quod ex lymbo Patrum apparuerint animae probat Augustinus lib. de cura pro mortuis, c. 15. et 16. ex lib. 1. Regum, cap. 28. ubi Samuelis anima apparuit Sauli, et ex Matth. 17. ubi Moyses apparuit cum Helia in monte Thabor; quamvis enim Hilarius in hunc locum, et Ambrosius lib. 1. de Cain, cap. 2. dicunt, Moysem adhuc vivere, tamen contrarium expresse habetur Deuteron. ult. et Josue 1.

Quod ex purgatorio apparuerint, sunt exempla apud Gregorium lib. 4. dialogor. cap. 40. et 53. et alios auctores supra citatos. Quod denique ex inferno, probat multis exemplis auctor librorum de proprietatibus apum, et idem apparet ex illa apparitione doctoris parisiensis in vita b. Brunonis; qui post triduum a morte, dixit se condemnatum. Credibile est, animam illam mox a morte in infernum descendisse, sed tamen ter apparuisse, et primo, manifestasse suam accusationem. Secundo, suum ju-

dicium. Tertio, suam damnationem, ut hoc modo pluribus innotesceret hoc exemplum.

Quantum ad tertium, quod aliqui ex purgatorio vel lymbo Patrum fuerint ad vitam revocati, nulli dubium esse potest. Nam mortui, quos excitarunt Helias, Helisaeus, dominus Christus. et Petrus, et Paulus, cum fideles fuerint.creduntur fuisse in purgatorio, aut in lymbo:Neque ullum sequitur inconveniens, si ex his locis aliqui resurgant, siquidem hoc nihil aliud est, quam mutare illis exilium, vel carcerem.

Dices: at jam erant certi de sua salute, et per resurrectionem flent incerti. Respondet bene Abulensis quaest. 57. in 4. Regum, omnes eos qui ex purgatorio aut lymbo Patrum in vitam revocati fuerunt, sine dubio confirmatos fuisse in gratia, ut nullo modo perire potuerint, quia alioqui injuria illis facta faisset.

Quod autem ex coelo, aut inferno dampatorum revocari possent ad vitam, videretur incredibile, nisi exstarent exempla, quae negari non possunt. Nam b. Gregorius lib. 1. dialogor. cap. 9. scribit, a s. Fortunato excitatum fuisse Marcellum quemdam virum sanctum.qui ab angelis in optimum locum ductus fuerat. Et cap. 12. scribit, a s. Severo excitatum quemdam virum pessimum, qui a daemonibus in infernum deducebatur. Egesippus scribit lib. 3. cap.2.b.Petrum excitasse affinem quemdam Caesaris ethnicum a morte. Nec dubitari potest, quin apostoli aliquos ethnicos excitarint. Maximus serm. 2: de sancta Agnete, dicit, ab ea excitatum filium praesecti.qui in peecato mortali obierat. Et Evodius libro 1. de miraculis s. Stephani, dicit, puerulum mortuum ante beptismum, ad reliquias s. Stephani excitatum.

Dico igitur, beatos jam existentes non posse revocari ad vitam. Siquidem beatitudo includit certitudinem de non amittenda unquam felicitate, ut b. Augustinus docet de corrept. et gratia, cap. 10. et ratio est manifesta, quia beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus; non habet autem omnia bona, qui non habet illam certitudinem. Si igitur aliqui sancti viri redierunt ad corpus, non fuerunt beati, sed Deus praevidens eorum excitationem, distulit eorum beatificationem, et interim detinuit eos in optimo aliquo loco, ut accidit Marcello illi, de quo Gregorius loquitur.

De damnatis similiter dico, damnatum absolute ad poenas aeternas, non posse revocari ad vitam, quoniam alioqui fleret incerta impiorum damna!io; et sane b. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei, cap. 24. nimiae praesumptionis esse dicit asserere, eos non mansuros perpetuo in igne, quibus veritas dicit: Ite in ignem aeternum. Dicit autem hoc veritas omnibus, quos damnat tam in particulari, quam in universali judicio. Praeterea nullus esset damnatorum, qui non posset sperare salutem, et pro quo non possemus orare. Nunc enim non oramus pro infidelibus damnatis, quia secundum fidem credimus eos non posse salvari; at si possunt saltem ex privilegio salvari, certe pro illis orandum esset, sicut in hoc mundo oramus pro obstinati in malo, ut Deus det illis gratiam efficacem, quae certe non datur, nisi ex privilegio.

Xi.

Sed objicit Abulensis quaest. 57. in 4. lib. Regum. ei, qui excitatur ab inferno damnatorum, non remittitur neque culpa, neque poena per ipsam excitationem.neque aliud miraculum hic necessarium est, quam simplex mortui resuscitatio, ergo fieri potest, ut tales redeant. Respondeo: Non remitti culpam, neque poenam, sed dari beneficium aequivalens, quia ponitur in statu, in quo poterit a culpa et poena liberari : ex quo sequuntur omnia absurda supra dicta, quod non erit certa impiorum damnatio:quod illi sperare poterunt:quod licebit pro eis orare.

Ad illa exempla, quae adferuntur, respondet Sotus in 4. dist. 45. quaest. 2. art. 2. omnes ethnicos, quos apostoli excitarunt, laborasse ignorantia invincibili fidei, et proinde in purgatorio fu-

At quid respondebit Sotus Ambrosio, qui serm. 90. et Maximo, qui serm. 2. dicunt, beatam Agnetem excitasse filium praefecti, quem diabolus necaverat, cum voluisset ipsam virginem sanctam stuprare? Igitur dico, eos qui sunt excitati, cum mererentur poenas aeternas non fuisse damnatos, sed suspensam eorum sententiam, et interim punitos secundum praesentem justitiam, ut b. Thomas docet in 4. sentent. dist. 45. quaest. 2. artic. 2.quomodo etiam respondet Richardus, Durandus et alii ibidem.

#### CAPUT IX.

De tempore quo durat purgatorium.

Jam vero de tempore, quo purgatorium permanebit, duo sunt errores extremi. Primus error est Origenis, qui extendit tempora purgatorii ultra diem resurrectionis; ita enim habet homil.14.in Lucam: Ego puto, inquit, quod et post resurrectionem ex mortuis indigeamus sacrumento eluente nos, alque purganle, nemo enim absque sordibus resurgere poterit. Hic tamen est error exploratus; nam b. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei, cap. 16. Purgatorias poenas, inquit, nullas futuras opinetur, nisi ante illud ullimum, tremendumque judicium. Et ratio est, quia Dominus Matth. 25. in judicio solum duos ordines hominum dicit futuros. unum beatorum, alterum damnatorum.

Dices: Anima non peccavit sola, sed simul cum corpore, igitur simul cum corpore purgari debet; proinde post resurrectionem homines purgabuntur. Respondeo: si argumentum concluderet, probaret etiam, animam separatam non posse puniri in inferno, nec voluptatibus in coelo frui, contra evangelium Lucae 16. Crucior in hac flamma.Et Lucae 23. Hodie mecum eris in paradiso.

Dico igitur: Merito puniri animam etiam solam, quia ipsa est subjectum et caussa efficiens peccati; nam sunt quaedam opera hominum, quae non possunt fieri, nisi a toto composito, nec recipi, nisi in tolum compositum, ut illa omnia quae fiunt a potentiis organicis, ut loqui, videre, audire etc. et talia dissoluto composito non inveniuntur amplius; et si quidem tale esset peccalum, argumentum plane concluderet: At non ita est; peccatum enim est actus liberi arbitrii, et ideo a sola voluntate proprie fieri dicitur, et in sola voluntate formaliter invenitur: dissoluto ergo homine, peccatum integre, et solum reperitur in voluntate, et per illam in anima, non autem in carne mortua. Ibi autem puniri vel purgari debet, ubi invenitur.

Adde etiam, quod caro suo modo quoque punitur; nam, ut anima separata punitur poena damni, quia caret visione Dei, et poena sensus, quia torquetur igne; ita caro punitur poena damni, quia caret vita et poena sensus, licet improprie, quia paulatim putrefit, et in cineres redigitur. Tamen prior solutio est melior; nam etiam corpora sanctorum haec patiuntur, qui tamen purgatione non

egent.

Alter error est Lutheri, qui e contrario nimis breve efficit purgatorium. Vult enim; omnes peccati reliquias dolore mortis purgari in iis, qui in fide moriuntur, et ideo nullum aliud esse purgatorium, praeter mortem. Hic error facile refelli potest; nam per reliquias peccatorum, vel intelligitur fomes, vel mali habitus contracti, vel reatus poenae temporalis. Et peccata venialia; haec enim sola et omnia remanere possunt in homine justificato ex iis, quae ad peccatum pertinent, et proinde reliquiae peccatorum dici possunt. Ac primum, fomes tollitur quidem in morte, quia tune extinguitur sensualitas, sed non propter fomitem nos purgatorium constituimus; alioqui etiam pueri baptizati morientes, deberent purgatorias poenas pati, cum baptismus eis non abstulerit fomitem. At Augustinus lib. 21. de Civit. Dei, cap. 16. diserte docet, ejusmodi pueros nullas pati purgatorias poenas. Mali autem habitus, qui in voluntate existunt, non necessario extinguuntur per mortem, quando, quidem sunt in potentiis quae organo non sunt alligatae, ut patet. Nec tamen propter hujusmodi habitus constituimus purgatorium; nam alioqui sequeretur, adultos, qui post multos malos habitus contractos baptizantur, et statim moriuntur, vel certe pro Christo occiduntur, non posse salvari, nisi per purgatorium, quia nec baptismus, nec martyrium dissolvit ejusmodi habitus. Videmus enim baptizatos adhuc habere easdem malas propensiones, quas antea habebant, et oportere eos paulatim actibus contrariis ejusmodi habitus tol-

Credibile igitur est, omnes istos habitus tolli per primum actum contrarium animae separatae, quem statim a separatione elicit. Etsi enim hic non possit uno actu destrui habitus contractus per multos actus, tamen ibi poterit, quia actus ille muito vehementior erit; cum anima tunc sit potentior quantum ad actus spirituales nec habeat fomitem contrarium et resistentem, ut his habet.

Restat ergo reatus poenae, et peccata venialia, quae proprie dici possunt reliquiae peccatorum, ob quas est purgatorium. Has autem reliquias aliquando certum est in morte purgari, aliquando certum est non purgari, aliquando dubium est quid flat, et probabilissimum est, partim purgari, partim non purgari.

Probo singula. Ac primum quidem . quia mors violenta pro Christo suscepta, quae dicitor martyrium, sine dubio purgat omnes hujusmodi reliquias. Cyprianus enim lib. 4. epist.2. clare dicit, peccata omnia passione purgari; et quod non loquatur de culpis mortalibus, patet, quia ibidem dicit, sine charitate nec martyrium quidquam prodesse; quod ante Cyprianum docuerat b. Paulus in priori epist. ad Corinth. cap. 13. Itaque Ecclesia numquam orat pro martyribus, quia, ut Augustinus dicit, serm. 17. de verbis apostoli: Injuria est orare pro martyre, cujus nos debemus potius orationibus commendari.

Secundum probo: Nam qui moriuntur inviti, vel sine usu rationis, ut amentes et dormientes, et quos repentini casus opprimunt, non possunt ea morte ullo modo purgari; nam vel ipsa mors per se absolute purgat, vel ratione alicujus voluntarii actus ipsam concomitantis. Non primum, quia mors secundum se est quid naturale, saltem post primi parentis peccatum; unde communis est bonis et malis, immo hominibus et jumentis; at per naturalia, quae necessario eveniunt, non meremur, nec demeremur, nec possumus dissolvere debita voluntarie contracta. Igitur si mors purgat, id fit ratione voluntarii actus concomitantis; at nos loquimur hoc loco de illis, qui sine ullo ejusmodi açlu moriuntur. Praeterea, videmus saepe optimos viros pati mortem durissimam, et minus benos levissimam; at si in morte deberent purgari reliquiae peccatorum, necessario contrarium fieri deberet.

Tertium probo: Nam multi sunt, qui aequo animo mortem tolerant propter sua peccata, quorum patientia sine dubio juvat ad satisfaciendum, sed utrum aequivaleant debita contracta per peccata,

nemo certo scire potest.

Praeter hos errores fuit opinio Dominici a Soto, in 4. sentent. dist. 19. q. 3. art. 2. neminem in purgatorio manere ad decem annos; et ratio ejus est, quia si hic in terris aliquibus poenis brevi tempore liberari possumus ab omni poena; quare non multo citius in purgatorio, cum illae poenae sint poenae in infinitum graviores, et intensiores istis? Praeterea, hic sunt prolixae poenae, quia non possunt esse multum intensae, nam subjectum destruerent; at post hanc vitem possunt esse intensissimae, quia subjectum est incorruptibile: ergo credibile est, Deum illas animas ad gloriam anhelantes, brevissimo tempore per intensissimas poenas purgare. Sed istae rationes non concludunt.

Ad primum diei potest: Hic esse tempus miseri-

cordiae, illic justitiae.

Ad secundum dico: Deum posse compensare extensionem intensione, sed nolle, alioqui sequeretur, animas non manere in purgatorio ad unam horam, quia potest Deus augendo intensionem redigere poenas decem annorum ad unam horam.

Praeterea, repugnant huic sententiae probatissimae visiones sanctorum. Scribit enim Beda lib. 5. histor. cap. 13. cuidam ostensas fuisse purgatorii poenas, dictumque illi esse, animas quae in purgatorio degunt, salvandas omnes in die judicii, licet aliquae orationibus et eleemosynis viventium, et praecipue altaris sacrificio, juventur, ut etiam ante diem judicii liberentur. Ubi clare indicat, aliquos jam defunctos usque ad diem judicii mansuros in

purgatorio. Similes visiones multas afferre possemus ex Dionysio carthusiano, et ex aliis.

Repugnat etiam Ecclesiae consueludo, quae anniversaria sacra celebrat pro defunctis, etiamsi constet eos ante centum vel ducentos annos esse mortuos, quod certe non fleret, si Ecclesia crederet, non puniri animas ultra decem annos. Res igitur est incertissima, et non nisi temere definiri potest.

#### CAPUT X.

#### Qualis sit purgatorii poena.

De poena purgatorii quaedam sunt certa, et quaedam dubia. Primo, certum est, purgatorii poenam non esse desperationem et metum gehennae, ut Lutherus sentit; id enim jam refutatum est.

Secundo, certum est etiam, unam purgatorii poenam esse carentiam divinae visionis; non enim possunt animae illae non dolere, quod videant se propter suas culpas impediri a fruitione summi

boni, quae vocatur poena damni.

Certum est tertio, praeter hanc poenam esse etiam aliquam aliam poenam, quam theologi vocant poenam sensus, quae consistit in aliquo dolore proveniente aliunde, quam ex carentia visionis Dei. Ut enim qui peccat avertit se a summo bono, et convertit inordinate ad creaturas, ita postea puniri debet non solum carentia summi boni, sed etiam afflictione inflicta ab aliquo alio ereato objecto.

Certum est quarto, in purgatorio, sicut etiam in inferno, esse poenam ignis, sive iste ignis accipiatur proprie, sive metaphorice, et sive significet poenam sensus, sive damni, ut quidam volunt. Quod enim aliquis ignis sit in purgatorio et inferno, patet tum ex illis verbis b. Pauli, 1. Corinth. 3. Salvus erit quasi per ignem. Et Matth. 25. Ite in ignem aeternum, ium ex testimoniis Patrum citatis in primo libro; omnes enim ignem appellabant purgatorii poenam.

His certis positis, et in quibus omnes conventunt, dubium est, Primo: An ille ignis sit proprie dictus ignis, an metaphorice? Secundo, si sit proprie dictus, quomodo possit agere in animas separatas? Tertio, a quibus ministrentur istae poenae, a daemonibus ne, an ab angelis bonis, an per se agant? Quarto, an ista poena sit major omnibus poenis hujus vitae?

#### CAPUT XI.

#### Ignem purgatorii esse corporeum.

Quantum ad primum, communis sententia theologorum est, verum et proprium esse ignem, et ejusdem speciei cum nostro elementari. Quae sententia non est quidem de fide, quia nusquam ab Ecclesia definita est; immo in concilio florentino Graeci aperte professi fuerant, se non ponere ignem in purgatorio, et tamen in definitionem facta sessione ult. definitur. purgatorium esse, nulla mentione ignis habita. Tamen est sententia probabilis sima. Primo: Propter consensum scholasticorum, qui

Secundo: Propter Gregorii auctoritatem, lib. 4. dialogor. cap. 29. ubi diserte asserit, ignem, quo puniuntur animae, esse corporeum. Neque obstat, quod lib. 15. cap. 14. moralium, dicit, ignem geliennae esse incorporeum; est enim mendum scriptorum, qui posuerunt incorporeum pro corporeum, ut patet ex sequentibus, dicit enim statim corporaliter urere.

Tertio: Propter Augustinum.qui in eandem sententiam propendet, lib. 21. cap. 10. de Civit. Dei.

Quarto: Quia in Scriptura passim poena impiorum vocatur ignis; et regula theologorum est, ut verba Scripturarum accipiantur proprie, quando nihil absurdi sequitur.

Quinto: Quia corpora damnatorum punientur igne post resurrectionem, ut patet Matth. 25. Ite in ignem aeternum; at corpora non possunt uri, nisi igne corporeo. Est autem idem ignis corporum damnatorum, et spirituum corpore vacantium; nam ibidem dicitur: Qui paratus est diabolo et angelis ejus.

Sexto: Quia Sapient. 11. dicitur: Per quae peccat quis, per haec et torquetur; sed homines peccant saepe sensibilia oblectamenta inordinate cupiendo: ergo puniri debent sensibilibus objectis; ignis igitur quo puniuntur, sensibilis est.

Septimo: Id confirmatur ex eruptionibus ignis in monte Aethna, aliisque locis, de quibus diximus cap. 6.

#### CAPUT XII.

# Sciri non posse, quomodo ignis corporeus animas ural.

De secundo, verissima sententia est, non posse in haec vita sciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream; id enim ingenue confitetur Durandus in 4. dist. 44. quaest. ult.et ante Durandum b. Augustinus lib. 21. de Civit. Dei c. 10.ubi dicit, animas torqueri ab igne miris, sed veris modis; et b. Gregorius cum lib. 4. dialogor. c. 29.dicit, ex igne visibili invisibilem poenam animas trahere; vocat enim invisibilem poenam, quia occulta et incognita est nobis. Sed licet non sciamus quomodo id fiat, posse tamen fieri, docet Augustinus ex alio simili; videmus enim animam incorpoream uniri corpori humano, et ei vitam dare, et cum illo simul gaudere et pati, cum tamen modus hujus unionis sit plane ineffabilis? Quis capiat, quomodo spiritus sit forma corporis, cum inter corpus et spiritum nulla sit proprio? Sicut ergo potuit uniri spiritus carni, ut illi vitam communicaret, ita potest uniri spiritus igni, ut ab illo poenam trahat, licet modus utriusque unionis sit prorsus incognitus.

#### CAPUT XIII.

# An in purgatorio torqueantur animae a daemonibus.

De tertio dubio res est omnino incerta; nam quod non lorqueantur a daemonibus, nec ab angelis, sed a solo igne, docent scholastici, ut s. Thomas in 4. dist. 20. artic. 5. et rationem reddunt, quia omnes animae purgatorii in ultimo conflictu diabolum superarunt, ideo non decet justitiam divinam, ut sinat eas ab hoste devicto vexari. Deinde, hic in terris etiam perfectos viros daemones vexant, quia sperant se posse eos ad peccatum pertrahere; at animas purgatorii sciunt in gratia confirmatas, non posse eadere, et vexationem illis necessario profuturam ad celeriorem purgationem, non igitur credibile est, daemonum opera animas illas cruciari.

Ex altera parte, quod a daemonibus torqueantur animae purgatorii, docent multae revelationes, ut illa h. Fursaei apud Bedam lib. 3. histor. cap. 19. et apud Dionysium carthusianum lib. de quatuor novissimis, et lib. 1. vitae beati Bernardi, cap. 10. Maneat igitur et hoc inter secreta, quae suo tempore nobis aperientur.

#### CAPUT XIV.

#### De gravitate poenarum.

De quarío, poenas purgalerii esse alrocissimas, et cum illis nullas poenas hujus vitae comparandas docent constanter Patres. Augustin. in psal. 37. Quamvis, inquit, salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis. quam quid quid potest homo pati in hac vita. Gregorius in psalm. 3. poenitentialem: Illum, inquit. transitorium ignem omni tribulatione praesenti existimo intolerabiliorem. Beda in eundem psalmum dicit, nulla esse supplicia martyrum, ver latronum cum illis purgatoriis poenis conferenda. Idem habet b. Anselmus in 1. Corinth. 3. et b. Bernardus serm. de obitu Humberti.

Idem probant omnes revelationes, quae apud Bedam lib. 3. et 5. historiae, apud s. Birgittam, apud Dionysium carthusianum, et in vita Christinae mirabiles habentur.

Idem probat ratio, saltem de poena sensus; nam tam ad dolorem, quam ad gaudium tria concurrunt, potentia, objectum et conjunctio unius cum altero. Jam quantum ad potentiam, sine comparatione capacior est doloris potentia rationalis, quam animalis; nam quantum ad apprehensionem, intellectus est veluti fons, sensus veluti rivulus; quantum ad appetitum, voluntas est veluti fons, appetitus inferior est veluti rivulus; cum ergo anima ipsa nuda immediate torqueatur, maximus debet esse ille dolor ex parte patientis; nunc enim non tam anima, quam corpus torquetur, et per corpus aliquis etiam dolor ad animam transit.

Quantum ad objectum, si ibi est verus ignis, erit emnino acerrimus, cum ad hoc solum sit institutus, ut sit instrumentum justitiae divinae; si non sit ignis verus, erit aliquid multo horribilius, quale Deus parare potuit, qui potentiam suam in hoc ostendere voluit.

Quantum ad conjunctionem, maxima erit; nam hic ubi sunt omnia corporalia, non fit conjunctio, nisi per contractum extremitatum, et superficierum, at ibi animam ipsam intime poena illa penetrabit.

Quamvis autem aliquo modo omnes admittant, poenas purgaterii esse majores poenis hujus vitae, tamen dubium est, quomodo hoc intelligatur, nam b. Thomas in 4. dist. 20. quaest. 1. art. 2. docet duo. Primo, poenam damni esse maximam poenarum, tam quae in purgatorio, quam quae in hac vita reperiri possint. Secundo, dicit minimam poenam purgatorii esse majorem maxima poena hujus vitae.

Primum probat, quia sicut possessio desiderati boni gignit gaudium, ita absentia desiderati boni gignit dolorem: Sed bonum, quod animae purgatorii desiderant, est summum, et desiderium etiam est maximum, intellectus enim clarius cognoscit, quam magnum bonum sit videre Deum, et appetitus tum naturalis, tum etiam infusae charitatis exerit vires, et intensissimus est, nec impeditur a mole corporea, et sensibilibus delectationibus; ut in hac vita exempla dari possunt, ut si quis vehementissima fame vexaretur, vel arderet siti intolerabili, et videret ante se mensam instructam optimis cibis, dulcissimoque vino, nec posset quidquam attingere, et tamen sciret alioqui sibi parata illa omnia fuisse.

Probat deinde Secundum s. Thomas, quia omnis qui in purgatorio degit, cruciatur saltem hac poena damni, quae est omnium maxima: ergo minima poena purgatorii est major quam sit maxima poena hujus vitae.

At b. Bonaventura in 4. dist. 20. art. 1. quaest. 2. docet, Primo, poenam damni in purgatorio non esse majorem omni poena, sive purgatorii, sive hujus vitae. Secundo docet, purgatorii poenas esse majores poenis hujus vitae, solum in hoc sensu, quia maxima poena purgatorii est major, quam sit maxima poena hujus vitae, licet aliqua poena purgatorii reperiatur minor aliqua poena hujus vitae. Quae sententia mihi placet; nam licet absentia summi boni ex se generet in amante summam tristitiam, tamen in purgatorio mitigatur haec tristitia, et levatur magna ex parte propter certam spem illius boni acquirendi; ista enim certissima spes affert incredibile gaudium, et quo magis propinquat finis illius exilii, tanto magis gaudium crescit. Itaque solum in inferno poena damni est summa, quia est annexa desperationi certissimae, et de hac loquitur Chrysostom. homil. 24.in Matth. cum mille gehennas dicit nihil esse, si conferantur cum amissione divini conspectus; et Augustinus, qui in enchirid. cap. 112. dioit, minimam poenam damni, si tamen aeterna sit, majorem esse omnibus poenis hojus vitae.

Dices: At damnati non diligunt Deum, ergo non cupiunt videre. Respondeo: Non diligunt Deum propter Deum, sed tamen propter seipsos coguntur conspectum ejus ardentissime diligere, quia intelligunt in visione Dei consistere suum summum bonum.

Confirmatur hoc argumentum. Primo, quia si poena damni esset gravissima etiam in purgatorio, se queretur, Patres in lymbo passos fuisse gravissimam poenam: quod adeo falsum est, ut Luc. 16.

dicat Abraham diviti damnato de Lazaro: Tu cruciaris, hic vero consolatur. Et b. Augustinus epist. 99. negat, posse intelligi de sanctis Patribus illud Act. 2. Solutis doloribus inferni, quia nimirum non in doloribus, sed in requie illos Christus invenerit. Et b. Gregorius lib. 13. moral. cap. 22. dicit, Patres in inferno non tormenta ulla, sed requiem habuisse.

Confirmatur secundo, quia Augustinus, Gregorius, Beda, Anselmus et Bernardus, cum dicunt, poenam purgatorii esse majorem omni poena hujus vitae, diserte loquuntur de poena ignis per quam intelligunt omnes poenam sensus, non damni.

Alterum dictum Bonaventurae, probatur Primo: Quia ex certis revelationibus constat, aliquorum poenam esse tam exiguam, ut nihil pati videantur, quales sunt illi, qui albis vestibus induti, visi sunt in locis amoenis et lucidis, apud Bedam lib. 5. historiar, cap. 13.

Secundo probatur: Quia potest fieri, ut quis moriatur, nullum debitum secum ferens, nisi unius verbi otiosi: at incredibile videretur, propter unum solum otiosum verbum pati debere aliquem supplicia graviora omnibus poenis hujus vitae.

Tertio: Quia licet sit quaestio: An poenae purgatorii semper crucient aeque graviter, ab initio usque ad finem purgationis; an vero paulatim minuantur, donec finem accipiant; tamen probabilior sententia est, paulatim remitti; hinc autem sequitur, non quamlibet purgatorii poenam esse majorem maxima poena hujus vitae; Nam poena illa purgatorii, quae est prope finem, debet esse adeo remissa, ut amplius remitti non possit, hic autem poenae inveniuntur intensissimae, quae plurimum remitti possunt.

Quod autem poena purgatorii paulatim remittatur, probatur; nam s. Bernardus in vita s. Malachiae scribit, oranti Malachiae pro sorore defuncta, ipsam defunctam ter apparuisse. Primo, in veste nigra, et extra ecclesiam. Secundo, in veste subfusca, et intra lumen ecclesiae. Tertio, in veste alba, et ad ipsum altare cum caeteris sanctis. Ex quibus ipse intellexit, animam sororis paulatim remittentibus se poenis ad finem purgationis venisse. Et similes multae visiones adferri possent.

#### CAPUT XV.

Suffragia Ecclesiae defunctis prodesse.

Quattor explicanda sunt de suffragiis defunctorum. Primum, an suffragia vivorum prosint defunctis. Secundum, quot sint genera suffragiorum. Tertium, a quibus fieri possint. Quartum, quibus prosint.

De primo, haeretici hujus temporis omnes, et alii veteres, quos citavimus initio hujus disputationis, negant, prodesse defunctis vivorum suffragia. Quod autem prosint, probari potest Scripturis, conciliis, Patribus, et apparitionibus animarum, quae omnia peti debent ex prima quaestione. Quibus addenda est ratio, quam tunc non attulimus, quia praesupponebat purgatorium esse, quod nondum erat demonstratum.

Ratio est Petri Cluniacensis in epist. contra Petrobrusianos: Ecclesia tota est unum corpus, cujus caput est Christus, ergo debet habere communicationem tam capitis cum membris, quam membrorum inter se; nam, ut dicitur 1. Corinth. 12. pro invicem sollicita sunt membra, et si quid patitur unum membrum.compatiuntur omnia membra. Sed justi defuncti sunt membra hujus corporis; nam sunt colligati nobiscum et cum Deo in fide, spe et charitate. Unde b. Augustinus lib. 20. de Civit. Dei, cap. 9. Neque enim, inquit, piorum animae defunctorum ab Ecclesia separantur, quae est regnum Christi; igitur viventes possunt ac debent juvare defunctos, ut membra ejusdem corporis.

Praeterea Christus qui caput est, profuit vivens in terris viventibus, mortuus mortuis, vivens mortuis et mortuus viventibus, ergo etiam decet, ut membra inter se ita agant, ut justi viventes viventibus, mortui mortuis, viventes mortuis et mortui viventibus prosint. Ac primum, quod Christus vivens profuerit viventibus, patet, quia remisit pec-cata Magdalenae, Luc. 7. Paralytico Matth. 9. Zacchaeo Luc. 19. Petro Luc. 22. Latroni Luc. 23.curavit etiam corporaliter plurimos, ut dicitur Marc. 1. Actor. 10. et alibi. Quod mortuus mortuis, patet; nam descendens ad inferos, solvit plurimos a doloribus inferni, ut dicitur Actor. 2.et simul aperuit sepulchra, et multa corpora sanctorum excitavit, Matth. 27. Quod vivens mortuis, patet; nam puellam in domo, adoléscentem in via. Lazarum in sepulchro mortuos revocavil ad vilam, Matth.9.Lucae 7. Joan. 11. Quod denique mortuus vivis, patet; nam morte sua vitam nobis aeternam promeruit, et nunc in coelo semper interpellat pro nobis, et advocatum nostrum agit, Heb. 7. et 1. Joan. 2.

Probatur tertio et ultimo; nam ex quatuor membris divisionis, tria sunt certe manifesta, ergo et quartum debet habere locum; nam quod viventes juventur a viventibus, nemo negat, cum videamus doceri, instrui, pasci verbo et sacramentis alios ab aliis. Et Jacobus dicit cap. 3. Orate pro invicem ut salvemini.

Quod etiam mortui mortuis prosint, patet; nam Helisaeus mortuus mortuum alium suscitavit . 4. Regum 13.et Abraham mortuus in sinum suum Lazarum mortuum recepit, Luc. 16. Nec ulli dubium esse debet, quin sanctorum defunctorum animae cum Christo regnantes, orent pro sanctorum animabus in purgatorio laborantibus, cujus contrarium temere asserit Dominicus a Soto lib.4.sentent. dist. 45. q. 3. art. 2. nam praeter Petrum Cluniacensem loco notato,b. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 4. ad hoc dicit prodesse mortuis sepulturam in basilicis martyrum, ut qui recordatur mortui, simul recordetur martyris, et ejus precibus mortui animam commendet, et Ecclesia tota in illa oratione: Deus veniae largitor etc. supplicat Deo, ut b. Maria intercedente, et omnibus sanctis, animas defunctorum ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedet.

Quod autem mortui prosint viventibus, patet; nam 2. Machab. 45. legimus, Oniam et Hieremiam jamdudum defunctos, visos fuisse orare pro populo Judaeorum viventium. Porro beneficia exhibita a sanctis defunctis, hominibus hic viventibus, innumerabilia et certissima sunt. Vide Augustinum lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. et Theodoretum in lib. de martyribus. Non est incredibile, etiam animas purgatorii pro nobis orare et impetrare, quandoquidem anima Paschasii et s. Severini miracula operabantur, etiamsi in purgatorio degerent, ut patet ex Gregorio lib: 4 dialogorum, cap. 40. et Petro Damiano in epist. de miraculis sui temporis.

Et quamquam s. Thomas in 2. 2. quaest. 83. art. 11. ad 3. contrarium docet, tamen ratio ejus non convincit; nam si animae illae non orant pro nobis, vel caussa est, quia non vident Deum, vel quia sunt in maximis tormentis, vel quia sunt nobis inferiores, sed nihil horum dici potest. Non primum, quia tempore veteris Testamenti orabant sancti defuncti pro vivis, ut patet ex 2. Machabaeor. ult. cum tamen nec illi viderent Deum.

Non secundum, quia dives in inferno orabat pro fratribus suis, Luc. 16. cum esset tamen in majoribus tormentis, quam sint animae in purgatorio. Praeterea martyres in hoc mundo in tormentis constituti orabant pro se, et aliis, ut patet de s. Stephano Act. 7. Item dolor animabus non perturbat ullo modo judicium rationis, nec impedit affectum bonum voluntatis; ista enim nobis accidunt ratione corporalium organorum, quibus illae carent. Denique, non videtur dubium, quin pro seipsis orent, non obstantibus tormentis.

Non etiam tertium, quia in hoc mundo nos oramus pro episcopis et summis pontificibus, qui sunt nobis superiores, et etiam oramus pro illis, quos non dubitamus nobis esse sanctiores, sicut orabant Christiani olim pro apostolo Paulo, qui eorum orationes petebat, Rom. 15. et alibi.

Praeterea, animae purgatorii etiamsi nobis sunt inferiores ratione poenarum, tamen superiores sunt ratione gratiae et charitatis, in qua jam confirmatae sunt; oratio autem, quae ex charitate procedit, banc polissimum superioritatem requirit, si ullam requirit.; ergo probabile est eas pro nobis orare. Sed quamquam haec vera sint, tamen superfluum videtur ab eis ordinarie petere, ut pro nobis orent; quia non possunt ordinarie cognoscere quid agamus in particulari, sed solum in genere sciunt nos in multis periculis versari, sicut nos de illis solum in genere scimus eas valde torqueri; nam nec rebus nostris intersunt, ut probat b. Augustinus libro de cura pro mortuis, cap. 13.nec in Deo orationes nostras vident, cum non sint beatae; nec est verisimile eis revelari ordinarie, quid agamus, vel petamus. Si ergo vivi prosunt vivis, mortui mortuis. mortui vivis, cur non etiam prodesse poterunt vivi mortuis?

Scperest arguments solvere, quae restant. praeter ea, quae fecimus in prima et secunda quaestione. Argumentum primum, Eccles. 9. Viventes sciunt se morituros: mortui autem nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, nec partem in hoc saeculo in opere, quod sub sole geritur.

Respondeo: Loquitur Sapiens de bonis hujus vitae, et vult dicere, mortuos non scire quid agatur de rebus, quas hic reliquerunt, nec posse illis uti propria actione, ut comedendo, bibendo, elecmosynas faciendo etc. Ideo sequitur: Vade ergo, et comede in laetitia. Non tamen bine concluditur,

quin a nobis juvari possint.

Secundo, objicit Calvinus praesatione institutionis Ambrosium, qui lib. 1. de Abraham, cap. 9. Docemus, inquit, ut non diulius inhaereamus mortuis, sed quantum satis est officii, deferamus. Hoc non faciunt, inquit Calvinus. qui perpetuam

de mortuis sollicitudinem gerunt.

Respondeo: Ambrosium hie agere de luctu et pompa funeris, quam merito vult esse moderatum. Quod autem non prohibeat solhcitudinem orandi pro defunctis, patet ex oratione ipsius de obilu Valentiniani junioris; nam in fine alloquens Gratianum et Valentinianum defunctos, ait: Beati ambo, si quid meae orationes valebunt, nulla dies vos silentio praeteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, omnibus vos oblationibus frequentabo.

Tertio, objiciunt Hieronymum, qui in cap. 6.ad Galakexponens illud: Unusquisque onus suum portabil: Docemur, inquit, per hanc sententiolam novum dogma, quod latitat: dum in praesenti sacculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadjuvari: cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Job, non Daniel nec Noe rogare posse pro quoquam, sed unumquemque portare onus suum. Hoec autem Hieronymi sententia ab Ecclesia approbata videtur, quippe quae in decretum Gratiani, can. In praesenti. 13. g. 2. jamdudum relata est.

Respondeo: Hieronymum loqui de iis, qui mortaliter peccant, et sine poenitentia moriuntur, ut Gratianus annotavit. Vel dicendum, Hieronymum lequi de novissimo judicio, quando cessante purgatorio, cessabunt etiam suffragia, et solum judicis vllima sententia executioni mandabitur. Quod ita sit Hieronymus intelligendus, patet ex libro ipsius contra Vigilantium, ubi graviter accusat Vigilantium, quod dixisset, posse nos orare pro invicem dum vivimus, post mortem autem nullius pro alte-

ro orationem audiendam.

Quarto, ita ratiocinantur: Melius est per se, quam per alium satisfacere; chions enim beatur, qui per alium, quam qui per se satisfacit: ergo non debemus orare pro defunctis, ne illis gloriam minuamus.

Respondeo:In hac vita melius est per se satisfacere, quam per alium, quia dum satisfacimus, simul meremur gratiae et gloriae augmentum; at in ourgatorio, ubi animae non possunt mereri, non 31 melius satisfacere per se, quam per alium.

Quinto: Nescimus, inquiunt, ubi defuncti nostri sint, et saepe dum putamus eos in purgatorio esse, lli sunt in inferno, vel etiam in coelo, ergo fru-

stra oramus.

Respondet Augustinus lib. de cura pro mortuis; cap. ult. melius esse, ut supersint suffragia iis, qui non egent, quam ut desint iis, qui egent; sicut benefacimus injustis in hoc mundo, ne praetereantur Justi. Adde, quod opus bonum numquam est frustra; nam est meritorium facienti, etiamsi nihil prodesset ei, pro quo fit.

BELLARMINI, Vol. II.

Sexto, Dei justitia reddit mala pro malis, bona pro bonis, sed nemo patitur pro culpa alterius, quia non portabit pater iniquitatem filii, Ezechielis 18. nemo igitur debet frui bonis alienis.

Respondeo: Neminem pro culpa alterius puniri, nisi particeps sit ejusdem culpae, vel consensu, vel imitatione. De talibus enim dicitur Exod. 20. Deus punit peccata patrum in filiis in tertiam et quartam generationem; quod intelligitur, quando filii imitantur parentes, ut exponit Hieronymus in cap. 18. Ezechiel. Augustinus in psalm. 108. Chrysostomus hom. 29. in Genes. et Gregorius lib.25. moral. c. 22. ita ergo non est absurdum, aliquem frui bonis alterius, si cum utriusque consensu et voluntate fiat, ut hoc loco; nam animae purgatorii cupiunt juvari, et nos volumus eas juvare; praeterea punire unum pro alio, injustitia est; at acceplare bona unius pro altero, misericordia et liberalitas est.

#### CAPUT XVI.

### Quot sint genera suffragiorum.

Quantum ad secundum, tria sunt genera suffragiorum. Sacrificium missae, oratio et opera quaelibet poenalia et satisfactoria, ut eleemosyna, jejunia, peregrinationes et similia. Porro distinguimus orationem ab operibus satisfactoriis, cum tamen etiam ipsa sit satisfactoria, quia oratio duobus modis juvat defunctorum animas; uno modo, ut opus quoddam poenale et laboriosum, et hoc modo poterat comprehendi sub opere satisfactorio; alio modo juvat, ut est impetratoria, quod est ipsi orationi proprium; quomodo etiam beatorum orationes prosant nobis, et animabus purgatorii, licet satisfactoriae non sint.

Ad haec juvantur etiam defuncti indulgentiis.sed ideo non faciunt illae quartum genus suffragiorum, quia indulgentia nihil est aliud, quam applicatio satisfactionum, seu poenalium operum Christi et sanctorum, defunctis. Nam ideirco dicuntur indulgentiae concedi defunctis per modum suffragii, non per modum absolutionis; non enim potest pontifex absolvere defunctos a poenis, quomodo absolvit viventes, quia illi non sunt ei subjecti, isti sunt.Potest tamen tamquam summus dispensator thesauri Ecclesiae communicare illis bona opera poenalia, quae in thesauro sunt. Sed de hac re alibi dicendum est; vide interim Cajetanum tom. 1. opusculor. tract. 16. quaest. 5. et 6.

Quod haec ita sint, patet ex testimoniis Patrum. Ambrosius de sacrif. et orat. pro défunctis, sic loquitur lib. 2. epist. 8. ad Faustinum de obitu sororis: Non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor, nec moestificandam lachry. mis tuis, sed orationibus animam ejus Domino commendandam. De eleemosyna autem agit in lib. 2. de excessu Satyri fratris, qui inscribitur, De fide resurrectionis; hortatur enim parentes, ut portionem haereditatis, quae ad filios mortuos pertinebat, spiritibus ipsorum per eleemosynas pauperum transmittant.

Augustinus serm. 32. de verbis apostoli : Ora-

tionibus, inquit, sanctae Ecclesiae, el sacrificio salutari, et eleemosynis non est dubium mortuos

adiuvari.

Chrysostomus homil. 69. ad popul. Non temere ab apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis mortuorum fieret commemoratio, sciunt enim multam illis contingere utilitatem. Idem homil. 41. in 1. ad Corinth. Juvetur mortuus non lachrymis, sed precibus, supplicationibus, eleemosynis.

His adde angeli testimonium apud Bedam lib.5. histor. cap. 13. Multos, inquit, preces viventium, et eleemosynae, et jejunia, et maxime celebratio missarum, ut ante diem judicii liberentur, ju-

vant.

Unum hic solum est dubium, An non etiam restitutio rei alienae prosit defunctis, ac proinde sit quartum genus suffragii. Nam saepe dicuntur animae apparere, ac petere, ut restitutio pro ipsis flat earum rerum, quas ipsi aut obliti sunt, aut non potuerunt restituere, et s. Birgitta lib. 6. revelationum, cap. 66. affirmat, animam tam diu cruciari, donec restituatur quod injuste ablatum est.

Respondet Dominicus a Soto in 4. dist. 45. qu. 2. art. 3. ejusmodi restitutionem non juvare, si flat; nec obesse defuncto, si non fiat; nam Deus non punit, nisi pro culpa propria in hac vita contracta; vel ergo defunctus peccavit non restituendo, vel non peccavit, si non peccavit, quia forte non potuit, aut bona fide possedit, non debet etiam puniri; si autem peccavit, punietur pro culpa negligentiae illius in purgatorio; sed posteaquam poenas debitas dederit salvabitur, sive res illa restituatur, sive non; ille enim jam est factus impotens simpliciter ad restituendum, neque debet pendere salus ejus ab alterius voluntate, alioqui posset anima in purgatorio manere in aeternum, si nimirum hacres numquam restitueret; quare si restitutio possit fieri, et non siat negligentia haeredis, peccabit quidem haeres, non tamen id nocebit animae: si vero flat, nihil animae illi proderit, quia restitutio non est satisfactio pro culpa; satisfactio enim est opus bonum poenale, poenale autem est dare suum, non restituere alienum.

Ad illas apparitiones, respondeo: Forte animas non petere restitutionem ut restitutionem, sed ut eleemosynam; licet enim non prosit animae, si restituat rem alienam is, qui tenetur restituere, tamen bene proderit, si restituat alius, qui non tenetur; illa enim eleemosyna quaedam est, et proinde satisfactoria.

### CAPUT XVII.

#### Quis possil animas juvare.

Quantum ad tertium, qui potest suffregiis suis juvare animas, est is, qui est justus; homo enim injustus non potest pro se satisfacere, et multo mi-

Sed objicies: Nonne missa mali sacerdotis prodest defuncto? Nonne etiam si Dominus justus jubeat dari eleemosynas de suis rebus pro defunctis, et dentur postea a ministro injusto, tamen eleemosynae illae proderunt? Respondeo: Prodesse, sed non esse in his casibus ministrum injustum, qui suffragatur, sed Dominum justum.

Dices rursum: Quid si praelatus justus jubeat, spirituales filios orare, vel jejuhare pro defunctis,

et illi filii sint injusti?

Respondet Paludanus in 4. sent.dist. 45.quaest. 1. prodesse illa omnia. Melius id negat Sotus ibidem quaest. 2. art.2. Nam quando servus de pecunia domini sui facit eleemosynam, illud opus proprie est domini, non servi, et ideo malitia ministri non vitiat opus. At dum subditus orat, vel jejunat, opus proprie est ipsius subditi; ipse enim suo labore operatur, non labore domini sui. Unde b. Hieronymus libro contra Vigilantium, dicit, melius esse dare eleemosynam pauperi justo, quam injusto, quia ille orans pro benefactore, exauditur, alter non exauditur.

#### CAPUT XVIII.

#### Quibus prosint suffragia.

Quantum ad quartum, certum est, Ecclesiae suffragia non prodesse beatis, nec damnatis, sed solum iis, qui in purgatorio degunt; quia priores noa egent, posteriores non possunt juvari; id quod docent omnes scholastici in 4. dist. 43. sequuti Augustinum, qui in enchiridio, cap. 110. et de cura pro mortuis, cap. 1. dicit, Ecclesiae suffragia pro valde bonis gratiarum actiones esse, pro non valde malis propitiationes, pro valde malis nulla esse adjumenta mortuorum, sed qualescumque vivorum consolationes.

At sunt in contrarium tres difficultates. Primo, de beatis. Videtur enim falsum, quod beatis non prosint suffragia; nam Epiphanius haeres. 75. et Cyrillus catech. 5. mystagogica, et Chrysostomus in sua liturgia, dicunt, sacrificium offerri Deo pro apo-

stolis, martyribus, prophetis etc.

Praeterea secundo, Ecclesia in orationibus de sanctis saepe legit: Sumpsimus. Domine, sancta mysteria, quae sicut sanctis tuis prosunt ad glorium, ita nobis, quaesumus, proficiant ad medelam. Et in antiquis missalibus, ut testatur Innocentius III. cap. Cum Marthae, extra de celebratione missarum, in die s. Leonis, dicebatur: Annue, quaesumus, Domine, ut animae b. Leonis haec prosit oblatio. Et licet haec oratio mutata sit, tamen adhuc. hodie in secreta oratione in eodem festo dicimus: Sancti Leonis confessoris tui atque pontificis annua solemnitas nos tibi reddat acceptos, ut per haec piae placationis officia, et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiae tuae dona conciliet.

Praeterea Chrysostomus homil. 33. in Matth.exhortans ad eleemosynas pro defunctis filiis, Putas, inquit, cum maculis inquinatum? da illi sua, ut illis se a maculis detergat. Putas in justitia decessisse? praebe ipsi tua, ad mercedis, el retri-

bulionis adjectionem.

Ad primum facilis est responsio: sacrificatur enim pro sanctis, non ut eis aliquid petamus, sed ut pro gloria illis collata Deo gratias agamus. Id



enim est, quod Augustinus dicit, pro valde bonis gratiarum actiones esse.

Ad reliqua respondet Innocentius, ubi supra, dupliciter. Primo, cum Ecclesia petit gloriam sanctis, qui regnum coelorum jam possident, non petere, ut illi in gloria crescant, sed, ut apud nos gloria eorum crescat, idest; ut toti mundo gloria eorum innotescat, et illi ubique magis et magis glorificentur. Secundo dicit, non videri absurdum, si petamus illis augmentum gloriae alicujus accidentalis. Adde Tertio, fortasse peti gloriam corporis, quam hebebunt in die resurrectionis. Nam etiamsi gloriam illam certo conseguentur, et debetur eo. rum meritis, tamen non est absurdum hoc illis desiderare et petere, ut pluribus modis debeatur. Cum ergo Augustinus dicit serm. 17. de verbis apostoli, injuriam facere martyri, qui orat pro martyre, intelligitur de illis, qui martyri precantur remissionem peccati, vel gloriam essentialem, quasi illa careret.

Secunda difficultas est de damnatis. Nam August. enchir. cap. 110. dicit: Quibus autem prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, ut plena fiat remissio, aut tolerabilior sit ipsa damnatio. Et cap. 112. sic ait: Poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est. ipsa damnatio.

Item Chrysostomus homil. 3. in epist.ad Philip. posteaquam dixerat orandum pro-defunctis.subdit: Verum istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt.Catechumeni vero neque hac digni consolatione censentur, sed omni hujusmodi sunt auxilio destitui, praeter unum solum; quod autem illud? pauperibus eorum nomine dare licet, unde eis nonnihil refrigerii accedit.

Praeterea Damascenus in oratione de defunctis, non solum refert de Trajano et Falconilla liberatis ex inferno per orationem Gregorii et Theclae, de quibus supra diximus, sed etiam addit ex historia Palladii ad Lausum,s. Machario aliquando percunctanti cranium aridum cujusdam idololatrae, an eis prodessent preces viventium, responsum fuisse ex cranio: Quando pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus.

Praeterea Prudentius in hymno de novo lumine paschalis sabbathi ait:

Sunt et spiritibus sacpe nocentibus Pocnarum celebres sub styge feriae, etc.

Denique Innocentius III. cap. Cum Marthae, ponit quadrimembrem divisionem; dicit enim, ex mortuis quosdam esse valde bonos, qui non egent suffragiis; quosdam valde malos, qui non possunt juvari: quosdam mediocriter bonos, quibus suffragia prosunt ad expiationem: quosdam mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem: at certe ultimum membrorum non videtur convenire, nisi pueris in lymbo. Si enim valde boni sunt in coelo, valde mali sunt in gehenna ignis, mediocriter boni in purgatorio: ubinam erunt mediocriter mali, nisi in lymbo? Ergo illis prosunt suffragia, cum tamen in purgatorio non sint.

Respondeo ad primum: Augustinum per tolerabiliorem damnationem intelligere mitigationem poenarum purgatorii, ut patet ex praecedenti trimembri divisione.

Ad secundum dico, Augustinum ibi non agere de oratione pro defunctis, et solum dicere, non esse erroneum concedere, damnatos puniri citra condignum, quod clarius docet lib. 21. de Civit. Dei, cap. 24.

Ad tertium: Chrysostomus solum videtur negare orandum esse publice, vel sacrificandum pro catechumenis, ut etiam aliquando definivit concilium bracarense I. can. 35.

Ad quartum: B. Thomas in 4. dist. 43. art. 2. quaest. 2.post refutatas ineptas solutiones Praepositivi, Porretani, et aliorum, respondet: Animas damnatorum orationibus sanctorum non percipere veram aliquam poenarum mitigationem, sed solum inane, et fallax aliquod gaudium, quod nimirum videant se habere socios in poenis, quale est gaudium daemonum, cum aliquem decipiunt. At fortasse melius rejicerentur, ut falsa et apocrypha, quae afferuntur de illo cranio; non enim in libro Palladii tale aliquid invenitur, nec est verisimile, s. Macharium orasse pro infidelibus.

Ad quintum nihil aliud dico, nisi more pöetico lusisse Prudentium.

Ad ultimum, quod multos torquere solet, suspieor Innocentium III. memoria lapsum putasse divisionem, quae est apud Augustinum trimembris,
fuisse quadrimembrem; nam apud August. iidem
sunt mediocriter boni et mediocriter mali. Innocentius autem distinguit hoc membrum in duo, dicens: Alii sunt mediocriter boni, alii mediocriter
mali; possumus tamen dicere, mediocriter bonos
dici, qui nullam habent culpam, sed tamen habent
reatum poenae; mediocriter malos, dici eos, qui
habent culpam aliquam, sed venialem tantum.

Tertia difficultas est de animabus purgatorii.Nam theologi conveniunt in duobus, et in uno non conveniunt. Conveniunt primo, quod suffragia omnia prosint omnibus, saltem quatenus adferunt novum gaudium, id enim commune est omni bono operi, ut de illo gaudeant omnes boni juxta illud psalmi 118. Particeps ego sum omnium timenlium te.

Secundo, convenient, quod suffregia communia, quae flunt pro omnibus defunctis, prosint etiam omnibus animabus purgatorii, non solum in ratione gaudii, sed etiam in ratione satisfactionis, nulla enim est caussa cur aliqui excludantur.

At dissentiunt de suffragiis particularibus. Nam Cajetanus tom. 1. opusculorum, tract. 16. quaest. 5. docet, omnes quidem animas juvari posse, et juvari etiam communibus suffragiis: at particularibus, quae pro illis flunt, non juvari, nisi illas, quae peculiariter meruerunt, ut sibi talia prodessent. Dicit autem eas peculiariter mercri, quae hic in terris habuerunt specialem devotionem ad claves Ecclesiae, et solliciti fuerunt pro animabus aliorum; et probat ex Augustino lib. de cura pro mortuis, cap. 1. et in enchirid. cap. 109.

Alii vero, quos citat b. Thomas in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. dicebant suffragia.quae fiunt pro uno, non ei solum prodesse, verum etiam omnibus aliis,

nec minus aliis quam illi, sicut Iucerna accensa pro domino, aequaliter illuminat servos, qui in eodem loco sunt.

Sententia communis est in medio, quod nimirum suffragia particularia, omni et soli illi prosint in ratione satisfactionis pro quo fiunt. Quod omni contra Cajetanum, patet quia fundamentum communicationis suffragiorum non est aliquod peculiare meritum, sed status gratiae. Sanctus enim Augustinus cum dicit solis illis prodesse suffragia qui meruerunt ut sibi prodesse possint per exclusivam, solis, non excludit ullas animas purgatorii, sed animas damnatas, et notandum diligenter Augustinum in enchiridio non dicere suffragia juvare illos defunctos, qui meruerunt ut sibi prodessent, sed qui meruerunt ut sibi prodesse possent.

Quocirca Cajetanus, qui dicit omnes animas juvari posse, sed de facto non juvari, non habet pro se Augustinum, ut ipse arbitratur. Quod autem haec suffragia particularia soli illi prosint, pro quo flunt, patet; nam applicatio ejusmodi bonorum pendet ex intentione applicantis, nec debent comparari ista suffragia lumini lucernae, sed potius pecuniae,

quae solvitur ab uno pro altero.

Notandus est etiam locus Augustini pro hac sententia ex lib. de cura pro mortuis, cap. 4. ubi dicit ideo Ecclesiam orare interdum pro defunctis omnibus in genere, ut quibus desunt parentes vel amici, qui pro eis orent, et proinde remanent auxilio destituti, habeant saltem auxilium a communi matre, quae est Ecclesia.

#### CAPUT XIX.

#### De funcre.

Diximus hactenus de spiritibus defunctorum: Nunc de sepultura corporum dicendum est. Haeretici hujus temporis non reprehendunt ipsam sepulturam: reprehendunt tamen multa circa sepulturam.

Primo, quod in locis sacris sepeliamus, atque ad hoc erigamus coemeteria. Hoc reprehendunt haeretici aliqui in Böemia apud Aeneam Sylvium de origine Böemorum, c. 35. et potest afferri argumentum, quod nihil prosit locus sepulturae ex illis verbis Lucae 12. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haet non habent amplius quod faciant. Item ex capite, Sacris, extra de sepulturis, ubi dicitur nihil obesse hominibus piis sepulturam vilem, aut nullam. Item ex Augustino lib. 1. de Civit. Dei, cap. 12. et lib. de cura pro mortuis, ubi dicit, sepulturam et funeris pompam solatia esse vivorum, non mortuorum praesidia.

Secundo, reprehendunt usum cereorum, quia in eoncilio elibertino can. 34. statutum fuit, ne cerei de die in coemeteriis accenderentur: Non enim spiritus defunctorum, inquiunt Patres, inquietandi sunt.

Tertio, reprehendunt anniversaria, et tot repetitiones exequiarum die 3.7. et 30. quia signum est dissidentiae, easdem preces toties iterare; et praeterea quia b. Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 9. super illud Genes. 23. surrexit Abraham

ab officio funeris: Docemur, inquit, ut non diutius inhaereamus mortuis, sed quantum satis est officii deferamus. Quem locum expendens Calvinus praefat. Institut dicit ab Ambrosio reprehendi eos, qui nullum finem faciunt orandi pro mortuis.

Quarto, reprehendunt quod putemus sepulturam esse opus meritorium, et Deo gratum, cum tamen nusquam inveniatur a Deo mandatum; immo Dominus Matth. 25. enumerans opera misericordiae, non

meminerit sepulturae.

His non obstantibus asserimus sepulturam rem esse bonam et utilem, et ritus omnes Ecclesiae in sepeliendis mortuis esse antiquos et sanctos. Qued sit res bona et meritoria, probatur ex illo 2. Reg. 2. Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, et sepelistis eum, et nunc retribuet vobis Dominus. Tob. 12. Angelus extollit inter alia opera Tobiae quod mortuos sepelierit. Matth. 26. Opus bonum operata est in me, mittens enim unguentum hoc ad sepeliendum me fecit.

Quod sit res antiqua et utilis facile demonstrari potest, nam omnia quae nunc in Ecclesia servamus, semper in usu Ecclesiae fuerunt. Primum, corpora mortuorum nunc lavantur, id etiam olim fiebat, ut patet Actor. 9. de Tabitba, et apud Gregorium lib. 3. dialogorum, cap. 17. et lib. 4. cap.

16. et 27.

Secundo, corpora cum honore et multitudine comitantium deferuntur ad sepulchrum. Ita etiam legimus factum olim Gen. 50. et Luc. 7. et apud Gregorium nazianzenum orat.2.in Julianum.Sulpitium in vita s. Martini, Hieronymum in vita s. Fabiolae et s. Paulae, et alios.

Tertio, corpora fidelium in templis, et locis sacris sepeliuntur. Ita olim Jacob et Joseph patriarchae in terra Aegypti mortui, in terra promissionis sepeliri voluerunt, unde Christus erat nasciturus, et ubi templum Domini futurum erat, Gen. 49. et 50. Deinde temporibus Christianorum, corpora fidelium in templis sepulta fuisse testantur Ambrosius lib. 1. de Abraham, cap. 9. Hieronymus in vita Paulae et Fabiolae, Gregorius lib. 3. dialogorum, cap. 13. et Augustinus libro de cura pro mortuis, cap. 1.

Quarto, corpora fidelium cum hymnorum et psalmorum cantu sepelienda, testantur Gregorius nazianzenus orat. 2. in Julianum. Chrysostomus homil. 4. in epist. ad Hebr. Hieronymus in vita s. Pauli eremitae et s. Paulae viduae et s. Fabiolae. Sulpitius in vita s. Martini, et omnium antiquissimus Dionysius areopagita, cap. 7. de ecclesiastica hierarchia.

Quinto, ad funus fidelium lampades et cerei accensi adhibebantur, ut nunc etiam sit. Nyssenus epist, ad Olympiam de obitu sororis, Nazianzenus et Chrysostomus locis notatis. Hieronymus in vita Paulae, et Theodoretus lib. 3. historiae. c. 36. et alii.

Sexto, sacrificium altaris pro eis offertur, ita etiam olim testibus Tertulliano lib. de corona militis, Cypriano lib. 1, epist. 9. Augustino lib. 9. Confessionum, cap. 12. Ambrosio oratione de Valentiniani obitu, et aliis.

Septimo, non solum cum sepeliuntur, sed etiam die anniversaria pro defunctis offertur, et oratur, ut patet apud Tertullianum lib. de monogamia, ut Gregorium nazianzenum, oratione in Caesarium fratrem.

Octavo, non solum die anniversaria, sed etiam die 3.7. et 30. ut est apud Ambrosium oratione de obitu Theodosii initio, id quod etiam nunc servatur.

Nono, eriguntur tituli, idem olim Genes. 35. Actor. 2. 1. Machab. 13.

Decimo, dantur eleemosynae pauperibus, idem olim, Chrysostomus hom. 32. in Math.

At quae sit hujus rei utilitas, paulo obscurius est. Atque in primis rejiciendi sunt duo errores, quos rejicit d. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 2. Unus, quo ethnici putabant sepulturam esse necessariam, ut animae requiescere possent, juxta fabulas Virgilii 6. Aeneidos. Alter est, quo quis putare posset in corporibus defunctorum adhuc sensum aliquem inesse.

His rejectis erroribus, dicimus multiplicem esse utilitatem sepulturae, tam vivis, quam defunctis: et vivis quidem quadruplicem. Primam, quod per sepulturam arcetur foetor et horror cadaverum, quae non parum vivis nocercat.

Secundam, quod eo studio testantur vivi fidem resurrectionis, et immortalitatis animarum; non enim tam diligenter corpora mortuorum curaremus, nisi putaremus ea resurfectura. Neque cereos accenderemus, nisi animos vivere post mortem corporum significare vellemus.

Tertiam, quod admonentur propriae mortis, unde etiam tumuli defunctorum monimenta dicuntur.

Quartam, quod eo officio satisfaciant vivi aliquomodo affectui suo quo mortuos prosequebantur. Si enim vestes et annullos amicorum bene collocari volumus, certe multo magis corpora, et boc est quod Augustinus dicit, cum ait, sepulturae pompam solatia esse vivorum.

Porro mortuis ex sepultura, alia quadruplex accedit utilitas. Prima, quod consulitur honori corum, adhuc in hominum memoriis viventium; non enim caret ignominia quadam, quod foeditas nostri corporis aliorum conspectibus pateat. Quocirca, non levis poena judicatur, cum quis a judice privatur sepultura, en jubetur in patibulo, aut rota pendens, esse avium esca.

Secunda, quod satisfit desiderio corum, quod dum viverent habuerunt; nemo est enim qui carnem suam odio habeat, ut dicitur Ephes. 5.et ideo quisque dum vivit, cupit ctiam post mortem corpus suum honeste tractari. Immo credibile est, animos corpore solutos, ctiansi forte nesciant quid corporibus corum accidat, tamen cupere ut honeste habeantur, sicut etiam cupiunt ad ea reverti, ut Augustinus docet lib. 12. de Genes. ad literam, cap. 33.Atque hiuc videmus prophetae inobedienti datum in poenam, ut non sepeliretur cum patribus suis, 3. Reg. 13.

Tertia, utilitas nascitur ex co, quod a multis deducuntur ad sepulchrum; hinc enim per accidens fit, ut a multis pro eis oretur.

Quarta ex eo sumitur, quod in templis sanctorum sepulchrum habent; inde enim fit, ut eorum amici, cum eorum recordantur, simul eliam recordentur ejus sancti, in cujus templo sepulti sunt, et frequenter ejus patrocinio eos commendent. Hanc utilitatem ponunt b. Augustinus libro de cura pro mortuis, cap. 4. et 5.et b. Greg. lib. 4. dialogorum, cap. 50.

Ex his ad argumenta respondetur. Ad primum dico cum Augustino lib. 1.de Civit. Dei cap. 12. Dominum loqui de dolore, quo affici possunt corpora dum vivunt; ideo enim ait: Post haec non amplius habent quid faciant; quia corpus mortuum etiamsi secetur, aut lanietur, aut cremetur, nihil plane doloris sentit. Hinc tamen non sequitur, non esse aliquam eleemosynam, satisfacere desiderio hominis, quod habuit dum viveret, et quod forte adhuc habet, ut corpus suum sepeliatur. Sccundo dico, loqui pontificem in ea decretali de utilitate ad salutem acternam, ac docere, nec per se prodesse sepulturam, nec per se obesse ad salutem consequendam, quamquam per accidens prodesse potest, ut diximus, ratione precum amicorum. Tertio idem dico. Augustinus enim solum docet sepulturam per se non esse praesidium mortuorum, ad vitam aeternam consequendam, sed solarium vivorum: tamen quod per accidens prosit, ipsemet docet ibidem.

Ad aliud ex concilio elibertino, respondeo. In in eo concilio reprehendi et prohiberi eam caeremoniam, quia flebat ex superstitione gentilium, qui putabant corpora mortua sentire aliquid. Illo autem errore sopito, non est malum eadem caeremonia uti ad alium finem, nimirum ad significandum animas vivere, et suo tempore etiam corpora resurrectura, et nostros defunctos esse filios lucis, non tenebrarum. Quod autem concilium dicit, non esse inquietandos spiritus defunctorum, non significat spiritus illos revera inquietari, sed displicere illis cjusmodi errorem; quomodo Ambro sius dicit lib. 2. epist. 8. non debere moestificari lachrymis animam sororis defunctae.

Ad tertium dico, non esse signum diffidentiae, sed desiderii et fervoris, repetere easdem preces; id enim fecit Paulus 2. Corinth. 12. ter Dominum rogavi; et Dominus ipse Matth. 26. ter eandem orationem repetivit.

Ad Ambrosium supra respondimas, cap 15. non loqui cum de orationebus, sed de fletu et dolore: nam ipse idem oratione in Valentinianum dicit: Beati ambo, si quid meae orationes valebunt, nulla dies vos silentio praeteribit, nulla nox non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret, orationibus vos et oblationibus frequentabo.

Ad ultimum ex evangelio Matth. 25. respondetur. Primo, cum Chrysostomo hom. 84. in Joannem, ubi dicit, Dominum non addidisse, mortuus fui, sepelistis me, quia sponte sua homines non solum hanc eleemosynam facere solent, sed etiam nimium in ea facienda excedere. Sicut enim in bonis rebus, ita etiam in hac abusus quidam se admiscuit, quo divites pretiosis vestibus induti sepeliri solent; melius enim esset, et mortuis multo gratius et utilius, ut Chrisostomus ibidem dicit, pretium illarum vestium dare pauperibus pro anima ejus qui sepelitur. Dominus igitur, tum ut abusum corrigeret, tum quia necesse non videbatur hoc officium valde commendare, hanc eleemosynam cum caeteris non numeravit.

Secundo, dici posset. Dominum non meminisse hujus eleemosynae, quia est omnium minima et

obscurrissima, ut b. Augustinus docet libro de cura pro mortuis, cap. 3. Volebat enim Dominus ostendere, se juste remuneraturum bonos et damnaturum malos, et ideo solum eorum operum meminit, quae evidenter, et omnium judicio sunt opera misericordiae. Atque haec de tota hac disputatione sufficiant.

Finis tertiae controversiae generalis.

LAUS DEO, VIRGINIQUE MATRI MARIAE

## QUARTA CONTROVERSIA GENERALIS

# DE ECCLESIA

TRIUMPHANTE

TRIBUS LIBRIS EXPLICATA

# INDEX

# LIBRORUM ET CAPITUM

#### DE ECCLESIA TRIUMPHANTE, SIVE DE GLORIA ET CULTU SANCTORUM

## **PRAEFATIO**

Ordo disputationis.

## LIBER PRIMÜS

#### DE BEATITUDINE ET CANONIZATIONE SANCTORUM

- CAP. I. Argumenta haereticorum, quibus illi probare nituntur, sanctos nondum esse beatos.
  - » II. Animas sanctorum jam nunc frui Dei visione, demonstratur testimonio Ecclesiae.
- III. Idem Scripturarum testimoniis demonstratur.
- » IV. Eadem veritas ex graecis Patribus confirmatur.
- » V. Idem probatur testimoniis Latino-
- » VI. Idem confirmatur rationibus, quae tamen in Scripturis fundamentum habeant.
- » VII. Sanctos recte ab Ecclesia canonizari.
- » VIII. Cujus sit sanctos canonizare.
- » IX. Credendum esse, pontificem non errare in sanctorum canonizatione.

- CAP. X. Sanctos non canonizatos privatim posse coli, non publice.
  - XI. Proponitur quaesto de cultu sanctorum, cum adversariorum argumentis.
- » XII. Explicatur sententia catholica.
- XIII. Assertiur argumentis sententia catholica.
- XIV. Solvuntur argumenta initio proposita.
- XV. Proponitur contraversia de invocatione sanctorum.
- XVI. Deteguntur aliquot fraudes et mendacia haereticorum.
- » XVII. Quomodo sancti invocandi non sint.
- XVIII. Sanctos pro nobis orare.
   XIX. Sanctos esse invocandos.
- » XX. Solvuntur argumenta adversariorum.

#### LIBER SECUNDUS

#### DE RELIQUIIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM

))

- CAP. I. Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum.
  - II. Deteguntur mendacia Centuriutorum.
- » III. Asseritur veritas, et probatur.
- » IV. Solvuntur argumenta adversariorum.
- V. De nomine imaginis et idoli.
- » VI. De principibus Iconomachorum.
  BELLAEMINI. Vol. II.
- CAP. VII. Licere imagines et facere et habere.
  - VIII. Non esse prohibitas imagines Dei.
    IX. Imagines in templis recte collocari.
  - X. Imagines utiles esse etiam extra historiam.
    - XI. Proponitur quaestio de cultu imaginum cum argumentis adversariorum.

53

- CAP. XII. Imagines Christi et sanctorum recte XIII. Solvuntur argumenta adversariorum.
  - XIV. Solvitur argumentum secundum. XV. Solvitur argumentum tertium.
- XVI. Solvitur argumentum quartum. ))
- XVII. Solvitur argumentum quintum. XVIII. Solvitur argumentum sextum.
- XIX. Solvitur argumentum septimum.
  XX. Proponitur quaestio, quo genere cultus imagines sint honorandae.
- XXI. Imagines per se et proprie colendas.
- XXII. Non esse dicendum, imaginibus deberi cultum latriae.

- CAP. XXIII. Imagines Christi improprie, vel per accidens posse honorari cultu la-
  - XXIV. Imagines, per se et proprie non esse colendas eo cultu, quo exemplar ipsum colitur.
  - XXV. Quo genere cultus adorentur imagines.
  - » XXVI. De adoratione crucis. » XXVII. De cruce vera Domini. » XXVIII. De imagine crucis. » XXIX. De signo crucis.

  - » XXX. Solvuntur objectiones haereticorum.

#### LIBER TERTIUS

#### DE IIS REBUS, QUIBUS SUPERNA HIERUSALEM AB ECCLESIA IN TERRIS PEREGRINANTE COLITUR

- CAP. I. De erroribus circa templa.
  - II. An templa sint erigenda.
- III. De forma. N
- IV. De fine. 'n
- V. De dedicatione et consecratione ecclesiarum.
- . VI. De ornatu templorum.
- VII. De benedictionibus aquae, salis, cinerum, cerei etc.
- VIII. De peregrinationibus.
- IX. De votis, quae nuncupantur sanctis.

- CAP. X. An sint festi dies a christianis celebrandi.
- XI. De dominica die.
  - XII. De pascha.
  - XIII. De pentecoste.
- XIV. De septuagesima et sequentibus dominicis.
- XV. De reliquis festis Domini.
  - XVI. De festis.
- XVII. De vigiliis.

# **PRAEFATIO**

DE

# ECCLESIA TRIUMPANTE

SIVE DE GLORIA ET CULTU SANCTORUM

Pervenimus tandem ad eam Ecclesiae catholicae partem nostris disputationibus illustrandam, atque ab haereticorum non tam argumentis, quam mendaciis et calumniis vindicandum, quae in coelo beata cum rege suo Christo aevo sempiterno fruitur. Quamquam enim beatae illae sanctorum angelorum, atque hominum mentes humana defensiene, praesidioque pro se non egeant, cum in altissimis et tutissimis arcibus collocatae de universis hostibus suis novos quotidie triumphosagant, ac (ut s. loquitur Cyprianus) prorsus de sua selicitate securae, solum de nostra sint incolumitate sollicitae: Nobis tamen perutile est, ac, ut verius dicam, multis nominibus necessarium, ut sanctorum gloria orbi terrarum nota, atque perspecia, et omni idololatriae caligine, quam illi aspergere, atque offundere conantur haeretici, purgata omnino, et libera emineat atque splendeal.

Quia vero non panegyricam orationem de sanctorum laudibus instituimus, sed ingressus dumtaxat ad futuram disputationem, nostra hac praefatiuneula aperimus, dicam solum, et paucis, de mendaciis, et conviciis haereticorum in sanctos, quorum illa ad ipsorum haereticorum insaniam curandam magnum afferunt impedimentum, ista non solum Ecclesiam insigni patrocinio spoliant,

sed cliam gravissimam, justissimamque divini numinis iram mortalibus omnibus conciliant.

Etenim multa sunt, quibus a nobis hujus temporis haeretici diffident, multa illi in nostra Ecclesia, templis, monasteriis, gymnasiis, dogmatibus, ritibus, hominibus dentque omnium ordinum reprehendont, muka desiderant, multa carpunt, multa emendanda et corrigenda esse clamitant: sed nihil est, quod exhorreant, et exercentur magis, quam invocationem sanctorum, reliquiarum cultum, imaginum venerationem. His enim tribus manisestam impietatem et idololatriam contineri vollunt. Hoc uno veluti pallio discessionem suem a nobis, hoc est, impiam ab Ecclesia catholica separationem et desectionem, honestissime tegere se arbitrantur. Hoc solo nomine latrocinia sua, et sacrilegia in Ecclesias, templorum direptiones, imaginum confractiones, sacerdolum caedes, sacrorum omnium profanationes, defendunt, quod se bellum gerere contra idola pro pietate dicant. Hac ipsa de caussa censuram aequissimam Ecclesiae, et pastorales baculos episcoporum, quibus interdum ipsorum furor reprimitur, vel retardatur, impiam persequutionem, quasi adversus Deum 'pro idolis excitatam nominant: his denique vinculis, et compedibus provincias, et nationes a se deceplas arclissime irretilas, et constrictas tenent.

Sic enim populis illis persuasum est, nos pro Deo vivente mortuos homines; pro summo et sempiterno spiritu ossa et cineres, lingua et lapides colere; et tam alte mentes eorum perniciosa haec persuasio penetravit, ut propterea injusta quidem, sed tamen gravi, diuturnaque apud eos laboremus infamia. Et licet multa interdum de nostrorum, hoc est, catholicorum hominum gravitate, sapientia, justitia, benignitate, de studio precandi, de moderatione in rebus omnibus audiant, non queant, tamen non continuo ab ejusmodi sermonibus aures removere, seque totos avertere, cum ad memoriam revocant de quibus tam eximiae laudes praedicantur, eos nihilominus idololatras esse, defunctorum manes, et cadavera, picturasque et statuas adorare.

Atque ut fides mihi facilius habeatur, neque me quisquam augendi gratia fingere aliquid arbitretur, referam pauca de libris eorum, ut ipsos eosdem suae impietatis praecones, ac testes habeamus. Primum Lutherus sectariorum omnium antesignanus et princeps, in eo sermone, quem de cruce edidit, tamquam ex tribunali pronunciat: Quoniam reliquae sanctorum nihil sunt aliud, quam fidelium seductiones, ne deinceps populi Deos alienos colant, placere sibi, ut omnes ejusmodi reliquiae altissime sub terram abscondantur: ut ea ratione videlicet omnis apostolerum et martyrum, aliorumque sanctorum in terris memoria aboleatur. Idem in postilla ad evangelium dominicae Annunciationis: Papistae, inquit, virginem Mariam Deum constituunt, omnipotentiam et in coelo, et in terra attribuunt. Et rursum: In papatu omnes se ad Mariam contulerunt, et plus favoris, et gratiae ab ea exspectarunt, quam a Christo ipso.

Hinc Philippus Melanchthon Lutheri proles, et sectator egregius, cum in locis communibus primum decalogi praeceptum exponeret, et gradus quosdam peccatorum distingueret, nosque, hoc est, ut ipse loquitur, papistas, cum infidelibus jungeret, hac una ratione cantentus fuit, quod idem fit, fingere multos Deos, et sanctos mortuos invocare; nec differant ab ethnicis. moribus invo-

catio sanctorum, et statuarum cultus.

Jam vero Magdeburgenses Centuriatores, posteaquam in posteriori primae Centuriae libro interfundamenta doctrinae cultiolicae posuerunt, b.Ma-. riae, aliorumque sanctorum invocationem, et cultum ab apostolis non solum verbo aut exemplo numquam approbatum, sed etiam ut manifestam idololatriam passim reprobatum fuisse, atque interdictum. Inde postea in singulis fere Centuriis nihil sacpius monet, clament, repetunt, inculcant, quam nos Ecclesiam non habere, quod ab uno vero Deo ad falsorum deorum multitudinem. et simulatra muta defecerimus. In praefatione voro sextae Centuriae, ubi graviter admodum et plane tragice deplorant statum, sive casum potius, et ruinam Ecclesiae, quam secundo et tertio sacculo vitium facere incipientem, quarto et quinte inclinatam et nutantem, sexto demum penitus corruisse, misereque collapsum esse volunt, de caussa tam gravis exterminii ita concionantur.

In primis, inquiunt, istae horribiles et perniciosae tenebrae in ipso docentium coelu, quasi nubes quaedam atrae, totum coelum occupantes exortae sunt; quod caeremonias cultusque humanos partim ipsimet doctores Ecclesiae, partim vero alii superstitiosi homines passim in templis auxerunt. Nam aedes sacrae omnibus in locis exstrui coeperunt ingentibus sumptibus, prorsus gentilium more? Non quidem principaliter eo fine, ut ibi verbum Dei traderetur, sed ut reliquiis sanctorum aliquis honor exhiberetur, utque ibi defunctos stelidi homines venerarentur. Quam vero facundus est Gregorius ille, magnus appellatus, quam ardens, quando rationem consecrandi ista fana veluti ex tripode dictat. Et infra: Coeperunt ea occasione etiam defunctae creaturae, atque exanguia, et semicorrosa ossa coli, invocari, honori divino affici, et alligari ad illa ipsa loca preces. Ad ista omnia non modo connivebant Ecclesiae doctores. sed cliam ea adjuvabant. Ejusmodi igilur calamitas et pestis fundi Christi. in ipsa Ecclesia et inter eos, qui custodes et vigiles Ecclesiae praecipue volebant perhiberi nascebatur.

Porro Joannes Calvinus, qui post multas, gravissimasque cum suis disceptationes, maximam partem Lutheranorum in sua retia pertraxit, et tantum non regnum aliquod inter Lutheri pastores obtinuit, in eo libro, quem de reformandae Ecclesiae necessitate ad imperatorem Carolum inscripsit, primam et maximam dissensionum caussam inter suos et nostros esse dicit, quod sui, hoc est, omnes hujus temporis sectarii unum Deum colant, nostri, hoc est, catholici, sic inter sanctos distribuerint Dei officia, ut summo Deo, tamquam collegas, eos addiderint, in quorum multitudine delitescat; quodque non solum sanctos loco Dei adorent, sed etiam ipsorum ossa, vestes, calceos et simulacra. In libro vero Institutionis quarto cap. 21. caussas recenses, cur a nobis discessionem cum suis fecerit, illam in primis ponit, quod nullum nobiscum conventum habere possint, in quo aperta idololatria non polluantur. Quam autem apud nos vigere. idololatriam dicat, ex cap. 20. lib. 3. potest intelligi, ubi de sanctorum invocatione loquens: Singuli, inquit, peculiares sibi divos asciverunt, in quorum, non secus alque tulelarium deorum. fidem se contulerunt: Neque modo (quod olim Isräeli exprobrabat propheta ) secundum numerum urbium dii sunt erecti, sed secundum capi-

Incidi aliquando in hominem de schola Calvini, qui cum mihi alioqui perhumanus et caudidus videretur, eoque uterer familiariter, ut eum, si que modo possem, ab illa insania revocarem. coepi ab

eo quaerere, quid in nostris dogmatibus Calvinistae potissimom reprehenderent, quidve eis maxime displiceret, et quae tandem praecipue esset caussa, cur ab Ecclesiae communione, ab episcoporum obedientia, a reliquo coelu fidelium, a majorum suorum vestigiis; cum tam manifesto salutis aeternae pericalo discesserint? Respondebat ille, cam esse caussam praecipuam, quod nos sanctos in pre-

cibus invocaremus, quodque eo modo divinitatem

PRAEFATIO 417

mortuis affingeremus. At hae imposturae, mendaciaque impudentissima sunt. Quis enim catholicorum unquam uni vero Deo, vel imagines sacras, vel beata sanctorum pignora, vel martyrum, aut apostolorum, aut etiam angelorum spiritus, aut ipsam denique coeli reginam, Deique parentem Mariam ullo modo aequavit?

Quis in catholica Ecclesia sacrificium, quod uni debetur Deo, vel sanctis, vel reliquits, vel imaginibus obtulit? Nonne hoc uno externo symbolo. quando nulla exstarent alia, satis aperte testamur. nos animo quoque et cogitatione unum Deum complecti, eique soli proprio quodam, et peculiari cultu servire? Nonne aperte distinguimus inter eum honorem, qui soli Deo debetur, et eum cultum ac venerationem, quae Dei amicis, aliisque sacris rebus, propter ipsum Deum, pie religioseque tribui-tur? Sed licet illa ( ut diximus ) mendacia, calumniaeque sint, interim tamen ob ea ipsa mendacia innumerabiles populi, regna, nationes, multa millia animarum Christi sanguine redemptarum, a Christi corpore separata, et tamquam rami ab arbore vi tempestatis avulsi et disjecti jacent, et instar ovium, quae ab evili suo egressae, sine ullo pastorum, canumve praesidio in montibus vegantur, infernalium luporum quotidie praeda fiunt.

Sed quoniem aliquid diximus de mendaciis et calumniis, de conviciis et contumeliis aliquid etiam dicendum erit. Same tantus est in libris et moribus haereticorum sanctorum omnium contemplus, tamque horribiles in omnes coelites blasphemiae, ut ego hinc potissimum vehementer admirer divini numinis patientiam. Nam, ut omittam, quod in imagines sacras tanto furore Calvinistae debacchantur, ut eas plurimis jam in lecis aut penitus confregerint, aut coena et sordibus foedaverint, aut oculis effossis, naribusque et auribus trunçatis deformaverint, ut nihil etiam dicam, quod ipsum crucis signum angelis reverendum, deemonibus formidolosum, humano generi salutare, ubique dejiciunt, conspurant, proculeant, ut illud quoque praeteream, quod beata corpora sanctorum, quae majorum nestrorum pietas thecis aureis, atque ergenteis incluserat, quaeque domicilia et organa Spiritus sancti fuerant, et quae Deus signis et prodigiis saepius illustraverat, ipsi ubique alteribus eversis effodiunt, flammis absumunt, in profluentem abjiciunt. Ut isla, inquam, omaia praetermittam, et solum de contumeliis verborum loquar: Quid, quaeso, Erasmus Roterodamus, an non Luciani impietatem longo intervallo superavit? Ille enim Deos falsos. vereque ridiculos irrisit: At novus iste Lucianus veros angelorum cives, verique Dei amicos et domesticos, ut apostolus loquitur, contumetiosissime

In colloquio, quod inscripsit, Nsufragium, quendam introducit alterum interrogantem, an imminente mortis periculo imploraverit alicujus divi praesidium? Respondet ille:Ne id quidem. Quamobrem autem? inquit, quia spatiosum est coelum; st cui divorum commendavero salutem meam, puta Petro, quia fortasse prius audiet, quod adest ostio, priusquam ille conveniat Deum: priusquam exponat caussam, ego jam periero.

Isti sunt lepidi, vel sacrilegi potius Krasmi joci. In eodem etiam libro, more prorsus Lucianeo, beat tissimam Virginem Mariam in maris praefectura Veneri substituit; et ausus est homo christianus Virginem illam, quam s. Joannes Chrysostomus seraphicis spiritibus sanctiorem et puriorem esse verissime scripsit, cum impurissima meretrice conferre?

Quid, quod in dialogo de peregrinatione religionis ergo, epistolam confictam nomine Virginis Mariae edere non erubuit, qua ipsa Mater Veritatis falsorum dogmatum Lutheri auctor introducitur? Sic enim ficta illa Maria ad Glaucoplutum scribit: Quod, inquit, Lutherum secutus strenue suades supervacaneum esse invocare divos, a me quidem isto nomine bonam magnamque gratiam te inisse scito; nam antehac tantum non enecabar improbis mortalium opplorationibus. Ab una petebantur eminia, quasi filius meus semper infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu mes. Sed piget me certe, pudetque talia referre, quibus tamen undique scatent Erasmi lucubrationes.

Jam vero Martinus Lutherus in sermone de natali die Virginis Mariae, tanti fecit patrocinium Matris Dei, ut audacter dicere non dubitaverit, se non pluris aestimare preces b. Mariae, quam cujuslibet e populo; propterea quod omnes simus neque sancti et justi atque ipsa Virgo Maria, caeterique divi, quamtumvis magni.

Desinat ergo Bernardus Mariae praerogativas enumerare. Non dicat amplius Chrysostomus, Virginem deiparam cherubin esse honoratiorem, et seraphin incomparabiliter gloriosiorem. Neque vox illa Anselmi deinceps audiatur: ca puritate Mariane nitere, qua major sub Deo nequit intelligi; nam omnes sumus acque justi et sancti atque ipsa Virgo Maria. Nihil ergo Mariae profuit, quod prima trophaeum virginitatis erexit, quod Deam Virgo concepit, peperit, educavit; quod omnium pene itinerum, laborum, aerumnarum et molestiarum ejus comes, ad crucem usque, discipulis fugientibus, ipsum sequuta, martyrium denique acerbissimum, doloris gladio viscera ejus penetrante, suscepit. Nam sine tot laboribus omnes sumus aeque justi et sancti atque ipsa Virgo Maria. Sine caussa Petrus et Paulus, caeterique apostoli tanto labore ad evangelium disseminandum orbem terrarum peragrarunt : frustra martyres sanguinem suum pro Christo fuderunt; inanes vigiliae, jejunia, solitudines, humi cubationes, horridi sacci, assidua cum duemonibus beila sanctorum anachoretarum fuerunt, quoniam sine tot laboribus et audoribus, Lutherani quiescentes domi in uxorculae sinu et complexu, bene pasti, beneque poti, coelum rapiunt, et aeque sancti et justi sunt atque ipsa Virgo Maria, caeterique divi, quantumvis magni.

Veniamus ad Magdeburgenses; ipsi enim sunt praeclari illi, religiosissimique historici, qui in priore libro primae Centuriae, dum Christi vitam exponunt, b. Mariam usque adeo graviter deliquisse volunt, cum filium in templo amisit, nt ejus peccatum cum illo primo et gravissimo Evae peccato non solum comparare non metuant, sed eliam u-

418 PRAEFATIO

trum sit gravius, quaerere et dubitare non vereantur. Idem postea in posteriore ejusdem Centuriae libro. Petro apostolorum principi quindecim lapsus, et crrata tribuunt, quorum aliqua sempiternis cruciatibus dignissima esse docent: nec multo infra, apostolum Paulum reprehendunt, quod in Asia supra modum gravatus, de vita desperaverit, quodque in gratiam Jacobi judaicas caeremonias Hierosolymis observaverit, et eo facto magis Judaeos in erpore confirmaverit, quam imbecilles fratres adjuverit. In tertia vero Centuria, et sequentibus o-mnibus, ad finem capitis quarti, Patres omnes accusant, quod non opiniones tentum incommodas, et naevos, sed etiam errores, et stipulas, et fumos in Ecclesiam scriptis suis invexerint, adeo ut nisi Lutherus facem nobis doctrinae praetulisset, caliginemque illam tempestive dissipasset, jam fumo excaecati, enectique omnes essemus.

Quid de Quintino illo impuro et blasphemo. Libertinorum in Galliis parente dicemus, qui, ut Calvinus auctor est, instructione contra libertinos e.9. adeo petulanter in sanctos omnes debacchabatur, ut Paulum aliter non appellaret, quam vas confractum; Joannem, juvenem stolidulum; Matthaeum, foeneratorem; Petrum, Christi abnegatorem?

Porro Calvinus, qui tam severe alios arguit impietatis, tam fuit ipse plus et religiosus, ut non contentus iis conviciis, quibus sanctos omnes vexat, qui post Christi adventum floruerunt, etiam ad cos linguae suae flagellum extenderit, qui multis saeculis ejusdem Salvatoris, adventum praecesserunt. Itaque in libris christianae suae institutionis lib. 3. cap. 14. § 11. Abrahamum idolorum cultorem facit; Saram lib. 3. Institut. cap. 2. § 31.multis modis peccasse dicit, cum ancillam viro suo supposuit; Rebeccam vero variis fraudibus et imposturis Dei veritatem corrupisse, dum malo artificio filii benedictionem procurat, maritum decipit. Jacobum mentiri cogit. Judam Machabaeum lib. 3. cap. 5. § 8. superstitionis et praeposteri zeli reprehendil, quod pro mortuis sacrificium offerri imperaverit. Sephoram lib. 4. cap. 15. § 20. stultam mulierem fuisse, graviterque peccasse docet, quod filium circumciderit. Moysem ipsum, in caput. 32. Exod. quo nibil habuit antiqua aetas mitius.sapienlius, sanctius, arrogantiae atque superbiae Calvinus insimulat, quod nimirum imperiose legem Deo praescripserit, suaque eum justitia exuerit.

Jam vero de sanctis bominibus Testamenti novi, primum scarriliter nugatur, eos, si preces mortalium exaudire debeant tam longas aures habere oportere, ut a coelo usque ad terram porrigantur. Deinde cosdem per contemptum, nunc homines mortuos, nunc umbras. nunc larvas, nunc etiam colluviem nominat, in Institutione lib. 3. cap. 20. § 27. In libro autem, quem inscripsit, de vera Ecclesiae reformandae ratione, etiam monstra, carnifices et bestias appellavit. Qua contumelia et blasphemia vix ulla major cogitari potest.Quid enim? si non Calvinum ipsum, sed conjugem ejus (nefas enim apud eos est episcopum creari, nisi unius saltem uxoris virum) si conjugem, inquam Calvini, aut liberos, aut amicos, aut etiam servos, vel ancillas, aliquis postrum larvas, umbras, colluviem.

bestias, monstra, carnifices appellaret, quo animo id Calvinus acciperet? An sibi injuriam fleri non arbitraretur? Numquid non molestissime, gravissimeque ferret? et Christus aequo animo accipiet, amicos, domesticos, fratres filiosque suos amantissimos, quos ipse in coelis tanto honore dignatur, ut in apocalypsi dicat: Si quis vicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut ego vici et sedi in throno Patris mei; hos, inquam, tam sublimes principes, consortes regni et solii divini, umbras, larvas, culluviem, ab uno quodam arrogantissimo terrae vermiculo nominari? Non feret certe aequo animo Deos, sed omnes ejusmodi blasphemos atque sacrilegos, aeternis suppliciis tandem afficiet.

Sed et nos, si cives sanctorum sumus, și ulium babemus fidei zelum, excitemur, atque accendamur oportet, et religiosa, piaque indignatione vehementer commoti tam neferiis hominibus acerrime resistamus: Imitentur Lutherani majores suos, Porphyrium, Julianum, Vigilantium, Wiclefum, et quotquot unquam cum coelestibus divis impia bella gesserunt, et ut fabulae poetarum de gigantibus ferunt, de suis sedibus coelites deturbare ac detrahere voluerunt. Nos vero majorum nostrorum, Athanasii, Ambrosii, Hieronymi, Paulini. Augustini, Gregorii vestigiis inhaereamus. Qui quidem apostolorum et martyrum gloriam religiose aemulari, et res gestas contra detractores pro viribus disserendo tueri; et memoriam denique sermonibus alere basilieis honorare, carminibus celebrare, literis propagare, et consecrare aeternitati semper studuerunt. Ita enim flet, ut et illi, quorum imitantur scelera, earundem cum illis poenarum societate jungantur: et nos, quos in hoc studio ad virtulem habuimus duces, cosdem ad praemia et coronas socios habeamus. Nunc ad rem ipsam accedamus propius.

#### Ordo disputationis.

Haee disputatio duodecim praecipuis quaestionibus continetur. Prima est de sanctorum beatitudine, an sanctorum animae Drum videant, et vere beatae sint ante diem judicii. Haee enim quaestio fundamentum est omnium aliarum, nam ideirco ante Christi adventum non ita colebantur, neque invocabantur spiritus patriarcharum et prophetarum, quemadmodum nunc apostolos et martyres colimus et invocamus, quod illi adhue inferni carceribus clausi delinerentur.

Secunda de canonizatione, quae sequitur ordine suo primam illam de beatitudine. Posteaquam enim didicerimus, sanctos homines vita functos cum Deo beatos regnare, discendum erit, qui sint illi: quod quidem non aliunde certo scire possumus, quam ex publico Ecclesiae testimonio, quod canonizationem nunc appellamus.

Tertia de cultu, ubi enim constiterit qui sint ii, qui inter beatos spiritus numerandi sunt, sequitur, ut quaeratur, an ii sint adorandi ullo genere adorationis.

Quarta de invocatione, quae est eximium adorationis genus. Quinta de reliquiis eorum, utrum videlicet non solum ipsi sanctorum spiritus, sed etiam corpora, seu ossa et cineres, aliaeque eorum reliquiae venerandae sint.

Sexta de imaginibus, an colendae sint, et quo

cultus genere.

Septima, VIII. IX. X. XI. et XII. de iis rebus,

quibus non modo sanctis hominibus, sed etiam toti coelesti Hierusalem ab Ecclesia, quae peregrinatur in terris, cultus debitus exhibetur; idest, de basilicis, de peregrinationibus, de votis, de vigiliis, de jejuniis, de festis.



#### LIBER PRIMUS

# DE BEATITUDINE ET CANONIZATIONE SANCTORUM

#### CAPUT PRIMUM

Argumenta haereticorum, quibus illi probare naturuur, sanctos nondum esse beatos etc.

Est igitur quaestio Prima: Sintne piorum hominum spiritus, qui et corpore soluti sunt, et nulla purgatione egent, jam ad fruendam beatitudinem, quae in clara Dei visione sita est, admissi? Et quidem antiquorum, et recentium haereticorum opinio fuit, animas omnes, quantumvis sanctorum hominum, usque ad ultimi judicii diem servari in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatae dici possint, nisi in spe.

Primus ex haereticis, qui hoc asseruit, quantum ex auctoribus ego colligere potui, Tertallianus fuit, lib. 4. in Marcionem, sic enim ait: Eam regionem, sinum dico Abrahae, etsi non coelestem, sublimiorem tamen inferis, inierim refrigerium praebituram animabus justorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat; tunc apparitura coelesti promissione, quam Marcion suo vendicat quasi non a creatore promulgatam. Id etiam habet libro de anima, duobus postremis capitibus.

Eum sequulus est Vigilantius, de quo sic Hieronymus in libro contra eundem: Ais, inquit, vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, et ubi voluerint, esse praesentes. Senatoriae videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere,

BELLARMINI. Vol. 11.

sed in libera , honestaque custodia , in fortuna: torum insulis , et in campis elysiis recludantur.

Eundem errorem tribuit Guido in summa de haereticis, Armenis. In eodem versabantur Graeci, ut patet ex concilio florentino sess. 1. et ex b. Thoma in opusculo 6. cap. 9. Eundem errorem habet Lutherus in praelect.in Genesin, ut Fridericus Staphylus citat in epitome trimembri lutheranae theologiae, parte 2. Eundem habet Cornelius Agrippa in lib. 3. de occulta philosophia.

Eundem habet etiam Joannes Calvinus; nam lib. 4. Instit. cap. 20. § 20. dicit, solum Christum ingressum esse sancluarium coeli, reliquos vero omnes residere in atrio, ibique exspectare usque ad mundi consummationem. Et § 24. dicit animas sanctorum adhuc eadem fide et charitate nobiscum esse conjunctas. Ubi autem fides est, ibi certe non est visio. Et cap. 25. § 6. Stultum, inquit, et temerarium est inquirere quo in loco sint animae justorum, et an gloria fruantur, nec ne. Interea cum Scriptura ubique jubeat pendere ab exspectatione adventus Christi, et gloriam ac coronam eo usque differat: contenti simus his finibus divinitus praescriptis, animas piorum militiae labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici laetitia fruitionem promissae gloriae exspectant etc. Nota miram stullitiam hominis, qui dicit stultum et temerarium esse quaerere, utrum animae justorum gloria fruantur, necne:et ipse tamen audacter definit eas nondum frui gloria, sed . eam exspectare. Argumenta pro hac sententia Calvinus nulla profert, sed multa sunt et difficilia,

quae partim Graeci proferre solent, partim etiam

pro illis proferri solent.

Primum argumentum sumitur ex decreto Joannis XXII. qui fertur hoc declarasse, et mandasse Parisiensibus, ut non aliter docerent vel in scholis vel in templis, et nullos promoverent ad gradus in theologia, nisi prius illi jurarent, se hanc sententiam defensuros. Testes sunt hojus rei Gulielmus Ockam in opere nonaginta trium dierum; Joannes Gerson in serm. de pascha; Marsilius in 4. sentent. quaest. 13. art. 3. et Adrianus in 4. ubi disputat de sacramento confirmationis.

Secundum argumentum ex Scripturis sumitur; et quidem Primus locus est, Matth. 20. ubi ad vesperam paterfamilias omnibus operariis simul reddit mercedem: constat autem per vesperam intelligi resurrectionem, et per denarium vitam aeternam. Secundus Hebr. 11. Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur. Tertius 1. Joan. 3. Scimus quia cum apparuerit (Christus in secundo adventu) similes ei erimus, quia videhimus eum sicuti est. Quartus Apocal. 6. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei. Quid significat illa absconsio sub altari, nisi reconditum aliquod receptaculum, ubi quietae quidem, sed in tenebris versentur animae?

Tertium argumentum sumitur ex testimoniis Patrum graecorum. Justinus quaest. 60. ex iis, quas gentes Christianis opponunt, dicit narrationem de divite et Lazaro non esse veram historiam, et caussam reddens: Neque enim, inquit, ante resurrectionem unicuique ex iis, quae in vita gessit praemium redditur. Et quaest. 76. Si ante resurrectionem nulla sunt operum praemia, quis fructus fuit latroni.cum in paradisum ejus animus introductus est?Respondet id consequutum latronem, ul sit in coetu justorum, et videat seipsum, el quae infra se sunt, et praetera angelos et daemones.

Irenaeus lib. 5. extremo: Cum enim Dominus. inquit, in medio umbrae mortis abierit, ubi animae mortuorum erant; post deinde corporaliter resurrexerit, el post resurrectionem assumptus sit, manifestum est, quia et discipulorum ejus, prop'er quos et haec operatus est Dominus, animar abibunt in invisibilem locum definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabunlur, sustinentes resurrectionem. post recipientes corpora, et perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, et sic venient ad conspectum Dei.

Origenes hom. 7. in Levil. Nondum, inquit, sancli receperunt laetitiam suam, nec apostoli quidem; sed et ipsi exspectant, ut ego la etitiae evrum particeps fiam. Et lib. 2. Periarchon prope finem dicit, sanctos post mortem deferri in paradisum terrestrem, et inde eos, qui puriores sunt, ad aerls loca conscendere.

Chrysostomus hom. 39. in priorem ad Corinth. in illud; Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo.miserabiliores sumus omnibus hominibus; Quid ais Paule? an non animus superstes erit? erit et immortalis quidem: Quamquam vero vel

sexcenties sil immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque poenis punietur. Omnia enim coram tribunali Christi manifestabuntur, inquit Paulus, ut unusquisque ferat quae per corpus sive bona, sive mala gessil; nam si corpus non resurgat anima nostra incoronata manebit, et extra coelestem beatitudinem erit. Idem homil. 28. in epistol. ad Hebr. Ne aliquid prae nobis habere viderèntur.si primi ante nos coronarentur, unum definivit tempus omnium coronarum; et qui ante tam multos annos vicit, tecum accipiet coronam.

Theodoretus in cap. 11. ad Hebr. Sanctorum ergo, inquit, tot, et tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondum coronus acceperunt etc. Theophilactus in eundem locum: Sancti nihil adhuc coelestium promissionum sunt assequuti. Et in cap. 16. Lucae docet, narrationem de Lazaro esse parabolam, non historiam, quia nondum distributa bona et mala justis et injustis Oecumenius in eundem locum: Omnes, inquit, sancti testimonium promerili, quod per fidem placuerunt Deo, nondum conseguuti sunt bona justis promissa.

Arelhas caesariensis episcopus in c. 6. Apocalyp. Horum, inquit, spe. quae per intellectum veluti in speculo contemplantur, omni crassitie liberati merito laetantur quiescentes in sinibus Abrahae; nam id multis sanctis dictum est, unumquemque virtutis cultorem sortitum esse dignum locum, unde etiam de futura sua gloria certam

quandam assequatur conjecturam.

Euthymius in cap. 16. Lucae dicit, narrationem illam de Lazaro et divite esse parabolam, qua designatur quid erit post diem judicii: et in cap. 23. El tunc quidem dedit ei conversationem in paràdiso tamquam arrabonem regni sui, quod est fruitio ineffabilium ac aeternorum bonorum,

quae nec oculus vidit etc.

-Confirmatur hoc argumentum, quia graeci Patres simpliciter negant Deum videri posse a creatura; ergo multo magis negare debent videri ante diem judicii. Vide Chrysostomum homil.23. in Genesin, ubi dicit, ne angelis quidem Deum esse visibilem. Item hom. 14. in Joannem ubi dicit, angelos numquam vidisse filium Dei, nisi post incarnationem. Similia habet Theodoretus in dialogo Immutabilis. Theophylactus in illud Joan. 1. Deum nemo vidit unquam: et Euthymius in eundem locum: quibus accedit ex Latinis Hieronymus, teste Augustino epistol. 411. ad Fortunationum.

Quartum argumentum est ex țestimoniis Patrum latinorum. Lactantius lib. 7.cap.21.Nec quisquam putet, animas post mortem protinus judicari; nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus

judex meritorum faciat examen.

Victorinus martyr in cap. 6. Apocalyp. Animas autem occisorum dicit se vidisse sub ara, idest, sub terra. Et infra: In novissimo tempore sanciorum remuneratio perpetua, el impiorum ventura est damnatio.

Hilarius in psalm. 138. in illud; Si descendero in infernum, ades: Haec. inquit.humanae lex necessitatis est, ut sepultis corporibus animae ad



inferos descendant. El ne putemus enm loqui de animabus impiorum, subdit: Quane legem Dominus ad consummationem veri hominis non recusavit etc. Volt ergo dicere, adeo esse necessarium, ut animae sint in inferno, dann caro est in sepulchro, ut etiam Dominus hanc legem subire voluerit.

Prudentius in hymno de exequits defunctorum, docet, animas sanctas discedere ex bac vita in paradisum terrestrem, sive in sinum Abrahae, quem dives ille ardens longe conspexit.

> Quanam regione jubebis Animam requiescere puram? Gremio senis abdita sancti Recubabil, ut est Eleazar, Quem floribus undique septum Dives procul aspicit ardens. Patet ecce fidelibus ampli Via lucida jam paradisi, Licel et nemus illu adire Homini, quod ademerat anguis.

Ambrosius lib. 2. de Cain cap. 2. Solvitur a corpore anima; et post finem vilae hujus adhuc futuri judicii ambiguo suspenditur. Et lib. de bono mortis cap. 10. Satis, inquit, fuerat illis dixisse animas ädny pelere, idest, locum, qui non videtur, quem latine infernum dicimus. Et ibidem: Scriptura Esdrae habitacula animarum promptuaria nuncupat. El occurrens querelae humanae, eo quod justi, qui praecesserunt videntur usque ad diem judicii per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari, mirabiliter, ait coronae esse similem diem judicii; coronae enim dies exspectatur ab omnibus, ut intra eum diem et victi erubescant, et victores palmam adipiscantur victoris. Ergo dum exspectatur plenitudo temporis, exspectant animae remunerationem debitam: alias manet poena, alias gloria.

Augustinus lib. 1. retract. cap. 14. De sanctis hominibus, inquit, jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quaeritur. Et epistol. 111. ad Fortunatianum, exponens quaedam verba d. Hieronymi: In his verbis, inquit, hominis Dei multa conside. randa sunt: primum, quia secundum apertissimam Domini sententiam etiam ipse sentit tunc visuros faciem Dei, eum in angelos profecerimus, idest, aequales angelis facti fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum. liem in enchiridio cap. 108. Tempus, inquit.quod inter hominis mortem, et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet. Lib. 12. de Gen. cap. 35. quaerit, quid opus sit animabus resumptione corporis, si possunt sine carne videre Deum? Respondet autem: Minime dubilandum est, et raptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsam carne deposila non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti angeli vident. Et lib. 12. de Civil. Dei cap. 9. Pars, inquit, civitatis Dei, quae conjungenda immortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusque requiescit. In psalm. 36. Post vitam, inquit, istam nondum eris, ubi erunt sancti, quibus dicelur: Venile benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mun. di, nondum ibi eris, quis nescit? sed jam poteris ibi esse,ubi illum quondam ulcerosum pauperem dives ille superbus in mediis tormentis vidit longe requiescentem. In illa requie certe securus exspectabis judicii diem.

Bernardus serm. 3. de omnibus sanctis: Advertistis, inquit, ni fallor tres esse sanctarum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis. secundum in atriis, tertium in domo Dei. Et infra:In illam beatissimam Dei domum animae nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, idest, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Et serm. 4. exponens illud: Vidi sub altare animas interfectorum: intelligit per altare, Christi humanitatem, ac dicit animas martyrum esse sub altari, quia solum vident Christi humanitatem, post diem judicii exaltandas esse super altare ad videndum Dei essentiam : Interim , inquit , sub Christi humanitate feliciter sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam s. angeli prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub altare collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Numquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel angelorum assequi quis poterit, nedum superare? Quonam igitur modo super altare dixerim exaltandos cos, qui nunc sub altari quiescunt? Visione utique, et contemplatione, non praelatione. Ostendet enim tunc nobis Filius, ut pollicitus est, semelipsum, non in forma servi, sed in forma Dei: ostendet eliam nobis Palrem et Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione niĥil sufficeret nobis.

Quintum argumentem sumitur ex ratione; nam judicium et examen bonorum et malorum, futurum est in novissimo die, ergo praemia et poenae usque ad eum diem differentur. Praeterea Christi anima post separationem a corpore non statim ascendit in coelum, sed prius descendit ad inferos, et post resurrectionem carnis tandem in coelum ascendit; igitur et sancti omnes post mortem in inferno erunt usque ad resurrectionem; nam Christi requies, resurrectio et ascensio, exemplar fuit nostrae quietis, resurrectionis et ascensionis, alioqui essent discipuli et servi supra magistrum et dominum. Adhaec, anima et caro simul operantur tam bona, quam mala, igitur simul et non una sine alia puniri, aut remunerari debet. Denique daemones nondum puniuntur, sed puniendi reservantur post diem judicii:; nam idcirco dicebant Christo: Venisti huo ante tempus torquere nos, Matth. 8. Et deprecabantur eum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent, Luc. 8. igitur idem de hominibus flet: si autem impii non puniuntur.certe nec pii remunerantur. Huec igitur sunt argumenta, quae adversus veritatem afferri solent: quac quidem sequentibus capitibus per partes diluentur.

#### CAPUT II.

Animas sanctorum jam nunc frui Dei visione, demonstratur testimonio Ecclesiae.

Sed facile erit totidem argumentorum generibus veritatem propugnare. Primum igitur accedat Ecclesiae testimonium, quae in oratione de s. Gregorio dicit: Deus, qui animae famuli tui Gregorii aeternae beatiludinis praemia contulisti etc. Praeter quam orationem habemus etiam duo concilia oecumenica, et duorum summorum pontificum decreta. Siguidem hoc ipsum definitum est in concilio florentino, sessione ultima, in decreto unionis Latinorum cum Graecis, et in concilio tridentino, sessione 25. Idem quoque disertis verbis docet Innocentius III. c. Apostolicam, Extra, de presbytero non baptizato. Idem denique post longas disputationes Benedictus XII. definivit in Extravaganti, quae incipit, Renedictus Deus, quam totam refert Alphonsus a Castro lib. 3. contra haereses, verbo Beatitudo.

Alque hinc solvitur primum argumentum adversariorum; nam iste Benedictus XII. qui successor fuit immediatus Joannis XXII.aperte testatur, Joannem morte praeventum, non definivisse istam quaestionem. Neque vero solum eam non definivit, sed etiam paulo ante mortem partim retractavit sententiam suam, partim etiam declaravit; nam asseruit Primo se in omnibus suis sermonibus de hac re numquam intendisse rem definire, sed solum quaerere veritatem. Secundo, asseruit sibi displicere priorem sententiam, ac sentire se, animas sanctorum videre Deum, etiam ante diem judicii: nisi aliter Ecclesia, et sui successores definiret: quorum definitioni se submittere dicebat omnes suas opiniones. Habetur haec retractatio ipsis verbis, quibus facta est, apud Joannem Villanum lib. 11. c. 19. historiae, de rebus Florentinorum, quam ille dicit se habuisse a fratre suo, qui in aula ejusdem Joannis papae degebat.

Sed notanda sunt quinque mendacia Calvini lib. 4. Institutionem cap. 7. § 28. Primum est, Gersonem vixisse tempore hujus Joannis: nam Joannes obiit anno 1334. ut testantur omnes historici, et nominatim Onuphrius, et ille Joannes Villanus lib. 11. c. 19. Gerson autem natus est, anno 1363. ut ex Trithemio patet de sciptoribus ecclesiasticis.

Secundum est, Joannem papam negavisse animae immortalitatem. At sic hoc esset verum, multo magis eam negasset Calvinus, qui pertinaciter defendit, animas non videre Deum: nec enim Joannes papa illius erroris accusatur a Gersone, et aliis, praeterquam istius de visione Dei.

Tertium est, nullum cardinalium se opposuisse Joanni papae: nam Joannes Villanus lib. 10.c. ult. hist. scribit, majorem partem cardinalium repugnasse Joanni, et idem colligitur ex decretali Benedicti XII.

Quartum est, regem Galliae Philippum interdixisse suis communionem Joannis papae, nisi resipisceret. At Joannes ille Villanus loco citato scribit regem solum scripsisse ad pontificem amice et reverenter, eumque monuisse, ut caveret ab il-

lis opinionibus, quae videntur suspicionem erroris ingerere posse.

Quintum est, pontificem coactum a rege ad palinodiam. At Joannes praedictus scribit, Joannem pontificem solum retractasse opinionem suam pridie ante mortem suasu affinium, qui metuebant, ne; si Ecclesia postea contrarium definiret, ut etiam fecit, memoriae Joannis papae aliqua nota suspicionis erroris inureretur. Vide quae scripsimus de hac re lib. 4. de pontifice, cap. 14.

#### CAPUT III.

Idem Scripturarum testimoniis demonstratur.

Jam secundo loco Scripturarum testimonia proferemus. Ac primum sit id, quod legimus in Ecclesiastico cap. 11. Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.

Dices, non ait Scriptura in die obitus reddi unicuique secundum opera, sed posse reddi, si Deus vellet. At certe illud, sacile est, non significat, posset Deus, si vellet: sed reddit Deus, et facile reddit unicuique secundum opera sua in die obitus. Alioqui enim, si Deus posset reddere secundum opera, sed non redderet, frustra nos hoe argumento hortaretur Sapiens ad benesaciendum. Praeterea cum dioat ibidem Spiritus sanctus: in sachominis denudatio operum ejus; indicat etiamin sine hominis, reddi unicuique secundum opera. Nam ad hoc sit judicinm illud, et denudatio operum, ut sequantur remuneratio.

Dices rursum, quando haec scripta sunt; non dabatur remuneratio essentialis in die obitus, sed tantum requies in sinu Abrahae, igitur per ista verba: Facile est coram Deo in die obitus reddere etc. solum deducitur, reddi in die obitus justis certam spem beatitudinis futurae, et requiem in sinu Abrahae.

Respondeo: Ecclesiasticum, cum dicit, in die obitus reddi remunerationem, intellexisse, reddi remunerationem. quae pro temporum diversitate haberi poterat, et quia tunc nondum coelum erat reseratum, nunc autem a Christo reseratum est, ex illius sententia sequitur, in die obitus, et tunc requiem dari solitam justis, nunc veram felicitatem. Hinc nimirum Num. 35. Dominus jubet, ut post mortem sacerdotis magni omnes exules revertantur ad patriam: haec enim est figura rerum nostrarum; nam nos exules sumus, patria paradisus, sacerdos magnus Christus, post cujus mortem jam patet aditus Adae filiis in coelum.

Alterum testimonium, et quidem longe clerius est apostoli Pauli 2. Corinth. 5. Scimus quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes, si tamen vestiti, et non nudi inveniamur: nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, es quod nolumus expoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est a vita.

Nota primo, illud: Si terrestris domus nostra,

intelligi a quibusquam (ut Chrisostomus citat) de mundo hoc sensibili, quasi apostolus dicat, si hic mundus peribit, non deerit nobis alius melior post resurrectionem. Sed hoc falsum est, nam communis Graecorum et Latinorum opinio pro domo hac terrestris accipit corpus hoc mortale, seu vitam praeseutem corporalem. Et ratio est, quia in fine capitis superioris dixit apostolus: Si exterior homo noster corrumpitur, interior renovatur de die in diem. Itaque, quod hic dixit terrestrem domum, ibi dixit hominem exteriorem. Praeterea infra clarius dicit: Dum sumus in hoc corpore, peregrinomur a Domino. Ubi aperte vocat corpus quod antea vocaverat exteriorem hominem, domum terrestrem, tabernaculum etc.

Nota Secundo, per domum acternam et coelestem, quam opponit apostolus domui terrestri, intelligi a Patribus vel corpus immortale, ut a Chrysostomo, Theophylacto, Theodoreto, Ambrosio; vel vitam acternam, idest, visionem Dei. Et sine dubio verior est, posterior expositio, quae est, Photii apud Occumenium, Anselmi, et sancti Thomae in hunc locum. Nam in primis apostolus ait de praesenti, si domus hace terrena dissolvitur, habemus aliam acternam in coelo; debuisset enim dicere, si de corpore glorioso loqueretur, habebimus, non habemus; nam corpus immortale non habemus nunc in coelo.

Praeterea apostolus, cum dicit, si haec domus dissolvitur, habemus aliam, vult dicere: non est quod timeamus nobis domum defuturam unquam; nam si hinc pellimur, habemus aliam. At si per domum coelestem intelligit corpus immortale, non est verum nobis numquam defuturam domum: deerit enim a die mortis usque ad diem resurrectionis. Praeterea id ipsum vocat hanc domum coelestem, quod paulo ante in fine cap. 4. vocaverat: Aeternum gloriae pondus; nam postquam dixerat: Id enim, quod in praesenti esi momentaneum. et leve tribulationes nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis: subjungit explicans: Si enim terrestris domus etc. At per illud: Aeternae gloriae pondus, omnes intelligunt ipsam essentialem beatitudinem.

Denique, nisi apostolus hic per domum coelestem, intelligeret beatitudinem, non bene concluderet paulo inferius: Audențes igitur, et scientes quia dum sumus in corpore.peregrinamur a Domino, audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, el praesentes esse ad Dominum. Nec enim sequitur: si hoc mortale corpus corrumpitur, habebimus aliud immortale post resorrectionem, ergo bonum est nunc mori et peregrinari a corpore. Immo contrarium sequitur, nimirum non esse bonum mori usque ad diem resurrectionis, quia, etsi melius sit corpus immortale, quam mortale, tamen melius est corpus mortale, quam nullum. At, si per domum coelestem, intelligamus beatitudinem, apostoli argumentatio optima est, nimirum ista: si vita haec mortalis perit, habemus statim aliam longe meliorem in coelo, ergo bonum est cito mori in hoc mundo, ut cito vivamus in coelo.

Dices, non videtur beatitudo posse vocari do-

mus, non enim habet similitudinem cum domo, corpus autem habet; corpus enim revera est domus animae.

Respondeo: Beatitudinem optime dici domum, quia est tam magna, ut eam anima non capiat, et potius anima in illam intret, quam illa in animam: hinc 1. Joan. 3. dicitur: Major est Deus corde nostro. Et quod dicitur Joan. 14. In domo Patris mei mansiones multae sunt: omnes intelligunt de variis gradibus beatitudinis. De hac domo dicitur etiam Matthaei 25. Intra in gaudium Domini tui. Et hanc domum eleganter apostolus opponit vitae corporali, sive ipsi corpori, propter tria. Primum enim corpus ipsum vocat domum terrestrem, quia exterra constat: vitam beatam vocat domum coelestem, quia in coelo invenitur; ibi enim est sedes Dei, et ibi semper videtur tamquam rex in decore suo. Secundo, corpus dicit esse domum, quae dissolvitur, quia quotidie deficit magis et magis,illam autem vocat aeternam, quia semper in eodem statu permanet: Denique illam vocat non manufactam, insinuans, istam esse manufactam, quia nimirum corpus habemus opera hominum, qui illud generarunt, et cibo, ac pota alunt, et sustentant: at illa domus coelestis ab hominum opere non pendet, sed a solo Deo manifestante seipsum nobis.

Tertium testimonium est paulo infra: Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; audientes igitur et scientes. quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem, audemus, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum. Nota apostolum hic docere duo desideria esse in nobis, unum naturae ad vivendum corporaliter, alterum gratiae ad videndum Deum; et quidem homines pios velle quidem utrumque, si possint, implere simul; sed cum non possint, anteponere desiderium gratiae desiderio naturae, et proinde appetere mortem corporis, ut possipt cum Deo vivere: homines impios e contrario omnia referre ad vitam corporis et desiderium naturae.

Ex quibus deducitor evidens argumentum pro sententia nostra; nam si non possemus videre Deum nisi post resurrectionem, non diceret Paulus, se optare peregrinari a corpore, ut non peregrinetur a Domino. His enim vėrbis ostendit esse aliquem statum animae, in quo peregrinetur a corpore, et non a Domino: at talis status non esset unquam, nisi ante resurrectionem videretur Deus. Nam in hac vita peregrinamur a Domino: sed non a corpore: in alia vita post resurrectionem non peregrinabimur nec a Domino, nec a corpore; ante resurrectionem autem oporteret necessario peregrinari a Domino, et a corpore. Quare ut detur status, in quo peregrinemur a corpore, sed non a Domino, de quo Paulus loquitur, necesse est ut ante resurrectionem, spiritus justorum corpore soluti, Deum videant. Neque etiam dici potest, Paulum loqui de quadam beatitudine imperfecta, quae consistit in visione humanitatis Christi, et quod peregrinari a Domino, sit peregrinari a praesentia humanitatis Christi. Si quidem sanctus apostolus ait: Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Ex quo sequitur, ut e contrario non peregrinari a Domino, sit non ambulare per fidem, sed facie ad fuciem videre speciem divinae pulchritudinis. Idem enim apostolus quod hic dicit: Ambulamus per fidem, non per speciem, dicit 1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in aenigmate. tunc autem facie ad faciem. At qui solam videt Christi humanitatem, adhuc habet fidem, et est peregrinus et viator, ut omnes fatentur.

Quartum testimonium est Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso. Ubi nota, paradisum dupliciter accipi in Scripturis; uno modo pro horto quodam deliciarum corporalium, in quo primus homo constitutus fuit antequam peccaret, de quo loquitur Moyses Genes. 2. et 3. altero modo pro gloria beatorum, cujus prior paradisus figura fuit; et de hoc loquitur Paulus 2. Corinth. 12. ubi se dicit raptum fuisse in paradisum. Explicens enim quid paradisus sit, dicit se raptum supra tertium coelum.

Euthymius in hunc locum existimat (nimirum ut confirmet errorem suum) hic Dominum loqui de paradiso terrestri; et ideo etiam scribit, Dominum latroni non respondisse, hodie mecum eris in regno meo, sed in paradiso; ut ostenderet aliud esse regnum, aliud paradisum. Et quia poterat aliquis objicere, Christum dixisse: Mecum eris in paradiso; et tamen Christus non est in paradiso terrestri, sed coelesti; respondet Euthymius, Christum esse ubique ut Deus est, et proinde esse cum latrone, aliisque sanctis in paradiso terrestri, et simul cum angelis in paradiso coelesti.

Haec expositio sine dubio potest, ac debet rejici. Primum, paradisus terrestris est locus deliciarum corporibus, non animabus; quid enim prodest animabus abundare pomis. herbis, aquis, caeterisque rebus terreni illius paradisi? Christus autem promittens latroni paradisum, promisit hortum deliciaram ipsi convenientem, idest spiritualem.

Secundo, voces Testamenti novi eum ambiguae sunt, potius accipi debent, ut sumuntur in aliis locis Testamenti novi, quam ut sumuntur in Testamento veteri, sed vox ista. paradisus, in Testamento novo accipitur pro paradiso spirituali, ut palet 2. Corinth. 12. igitur et Luc. 23. pro spirituali paradiso accipienda est.

Tertio, Christus promisit latroni consortium suum, cum ait: Mecum eris in paradiso. Christus autem non terrestrem, sed coelestem paradisum introivit. Nec valet responsio Euthymii: nam eo modo, quo Christus est ubique, erat cum latrone etiam in hoc mundo, cum adhuc latrocinia exerceret, et nihil ei Christus novi promisisset.

Jam vero Theophylactus nomine aliorum refert, et refellit duas alias expositiones ad hunc locum. Prima est quorundam, qui dicebant, latroni promissum fuisse paradisum coelestem, sed dandum post resurrectionem: dixisse autem Christum, hodie eris, propter certitudinem rei futurae, quomodo prophetae saepe exprimunt res futuras per tempus praesens, aut praeteritum: ut, cum Dominus dicit: Qui non credit, jam judicatus est. Secunda

est, illud hodie, conjungendum cum, dico, non cum, eris, hoc modo: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Sed neutra est solida; non prima, tum quia non oportet recurrere ad figuras, et relinquere propriam verborum significationem, nisi quando alioqui absurditas aliqua sequeretur; tum etiam, quia ista non sunt verba prophetica, ut oportuerit ea velari obscuritate, sed continent simplicem promissionem, et proinde simpliciter intelligenda sunt. Neque eo loco, qui non credit jam judicatus est, accipitur praeteritum pro futuro: non enim vult Dominus dicere, certo judicabitur, sed vere jam judicatus est, et condemnatus a seipso, cum nolit eam fidem amplecti, per quam salvus esse posset.

Secunda expositio est plane ridicula. Quorsum enim Dominus diceret: Amen dico tibi hodie? nonne videbat latro, Dominum loqui illa die? Praeterea, quis non videt per illud adverbium hodie, responderi ad illud adverbium, Quando quod latro posuerat? Latro dixerat: Memento mei, quando veneris in regnum tuum. Dominus respondet: hodie erit illud quando, proinde hodie mecum eris in regno et paradiso meo. Vera ergo expositio est Theophylacti, Ambrosii, Bedae, et aliorum, qui per paradisum intelligunt regnum coelorum. Ne forte enim latro per regnum intelligeret aliquid humanum, Christus declaravit, regnum suum esse paradisum, idest, summam et sempiternam felicitatem.

Quintum testimonium Ephes. 4. Christus ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Quo in loco per vocem altum, non potest intelligi nisi summum coelum: etsi enim quidam' intelligunt crucem, tamen Paulus se exponit paulo infra, cum ait: Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes coelos. Porro nomine captivitatis, quam secum duxit in coelum, quid potest intelligi, nisi multitudo sanctarum animarum, quas ex lymbo ad coelum evexit, ut Ambrosius exponit.

Dices, non sequitur, sancti sunt in coelo, ergo vident Deum. Respondee: Recte sequi; nam per coelum intelligimus sedem; et quasi anlam regiam Dei, ubi Deus semper videtur; nam Isaine 66. di-citur: Coelum mihi sedes est. Et Matth. 3. Nokite jurare per coelum, quia thronus Dei est. Et Matth. 18. Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei. Et in oratione dominica dicimus: Pater noster, qui es in coelis. Tametsi enim Deus ubique sit, tamen proprie in coelo esse dicitur, quia per sui manifestationem illic se praesentem ostendit, et cernitur ab iis. qui digni sunt coelesti illa sede. Unde eleganter Cyrillus catechesi 9. dicit, coelum esse velum deitatis, quo nobis videlicet, qui sumus extra velum, absconditur Deus.Immo b. Paulus ad Hebr. 9. comparat ingressum Christi in sanctuarium coeleste, com ingressu sacerdotis intra velum in sancta sanctorum, indicans idem esse coelum respectu divinae essentiae, quod erat velum respectu arcae Testamenti, et certe animabus sanctorum, si non videant Deum, parum videtur referre utrum in coelo isto materiali, an in terra, vel in alio loco sint.

Sextum testimonium Philip 1. Cupio dissolvi

et esse cum Christo. At si animae servantur in aliquo loco extra coelum, frustra hoc desiderabat Paulus, Christus enim in coelis est.

Septimum testimonium Hebr. 9. Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum. Quod exponunt Primasius, Anselmus, Theophylactus, Oecumenius in hunc modum, quod in sancta sanctorum non possent ingredi sacerdotes, nec populus, significabat toto tempore Testamenti veteris non fuisse apertam viam ad coelum.et ideo etiam justissimos quosque ad inferos descendisse: quia non poterant simul vigere figura et figuratum. At posteaquam Christus perrupit velum tabernaculi, et figurae cessaverunt, jam propalata est via sanctorum ad sanctuarium coeleste.

Octavum testimonium Hebr. 12. Non accessistis ad montem Sion etc. sed ad Sion montem et Hierusalem coelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis, et spiritus justorum perfectorum etc. Hic (ut recte Anselmus exponit) describitur Ecclesia triumphans, et in ea dicuntur esse tamquam cives, primum angeli, deinde amimae primitivorum, idest, eorum, qui primi credi-derant, et jam mortui fuerant, ut Jacobi apostoli, Stephani, et aliorum: qui dicuntur conscripti in coelis, quia sunt adscripti et cooptati cum angelis in ordinem civium coelestium: quomodo dicebantur Romae senatores patres conscripti. Nisi forte magis placeat per Ecclesiam primitivorum in coelis conscriptorum, intelligi animas patriarcharum et prophetarum cum Christo regnantium: per spiritus autem perfectorum, animas apostolorum et martyrum. Semper tamen eadem est sententia, jam. spiritus sanctorum hominum beatos esse, ea beatitudine, qua sancti angeli soli ante fruebantur.

Nonum testimonium est in lib. Actor. cap. 7.ubi Stephanus moriturus vidit coelos apertos, et gloriam Dei, Christumque stantem a dextris Patri. Cur autem hoc vidit, nisi ut intelligeret, sibi coelum patere, et se statim a Domino recipiendum in illam gloriam? Id enim ille intelligens exclamavit. Domine Jesu suscipe spiritum meum.

Decimum testimonium est cap. 6. Apocal. ubi dantur martyrilus singulae stolae albae, quae gloriam animae significant; nam alteram stolam.idest, gloriam corporis post resurrectionem habebunt; ut exponunt Gregorius in 4. psal. poenitentialem, et Beda, Haymo et Anselmus in hunc locum: nec non b. Augustinus serm. 4. de festo Innocentium.

Undecimum est cap. 7. ubi de istis dicitur: Hi, qui amicti sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei, et serviumt ei die ac nocte in templo ejus. Ex quo habemus, illos vere esse in coelo, et videre Deum. Quid enim significat esse ante thronum Dei, nisi habere Deum in conspectu, eumque cernere?

Atque hine solvi potest argumentum secundum; nam ad primum locum contra adductum respondeo dupliciter; ac primum, ut Chrysostomus in cap.20. Malth. monet, parabolas non oportere ex omni

parte quadrare, sed solum considerandum esse scopum; multa enim dicuntur non ad significandum aliquid, sed solum ut narratio integra videatur. Quemadmodum et culter ad scindendum factus est, nec tamen ex omni parte scindit. Alioqui quomodo operarii accipientes denarium murmurabant? Numquid erit murmur in coelo? Et cur Dominus dixit: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Num erit in coelo oculus nequam? Quomodo etiam fleri potest, ut merces prius sit reddita ultimis, quam primis, cum constet omnes simul electos eadem sententia donandos reguo coelorum? Solum ergo ex parabòla illa de operariis habemus, minori tempore Patres novi Testamenti laborare, quam fecerint Patris Testamenti veteris: et tomen ad eamdem beatitudinem pervenire: vel certe eos, qui converturiur in senectute breviorem laborem habere, quam eos; qui in adolescentia, et tamen posse non minus praemium adipisci.

Possumus etiam secundo respondere, si velimus illam partem esse significativam, qua dicitur, ad vesperam vocatos esse omnes operarios, et simul omnibus redditam esse mercedem; dicemus enim per vesperam significari futurum generale judicium, quo publice reddatur omnibus perfecta merces: quod tamen judicium non excludit particularia Dei judicia, quibus in obitu uniuscujsque redditur singulis privatim pars mercedis.

Ad secundum locum ex Paulo, qui ait, Patres non accepisse promissiones, sed suo tempore accepturos, dico tria. Primo, per repromissionem posse intelligi Christi incarnationem, ut exponit Primasius, id enim Deus promiserat saepissime Patribus Abrahae, Isaac, Jacob, David; unde Dominus ait: Multi reges et prophetae voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt.

Secundo dico, per repromissiones posse intelligi beatitudinem animae; et tunc conferri homines Testamenti veteris, cum hominibus Testamenti novi. ut sensus sit; illi antiqui sancti mortui sunt, non accepta repromissione vitae aeternae, ut non praevenirent nos, sed expectaverunt usque ad Christi adventum, ut eam repromissionem nobiscum, idest, cum sanctis Testamenti novi acciperent. Et favet huic expositioni textus graecus: δυχ ἐχομίσαντο τὴν ἐπαγγελείαν, non acceperant repromissionem, idest, nunc quidem acceperunt, sed antehac nondum acceperant.

Tertio dico, per repromissionem intelligi perfectam beatitudinem corporis et animae, quam illi adhuc non habuerunt, ne sine nobis habeant:quae quidem est communis Patrum expositio in eum locum, et Augustini tract.49.in Joann. notanda sunt omnia illa verba: Ne sine nobis consummarentur. Non enim ait, ne sine nobis remunerarentur, sed ne sine nobis consummatam mercedem non modo animae, sed eliam corporis acciperent.

Ad tertium locum ex epistela Joannis respondeo, illud, cum apparuerit, non significare, cum apparuerit Christus, sed cum apparuerit quid erimus; ut patet ex superioribus. Dixerat enim, nondum apparuit quid erimus, ac deinde subjecit, scimus enim, quia cum apparuerit, nimirum.

quid erimus, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Itaque illud, similes ei erimus, significat, similes Christo erimus coram oculis totius mundi; videbitur enim nos in nubibus Christo assidentes, ac similes illi quoad externam gloriam corporis. Quae gloria ex eo nascetur, quod videbimus eum sicuti est; Nam videre Deum, est beatitudo animae, ex qua nascitur gloria corporis. Est autem similis hic locus, ut Beda etiam monet illi loco Pauli: Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cum autem apparuerit Christus vila vestra, tunc et vos apparebitis cum inso in gloria. Coloss. 3. Quare non colligitur ex verbis Joannis, sanctos homines non visuros, Dum ante diem judicii, sed solum ante eum diem non esse eorum gloriam toti mundo manifestan-

Ad quartum ex Apocalypsi, dico, per altare, sub quo sunt animae, non posse intelligi aliquem locum extra coelum; nam in cap. 7. habemus, istas animas amictas stolis albis esse ante thronum Dei, Deoque in templo ejus, idest, in coelo servire, die ac nocle.

Tres ergo sunt catholicae expositiones. Prima Bedae, illud: Sub altari, conjungi cum interfectorum, hoc modo: Vidi animas interfectorum sub altari: per altare autem intelligi Christum, ut sensus sit: Vidi animas interfectorum sub altari, idest, sub testificatione nominis christiani: quomodo 2. Machab. 7. dicuntur Machabaei occisi sub Testamento Dei, idest, pro Testamento Dei.

Secunda, ejusdem Bedae, Primasii et Haymonis, illud, sub altari, conjungi cum vidi, sed per altare intelligi secretum intellectuale, unde procedit thimiama laudis divinae. Sicut enim in tabernaculo erat arca, et ante arcam altare aureum thimiamatis. ita in coelo, tabernaculo non manu facto, est arca humanitatis Christi, in qua residet divinitas: et ante eam est altare aureum, unde procedit perpetuum thimiama laudis divinae, et precum. Et notat Haymo, quod sicut in tabernaculo materiali, inter altare aureum et arcam, erat velum, quod fractum est in morte Christi: ita quoque durante Testamento veteri, animae sanctorum erant sub altari, sacrificantes Deo hostias laudis, sed velum erat inter eas et Deum; at fracto velo per Christum, jam altare est conjunctum arcae, et nihil est in medio. Dicuntur autem animae esse sub altari isto, non autem ad altare, ad significandum secretum illud coeleste, quo non solum oculi, sed nec mentes nostrae penetrare possunt. Quis enim capiat, quomodo animae sint ante Deum, eique ministrent in coelo?

Tertia est Anselmi, qui docet, per altare intelligi Christum. Sacrificia enim sanctorum, sive laudis sive orationum, non placent Deo nisi super hoc altari ponantur, idest, per Christum offerrantur. Dicuntur autem animae sub Christo esse, non quia Christus sit illis quasi paries adumbrans, et impediens, quo minus Deum videant, ut b. Bernardus videtur exposnisse, sed sub Christo esse dicuntur, quia illo inferiores sunt loco et dignitate; quia sub Christi patrocinio et protectione vicerunt, et illi referunt accepta sua praemia.

CAPUT IV.

## Eadem veritas ex graecis Patribus confirmatur.

Sequitor nuno, at post Scripturas sacras, proferamus etiam testimonia Patrum, ac primum Graecorum, ne recentiores Graeci existiment, velerum testimonio errorem suum se posse defendere.

Primus. Ignatius in epist. ad Rom. dicit, se per martyrium proficisci de mundo ad Deum. Et rursum ail: Aqua viva manens in me, intrinsecus milii dicit, veni ad Patrem. At secundum errorem Graecorum et Calvinistarum, non ad Deum ibat, sed ad inferos, aut ad alium locum extra coelum. ubi non magis Deus est, quam hic nobiscum. Praeterea ibidem ait: Sinite me puram lucem aspicere, illuc perveniens, homo Dei ero. Et rursum: Miserabilis sum nunc, donec Deum merear adipisci. An non clarissime indicat, se statim a morte futurum cum Deo, et visurum puram lucem divinitatis? Denique saepius repetit, se per martyrium adepturum Christum, At quomodo adipiscetur, si Christus est in coelo, et ipse erit apud inferos, in abditis receptaculis, nescio quibus?

Secundus sit Dionysius areopagita, qui lib. de Ecclesiast. hierar. cap. 7. part. 1. loquens de sanctis in morte constitutis: Norunt, inquit profecto se totos percepturos exactissimam ad Christi speciem, requiem, cum ad praesentis vitae finem pervenerint, viamque ad immortalitatem suam e vicino jam clarius intuentes, divinitatis laudant munera, divinaque laetitia gestiuni, non jam ad deteriora conversionem metuentes, sed parata bona se firmiter perpetuoque habitures probe noscentes etc. Nota dicere Dionysium, animas sanctorum statim a morte hominis consequi immortalitatem: cumque hoc non possit intelligi de immortalitate naturali, nec de immortalitate carnis, necessario esse intelligendum de beatitudine, quae est vita aeterna animae. Eodem lib. et cap. part. 3. dicit animas sanctorum statui in regione vivorum, in sinu Abrahae, Isaao et Jacob, et subdit: Ista, ut reor, sunt perspicuo beatissima sanclorum praemia. Quid enim immortalitati perfectae, omnique tristitia vacuae ac plenae perpetui luminis conferri possit? Licet multum sane promissiones illae sublimores nostra mente sini, quae vocabulis nobis congruis designantur, longe tamen inferiores earum re et veritate appellationes habent. Verum enim profecto illud existimandum eloquium est: quod oculus non vidit, auris non audivit, in cor hominis non ascenderunt, quae praeparavit, Deus diligentibus se etc. At certe ista non conveniunt, nisi essentiali beatitudini, quae sola superat nostra desideria.

Tertius sit Justinus, qui quaest. 75. a gentibus posita (quamquam istae quaestiones non videntur Justini, sed alicujus recentioris): At, inquit, post animi a corpore excessum statim sit bonorum, malorumque distinctio: ducuntur enim ad loca. quae eis digna sunt, ab angelis, bonorum quidem animi in paradisum, ubi consuetudo est, et

aspectu angelorum et archangelorum. visio vero etiam conservatoris Christi ex verbis his, peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum, improborum autem ad inferorum loca etc. Ubi nota probari sententiam nostram tum ex eo, quod dicit, bonorum animos duci ad paradisum, ubi sunt angeli, et Christus, tum ex loco Rauli, quem Justinus allegat; nam (ut supra dixinus) praesentem esse ad Dominum, significat videra Deum, cum opponatur peregrinationi a Domine, et ambulationi per fidem.

Atque ex his ad loca ex Justino adducta in contrarium facile est respondere; nam quaest. 60: ubi dicit, narrationem de Lazaro non esse historiam, quia nondum facta est retributio, loquitur de retributione perfecta; quando totus homo; animo et corpore guadebit, vel cruciabitur. Et quia in illa narratione fit mentio corporalis supplicii, dicitur: Et refrigeret linguam meam, quia cructor in hac flamma. Ideo Justinus dicit, illam narrationem non esse historiam, quia nondum habent damnati corporalia membra etc. In quaest. 76. Gentiles quidem quaerebant, și ante resurrectionem nulla sunt operum praemia, quorsum latro in paradisum introductus fuit? Sed Justinus non admittit antecedens, immo ostendit magnam remunerationis partem esse, quod animus latronis sit in coetu beatorum, et videat inferiora, et angelos ac daemones. Non meminit autem Dei visionis, quia Graeci non solent vocare visionem, nisi ejus rei, quae plene comprehenditur, et ideo passim negant. Deum posse videri a creatura: Sed quod aliquo modo latro Deum videat, indicat Justinus, cum dicit eum esse in coetu beatorum.

Quartus. Irenaeus lib. 1. cap. 2. Justis, inquit, et aequis, et praecepta ejus servantibus, et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam quidem ab initio.quibusdam autem ex poenitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris confert, et claritatem aeternam circumdat. Nota, quibusdam, idest, iis, qui mox a baptismo moriuntur, vel qui pro Christo vitats ponunt, vel denique perfectis statim donari vitam et claritatem aeternam; aliis non, nisi post poenitentiam, idest, satisfactionem in futuro saeculo actam. Est enim haec sententia Irenaei simillima illi Cypriani lib. 4. epist. 2. ad Antonianum: Aliud est, inquit, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire: aliud missum in carcerem, non exire inde donec solvat novissimum quadrantem: aliud statim fidei et virtutis mercedem accipere: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.

Quod ergo idem Irenaeus lib. 5. extremo dicit. animas sanctorum deduci in invisibilem locum. et post resurrectionem cum corporibus iturus ad Dominum, non significat eas interim non esse in coelo, vel non videre Deum, sed solum significat eas non esse nunc in illa perfecta beatitudine, in qua est Christus, qui animo et corpore est beatus.

Et confirmatur hoc ex multis conjecturis. Primo: Quia hoc ipso loco dicit. Christum descendisse ad inferorum loca, ut sanctorum animas inde extra-Bellarmin. Vol. II. heret et salvaret. Si cas ergo extraxit, non sunt amplius ibi: et si salvavit, certe vident Deum; nam hace est salus animarum.

Secundo: Cum dixisset, Christum descendisse ad inferos, antequam resurgeret; et subjungeret, debere discipulos imitari magistrum suum, non tamen ausus est dicere, discipulorum animas descendere ad inferos; sed ait, eas duci ad invisibilem locum, ut ibi expectarent resurrectionem, per invisibilem locum quid prohibet intelligere coelum, ubi est lux inaccessibilis?

Tertio: Quia Irenaeus contendit, discipulos debere in morte, et requie, et resurrectione Christum imitari: At Christus statim a morte, non fuit quidem beatus corpore, sed quievit triduo in sepulchro, interim tamen animo erat beatus, et in paradiso, ipse enim dixit: Hodie mecum eris in paradiso; ergo etiam sancti, dum quiescunt in sepulciris quantum ad corpora, animo sunt in paradiso beati.

Quintus. Origenes, qui in illis ipsis locis, qui contra nos afferuntur, pro nobis est; nam hom. 7. in leviticum dicit, sanctos habere nunc laetitiam, sed non perfectam, quia adhuc corpus eorum, idest, civitas illa beata non est plena, sed quando erimus nos etiam ubi ipsi sunt, tunc habebunt perfectam lactitiam, et addit, Christum etiam non habere perfectam laetitiam, quia nondum habet omnia sua membra. Itaque aperte loquitur de laetitia accidentali. Libro autem 2. Periarchon cap.ult. dicit plerosque sanctorum primum duci ad locum aliquem terrestrem, ut ibi expoliantur, et doceantur multa, quae nesciebant; deinde duci ad loca aerea, et ibi discere quaedam sublimiora; tandem duci supra coelos ad Christum, et ibi jam videre perfecte caussas omnium rerum. Ibidem asserit Paulum, et similes perfectos jam ibi esse, et videre in Deo omnia. Itaque errat quidem in eo, quod vult, sanctos paulatim proficere in alia vita, sed aperte fatetur nunc multos eorum esse in coelo, et videre Deum.

 Sextus. Athanasius in vita Antonii dicit, animam Ammonis angelis slipatam visam ab Antonio deferri in coelum.

Septimus. Basilius homilis in quadraginta martyres: Vos, inquit, non terra occuluit. sed coclum suscepit, apertae sunt vobis paradisi portae: Et oratione in Gordium martyrem: Erat enim affectus, non ut qui in lictoris manus deventurus esset, sed velut angelorum manibus seipsum commissurus, qui statim ipsum recens maciatum; assumptum ad beatam vitam translaturi essent.

Octavus. Gregorius nazianzenus oratione in Basilium: Tu, inquit, obiter e coelo nos respice, et datam mihi renum debilitatem, et articulorum dolorem, vel jube discedere, vel adjuva, et hortare, ita me aequo animo ferre, ut hinc demum discendentem me in aeterna tabernacula recipias, et beatam Trinitatem eo, quo est modo, tecum puriter contemplari valeam. Et oratione in Gorgoniam, dicit cam frui cum angelis purissima illustratione Trinitatis, quae toti menti totam se contemplandam praebeat.

Nonus. Gregorius nyssenus oratione in sanctum

Ephrem: In coelestibus tabernaculis, inquit, animus illius consedit, ubi sunt ordines angelorum, ubi patriarcharum populi, ubi chori prophetarum, ubi sedes apostolorum, ubi gaudium martyrum, ubi piorum laetilia, ubi doctorum splendor, ubi celebres primogenitorum coetus, ubi purae laetantium voces. Et infra: Tu vero divino assistens altari, vitaeque principi, et sacrosanctae una cum angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrum recordare, nobisque peccatorum veniam impetra.

Decimus. Joannes chrysostomus hom. 10.in posteriorem epistolam ad Corinth. loquens de beatitudine: Si cogitatio, inquit.illorum quamvis obscura sit, tantam suppeditat voluptatem, cogita quantam laetitiam nobis allatura sit manifesta ipsa comprehensio. Beati et ter beati, qui illis bonis fruuntur, sicut et miserabiles et miserrimi, qui hisce contraria sustinent. Hom. 3. in epistol. ad Philip. Peccatores, inquit, ubiubi fuerint, procul a rege sunt, alque ideo digni qui fleantur. Justi vero, sive hic, sive in futuro saeculo fuerint, cum rege sunt, illic tamen magis, et proprius non per ingressum ac fidem, sed facie ad faciem etc. Nec in textu graeco hic insignis logus aliter se habet: O'toe dixatot avte ev tauda, αντε έχει. μετά του βασιλέως είσι, χαχει μάλλον, χαι έγγύτερον, ουδιά εἰσόδου, ουδιά πίςεως, άλλα πρόσωπον, πρός πρόσωπον. Eadem verba repetit hom. 69. ad popul. et hom. in illud Sapient. 5. Justorum animae in manu Dei sunt.

Rursum idem Chrysostomus hom. 4. in epistol. ad Philipp. exponens illud, Utrum eligam ignoro etc. Quid, inquit, dices Paule, cum hinc abiens in ipsum coelum migralurus sit,alque cum Christo futurus. ignoras quid eligere debeas? Et infra: Quis athleta cupiet amplius certare, cum jam liceat coronari etc. Item homil. 32. in epist. ad Roman, dicit, nunc Pauli animum versari in summo coelo prope ipsum regis solium, ubi cherubin et seraphin volitant. Lib. 5. de sacerdotio, dicit eos, qui pare communicant corpori dominico, in extrema hora ab angelis stipatos recta in coelum abduci. Ex his patet Chrysostomi sententia.

Quare ad id, quod objiciebatur ex homil. 39. in priorem ad Corinthios, dico, Chrysostomum non velle dicere, animam non frui bonis aeternis ante resurrectionem; sed sempliciter non fruituram ullis bonis coelestibus, si caro non resurgat; quia nimirum, cum tam animus, quam caro laboraverint, par est, ut utraque pars suam mercedem habeat. Quod si una non habebit, inde colligitur, nec alteram habituram. Et econtrario, si caro suo tempore resurget et coronabitur. colligitur nunc animam coram Deo vivere et coronari. Vide Theoaphylactum, qui in cundem locum Pauli scribens, Chrysostomi sensum clarius proponit.

Ad alterum Chrysostomi locum dico, cum loqui de corona, seu gloria corporis de qua etiam Pautus lequitur. Et idem respondemus ad loca objecta in contrarium Theodoreti, Theophilacti, Occumenii in hunc locum; nam illi, ut Chrysostomi discipuli, ipsius commentarium imitati sunt.

Undecimus. Cyrillus Hierosolymae episcopus

catech. 13. de latrone loquens: Tu. inquit, de ligno introduceris in paradisum. Et ne putemus eum loqui de loco refrigerii in sinu Abrahae. Nondum, inquit, Abraham fidelis ingressus est et latro ingreditur etc. Et ne putemus eum loqui de paradiso terrestri: Ne timeas, inquit, serpentem, cecidit enim de coelo, non te ejiciet. Itaque clarissime Cyrillus asseruit, latronem primum omnium in paradisum ingressum.

Duodecimus. Cyrillus alexandrinus lib. 11. in Joannem cap. 36. dicit, animas sanctorum non versari in terris post mortem corporis, neo deduci ad poenas gehennae, sed evolare in manus Dei Patris: Et ne putemus hoc intelligi de sinu Abrahae, vel loco aliquo extra coelum, dicit, hoc inter a Christo primuin apertum et paratum. Non ergo descendunt animae sanctorum ad locum, quo ibant ante Christi mortem: et addit, animas sanctorum vitam perpetuam eum Christo habere.

Decimustertius. Epiphanius haeres. 78. in fine: Sancti, inquit. sunt in honore, quies ipsorum in gloria, profectio hinc in perfectione, sors ipsorum in beatitudine, in mansionibus sanctis, tripudium cum angelis, diaeta in coelo, gloria in honore incomparabili et perpetuo, bravia in

Christo Jesu Domino nostro.

Decimusquartus. Theodoretus lib. 8. ad Graecos, qui est de martyribus: Si coelum. inquit, sedes illorum est, qui pie vixerunt: hunc profecto finem sui cursus et martyres jam consequuti sunt, his enim magis pium esse nihil potest. Et infra: Ideoque, inquit, majori sotte merito perfruuntur martyres, qui nunc et a cunctis late mortalibus honores amplissimos fuerunt, et aeternis sunt insigniti coronis. Si ergo jam sunt in coelo.et acternis coronis insigniti sunt quomodo non sunt assequuti repromissionem (ut idem Theodoretus.nobis objectus ab adversariis, dicit) nisi de repromissione resurrectionis et gloriae corporalis ser-

Decimusquintus. Eusebius lib. 4. hist. cap. 15. Polycarpum dicit per mortem immortalitatis praemia jam adeptum. At quae est ista immortalitas, quae praemii loce dătur animae natura sua immortali.nisi bçatitudo? Idem lib. 6. cap. 5. de Potamioena: Hoc modo, inquit, beata Virgo emigravil e terris ad coelum. Similia passim leges.

Decimussextus. Damascenus in historia de Bar-Inam et Josaphat in fine: Vultui Domini, inquit.nitide et nude proesentatur. illiusque gloriae jam ante promissa sibi corona exornatur.

Decimusseptimus. Theophilactus in cap. 23. Lucae, Dicendum est, inquit, idem esse paradisum et regnum coelorum: nam latro est in paradiso ac regno, alioqui non frueretur perfecta bonorum participatione, etc. ubi prolixe confutat eurum sententiam, qui volunt latronem fuisse duclum ad paradisum, non autem ad regnum coelorum. Quando ergo Theophilactus dicit in capat 16. Lucae narrationem de divite et Lazaro esse parabolam, quia nondum facta est divisio praemiorum et poenarum; loquitur de praemis et poenis quae ad corpus pertinent; et ideo recle vocal parabolicum sermonem de oculis et lingua divitis in

inferno. Quando etiam dicit in cap. 11. ad Hebracos, sanctos nihil coelestium promissionum accépisse, vult dicere, nibil illius gloriae et earum

dolium, quae corpori affert resurrectio.

Decimusoctavus. Oecumenius in cap. 9. ad Hebracos dicit, Christum non solum in coelum ingressum esse, sed etiam secum duxisse genus humanum, idest, multos sanctos Patres, qui sine dubio si in coelo cum Christo sunt ibi quoque cum ipso beati sunt, alioqui ( ut supra diximus ) parum prodesset spiritibus coelorum corporalium habita-

Habemus ergo, omnes doctores graecos pro nobis esse, soli enim remanent Arethas et Euthymius ex iis, qui nobis objecti sent. Ex quibus Arethas, cum dicit sanctos sperare futuram gloriam, potest commode intelligi de gloria corporis. Euthymius autem non potest exponi, sed non est hac in re usque adeo magni faciendus; nam est omnium recentissimus. Scripsit enim circa annum 1180. quo lempore Graeci schismatici et haeretici maniteste esse coeperant.

Ad illam confirmationem, quam afferebamus ex Graecis, qui Deum videri posse negant a creatura, b. Augustinus respondet, auctores illos, cum dicunt Deum non posse videri, loqui de visione corporali. Sie enim ipse exponit verba b. Hieronymi in epistol, 411. dicit enim Hieronymum voluisse dicere, angelos non videre Deum oculis corporeis,

sed tamen mente videre.

At have solutio non satisfacit propter tres caussas. Primo, quia Hieronymus, et cum eo Chrysostomus, Theodoretus, et alii citati diserte asserunt, angelos esse spiritus, et non habere corpora aerea, vel ignea naturaliter unita, ut b. Augustinus opinatus est, et tamen negant ab angelis Deum videri.

Secundo, quia Hieronymus reddens caussam.cor angeli non possint videre Deum, ait non enim potest creatura aspicere Creatorem suum, et eandem caussam reddere solet Chrysostomus. At haec ratio tam valet in oculis corporis, quam in oculis mentis, utrique enim sunt oculi ereati.

Tertio, quia isti Patres dicunt, nec angelis, nec hominibus Deum esse visibilem, sed soli ipsi Deo. At Deus non videt se corporeis oculis, sed mente. De mente igitur, non de corporeis oculis Patres lo-

quantur.

Vera ergo solutio est b. Thomae 1. part. quaest. 12. art. 1. hos Patres nomine visionis intelligere comprehensionem perfectam; quia enim quod oculis corporis videmus, persectissime comprehendimus, quod autem in boc mundo intelligimus, non ita perfecte intelligimus, non enim habemus species proprias substantiarum, et maxime separatarum; ideo vocabulum videndi non solent usurpare pro qualibet cognitione, sed solum pro perfectissima illa, qua res comprehenditur, pro genere visionis non potest Deum videre, nisi Deus. Praeterea eliam error Anomeorum dicentium Deum posse comprehendi a creatura, illo tempore vigebat, et ideo Patres abborrebant a vocabulo videndi, cum de Dei contemplatione loquebantur, ne viderentur udmittere comprehensionem.

Dices, at Chrysostomus ait: Angelis Deum fuis-

se invisibilem usque ad incarnationem Christi tantum, non igitur loquitur de comprehensione, alioqui sequeretur post incarnationem Deum posse comprehendi. Respondeo: Deum ante incarnationem nihil fuisse, nisi Deum, et ideo simpliciter incomprehensibilem: at post incarnationem factus est homo, et in quantum homo comprehensibilis est; et hoc vuit Chrysostomus.

Dices Secundo, Theodoretus loco citato ait: Angelos non aliter videre Deum, quam viderint olim Abraham, Moyses; et Isaias, et caeteri: at isti non solum non comprehenderunt, sed nec vere viderunt Deum in se, sed solum in corpore assumpto ab angelis, qui Deum referebant, vel in imagina-

ria revelatione.

Respondeo: Theodoretum non dicere, non aliter sed tantum statuere similitudinem inter visionem angelorum et patriarcharum; quae in hoc consistit, quod sicut una est imperfecta, et non comprehensiva, ita et altera, quamvis cum magno di-

#### CAPUT V.

Idem probatur testimoniis Latinorum.

Adjungamus nunc Latinorum Patrum consensum, ut haec fides, totius Ecclesiae fides fuisse intelligatur. Primus, Cyprianus lib. de exhortatione martyrii cap. ult. Quis. inquit, non omnibus viribus elaboret, ut eum Christo statim gaudeat? ut post tormenta et supplicia terrena ad praemia divina perveniat? Et infra: Clauduntur oculi in persequationibus terrae, sed patet coelum; minatur Antichristus, sed Dominus Christus tuetur; mors infertur, sed immertalitas sequitur; occiso mundus eripitur.sed restituto paradisus exhibstur; vita temporalis exlinguitur, sed aeterna reparatur. Quanta est dignitas, el quanta securitas, exire hinc laetum, exire inter pressuras et angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, et mundus, et apcrire eosdem statim, ut Deus videatur, et Christus? Tam velociler migrandi quanta felicitas, ut terris repente subtraharis, ut in regnis coelestibus reponaris? Similia habet sermone de mortalitate epist. 2. lib. 4. et alibi sacpius.

Secundus, Hilarius in psal. 64. Beati quidem, inquit, sunt, qui jam a Deo ad habitandum in tabernaculis ejus electi sunt:sed festinare nos in consortium hujus beatiludinis congruum est. operationibus id atque orationibus expetentes etc. Et paulo ante dixerat illa tabernacula esse coelestes mansiones, quas in domo Patris sui esse Christus dixit. Item in psal.60. dicit, sanctos esse reges, et perpetuo cum Deo habitare. Et in psal. 124. loquens de apostolis aliisque sanctis : Quomodo possumus, inquit, montes non eos significatos esse intelligere, qui super terrenam naturam gloriosi jam in Dei rebus exullant? Quando ergo idem Hilarius in psal. 138. dicit legem esse humanae necessitatis, ut animae ad inferos descendant, intelligitur pro eo tempore, quo coclom erat clausum; Nam posteaquam Christus in coclum ascendens, aditum ad coelum reseravit, non est amplius necessarium ad inferos descendere.

Tertius, Ambrosius lib. 7. epistol. 59. ad Thessal. Acolius, inquit, superiorum incola, possessor civitatis aeternae, illius Hierusalem, quae in coelo est, vidit illic urbis ejus mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum, et haec omnia jam dudum sibi comperta, sed nunc facie ad faciem. Vide etiam lib. 10. epist. ult.et in cap.1.epist. ad Philippenses. Quod ergo Ambrosius ait lib. 2. de Cain cap. 2. animas adhuc ambiguo futuri judicii suspendi, ad cognitionem temporis referendum est. Vult enim dicere, animas etiam beatas non scire, quando judicium sit futurum. In libro autem de bono mortis cap. 10. loquitur de retributione mercedis, quae tam animo quam corpori publice coram toto mundo danda est. Illa enim proprie dicitur corona, quae datur victoribus publice, et cum celebritate: sed hinc non sequitur.partem ejus praemii non esse datam antea per judicium particulare. Neque obstat, quod videatur Ambrosius dicere omnes animas descendere ad inferos; non enim ipse hoc dicit, sed tantum approbat, quod philosophi veteres hoc dixerint, quia illo tempore verum erat.

Quartus est, Prudentius, qui in carmine de b. Agnete sic cecinit:

O Virgo felix, o nova glaria, Coelestis arcis nobilis incola.

Atque alia ejusmodi passim Prudentius repetit, Quare cum dicit alibi, animas beatas deduci ad sinum Abrahae, vel ad paradisum, unde Adam ejectus fuit, loquitur figurate, quia tam sinus Abrahae, quam paradisus terrestris typi sunt regni coelorum, et patet ex ipso loco Prudentii: nam animas dicit esse in sinu Abrahae, et simul in paradiso, cum tamen constet loca fuisse diversa secundum proprietatem, sed diversa non sunt secundum significationem.

Quintus est, b. Paulinus, qui natali 3. de s.Felice sic ait:

Corpore terris.

Occidil, et Christo superis est natus in astris. Coelestem nactus sine sanguine martyr honorem.

Ilem: Ast illum superi sacra gloria luminis ambit, Florentem gemina belli pacisque corona.

Sexlus, b. Hieronymus in epist. ad Marcellam de obitu Leae: Nunc, inquit, pro brevi labore aeterna beatitudine fruitur, excipitur angelorum choris, Christum sequitur, et dicit, quaecumque audivimus, vidimus in civitate Domini virtutum, Similia habet in epitaphio Nepotiani, Paulae, Blaesillae, et aliorum.

Seplimus, Augustinus lib. 12. in Genesin cap. 34. primum dicit animas sanctorum esse in paradiso, sive in tertio coelo, quo raptus fuit Paulus: Sive, inquit, in tertio coelo, sive ubicumque alibi quo post tertium coelum est raptus apostolus: si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellutum, ubi sunt animae beatorum. Deinde explicans quid sit hoc tertium coelum, sic ail: Tertium est coelum quod mente conspicitur ita secreta, et remola, et omnino abrepta a sensibus

carnis, alque mundala, ut ea quae in illo coelo sunt et ipsam Dei substantiam verbunque Deum per quod facta sunt omnia in charitate Spirita sancti, ineffabiliter valeat videre et audire.ldem Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 13. Animae victrices, inquit, gloriosorum martyrum, omnibus doloribus ac laboribus superatis, atque finitis. posteaquam mortalia membra posuerunt, cum Christo utique regnaverunt intregnant. donec finiantur mille anni, ut postea receptis eliam corporibus jam immortalibus regnent. Idem in psal. 116. in illud; Heu mihi, quia incolatus meus prolungatus est etc. Inquit: Ibi omnes justi et sancti, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine literis; quod enim nobis per paginam scriptum est, per faciem Dei illi cernunt? Idem lib. meditationum cap. 22. Felix anima, inquit, quae terreno resoluta corpore, libera coelum petit, secura est et tranquilla, non timet hostem, neque mortem; habel enim praesentem, cernitque indesinenter pulcherrimum Dominum, cui servivit, quem dilexit, et ad quem tandem la eta et gloriosa pervenit. Et cap. 24. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitats jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetts. Denique s. Augustinus epist. 111. existimat Paulum in illo suo raptu vidisse Dei essentiam; quanto ergo magis credendum, eum hoc sentire de animabus beatorum?

Jam pro explicatione locorum contrariorum duo notanda sunt. Primum est, Augustinum aliquando dubitasse, non quidem de ipsa visione Dei et beatitudine, sed de loco, ubi sint animae beatorum, et tamen postea re diligenter considerata id asseruisse, quod nos asserimus: Nam in psal. 36. ail, animas ante diem judicii non esse in regno coelorum, sed in sinu Abrahae, quasi haec loca distincta sint. In lib. 9. Confessionum.cap. 3. indicat se dubitare, cum ait: Nunc, inquit, vivit Nebridius in sinu Abrahae: quidquid illud est, quod illo significatur sinu: Ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem Domine adoptivus ex liberto filius, ibi vivit: Nam quis alius tali animae locus? ibi vivit:unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum: Jam non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, et bibit quantum potest sapientiam pro aviditate sua, sine fine felix etc. Ecce hic asserit visionem et fruitionem, et tamen ambigit de loco.

At lib. 2. quaest. evangelicarum cap. 38: (quos libros posterius scripsit, ut ex Retractationum lib. 2. colligitur) sic ait: Sinus Abrahae requies est beatorum pauperum, quorum est regnum coelorum, in quo post hanc vitam recipiuntur. Et infra: Sinus Abrahae intelligitur secretum Patris, quo post passionem resurgens assumptus est:quo eum portatum ab angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem, qua in secretum Patris abscessit, angeli annunciaverunt discipulis intuentibus. Dicentes enim: Quid statis intuentes in coclum? quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum usque in illud penetrare secre-

tum, quo ibat Dominus, cum in conspectu discipulorum ferretur in coelum. Jam caetera secundum superiorem expositionem accipi possunt, quia secretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem justorum animae vivunt cum Deo. Quid clarius?

Rursum lib. 20. de Civ. Dei cap. 15. clarissime dicit: Beatos non esse apud inferos, ubi prius erat Lazarus; proinde correxit, quod dixerat in ps. 36. sic autem ait: Si enim non absurde credi videtur, antiquos eliam sanctos, qui venturi Christi te-nuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis-Christi, et ad ea loca descensus erueret. Profecto deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti prorsus inferos nesciunt. Ex his etiam deducitur apud Augustinum abdita vel secreta receptacula non esse lymbum Patrum in inferno, sed secretum Patris in coelo, et sic explicata remanent tria loca, lib. enchirid. eep. 108. et lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. et in psal. 36.

Nota Secundo, Augustinum existimasse sanctorum animas videre quidem Deum, sed non ita perfecte, ut videbunt post resurrectionem; propterea quod naturale desiderium recipiendi corpus non sinat animas toto conatu ferri in Deum, et hoc esse discrimen inter angelos et homines, quod angeli, cum nihil amplius expectent, toti ferantur in Deum; animae sanctorum partim ad Deum, partim ad corpus respiciant. Id patet ex libro 12. de Genes.cap. 35. ubi posita quaestione: Quid opus sit animae ad beatitudinem resumptione carnis? Respondet: Quia non potest anima sine carne sic videre Deum, ut vident angeli: et rationem reddens, ait: quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi quo appetitu retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud summum bonum, quam diu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. Itaque non dicit Augustinus, animam a corpere separatam, non posse videre incommutabilem substantiam, sed non posse videre eo modo, idest, tam perfecte, ut angeli vident, propter caussam jam dictam. Pari ratione lib. 1. Retract. cap. 14. ubi merito quaeri dicit, num sanctorum animae sint adhuc in illa possessione beatitudinis, in qua sunt angeli, explicat seipsum paulo infra, cum ait : Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dichum est, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant (quia videlicet carent corpore suo, quod naturaliter appetunt) non hic locus est disputando inquirere etc. Non ergo dubitat, an animae justorum sint in illa possessione, sed an sint ita, ut nihil eis desit.

Eodem modo respondendum est ad locum illum ex epist. 111.ad Fortunatianum: loquitur enim de perfectissima visione, quam non habebimus, nisi cum acquales angelis fuerimus, quod erit utique in resurrectione mortuorum. Nunc enim sancti non sunt angelis aequales, cum angeli toti sint vivi et immortales, sencti autem partim vivi, partim mortui sint.

Est autem hic notandum, propter haec loca b. Augustini, Scholasticos quaerere; an gloria animae major erit post resurrectionem, quam antea, et qui-

dem conveniunt omnes in duobus. Primo, gaudium animae accidentale futurum majus tem extensive, quia erit in anima et in corpore; quam intensive, quia ipsa anima magis gaudebit, quando videbit suum corpus gloriosum, quam nune, cum illud videt mortuum jacere.

Secundo, gaudium essentiale fore majus extensive, quia nunc est in sola anima, postea autem redundabit in corpus, et efficiet ipsum corpus suo modo gloriosum. Non autem conveniunt de incremento essentialis gloriae intensive, nam Magister in 4. sentent. dist. 49.et b. Thomas ibidem quaest. 1. art.4.divus Bonaventura ibidem art.1.quaest. 1. Richardus ibidem art. 2. quaest. 7.et Marsilius ibidem quaest. 13. art. 3. dicunt gloriam essentialem fore tunc majorem etiam intensive, et de hoc augmento intelligunt Augustinum.

Rationes praecipuae sunt duae. Prima: Quia anima perfectius esse habet in corpore, quam extra corpus, ergo et perfectius operabitur. Secunda: Quia anima separata propter inclinationem ad corpus distrahitur et impeditur, ne tota intentione feratur in Deum, ergo remoto hoc impedimento, intensius operabitur. At in contrarium d. Thomas prim. 2. quaest. 4. art. 5.et Cajetanus ibid. et Durandus in 4. dist. 49. quaest. 7. dicunt, gloriam essentialem non fore majorem intensive, sed extensive solum; et de isto augmento extensivo exponunt Augustinum; et ratio eorum est, quia si gloria cresceret intensive, vel id accideret ratione objecti, vel luminis, sive habitus gloriae, vel potentiae: non ratione objecti, vel habitus, quia ista non crescunt, nisi crescat gratia; gratia autem pon crescit in die judicii, quia non est locus novis meritis post hanc vitam: non eliam ex parte potentiae, quia cum anima in videndo Deum, non pendeat a phantasmate, non pendet ullo modo a corpore, ei proinde tam perfecte esse potest operatio ista videndi Deum, in anima separata, quam in anima corpori adjuncta.

Ego dico duo: Primo: Opinionem priorem esse magis ad mentem Augustini, necnon Haymonis in c. 6. Apocalypsis, et Bernardi, de quo infra; nam Augustinus clare dicit, animae separatue deesse aliquid ad videndum Deum perfecte, dum caret corpore. Dico Secundo: Opinionem secundam esse simpliciter veriorem, et propterea b. Thomam recte mutasse opinionem. Unde ad Primum pro prima opinione dico, animam non habere melius esse in corpore, quam extra corpus, nisi extensive quia suum esse communicat corpori; nam alioqui in se esse animae semper est idem; nec suscipit magis

Ad Secundum dico: Inclinationem ad corpus, non impedire visionem, vel amorem Dei ullo modo, quia ordinatur ad amorem Dei, tamquam ad finem: sicut amor medicinae non impedit amorem sanitatis: alioqui angeli quando milluntur ad exteriora, et de illis cogitare ceguntur, distraherentur a visione Dei: et ipsa anima quando debebit occupari in administrando corpore, distraheretur etiam. magis, quam nunc in appetendo corpus. Adde, quod videtur hoc definitum a Benedicto XII. nam in Extravaganti, Benedictus dicit continuari visionem Dei, quam habent animae a morte corporis usque ad resurrectionem, et inde usque in aeternum: ubi videtur dicere, eam non crescere, neque minui: et Joannes Villanus libr. 11. histor. cap. 19. dicit: Benedictum definivisse animarum glorium non augendam post resurrectionem, nisi extensive: ita enim testatur se audivisse a theologis, qui interfuerunt, cum illud a pontifice definiretur. Haec de Augustino.

Octavus Puter Latinus, sit Prosper, qui lib. 1.de vila contemplativa cap. 1. Quia secundum Scripturae. inquit. sacrae sermonem, tota humana vila tentatio est super terram, tunc est tentatio finienda, quando finitur et pugna: et tunc est finienda pugna guando post hanc vilum pugnae succedet secura victoria, ut omnes milites Christi. qui usque in finem vitae praesentis divinitus adjuti suis hostibus infatigabiliter restiterunt, laboriosa jam peregrinatione transacta regnent felices in patria: cujus hoc erit totum praemium, ut vitae contemplativae semel compos effecta inexplebiliter auctorem beatitudinis suae conspiciat, de illo gaudeat, de illo quod speravit obtineat, et in eo, ad quod sancte vivendo pervenerit. sine fine permaneat.

Nonus. Maximus taurineusis, homilia in Eusebium vercellensem. Digne, inquit, in memoria vertitur hominum, qui ad gaudium, transiit angelorum. Et hom. de s. Agnete: Ille nobis. inquit, tribuat indulgentiam peccatorum, qui tibi tuorum

omnium laborum trudidil palmam.

Decimus, Leo I. in serm. de s. Laurentio: Nihil, inquit, obtines, nihil proficis saeva crudelitas, subtrahitur tormentis luis materia mortalis, et Laurentio in coelos abeunte, tu deficis flammis luis.

Undecimus, Fulgentius serm. de s. Stephano: Hodie, inquit, miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migravit ad coelum.idem ad coeli palatium perenniler regnaturus ascendit. Item: Hodie Stephanus stola est immortalitatis indutus.

Duodecimus, Primasius in cap. 9. Hebr. Coeleste regnum inaccessibile erat mortalibus, quoadusque veniret Christus, qui expleta passione aperiret nobis januam patriae coelestis, reserato velo, idest, coelo.

Decimustertius, Gregorius papa in psalm. 4. poenitent. Beatitudo et animabus sanctorum ante resurrectionem tribuitur, et corporibus nihilominus post judicium conferetur. Et lib. 4. dialog.

cap. 25. ex professo id probat.

Decimusquartus, Beda in cap. 6. Apocal. Singulas, inquit, modo stolas kabent animae de sua beata immortalitate gaudentes; resurgentibus autem corporibus juxta Isaiam, in terra sua duplicia possidebunt.

Decimusquintus. Haymo in eundem locum: Prima, inquit, stola est merces baptismi, praemium martyrii, merces aeternorum, gaudium coelestis

bealitudinis elç.

Decimussextús, Anselmus in 2. Corinth. 3. Praedicatores, inquit, Ecclestae, postquam de corporibus exeunt, nequaquam per morarum spatia, sicul antiqui Patres, coelestis patriae perceptione differentur, sed mox ut a carnis colligatione exeunt, in coelesti sede requiescunt.

Decimusseptimus, Sulpitius in epist. ad Aurelium disconum, de obitu b. Martini: Quamquam sciam. inquit, virum illum non esse tugendum, cui post devictum, triumphatumque saeculum nunc demum reddita est corona justitiae.

Decimusoctavus, Bernardus in epistola ad fratres de Hibernia, quae habetur post sermones de festo omnium sanctorum, et sermonem de s. Malachia: Absil, inquit, ut tua nunc, o anima sàncta (Malachiam defunctum alloquitur), minus efficax aestimelur oralio, quando praesenti vividius supplicare est majestati. nec jam in fide ambulas, sed in specie regnas. Absit ut imminuta, nedum exinanila lua illa tam operosa charitas reputetur, cum ad fontem ipsum charitatis aeternae procumbis pleno hauriens ore, cujus et ipsa prius stillicidia sitiebas. Quid clarius? dicit Malachiam non ambulare in fide, at fides non evacuator . nisi per visionem Trinitalis: dicit eum sic frui sonte charitatis, idest. Deo, quomodo fruitur aquis. qui procumbit ad fontem, et pleno haurit ore. Idem in sermone de s. Malachia, qui habetur ad finem vitae ejusdem Malachiae: Pari. inquit, cum angelis gloria et felicitate laetatur. Alqui angeli semper vident faciem Patris, qui in coelis est, Matth. 18.

Idem in epist. 226. ad Sugerium abbatem, qui agebat animam: Quid tibi, inquit:el terrenis exuviis, qui ad coelum iturus stola gloriae mox indui habes? Et infra: Te expectat pax illa, quae exuperat omnem sensum. te expectant justi. donee retribuatur tibi, te expectat gaudium Domini tui. Ipse vero idem sormone quarto de festo omnium sanctorum dicit, pacem, quae exuperat omnem sensum, consistere in visione Dei, ut est in scipso.

Praeteren în sermone de obitu Umberti: Ecce. inquit. coram te est, pater dulcissime (Umberte) fons ille purilatis . quem tanto ardore animi sitiebas : ecce immersus es in illam divinae piclatis abyssum, cujus memoriam abundantiae suavitatis tum devote eructare solebas. Item sermone quinto de festo omnium sanctorum, tractans illud: Convertimini ad me in jejunio, fleta et planctu; Quaerit, cur Dens in jejunio et fletu inveniutur petins, quam in gandio et exultatione; et respondet interrogando: An vero justus eum in lactitia el exultatione: qui vero nondum justus est nonnisi in jejunio et fletu reperiel? Ila plane. sed justus, qui jam conspectum meruerit.non qui adhuc vivat ex fide etc. Ubi admittit . aliquos jam sanctos non vivere ex fide, sed conspectu Dei frui. Vide etiam quae scribit in secundo sermone de s. Victore.

Ad loca igitur in contrarium dico: Bernardum Augustini esse discipulum, et cum dicit, sanctos per resurrectionem visuros Deum, et non antea, non loqui de simplici visione, sed de illa perfecta, quam habebit anima, quando toto impetu feretur in Deum. Et hoc patet ex sermone tertio de festo omnium sanctorum. Nam posteaquam dixerat, animas sanctas in hac vita esse in tabernaculis, post



hanc vitem usque ad resurrectionem futures in atriis, post resurrectionem futures in domo Dei, ides!, in beatitudine, pergit explicans, et dicit: Acceperunt jam singulas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos. Stola enim prima ipsa est felicitas et requies animarum: secunda vero immortalitas et gloria corporum etc.

Vides hic in resurrectione nihil addi animabus per se misi gloriam corporis, et proinde gloriam animae, quae est visio Dei, datam esse ante resurrectionem. Dixi autem per se quia secundum Bernardum, addetur etiam gloria animae.sed non per se. Consequetur enim perfectior visio ex eo, quod anima nihil amplius desiderans tota feretur in Deum. Id quod explicat Bernardus in sequentibus verbis: Animae sanctae, inquit, quas propria Deus insignivit imagine.te ( caro ) desiderant:ipsarum sine te compleri laetitia, perfici gloria, eonsummari beatitudo non polest. Adea siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. His adde s. Thomam opusculo contra Graecos et Scholasticos, ad finem 4. sent. distinct. 49.

Habemus igitur sententiam Ecclesiae, fuisse sententiam omnium Patrum latinorum, excepto Tertulliano, Lactantio et Victorino, ex quibus Tertullianus haeresiarcha fuit, Lactantius in plurimos errores lapsus est, praesertim circa futurum saeculum, eum esset magis librorum Ciceronis, quam Scripturarum sanctarum peritus. Victorinus martyr quidem fuit, sed b. Hieronymo teste in epistola ad Magnum, ei eruditio defuit, licet eruditionis voluntas non defuerit.

#### CAPUT VI.

### Idem confirmatur rationibus, quae tamen in Scripturis fundamentum habeant

Addamus postremo argumenta ex ipsa ratione petita. Prima ratio sumi potest ex suppliciis damnatorum. Siquidem Deus non est pronior ad puniendum, quam ad remunerandum: Quare cum impii jam nune in tormentis sint, aequum certe videtur, ut etiam justi praemia sua percipiant. Esse autem nunc impios in tormentis, evangelium testatur; nam Luc. 16. legimus: Dives autem cum in tormentis esset etc. Respondent Graeci, illam esse parabolam, et continere futurorum narrationem; sed ad majorem efficaciam narrari futura tamquam praesentia.

Contra; Primo, non videtur esse parabola, sed historia, tum quia in ea ponuatur nomina propria Lazari et Abrahae, tum etiam, quia Ecclesia colit Lazarum illum, ut vere sanctum hominem: tum denique, quia historiam esse dicunt Ambrosius in cap. 16. Lucae, Hieronymus lib. 2. in Jovinianum, Augustinus de cura pro mortuis, cap. 14. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 29.

Secundo, etiamsi parabola esset non potest significare res futuras post diem judicii, sed rem praeteritam vel praesentem. Nam dives ait: Rego te pater Abraham, ut mittas Lazarum ad fratres meos etc. Et Abraham respondet: Habent Moysen et prophetas, audiant illos. At post diem judicii mon erant homines in hoc mundo, nec poterunt Moysem et prophetas audire; igitur si narratio illa parabolica sit,ostendit tamen jam nunc animas esse in paenis; aliequi nec vera, nec verisimilis esset.

Secunda ratio, tota Ecclesia invocat sanctos post Christi adventum, et omnes Patres graeci et latini docent, sanctos esse invocandos: cum tamen ante Christi adventum non legatur id fieri solitum esse, At si sancti essent etiam nunc sub terra in sinu Abrahae, non differentem statum a statu sanctorum Testamenti veteris haberent.

Tertia ratio, ut Basilius notat initio orationis in sanctum Barlaam, ante Christi adventum sanctorum mors deflebatur; at post Christi adventum summa cum laetitia celebramus dies mortis sanctorum. Quare hoc? nisi quia tunc mori miseria erat, nunc est felicitatis initium. Et confirmatur; nam diem mortis nunc vocamus diem natalem, quia videlicet sancti morientes in terris, nascuntur in coelo.

Quarta ratio ex visionibus corum, qui viderunt animas aliquas in tormentis geneanae, alias in purgatorio, alias in paradiso. Vide Gregorium lib. 4. dialog. cap. 37. et Bedam lib. 5. histor. cap. 43.

Quinta ratio. sancti habent nunc meritum vitae aeternae, vel si non habent, numquam habebunt, quia post finem vitae non est locus novis meritis, et nullum est impedimentum, quo minus vitam aeternam nunc habere possint, cum coelum antea clausum nunc pateat; igitur fatendum est, cos jam nunc praemium suum accepisse.

Sexu ratio. Deus Levit. 19. scribi jussit: Non morabitur apud te opus mercenarii tui usque mane: ergo se Deus contrarius sibi ipse videatur, non retinebit mercedem sanctorum usque ad mundi consummationem.

Septima, Proverb. 3. Spes quae differtur, affigit animam; at non convenit, ut ii affigantur, qui pullum habent peccatum.

Ex his solvuntur argumenta opposita. Ad primum dico, diem judicii generalis futurum, et tunc reddendum unicuique secundum opera sua : sed tamen ante illud judicium praecessisse aliud particulare, in quo eliam redditum est unicuique secundum opera ejus. Neque isla inter se pugnant, nam in priore judicio redduntur praemia privatim, in posteriore publice et manifeste; quemadmodum dies judicii generalis dicitur dies Domini, non quod elii dies non sint Domini, sed quia ille erit manifeste dies Domini, alque adeo manifeste, ut nemo epicuraeus, vel atheus, sit, qui tune non sit confessurus, eum esse diem Domini. Et quomodo apud mercatores certus quidam dies vocatur dies solutionis, non quod aliis diebus non solvantur debita, sed quia ille dies ad hoc tantum constitutus est, ut fiant solutiones: sic etiam quaedam dies dicitur dies judicii et retributionis, non quod aliis diebus Deus non judicet et retribuat, sed quie illa dies ad hoc tantum constitula est , ut fiat judicium et retributio.

Dices: At videtur frustra faturum judicium; si jam sunt reddita praemia; quid enim refert, sive

palam, sive clam reddita sint?

Respondeo: Non erit frustra. Sunt enim quinque caussae, ob quas fiet judicium generale, etiamsi praecesserit judicium particulare. Prima est, ut ostendatur Dei justitia et misericordia. Omnia enim Deus facit propter gloriam suam demonstrandam, sed tamen nunc non ita aperte ostendit, quin inveniantur, qui Deum injustitiae accusent, vel nullam habere eum providentiam credant, cum videant bonos affligi, malos gaudere; ideo Deus elegit sibi unum diem, in quo coram toto mundo ostendat summam suam justitiam in impios, et summam misericordiam in pios, et simul ostendat se cum summa misericordia erga justos, nulla uti crudelitate, vel injustitia in impios: et cum summa severitate erga impios nulla uti acceptione personarum, vel iniqua liberalitate erga pios.

Secunda caussa est, et clarificetur filius hominis; pertinent enim ad gloriam Christi, ut qui in primo adventu, tamquam reus injuste judicatus est, iterum appareat gloriosus et judex, et impleator illud Isaiae 45. Vivo ego, quia mihi curvabitur emas genu, quod Paulus Rom. 14. de Christo ju-

diceturo exponit.

Tartia est, ad laudem bonorum, ignominiam vero malorum. Vult enim Deus, ut sancti, qui in certaminibus suis spectaculum facti sunt mundo, angelis et hominibus: sic etiam coram toto mundo, omnibus angelis et hominibus victores pronuncientur. Ideo Paulus, ubicumque de judicio loquitur, istam caussam afferre solet, ut Roman. 2. Cor. 4. et alibi.

Quarta est, ut totus homo judicetur, et praemium suum recipiat; nune enim solum animae judicantur.

et parlem praemii accipiunt.

Quinta, quia nondum sunt finita opera bona et mala defunctorum. Adhuc enim Lutherus male agit corrumpendo libris suis mentes hominum: et b.Paulus adhuc bene operatur exemplo et scriptis, id quod eleganter deducit Basilius in libro de virginitate, ante medium, ex illis verbis 1. Timoth. 5. Quorundam hominum peccata munifesta sunt, praecedentia ad judicium: quosdam vero subsequuntur. Quia igitur tunc finientur opera mala et bona, quando finietur mundus, ideo lunc ultima feretur sententia.

Ad secundum dico, nullam esse injustitiam, quod animus sine corpore beatificetur; nam animus et corpus non sunt duo supposita, quales sunt duo sodales, ita ut uni flat injuria, si prius altero remuneretur; sed sunt unum suppositam tantum ex duabus partibus compositum: hoc autem unum suppositum mavult secundum alteram partem interim beari, quam secundum neutram, et proinde nulla ei sit injuria; volenti enim non sit injuria, sed invito. Dico secundo, etiamsi animus et corpus duo supposita essent, tamen adhuc nulla fieret injuria corpori, dum solus animus beatur; nam ad opera bona et mala, anima concurrit principaliter, corpus solum instrumentaliter, immo ad ipsam essentiam meriti et demeriti. non concurrit nisi sola anima. Consistit enim meritum et demeritum in electione voluntatis, quae electio a sola anima procedit, et in sola anima sedem habet. Dico tertio, etiamsi animus et corpus aeque principaliter concurrent ad opera bona et mala; tamen adhac non esset injustum coronari animam ante diem judicit, et non corpus quia anima separata capax est gioriae et coronae, corpus autem separatam non est capax.

Ad tertium dico duo. Primo: Christi animam ante resurrectionem corporis sui non ascendisse quidem ad coelum corporeum, tamen fuisse in paradiso coelesti formaliter, idest, foisse beatam et gloriesam; quod si hoc tribuere vellent adversarii animebus sanctorum, non essemus multum solliciti de coelo isto corporeo. Dico secondo: Christum moriendo, quiescendo, résurgendo et ascendendo in coelum fuisse exemplar nostrum quantum ad corpus;nos enim primo morimur, secundo quiescimus in sepulchro, tertio resurgemus, ultimo ascendemus in coelum corporaliter. sicut Christus fecit. Quod sutem Christi anima descenderit ad inferos, priusquam ascenderet in coelum, non pertinet ad exemplar; non enim Christus ad inferos descendit, ut nobis viam ad inferos demonstraret, vel ut ibi pararet nobis locum, sed ut animas, quae thi erant, educeret, ac infernam destrueret, ne anima sanctorum deinceps eo deducerentur.

Ad quartam rationem.quae sumebatur ex pecna daemogum, respondeo, daemones multos nondum esse demersos in abyssum, sed in aere hos nostro caliginoso versari ad exercitationem hominum: oode apostolus ad Ephes. 2. eos vocat principes acris hujus. Nihilominus tamen omnes daemones jam nunc puniri, tam poena damni, quam poema sensus; non enim sunt hominibus meliores, et tamen hominum impiorum spiritus jam demonstravimus luere poenas gehennae, ac propterea, cum sanctos angelos, qui in veritate steterunt, ex evangelio constet semper videre faciem Dei, cur non etiam consequens sit, ut angeli rebelles judicium Dei sustineant? Quare recte Beda in commentario c. 3. epist. s. Jacobi scribit, quocumque daemones volitent, cos ubique suam gehennam circumferre. Et s. Augustinus lib. de corrept, et gratia, cap. 10. ac s. Prosper lib. 1. de vita contemplativa, daemones jam judicatos ac miseros effectos docent.

Sunt tamen plura sanctorum testimonia, quae videntur asserere daemones non esse torquendos poena gehennae ante diem judicii. Justinus in apolog. 1. et 2. saepius repetit, daemones igni sempiterno tradendos, nondum tamen traditos. Irenaegs lib. 5. ultra medium, dicit diabolum ante Christi adventum numquam blasphemasse Deum, quod ignoraret adhuc suam damnationem, sed a Christo et apostolis tandem didicisse, ignem seternum sibi esse paratum: quam sententiam idem Irenaeus a Justino se accepisse significat. Eandem tamquam Justini sequitur Oecumenius in cap. ultimum primae Petri. Epiphanius in hacresi Sethianorum affirmat, daemones non modo damnationem suam ignorasse, sed eliam calatem per Christi adventum sperasse; sed cum viderent, nihil a Christo pro daemonibus fieri, tum demum de salute desperasse, et per haereticos Deum blasphemare coepisse.

8. Antonius apud Athanasium in vita ejusdem Antonii: Non ignoral, inquit, daemon futura tormenta, et aestuantis gehennae novit incendia. Similem sententiam de futuris tormentis daemonum habent etiam infra scripti patres; Ambrosius in comment. cap. 8. Lucae, Hieronymus et Chrysostomus in cap.8. Matth. Augustinus lib. 8. de Civilate Dei, c. 23. et lib. 1. de nup. et concup. cap. 23. Gregorius lib. 4. Moralium, cap. 10. et lib. 4. dialog, cap. 29. Theodoretus in epitome divinorum decretorum, cap. de daemonibus, et Bernardus in serm. de s. Malachia. Sed Justini, Ircnaei, Epiphanii, atque Oecumenii sententiam non video, quo pacto ab errore possimus desendere. Caeleri autem Patres duo quaedam affirmant, quae verissima sunt, daemones in die judicii ex hoc aere in abyssum praecipitandos, et eos adhuc exspectare futura tormenta.

Caeterum non oportet inde colligere, eos hoc tempore non torqueri; nam etsi vere torqueantur, et secum gehennam portent, ut ait Beda, tamen poenarum suam plenitudinem in die judicii habebunt, quando inferorum carceribus concludentur; auod poenarum complementum adeo timent, ut in exorcismis nulla re magis torqueri videantur, quam comminatione futuri judicii quae etiam caussa est cur exorcismi fere concludi solcant: Per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saecu-

lum per ignem.

Cur autem adeo trepident illam detrusionem in abyssum, hae caussae esse videntur. Prima, quia non poterunt amplius hominibus nocere. Secunda, quia non amplius extorquebunt ab ullo cultum Deo debitum, ut modo faciunt, dum ab ethnicis et necromenticis adorantur. Tertia, quia tunc patebunt eorum fraudes et debilitas, cum omnes intelligent, eos a viris, foeminis, pueris, superatos. Quarta, quia non solum a Deo, sed etiam ab hominibus judicabuntur; nam etiam angelos judicabimus, teste Paulo, 1. Corinth. 6.

#### CAPUT VII.

## Sancios recte ab Ecclesia canonizari.

Sequitur nunc altera quaestio, quae est de canonizatione, quae quatuor capitibus continetur. Primum enim explicandum est, an sint sancti canonizandi. Deinde, cujus sit officium eos canonizare. Tum, sitne infallibile judicium ejus qui sanctos canonizat. Postremo, an liceat sanctos nondum canonizatos colere.

Sed antequam ad ista capita veniamus, explicandum est breviter, quid sit canonizatio. Igitur canonizatio nihil est aliud, quam publicum Ecclesiae testimonium de vera sanctitate, et gloria alicujus hominis jam defuncti: et simul est judicium ac sententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur iis, qui cum Deo feliciter regnant. Qui quidem honores (ut in sequentibus disputationibus demonstratur) septem esse solent.

Primum enim qui canonizantur, inscribuntur in catalogo sanctorum, idest, statuitur ac jubetur, ut ab omnibus publice habeantur, et dicantur san-

BELLARMIM. Vol. 11.

eti. Secundo, invocantur in publicis Ecclesiae precibus. Tertio, templa et arae in corum memoriam dicantur Deo. Quarto, sacrificia tam eucharistiae. quam laudum et precum, quod vulgo officium, sive horse canonicae nuncupatur, in honorem eorum Deo publice offeruntur. Quinto, dies festi in eorum memoriam celebrantur. Sexto, pinguntur eorum imagines, addito certo quodam lumine ad formam diadematis in signum gloriae, quam habent in coelis. Septimo, corum reliquiae pretiosis thecis includentur, et publice honorantur;

His ergo praemissis, utile esse sanctos canonizari, his argumentis demonstrari potest. Primo: Quia Dens ipse voluit a sanctis scriptoribus annotari in particulari gloriosam vitam et mortem eorum, qui tempore ipsorum floruerunt, ut patet de Ecclesiastico, qui cap. 44. et sequentibus canonizavit plurimos sanctos, ut Henoch, Nöe, Abraham, Isaac, Jacob, Moysem, Aaronem, Phinces, Josue, Caleb, Samuelem, Davidem, Eliam, Elisaeum, etc. Item in Testamento novo s. Lucas in Actis canonizavit s. Stephanum et Jacobum majorem, necnon Petrum, Paulum, Barnabam, Silam, et alios: igitur credibile est, eodem modo Deum velle, ut deinceps flat.

Secundo: Tenemur sanctos honorare et laudare. tum quia Scriptura hoc jubet, Ecclesiast. 44. Sapientiam ipsorum, inquit, narrent populi, et laudem eorum nuncient Ecclesiae: tum quia virtus ipsorum hoc meretur. Est enim quasi naturale praemium virtutis honor: tum denique quia id nobis utile est ad plurima beneficia eorum intercessione promerenda: At nisi sciamus, qui sint veri sancti, et qui non, non possumus eos colere. ut

oportet.

Tertio: Probatur ex ratione imitationis. Sancti enim sunt exempla quaedum virtutum, et norma rectae vitae, et quasi lucernae quaedam a Deo accensae, ut omnibus aliis praeluceant. Unde Paulus ad Hebraeos 13. Mementote, inquit, praepositorum vestrorum,qui loquuti sunt vobis verbum,quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. At non possumus accendi ad imitationem, nisi in particulari sciemus, qui sint imitandi, et quid illi egerint, aut passi sint. Et lucerna in candelabro poni debet, id quod fit per canonizationem.

Quarto, ex conjunctione, quam cum illis habemus. Siquidem sumus membra unius corporis, et membra invicem compatiuntur, et congaudent; oportet ergo cos nobis compati, et pro nobis sollicitos esse, quod sine dubio faciunt, etiam in particulari, ut infra docebimus, et e contrario nos illis congaudere, et pro illorum gloria Deo gratias agere, quae sine particulari notitia fieri non possunt.

Quinto, ex incommodis; nam nisi judicio Ecclesiae certi sancti proponerentur colendi facile fieri posset, ut populus saepe erraret, et damnatos pro beatis coleret: ut accidit tempore sancti Martini. Scribit enim Sulpitius, quod cum populus quidam coleret nescio quem hominem mortuum, pro martyre, et b. Martino suspecta esset illa religio, quod nihil certi a majoribus de sancto illo accepisset, tandem oranti Martino apparuit anima ejus, qui ibi colebatur, et confessa est, se animam damnatam esse latronis cujusdam, qui pro suis sceleribus extremi supplicii poenas luerat. Idem accidit tempore Alexandri III. ut patet ex cap. Audivimus, extra de reliquiis, et sanctorum veneratione, ubi reprehendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum pro martyre venerabantur.

#### CAPUT VIII.

#### Cujus sit sanctos canonizare.

De secundo, ad quem videlicet pertineat auctoritas sanctos canonizandi, notandum est, duobus modis posse aliquem canonizari. Uno modo particulariter, ita ut solum in una provincia, aut dioecesi habeatur sanctus, et colatur pro sancto. Alio modo generaliter, ita ut in tota Ecclesia habeatur pro sancto, nec ulli liceat de ejus sanctitate dubitare.

Primo modo canonizare poterat quilibet episcopus, ut docet Thomas Waldensis, libro de Sacramentalibus, tit. 14. cap. 122. et patet tum ex Cypriano lib. 3. epist. 6. ubi jubet ad se scribi, cum aliquis martyr de hac vita exit, ut statim possit ejus memoriam sacrificiis celebrare, et singulis annis posten diem ejus natalem colere; tum etiam ex multis sanctis, quos ita colunt quaedam provinciae, ut tamen ignoti sint penitus aliis provinciis. Unde in concilio florentino, sess. 7. dicunt Latini, Simonem metaphrastem in ecclesiis Graecorum pro sancto coli, cujus apud Latinos nulla unquam meinoria exstitit. Tamen hoc, quod olim licuit, modo non licet. Siquidem Alexander III. et postea Innocentius III. videntes abusus, qui oriebantur circa sanctorum cultum, prohibuerunt, ne deinceps aliquis pro sancto coli inciperet, sine romani pontificis approbatione, ut patet cap. 1. et 2. de reliquiis, et sanctorum veneratione.

Secundo modo canonizare, idest, ita ut in tota Ecclesia sancti habeantur, communis sententia est, pertinere ad summum pontificem: nam id habetur cap. Audivimus, et cap. Cum ex eo, de reliquiis et veneratione sanctorum, et cap. Venerabili, de testibus et attestationibus; et patet etiam ratione; nam ad eum spectat proponere toti Ecclesiae quid sit credendum, et quid agendum in iis, quae sunt religionis, qui toti Ecclesiae praeest. Item ex contrario, declarare, qui sint haeretici, ita ut a tota Ecclesia pro talibus habeantur, est summi pontificis, ut ante ostendimus, ergo declarare qui sint sancti, et colendi, ejusdem erit summi pontificis.

Dices: Plurimi sancti sunt, qui in tota Ecclesia coluntur, quos non canonizavit summus pontifex. Primus enim pontifex (ni forte fallor) qui sanctos legatur canonizasse, videtur fuisse Leo papa III. de quo sic scribit sanctus Ludgerus in epistola de miraculis sancti Suiberti, cap. 9. in 2. tomo Surii: Tandem devota instantia Caroli (Magni) et Hildebaldi archipraesulis coloniensis, venit a Colonia idem papa Werdam, et ibi post alias solemnitates sanctum Suibertum solemniter catalogo sanctorum confessorum adscripsit pridie nonas septembris. Hanc primam legi solemnem canonizationem, ante quam fortasse fuerunt cliam aliae, sed non mibi constat: Postea autem innocentius II. ca-

nonizavit sanctum Hugonem episcopum Gratianopolis, ut patet ex epistola ejusdem pontificis ad priorem Carthusiae dalam, apud Surium, tom. 2. Inde vero Alexander III. b. Bernardum in sanctos retulit, ut habetur ad finem librorum de vita ejusdem Bernardi. A quo tempore omnes alii,qui sancti sunt habiti, ut Thomas cantuariensis; Dominicus, Franciscus, et alii,a pontificibus in numerum sanctorum relati sunt. Quid ergo dicemus de tot sanctis, qui ante ea tempora colebantur in Ecclesia?

Respondeo: Sanctos veteres coepisse coli in Ecclesia universali, non tam lege aliqua, quam consuetudine. Sed sicut consuetudines aliae vim babent legis ex tacito consensu principis, et sine eo nullum vim habent, ut patet ex b. Thoma, 1.2. quaest. 97. art. 3.ita sancti alicujus cultus, ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita vel expressa summi pontificis.

#### CAPUT IX.

Credendum esse, pontificem non errare in sanctorum canonizatione.

De tertio duae sunt sententiae. Prior est haereticorum, posse pontificem errare in sanctorum canonizatione. Ita Joannes Wielef, ut refert Thomas Waldensis, tom. 3. de Sacramentalibus, c. 122. ubi dicit, non minus in hac re posse papam errare, quam presbyterum Joannem regem Aethiopiae, vel Turcam, aut sultanum. Idem sentire Lutheranos et Calvinistas certum est, cum in aliis similibus rebus nullam fere pontifici tribuant auctoritatem.

Altera est calholicorum, asserentium, cerlum esse Ecclesiam non errare in sanctorum canonizatione, ita ut sine ulla dubitatione sancti ab Ecclesia canonizati venerandi sint. Probatur haec. Primo: Quia si liceret dubitare, an sanctus canonizatus sit sanctus, liceret etiam dubitare, an sit colendus: at hoc est falsum. Siquidem s. Augustinus in epist: 118. dicit, insolentissimae insaniae esse disputare, an sit faciendum, quod tota Ecclesia facit. Item ex Bernardo in epist. 174. ad canonicos lugdunenses, ubi loquens de colendis festis in honorem sanctorum, dicit : Ego quae accepi ab Ecclesia, securus tenco et trado. Praeteres: Ounes veteres, sine ulla dubitatione sanctos coluerunt, et colendos asseruerunt. Denique tenemur obedire pontifici indicenți diem festum alicujus sancti;nec tamen possumus contra conscientiam aliquid agere: ergo non possumus dubitare, an sit colendus ille, qui ab Ecclesia esf canonizatus.

Secundo: Ex incommodis duobus; nam in primis fraudarentur non sancti suffragiis vivorum; nam pro canonizatis non licet orare. Ut enim Augustinus dicit, serm. 17. de verbis apostoli: Injuriam facit martyri qui orat pro martyre; et idem intelligendum de omnibus sanctis canonizatis, docet Innocentius, cap. Cum Marthae, de celebrat. missarum: at si in hoc Ecclesia erraret, defraudaret eum, qui habetur sanctus, et non est, quicumque

non oraret pro eo. Deinde fraudarentur etiam viventes intercessionibus sanctorum, invocarent enim saepe damnatos pro beatis, si Ecclesia in hoc erraret. Praeterea Eoclesia peteret sibi maledictionem pro benedictione, cum in orationibus sanctorum petit, ut sicut illos Deus glorificavit in coelis, sic nobis gratiam largiatur in terris. Et quamvis eam maledictionem non peteret nisi materialiter, tamen hoc ipsum absurdum videtur.

Tertio: Miracula magna, et diligenter examinata, faciunt rem evidenter credibilem, ut alibi ostendimus: at sancti a pontifice non canonizantur ordinarie. nisi claruerint magnis et certis miraculis, ot confirmatur. Nam si oredimus sine ulla haesitatione Caesarem et Pompejum fuisse, quia id testantur communi consensu historici, qui tamen homines fuerunt, et mentiri potuerunt; cur non credimus sine haesitatione, quod testatur Deus ipse per miracula, quando nulla est ratio suspicandi contraripm?

Quarto: Probatur ex praeparatione; nam antequam sancti canonizentur, indicuntur jejunia, et preces publicae, et tota res diu, et diligentissime examinatur: non est autem oredibile, Deum non adesse Ecclesiae suae sic dispositae et supplicanti.

Ultimo: Probatur a posteriori, quia in aliis rebus, in quibus pontifices errare possunt, aliquando reipsa deprehenduntur errores: at in hoc nullus usquam error deprehensus est.

Sed objiciunt quidem locum Augustini: Multorum corpora honorantur in terris, quorum animae torquentur in gehenna. Respondeo: Locum hunc fortasse non esse Augustini; nusquam enim in ejus operibus eum reperiré polui: praeterea intelligi posse de impiis, qui honorantur superbissimis sepulchris, cum tamen animae torqueantur in gehenna; vel de corporibus sanctorum non canonizatorum: vel de corporibas fraude aliqua suppositis pro corporibus sanctorum; vel denique de martyribus Donatistarum, qui honorabentur ab haereticis ut martyres, cum eorum animae reveratorquerentur in inferno. De hujus capitis argumento vide quae habet b. Thomas, quod lib. 9. quaest. ult. art. ult. Augustinus de Aucona in summa de potestate Ecclesiae, quaest. 14. art. 4. Joannes Driedo, lib. 4. cap. 4. de Ecclesiast. dogmatibus, b. Antoninus 3. parte, tit. 12. cap. 8. summae theolog. Cajet. tract. de indulgent. ad Julium, c. 8. Sylvester verbo, Canonizatio. Canus lib. 5. de locis, cap. penult.

#### CAPUT X.

# · Sanctos non canonizatos privatim posse coli, non publice.

De quarto, an liceat colere non canonizatum, respondeo: Licere privato cultu, non publico, ut doctores communiter affirmant in cap. 1. et 2. de réliquis et veneratione sanctorum. Siquidem summus pontifex eo loco prohibet publicum cultum, ergo a contrarlo privatum censetur permittere. Vecamus autem publicum cultum, non eum, qui co-

ram aliis exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiae, et tomquam ab Ecclesia institutus exhibetur.

Ex quo intelligimus, quid sit dicendum de illis septem honorum generibus antea enumeratis. Nam quantum ad primum, licet non canonizatum credere et vocare sanctum, non tamen praedicare eum tamquam ab Ecclesia inscriptum sanctorum catalogo.

Quantum ad secundum, licet invocare non canonizatum, etiam aliis audientibus, ut patet ex Hieronymo in vita Paulae, et Gregorio nazianzeno in vita Athanasii et Basilii, uterque enim invocat quos laudat ante canonizationem. Praeterea oramus viventes, etiamsi nesciamus esse sanctos, cur non defunctos, quando majori ratione confidimus esse sanctos? At non liceret in publicis litaniis et sacro officio id facere.

Quantum ad tertium et quartum, non videtur licere ullo modo, eos honores sanctis non canonizatis deferre; nam templa, et altaria, et sacrificia sunt ex natura sua publici cultus. Nullum est enim sacrificium in Ecclesia, nisi commune, et a Deo ipso institutum: templa autem et altaria ad sacrificium referuntur.

Quantum ad quintum, non licet publicum festum celebrare, liceret tamen in die natali sancti non canonizati peculiariter laetari, et Deo vacare in memoriam ejus. Quod fecisse etiam veteres cognosci potest ex Joanne Cassiano, collat. 19. cap. 1.

Quantum ad sextum, licet imaginem pingere et venerari, non tamen in templo constituere eo modo, quo aliorum sanctorum.

Quoad septimum, non licet reliquias non canonizati hominis in templo constituere publice honorandas; licet tamen eas habere et venerari, etiam aliis videntibus, modo scandalum absit; id enim habet praxis Ecclesiae; mox enim ac martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias rapiendas; et similiter quando meriuntur homines clari sanctitate, multi devote osculantur manus et pedes, et de vestibus eorum pro reliquiis servant; nec id unquam prohibitum fuit. Praelerea si licet honorare viventes, quos credimus sanctos, cur non mortuos?

Alque hace pauca de canonizatione sufficiant. Si quis plura videre desiderat, legat Augustinum triumphum in summa de potestate Ecclesiae, et Troilum Malvezium in libro de canonizatione.

#### CAPUT XI.

## Proponitur quaestio de cultu sanctorum cum argumentis adversariorum.

Expeditis quaestionibus de gloria et canonizatione, sequitur recto ordine controversia de cultu. Fuit antiqua haeresis Eustachii apud Socratem lib. 2. histor. cap. 33. Eunomii et Vigilantii apud Hieronymum, Claudii Taurinensis apud Jonam Aurelianensem, et Wiclefi apud Thomam Waldensem, tom. 3. de Sacramentalibus, tit. 13. Sanctos non esse colendos: quae rarsum per Calvinistas et Lutheranos renovata est; nam Madgleburgenses Centur. 1. lib. 2. cap. 4. col. 340. dicunt omnem sanctorum adorationem esse idololatriam. Pari ratione Calvinus lib. 1. Institut. cap. 11. § 11. et cap. 12. § 1. et 2.non patitur ullum cultum exhiberi sanctis angelis, vel hominibus defunctis, neque parvum, neque magnum. Argumenta vero ejus haec sunt.

Primum, duplex est honor: Unus civilis, quo honoramus potentes et sapientes homines: alter religionis, qui Deo soli convenit: sed angelis et sanctis hominibus non convenit honor ille civilis, ut notum est, cum non versentur nobiscum civiliter: honor autem religionis non potest eis tribui, quia religio est cultus Dei. Atque hac sua distinctione eludit Calvinus argumenta catholicorum, cum probant posse creaturas adorari exemplo Abrahae, qui adoravit filios Heth; et Jacobi, qui adoravit fratrem suum Esau; et filiorum Isräel, qui adoraverunt Joseph; vult enim istos omnes fuisse civiles.

Secundum argumentum: Si sanctis deberetur cultus aliquis religionis; certe duliae, non latriae, ut catholici docent: at ineptum est dicere, sanctos coli, et non latria; nam cum latria significet cultum colere sine latria, est colere sine cultu. Deinde plus est δουλέυειν quam λατρέυειν; nam δουλέυειν est servire, λατρέυειν est colere, minus autem est colere aliquem, quam ei servire, colimus enim pares, ut amicos et collegas, non autem servimus, nisi dominis.

Confirmari potest hoc argumentum ex Laurentio Valla et Theodoro Beza, qui in annotationibus ad cap. 4. Matth. docet, latriam et duliam idem significare et confundi tam in Scripturis, quam apud prolanos auctores; nam Levit.23. Opus servile non facietis, semper est in graeco Εργον λάτρευτον ου πουήσετε, et contra Rom. 7. Ut serviamus in novitate spiritus, est in graeco Ωςε δουλέυειν ήμας εν καινότητι πνέυματος. Itaque dicitur latria de opere etiam in usum hominis, et dulia de cultu Dei. Item apud Xenophontem lib. 3. Cyropediae ponitur λατρέυειν pro obsequio ancillae erga dominum, et paulo pust idipsum dicitur δουλέυειν: quare Augustinus quaest. 94. in Exodum dicit, tam latriam, quam duliam Deo tribui, latriam ut Deo, duliam ut domino.

Tertium argumentum Calvini ex Scripturis, Deuter. 6. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies; cui simile est illud Pauli, 1. Tim. 1. Soli Deo honor et gloria. Item Matth. 4. cum diabolus non meminisset latriae, sed solum postulasset apooxύνησιν, idest, inclinationem aliquam, Dominus eum repulit dicens: Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Ubi ostendit, non posse creaturae inclinationem ullam religionis caussa deferri, quin illa ad idololatriam pertineat. Item Gal. 4. Iis qui natura non sunt Dii. serviebatis, in graeco est, E'δουλέυσατε τοῖς μὴ Φύσει οὐσι Θεοῖς; ergo dulia non potest tribui, nisi illi qui natura Deus est.

Quartum argumentum ab exemplis Scripturarum; nam Hesther 13. Mardochaeus noluit se inchnare coram Aman; et rationem reddens, ait: Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. Item Act. 10. cum Cornelius adoraret Pe-

trum, prohibuit Petrus, dicens, Surge, et ego ipse homo sum. Nec tamen credibile est, aut Aman voluisse adorari ut Deum. aut Cornelium voluisse Petrum adorare ut Deum. Item Act. 14. Paulus et Barnabas prohibuerunt Licaonibus, ne se adorarent. Denique angelus Apocal. 19. Joanni adoranti se, ait: Vide ne feceris, conservus tuus sum. Deum adora. Et tamen non ignorabat angelus sibi a Joanne non latriam, sed duliam exhiberi.

Quintum ex Patribus Athanasius serm. 3. contra Arianos ante medium, docet, neque angelos, neque homines sanctos adoratione colendos esse. Epiphanius in haeresi Collyridianorum saepius repetit, Mariam non esse adorandam, sed solum Deum. Ambrosius in cap. 1. ad Rom. reprehendit eos, qui adorant conservos. Augustinus lib. de vera religione, cap. 55. Non sit nobis religio cultus hominum mortsorum: quia si pie vicerunt. non sic habentur, ut tales quaerant honores, sed illum a nobis coli volunt. quo illuminante laetantur meriti sui non esse consortes. Et infra idem dicit de cultu angelorum. Haec ille.

#### CAPUT XII.

## Explicatur sententia catholica.

Nuns explicanda est sententia catholicorum; de qua re theologi tractant in 3. sent. dist. 9. Est autem primo loco observandum, adorationes tres actus complecti. Primo, actum intellectus, quo apprehendimus excellentiam alicujus. Secundo, actum-voluntatis, quo nos illi interius inclinamur, et aliquid volumus facere actu interiore, vel exteriore, quo protestemur ejus excellentiam, et nostram subjectionem. Tertio, actum exteriorem, quo caput inclinamus vel genuflectimus, vel aliqued aliud signum subjectionis ostendimus. Ex quibus actibus secundus est maxime proprius et essentialis; nam primus actus potest esse sine adoratione; tertius etiam cum irrisione.

Scoundo observandum est, tot esse species adorationis, sive cultus, quot sunt species excellentiae, at b. Thomas docet, 2. 2. quaest. 403. art. 3. honor enim, sive cultus debetur personae propter excellentiam ejus. Sed, quod ad praesens institutum pertinet, tres sunt species excellentiae. Prima est excellentia divina et infinita, cui respondet prima species cultus, qui a theologis dicitur latria.

Secunda est excellentia humana, seu naturalis, quae posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus etc. Cui respondet secunda species cultus quae dici potest cultus civilis, et observantia quaedam humana, quamquam haec in alias multas species dividi potest, ut Aristot. docet, lib. 9. ethic. cap. 2. nam alius honor debetur patri, alius principi, alius praeceptori, alius sapienti vel erudito etc.

Tertia est excellentia quaedam media inter divinam et humanam, qualis est gratia et gloria sanctorum; ista enim sunt dona supernaturalia et excellentissima, et huic excellentiae respondet tertia species cultus, quam theologi vocant duliam. Et quia inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad verbum; et similiter b. Virgo, ut mater filii Dei ita praestat aliis sanctis, ut dici possit domina et regina nostra, quod aliis sanctis non convenit, nisi admodum imperfecte; ideo theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam proprie dictam, et hyperduliam, tribuentes illam sanctis caeteris, istam soli humanitati Christi et matri ejus.

Tertio observandum est, has tres adorationis species non esse univocas, sed analogas, ut enim excellentia non dicitur univoce de excellentia Dei et creaturarum, ita cultus debitus ob excellentiam, non potest dici univoce de cultu. Dei et creaturarum

Notandum quoque est quarto has ipsas species adorationis, quantum ad actus interiores, optime distingui. Nam prima species, idest, latria, est quaedam summa voluntatis prostratio et inclinatio cum apprehensione Dei, ut primi principii et ultimi finis, atque adeo summi boni, qualis adoratio soli Deo convenit.

Secunda species, idest, cultus civilis, est longe minor inclinatio voluntatis, cum apprehensione certa humanae excellentiae.

Tertia species, est media quaedam inclinatio voluntalis cum apprehensione excellentiae plus, quam humanae, et minus, quam divinae. At quantum ad actus exteriores, non est facile species adorationum distinguere; nam omnes fere actus exteriores communes sunt omni adorationi, excepto sacrificio, et quae ad illud referentur, templis, altaribus, et sacerdotibus. Voluit enim Deus hunc cultum sacrificii sibi soli exhiberi, ut Augustinus docet, lib. 10. de Civitate Dei, cap. 4. et Theodoretus lib.8.ad Graecos, qui est de martyribus, et patet ex illo, Exod. 22. Qui sacrificat Diis, eradicabitur praeterquam Domino soli. Ex aliis actibus exterioribus, qui sont communes cultui Dei et cultui creaturae, non potest evidenter colligi, an aliquis cultum Deo debitum tribuat creaturis, nec ne; nam Abraham eodem a· ctu incurvationis usque ad terram adoravit Deum, Genes. 17. et angelos, Genes. 18. et homines, Ge-

Quinto observandum,latriam interdum sumi pro ipso actu; quo colitur Deus; interdum pro habitu, quo homo redditur promptus ad colendum Deum. Hune autem habitum esse virtulem quandam specialem et moralem, b. Thomas docet, in lib. 3. sentent. dist. 9. quaest. 1. neque obstat quod b. Augustinus in epchirid. 3. cap. et 12. Trinit. cap. 14. dicat, Dei cultum consistere in fide, spe et charitate; ubi videtur velle, latriam esse generalem virtutem constatam ex tribus theologis. Nam sicut charitas et prudentia sunt virtules speciales. quia habentspeciale objectum, et tamen simul sunt aliquo modo generales, quia dirigunt, aut ordinant actus omnium virtutum: ita latria virtus est specialis propter speciale objectum suum, idest, honorem divinum; et tamen simul est generalis, quia utitur ad honorandum Deum actibus omnium virtutum, et praecipue fidei, spei et charitatis; nam summus honor Deo desertur, cum per sidem prote-

stamur eum esse primam verilatem; per spem esse potentissimum; per charitatem esse optimum. Itaque ipsius actus fidei objectum, est Deus: actus autem ipse fidei est objectum religionis: et ideo fides est virtus theologica, quia circa Deum versatur. Religio non est virtus theologica, quia versatur circa creaturam; actus enim fidei non est Deus, sed quid creatum. Idem dici de spe et charitate potest; objectum enim earum est Deus, actus vero ipsarum ad objectum religionis pertinere possunt.

Sexto observandum, quantum ad nomina, in lingua hebraea nullum esse nomen quo proprie designetur cultus solius Dei, sed omnia esse communia, et idem nomen nunc tribui cultui creaturae, none negari, prout nimirum aliter aque aliter accipitur. Nam quod Graeci verterunt Deuteron. 6. Α'υτῶ μονῶ λατρέυσεις, illi soli servies, in hebraeo est ארהו תעבוד ierbum autem עבד lam est commune Hebraeis, quam Latinis, servire. Similiter Exod. 20. Non adorabis ea. quod Graeci vertunt Oũ προσχυνήσεις. in hebraeo est תשתחורה et ponitur in omnibus locis supra citatis, Genes. 17. 18. et 23. et alibi ubicumque dicuntur vel homines, vel angeli, vel Deus adorari. In lingua latina similiter non habemus ullum vocabulum, quod solum dicatur de cultu Dei, ut Augustinus notavit, lib. 10. de Civit.Dei, cap.1.et hinc est quod Patres vocabula adorationis et religionis nunc concedunt creaturis, nunc negant, prout varie accipiuntur.

B. Hieronymus in epist. ad Riparium contra Vigilantium dicit, nec martyrum reliquias, nec angelos, nec aliquid creatum coli posse vel adorari. Et tamen ipse in epitaphio Pautae in fine dicit: Vale, o Pauta, et cultorem tuum orationibus juva. Et lib. 2. Apologiae contra Ruffinum dicit: Veni Bethlehem, praesepe Domini, et incunabula adoravi. Sic etiam Augustinus lib. de vera relig. cap. 55. dicit, religionis cultum nec angelis, nec sanctis hominibus jam defunctis deberi, sed soli Deo; et tamen lib. 20. contra Faustum, cap. 21. dicit: Memorias martyrum populus christianus religiosa solemnitate concelebrat.

Ilaque aliquando accipiebant nomen religionis et adorationis, ut convenit principali analogato, idest, virtuti illi speciali, quae habet pro objecto cultum Dei, et quae distinguitur specie ab ea virtute, qua colimus sanctos: aliquando vero accipiebant largius pro omni illa virtute qua colimus vel Deum vel Dei amicos, aliasque res sacras, et distinguitur a cultu politico, et mere humano. In lingua graeca una vox est propria cultui Dei: nempe θεοσέβεια, quae non multum est in usu. Praeter istam vocem sunt alia quatuor ἐυσέβεια pietas, θρησκεία religio, et λατρεία, et δουλεία servitus; sed nullum horum est, quod non interdum attribuatur etiam creaturis.

Sed quamvis ista vocabula non sint propria divino cultui, secundum primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen schola theologorum non sine caussa excogitavit illam distinctionem de latria et dulia. Nam cum in re inveniatur manifesta distinctio, inter cultum Dei et sanctorum; oportebat etiam ad vitandam aequivocationem invenire distincta vocabula: optima autem erant ista duo.

Primo, quia scriptores sacri vocem hateela numquam usurpant, nisi pro cultu solius Dei. ut patet ex toto novo Testamento: vocem autem δουλεία usurpant pro omni servitute, tam Dei, quam hominum. Neque obstat, quod in versione graeca Levitici habetur semel nomen latriae, pro servitio hu-mano: nam textus hebraeus et latinus vulgatae editionis habent vocem communissimam, quae ad omne servitium accommodatur. Deinde, antiqui Patres numquam nomen latriae tribuunt, nisi Deo, cum tamen etiam sanctos coli dicant, ut patet ex Augustino, lib.10. de Civit. Dei, cap. 1. et lib. 20. contra Faustum, c. 21. et ex omnibus Patribus nicaeni concilii II. ut videre est. act. 3. 4. 6. et 7. necnon ex Damasc. orat. 1. et 3. de imaginibus; et Jona Aurelianens, lib. 1. de cultu imagin, et Beda in cap. 4. Luc. Immo omnes veteres cultum falsorum Deorum ideo vocaverunt idololatriam, non idoloduliam, quia videbant cultum Deo proprium, secundum Ecclesiasticum loquendi modum, vocari latriam, non duliam, ut Augustinus notavit, quaest. 61. in Genes.

Neque obstat, quod isti Patres raro meminerint nominatim duliae; nam cum dicunt, sanctos et imagines coli debere, et non latria.satis indicant, debere coli alia specie cultus. Eam nos vocamus duliam, ut eam vocat Beda in cap. 4. Lucae, et Magister cum omni Schola lib. 3. sentent. dist. 9. et idem insinuat Augustieus, lib. 10. de Civit. Dei, cap. 1. ubi dicit, cultum debitum creaturae non vocari Ephes. 6. ab apostolo latriam, sed alio nomine. Apostolus autem ibi vocat duliam. Itaque non erat opus, ut Martinus Peresius in suo opere de traditionibus, part. 3. consideratione 7. diceret non sibi multum probari nomen duliae sumptuin pro cultu sanctorum, cum dulia proprie significet servitutem, et nos non simus servi sanctorum.sed conservi. Nom in Scripturis dulia non solum accipilur pro servitute mancipiorum, seq etiam pro honoraria subjectione, ut Galat. 5. Διὰ τῆς ἀγάπης δουλέυετε ἀλλήλοις; Per charitatem servite invicem. Hoc ergo modo potuerunt theologi cultum sanctorum vocare duliam.

### CAPUT XIII.

## Asseritur argumentis sententia catholica.

Superest jam, ut probemus cultum aliquem minorem divino, et majorem civili et mere humano, sacris rebus, sanctis angelis et hominibus deberi.

Primum argumentum sumitur ex illo psalm. 98. Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est; ubi ad literam per scabellum pedum Domini, intelligitur arca Testamenti. Nam 1. Paralipomenon 28. dicit Salomon: Paravi domum, ubi requiesceret arca Domini, et scabellum pedum Dei nostri. Nec sine caussa dicebatur arca scabellum pedum Domini; nam supra arcam erat propitialorium quasi sedes Dei, quae tenebatur manibus duorum cherubin. de qua dicitur in principio hujus psalm. Qui sedes super cherubin, moveatur

terra etc. Idem habetur psalm. 131. in illis verbis: Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus; nam in hebraeo est: Adorabimus scabellum pedum ejus. Et quod loquatur de arca patet, quia praecedit: Introibimus in tabernaculum ejus. Et statim etiam sequitur: Surge. Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae. Et hoc idem clarius colligitur ex lib. 2. Reg. cap. 6. Arcam, inquit, super quam invocatum est nomen Domini, sedentis in cherubin super eam.

Jam vero quod in his locis praecipiatur aliquis cultus, patet ex verbo, adorate, quod etiam hebraice est proprium verbum adorationis autem area sit creatura, nulli dubium esse potest. Quod denique iste cultus non sit civilis, sed religionis, patet ex ratione Davidis: Quoniam, inquit, sanctum est, hoc videlicet scabellum. Cultus enim civilis debetur rebus propter civilem et humanam excellentiam, at area dicitur adoranda, non propter civilem excellentiam, sed quia sacra et sancta est, cum sit scabellum pedum Dei.

Bucerus et Calvinus in hunc locum psalmi, respondent, hic nomine scabelli intelligi templum, et praecipi, non ut adoretur templum, sed ut adoretur Deus in templo, et probant dupliciter. Primo ex verbo hebraeo 2777 ad scabellum. Secundo ex illo. quoniam sanctus est, nam hebraeum 2709 est ambiguum, sed graecus exposuit vertens 2705, non 2709.

Respondeo: Nomine scabelli necessario intelligi arcam.ut supra ostendimus; et proinde ruit expositio haereticorum; non enim arca est locus. in quem possent Judaei intrare ad adorandum Deum, Deinde etiam si scabellum esset templum. adhuc argumentum nostrum vigeret, quia non ait David, adorate in scabello, sed adorate scabellum; et probatur. Primo, quia vertit chald. Incurvate vos templo. Item LXX. et Hieronymus: Adorate scabellum, verterunt.

Secundo, quia in Scriptura fere ubicumque habemus, adorari aliquem. constructio fit cum ?, ut Genes. 23. Adoravit Abraham populum terrae, idest, filios Cheth. רְנְשָׁהַרּ לְעָם האַרְץ לְבני הור.
Tertio, quia etiamsi verteretur ad templum,

Tertio, quia etiamsi verteretur ad templum, adhuc idem significaretur; nam verbum hebraeum significat: Incurvate vos ad illam rem.

Quarto, quia Hieronymus in epist. ad Marcellam, ut migret in Bethlehem, testatur, ipsam arcam coli solitam: Venerabantur, inquit, quondam Judaei sancta sanctorum, quia ibi erant cherubin et propitiatorium, et arca Testamenti etc. et hoc idem ex aliis Scripturis patet, Josue 3. 1. Reg. 6. 2. Reg. 6. Hebr. 9. nam Josue 3. jubentur in itinere numquam accedere prope arcam ad spatium duorum millium cubitorum 1. Regum 6. Bethsamitae quia arcam viderunt sine debita reverentia, occisi sunt a Deo ad 50, 000. hominum 2. Reg. 6. Oza similiter interfectus a Domino est, cum arcam teligissel, quod ei non licebat, sed solis sacerdotibus. Denique propter honorem arcae nemo poterat ingredi Sancta Sanctorum, ubi illa erat, nisi summus pontifex semel in anno, ut Paulus docet, Hebr. 9. At certe arca creatura erat, et iste honor illi

exhibitus non ex urbanitate, sed ex religione aliqua procedebat.

Ad illud: Quoniam sanctum est; fateor non male verti: Quoniam sanctus est; ut LXX. et Hieronymus verterunt. Sed hoc nihil ad rem. Nam sive dicatur scabellum adorandum, quia sanctum est, sive quia est Dei sancti, semper affertur caussa religiosae adorationis.

Secundo: Probatur ex adoratione exhibita angelis ab hominibus piis et prudentibus. Nam Gen. 18. Abraham pronus in terram adoravit angelum. Et similiter fecit Loth, Gen. 19. Sed quia posset responderi, tam Abrahamum, quam Loth non cognovisse angelos, sed homines putasse initio, cum eos adoraverunt, et civiliter tantum adorasse, proferamus loca clariora. Num. 22. Aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. Hic certe non prius adoravit, quam angelum agnovit. Angelis autem ridiculum est dicere. deberi civilem honorem. Item Josue 5. cum vidisset Josue virum stantem evaginato gladio, dixit: Noster es. an adversariorum? Ille, Nequaquam, inquit, sed princeps sum exercitus Domini. Continuo cecidil Josue pronus in terram, et adoravil. Hinc aperte videnus adorationem illam mediam, quam quaerimus; nam quod Josue non putaverit illum, quem adorabat, esse Deum, patet, quia angelus dixerat, se esse Dei ministrum. Quod etiam non adoraverit civiliter, sed religiose, patet, quia non prius adoravit, quam intellexit esse angelum Dei legatum. Quod denique non male fecerit adorando, patet, quia angelus non solum non prohibuit eum ab adoratione, sed etiam jussit adhu: ınajorem honorem sibi exhiberi, dicens: Solve calceamenta pedum tuorum; locus enim in quo stas, sanctus est. Non erat autem sanctus locus ille, nisi ob angeli praesentiam; non enim erat tunc Josue in loco sacro, sed in campestribus Hiericho.

Tertio: Probatur ex adoratione sanctorum in Scripturis, 1. Reg. 28. Saul adorat animam Samuelis sibi apparentem. Certum autem est, non convenire civilem hoporem animabus defunctorum. Neque dici potest, in hoc errasse Saulem, quandoquidem nec ipse Samuel, nec Scriptura Saulem reprehendit. Item 3. Reg. 18. Abdias vir sanclus adorat Heliam pronus in terram: neque possumus dicere hunc civilem cultum fuisse. Nam quantum ad humanam excellentiam, major erat Abdias, quam Helias; iste enim privatus homo erat. ille autem unus ex principibus regni. Adoravit ergo eum ut prophetam, ac Dei hominem singulari sanctitate excellentem. Item 4. Reg. 2. filii prophetgrum cum audissent spiritum Heliae requievisse super Heliseum, accedentes adoraverunt eum proni in terram.

Denique Dan. 2. Nabuchodonosor adorat Danielem. Quis autem diceret, aut crederet a rege summo adoratum civiliter unum ex captivis, qualis erat Daniel? Adoravit ergo eum religiose, ut hominem Deo plenum, neque per errorem adoravit, Deum illum existimans; nam adorans ail: Vere Deus vester Deus Deorum est, et Dominus regum, et re-

velans mysteria, quoniam tu potuisti aperire ohe sacramentum. Quod etiam fecisse Alexandrum regem pontifici Jaddo, scribit Josephus lib. 11. cap. 8. antiquitatum.

Neque obstat, quod Nabuchodonosor Danieli jussit offerri sacrificium, nam non loquitur Scriptura de sacrificio, quod soli debetur Deo. Sacrificium enim Deo proprium est immolatio animalium, quod vocat hebraice וכה de quo dicitur Exod. 22. Immolans Diis, eradicabitur, praeterquam Domino soli. Ibi enim est hebraice דְּלֶבֶּח. Nabuchodonosor autem obtulitDanieli non ביתוחיד et ביתוחיד et ביתוחיד hoc est, munera et odores, quorum ulrumque tam Deo. qu'am homini offerri solet. Nam 1. Reg. 10. ubi legimus quosdam ex Isrāelitis non voluisse agnoscere Saulem regem, nec ei munera attulisse, pro munere est מנחה. Porro suaves odores nos etiam in ipsa Ecclesia offerimus imaginibus et reliquiis, cum tamen asseramus, sacrificium non deberi nisi soli Deo. Immo Dionysius cap. 3. part. 2. Eccles, hierarch, dicit, pontificem in sacris mysteriis, ubi adoleri coepit incensum, primum suffire aram, deinde totius Ecclesiae ambitum, quod etiam nunc fieri videmus. Si hoc non placet, dicamus cum Hieronymo et Theodoreto, Nabuchodonosor sacrificium obtulisse Danieli, idest, Deo Danielis.

Argumentum quartum sumitur ex confessione Patrum, qui a temporibus apostolorum, usque ad nostra tempora floruerunt. Justinus in Apolog. pag. 2. loquens nomine omnium Christianorum, et fidem totius Ecclesiae explicans: Sed, inquit, et illum (Deum Patrem), et ejus Filium qui venit, nosque haec docuit, et aliorum sequentium, similiumque bonorum angelorum exercitum, et spiritum propheticum colimus, alque adorumus, verboque et re seu verilate veneramur, idque omnibus qui discere volunt, ut docti institutique sumus, copiose tradimus.

Origenes hom. 3. in diversos: Horum, inquit, memoria semper, ut dignum est, in Ecclesia celebratur.

Eusebius lib. 13. praepar. evang. cap. 7. Nos, inquit, quotidie id factitamus; nam verae pietatis milites, ut Dei amicissimos honoramus. Idem Eusebius lib. 4. hist. cap. 13. refert ex epistola Ecclesiae Smyrnensium de martyrio s. Polycarpi, quod cum Gentiles metuerent, ne Christiani, relicto Christo, Polycarpum adorarent, veteres illi Christiani dicebant, se non posse ullo modo martyres pro Christo colere, sed tamen eos diligere et venerari quod sidem integre Magistro et Domino servaverint.

Athanasius in lib. de virginitate, circa finem: Si homo justus aedes tuas, inquit, intraverit, cum timore et tremore occurrens illi, adorabis humi ad pedes illius. At ut ostendat se loqui de religiosa adoratione: Non enim, inquit, cum, sed Deum adorabis, qui illum mittit, Dominus enim ait, qui recipit justum, me recipit. Ubi nota, adorari Deum in justis, non quod adoratio non terminetur ad hominem justum, sed quia ratio, cur justus adorefur, est Deus. Quemadmodum qui recipit justum hospitio, eique eleemosynam facit. Christum

recipere, et Christo eleemosynam facere dicitur, quia fit propter Christum, et Christus ita accipit, ac si fieret sibi.

Basilius oratione in sanctum Mamantem: Ecclosia, inquit, per hoc, quod eos honorat, qui praecesserunt, praesentes impellit. Et orat. in quadraginta martyres: Honor, inquit, quem bonis conservis exhibemus, benevolentiae erga communem dominum significationem de se praebet.

Gregorius nazianzenus oratione in Machabaeos, initio conqueritur, quod sanctos Machabaeos non omnes ubique colant, sicut martyrium ipsorum meretur. Et orat. 1. in Julianum, non procul ab initio, loquens de quodam honore, impenso a Juliano apostata cuidam martyri, quem martyr ille mirabili signo recusavit: O insignem, inquit, martyrum inter se charitatem, honorem illius, qui multos martyres contemptui habiturus erat recusarunt. Et paulo ante dixerat, honorem martyrum esse perspicuam notam amoris in Christum.

Gregorius nyssenus oratione in Theodorum martyrem, ubi multa dixit de cultu, qui sanctis martyribus ab Ecclesia exhibetur, ait: Cui regnum talis honor habetur? Quis ex iis, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoria celebratur? Quis imperator adeo decantatus, et fama celebratus est, ut hic miles pauper, modo conscriptus Tyro, quem Paulus armavit, quem angeli unxerunt, quem Christus coronavit?

Epiphanius haeres. 79. ubi refellit eorum errorem, qui Mariae tamquam Deae sacrificium offerehant, metueus, ne ista occasione nullus honor b. Mariae deferretur, ut nunc haeretici faciunt, saepissime repetit illa verba: Sit in honor Maria, Do-

minus adoretur.

Joannes chrysostomus homil, de sanctis Juventino et Maximo: Non aliter priscos, inquit, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate omnes. Et infra: Et martyres, inquit, quos hodie aderant. Et infra: Ideireo saepe eos invisamus, tumulos adoremus etc.

Cyrillus alexandrinus lib. 6. in Julianum, ultra medium: Nos, inquit, non Deos factos esse diximus sanctos martyres, sed omni honore dignari

Theodoretus lib. 8. ad Graecos: Suos, inquit, mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit, ac illos quidem cassos gloria; vanosque reddidit, suis autem martyribus honorem illorum dedit etc. Ubi notandum est, honorem Deorum traditum martyribus; quia ubi colebantur Dii, nunc coluntur martyres, non autem quod eodem modo colantur. Subdit enim Theodorelus: Alqui nos, o Graeci homines, nec hostias marlyribus, nec libamina ulla deferimus, sed ut sanctos homines, Deique amicissimos honorumus.

Denique Joannes Damascenus de fide orthodoxa, lib. 4. cap. 16. Honorare, inquit, decet sanctos, ut amicos Christi, ut filios et haeredes Dei, etc.

Ex Latinis Tertullianus de corona militis, meminit celebrationis festorum in natalitiis martyrum.

Cyprianus lib. 4. epist. 5. Martyrum, inquit passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus.

Ambrosius serm. 6. in fine: Quisquis honorat martyres, honoral et Christum, et qui spernit

sancios, spernit et Dominum.

Maximus serm. de natali sanctorum Octavii, adventoris et solutoris martyrum: Cuncti, inquit, martyres devotissime percolendi sunt, sed specialiler ii venerandi, quorum reliquias posside-

Prudentius de s. Hyppolito:

Hic corruptelis, animique, et corporis aeger Oravi quoties stratus, opem merui.

Nota illud: Oravi stratus Paulinus natali primo s. Felicis:

> Roma Petro Pauloque potens rarescere gaudet Hujus honore Dei elc.

#### Et natali octava:

Cujus honore Deus gaudel, quia martyr honorem Contempsit proprium.

Hieronymus in epist. ad Riparium: Honoramus. inquit, servos, ut honor servorum redundetad Dominum. Et in vita Paulae: Vale, o Paula, et cultorem tuum orationibus juva. Et ibidem dicit. Paulam cum inviseret sanclos eremitas. singulis ad pedes provolutam, ita eos venerari solitam, ac si in singulis Christum adoraret. Ubi certe non agitur de cultu civili; non enim foemina nobilissima rusticanos civiliter honorasset tanta subjectionis significatione.

Augustinus serm. 1. de sanctis Petro et Paulo: Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo, Et epist. 44. Oslendalur mihi Romae in tanto honore lemplum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunclus pro nobis? Idem lib. 20. contra Faustum, cap. 21. objicienti Fausto, quod Christiani idola vertissent in martyres, respondit a Christianis coli martyres, sed non latriu. Et in psal. 96. objicientibus. Ethnicis, quod Christiani colerent angelos, respondit similiter, et addit: Utinam et vos illos colere velletis; facile enim ab ipsis disceretis. non illos colere, idest, non colere ut Deos, sed w

Gregorius lib. 3. dialog. cap. 24. dicit, b. Petrum apparuisse cuidam Theodoro lamondes instruenti in Ecclesia ipsi b. Petro dicata, ut ostenderet probare venerationem, quam servientes sibi exhibent.

Bernardus serm, in illud; Signum magnam etc. Amplectamur Mariae vestigia. et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Et serm. sequenti, qui est de aquaeduclu: Totis. inquit, medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Kariam veneremut,

quia sic est voluntes ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.'

Argumentum quintum sumi potest ex invocatione, templis, festis, volis, peregrinationibus imaginibus et aliis, de quibus postea: cum haec omnia ad cultum sanctorum non dubium sit pertinere.

Argumentum sextum ex eo, quod semper Ethnici, Judaei, Haeretici accusaverunt Christianos idololatriae, propter cultum sanctorum, quod certe non fecissent, nisi vidissent a Christianis sanctos passim religiose coli. De Ethnicis testatur Eusebius, lib. 8. cap. 6. hist. de Judaeis Idem Euseb. lib. 4. cap. 15. De Juliano apostata Cyrillus lib. 6. et 10. in Julian. de Manichaeis Augustin. lib. 20. cap. 21. contra Faustum; de Porphyrio, Vigilantio et Eunomio Hieronymus lib. contra Vigilantium.

Argumentum septimum ex ratione; nam si honor civilis debetur civili virtuti, sapientiae, potentiae et nobilitati: Ergo honor plusquam civilis debetur supernaturali virtuti. sapientiae, potestati, nobilitati; sed sancti quoad virtutes supernaturales, excellunt omnino, cum serveant divina charitate, et peccare non possint: nihil enim inquinatum intrare potest in regnum, coelorum, Apocal. 21. Quoad sapientiam, vident ipsam sapientiam increatam, et in ea cognoscunt rerum omnium caussas, juxta illud, Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Quoad poleslatem, sunt reges coelorum, et participes ipsius throni divini, ut dicitur in Apoc. cap. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Et Luc. 22. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. Quoad nobilitatem, sunt filii Dei, reipsa jam adoptione confirmata per gloriam. Igitur merito, jureque optimo religioso cultu prosequendi sunt.

Denique, Deus sanctis honorem et gloriam promisit, 1. Reg. 2. Qui honorificaverit me, glorificabo eum. Joan. 12. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Et Rom. 2. Gloria et honor omni operanti bonum: ergo debetur eis honor; et certe pon ab aliis, quam a nobis, qui illis inferiores sumus. Non convenit autem mortuis honor civilis, ergo religiosus illis debetur.

### CAPUT XIV.

#### Solvuntur argumenta initio proposita.

Nunc adversariorum argumenta breviter dissotvamus. Ad primum. Si Calvinus per cultum religionis intelligit cultum latriae, fatemur sanctos non debere coli cultu religionis. Sed negamus, praeter cultum latriae nullum esso alium cultum. nisi civilem, jam enim ostendimus quendam tertium cultum, qui etiam dicitur religionis, licet secundario.

Ad secundum, admitto duliae cultum deberi sanctis, et nego id esse absurdum. Ad primam probationem respondeo, colere sine latria non esse colere sine cultu, sed colere sine tali cultu. Nam

BELLARMINI. Vol. II.

etiam b. Augustinus, qui tamen non erat ineptus, lib. 20. contra Faustum, cap. 21. dicit: Sanctos coli, et non latria.

Ad secundam probationem dico, duliam non esse plus quam latriam. Nam secundum profanos auctores idem significant: secundum autem Scripturae et Ecclesiae usum longe major est latria, quam dulia: latria enim non est quilibet cultus, sed cultus summae servitutis: dulia est cultus cujuslibek servitutis.

Dices: At non sumus servi sanctorum, sed conservi, ergo dulia sanctis non convenit. Aliqui respondent, cultum sanctorum non vocari duliam, idest, servitutem, quia exhibetur eis a servis; sed quia exhibetur ipsis, qui servi Dei sunt. Sed isti timuerunt, ubi son erat timor.

Dicendum igitur, duliam significare quamlibet servitutem, tam perfectam, quam-imperfectam. Est autem perfecta servitus corum, quid id, quod sunt, alterius sunt; et operantur moti ab alio, tam efficienter, quam finaliter, idest, operantur propter Dominum, et ab ipso Domino moti tamquam instrumenta ad operandum, ut Aristot. docet, lib. 1. Polit. cap. 3. Imperfecta servitus est corum, qui aliquid horum habent, non tamen omnia, idest, qui moventur ab alio aliquo inedo. Unde infans dicitur nihil differre a servo, licet sit dominus, Galat. 4. quia movelur ab alio effective: et contra, is qui regit, dicitar servus eorum quos regit, 2. Cor. 4. Nos autem servos vestros per Jesum; quia movetur ab alio finaliter. Nos ergo etiamsi non sumus servi sanctorum perfecté, sumus tamen imperfecte, quatenus illi nos movent et juvant ad bene operandum exemplo suo, et intercessione apud Deam. Hinc b. Paulinus natal. 1. 2. et 3. s. Felicir, passim vocat se famulum et servum s. Felicis; et b. Gregorius lib. 2. dialog. c. 24. non timuit dicere b. Petro, grata esse servientium sibi

Ad confirmationem ex Valla et Beza, fateor secundum usum profanorum scriptorum idem esse duliam et latriam, tamen secundum usum Scripturae, latria fere numquam accipitur pro cultu, qui exhibetur creaturae: secundum usum autem Ecclesiae, numquam omnino. Et sicut licuit antiquae Ecclesiae contra veteres haereticos nova vocabula invenire, ut ὁμούσιος etc. cur non licuit etiam Ecclesiae posteriori contra haereticos posteriores nova aliqua vocabula invenire, aut certe lisdem in alia significatione uti?

Ad Illud Augustini de dulia et latria respectu Dei, respondeo: Eum locum esse pro nobis; nam ex eo, quod Augustinus ait, latriam darí Deo, ut Deds est, duliam eidem, ut Dotninus est: eolligitur latriam non posse communicari creaturae, quia unus tantum est Deus: at duliam posse communicari, quia multi sunt vere et proprie Domini. Quamquam interim fatemur, duliam, qua colitur Deus, esse duliam per excellentiam, et specie distingui ab ea, qua coluntur sancti.

Ad tertium argumentum; ad primum locum, Deuteron. 6. dico, eum locum debere sic intelligi: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies; ea servitute, quae Deo soli convenit. Nam in

graeco est λατοεύσεις. Unde Augustin, quaest. 61. in Genes, annotavit; ideo non esse dictum, solum Deum adorabis, et illi soli servies; sed: Deum adorabis, et illi soli servies, quia adoratio convenit etiam creaturis, non autem servitus latriae, quae hic nominatur. Sed praeterea quamvis esset scriptum, illi soli δουλεύσεις, eodem modo exponi deberet; nimirum, illi soli servies certo quodam genere servitutis, non autem absolute, illi soli servies. Siguidem in textu hebraico est תעבור; et lamen invenimus, non obstante hoc praecepto, dictum Jacobo ab Isaac, Genes. 27. Serviant tibi populi, et adorent te filii matris, tuae; ubi sunt illa verba קבר, et השהחות. Praeterea sicut hic legimus: Illi soli servies, ita legimus 1. Timoth. 6. Qui solus habet immortalitatem; el tamen scimus, angelos, et animas esse etiam immortales suo quodam modo.

Ad illud 1. Timoth. 1. Soli Deo honor et gloria: respondeo, similiter intelligendum de certo honore et gloria; Nam Rom. 2. lego: Gloria et honor omni operanti bonum. Denique arctius dictum est Isai. 44. Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus; et tamen legimus in psal. 81. Ego dixi, Dii estis; nec tamen illud primum est falsum, sed sano modo intelligendum est.

Ad illud Matth. 4. dico: Diabolum postulasse a Christo προσχύνωστι in signum latrue, et proinde postulasse latriam; ac propterea a Domino illi fuisse responsum: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

At illud Galat. 4. Iis qui natura non sunt Dii, εδουλεύσατε respondeo, verbum δουλεύειν esse commune servituti Dei et creaturarum, et proinde exponi debere pro loci exigentia. Hic autem sumitur-pro cultu solius Dei; id enim circumstantiae loci necessario postulant.

Ad quartum argumentum; Ad primum exemplum dico, Aman voluisse adorari ut Deum; id enim ex

verbis Mardochaei colligitur.

Ad secundum de Cornelio dico: Cum s. Hieronymo lib. contra Vigilantium. Cornelium aliquid divinum in Petro inesse putavisse, et ideo jure correctum: vel cum Chrysostomo in hunc locum Actorum, Cornelium pie Petrum veneratum, sed Petrum ex modestia eum honorem, qui alioqui sibi debebatur; recusasse.

Ad tertium: Quid mirum, si Paulus noluit sibi sacrificari? Id enim supra diximus, esse actum ex-

ternum, soli Deo debitum.

Ad quartum dico: Esse pro nobis; nam vel Joannes putavit eum, qui sibi apparuerat esse Deum, aut angelum: si Deum merito reprehensus est: si angelum, et tamen adoravit, cur nos reprehendinur, qui facimus quod Joannes fecit? num melius Joanne norunt Calvinistae, sintne angeli adorandi?

At cur, inquiunt, reprehensus est? Primo, quia forte angelus sic apparuit, ut potuerit existimari Christus. Dixerat enim cap. 1. Ego sum primus, et novissimus, et fui mortuus, et ecce sum vivens etc. Itaque poterat existimari Christus, cujus personam gerebat, nisi ipse explicuisset, se non esse Christum, et ideo corrigendus fuit adorator non poupter errorem adorationis, sed propter errorem

personae. Ita respondet Augustin. quaest. 61. in Genes.

Secundo dico: Joannem recte voluisse angelo cultum debitum exhibere; sicut meminerat fecisse Abraham et Loth, alque alios majores suos: tamen angelum prohibuisse ob reverentiam humanitatis Christi. Nam ante Christi adventum angeli se ab hominibus adorari patiebantur: at posteaquam Deus homo factus est, et omnes angeli hominem in Christo, adorare coeperunt, notuerunt ipsi ab hominibus adorari, et praecipue ab apostolis, aliisque summis viris. Ita Beda. Anselm. Richard. et Rupertus in cap. 19. Apocal. et scholia graeca in cap. 22. ct ante hos auctores s. Gregor. lib. 27. moral, cap. 11. et homil. 8. in evangei. Nec tamen sequitur, nos male facere, si angelos adoremus; nam et nos recte illos adoramus, et ipsi recte adorari recusant.Itaque Joannes ipse cum cap. 19. semel audivisset: Vide ne feceris etc. lamen cap. 22. iterum voluit eundem angelum adorare; intelligebat enim, et se recte facere adorando, et angelum recte facere recusando, nec enim suspicari licet Joannem aut obliviosum, aut indocilem fuisse.

Ad ultimum ex Patribus, dico, eos loqui contra errores gentilium, qui ex hominibus sceleratis reros Deos faciebant, eisque sacrificia offerebant. Nam quod alioqui sancti angeli et homines debito cultu prosequenti sint, sexcentis in locis iidem Patres affirmant, quorum locorum jam aliqua supra retulimus.

#### CAPUT XV.

Proponitur controversia de invocatione sanctorum.

Demostravimus sanctos esse colendos: sed quia peculiaris difficultas est de cultu invocationis, idcirco nunc recto ordine sequitur, ut tractemus de invocatione sanctorum.

Duo sunt de hac quaestione errores extremi veritas est in medio, út fere semper esse solet. Primus error est, posse ac debere s. Mariam, quae praecipua sanctorum est, invocari, non secus ac Deus invocatur. Ita olim quidam, quos Epiphanius refert et refellit, haeresi 78. in fine, et haeresi 79. per totum. Alter est error, nullum sanctorum post mortem debere invocari ullo modo, quia vel non possunt orare mortui pro viventibus; vel si possunt, non nisi in genere orant, quia non possunt cognoscere nostras preces, quas ad illos fandimus. Hic error multorum est.

Primus omnium videtur fuisse Vigilantius, qui in hunc lapidem offendit. Nam quod Alphonsus de Castro in libro de haeresibus, verbo, sancti, tribuit hunc errorem Eustathio, qui ante Vigilantium vixit, non facile probari potest. Siquidem Eustathius basilicas martyrum contemnebat, et forte reliquias etiam: at de invocatione nihil docuit. Vide Socratem lib. 2. cap. 33. et concilium gangrense. Igitur Vigilantius, ut est in lib. s. Hieronymi contra Vigilantium, docebat, post mortem nullius pro

altero exaudiri orationem, et ideo sanctos mortuos non orare pro viventibus, ex quo sequitur, frustra eos invocari.

Deinde invocationem sanctorum apertius et fortius oppugnarunt tempore b. Bernardi Henriciani, seu Petrobrusiani et Apostolici, ut refert ipse s. Bernardus serm. 66. in Cantica, et auctor vitae s. Bernardi lib. 3. cap. 5. Idem paulo post docuerunt Waldenses, ut auctor est b. Antoninus 4. par. tit. 11. c. 7. § 2. Idem postea guidam nomine Cathari, ut auctor est Turrecremata, lib. 4. par. 2. cap. 35. summae de Ecclesia. Idem postea Joan, Wielef, ut scribit Thomas Waldensis tom. 3. tit. 12. c. 108. et seq. Nec non Taboritae, qui de familia sunt Joannis Huss, ut scribit Aeneas Sylvius de origine Bohemor. c. 35. Quamquam Wiclefus non illicitum esse dicebat orare sanctos, sed solum inutile et soperfluum; dicebat enim videri stultitiam recurrere ad scurras alicujus principis, quando ipse princeps est paratissimus per se audire, vel sectari turbidos rivos, quando fons ipse patet: quibus verbis obiter sanctos scurris et rivis turbidis conferebat, quod est haereticorum proprium.

Denique, haeretici nostri temporis, ut Lutherus in libris ad Waldenses; Melanchthon in Apol. art. 21. Confess. Augustanae: Brentins cap. 24. Confess. Wirtemb. et Calvinus lib. 1. cap. 14. § 12. et lib. 3. Instit. cap. 20. § 20. et seq. tria docent de orationibus sanctorum. Primo, ex divinis literis non haberi, quod sancti mortui orent pro vivis; ac proinde hoc non esse certum. Secundo, si sancti orant, eos non orare nisi in genere pro tota Ecclesia electorum, non autem pro isto, aut illo in speciali. Tertio, inutile et illicitum esse invocare sanclos, sive augelos, sive homines, ac petere, ut pro nobis orent; inutile quidem, quis non habent tam longas aures ( ita enim Calvinus loquitur ) ut preces nostras audire possint: illicitum autem, quia hine obscuratur gloria Christi, qui est unicus mediator et intercessor noster.

#### CAPUT XVI.

# Deleguntur aliquot fraudes et mendacia haereticorum.

Habemus igitur quae sit sententia adversariorum sed antequam eam refellamus, utile erit cognoscere breviter, quibus calumniis et mendaciis Melanchthon, et Calvinus eam simplicibus persuadeant.

Philippus loco notato tria mendacia dicit. Primo: Nos tribuere sanctis divinitatem, idest, vim cognoscendi mentium cogitationes. Mendacium est apertum; nec enim ullus catholicorum hoc dicit, vel dixit unquam; asserimus enim eos cognoscere nostras preces, non ut sunt in mentibus nostris, sed ut sunt in Deo, quem vident, et qui eas ipsis ostendit.

Secundo: Ante tempora s. Gregorii non exstare mentionem invocationis sanctorum. Paulo liberalior fuit Martinus Kemnitius, qui in examine sess. 22. concilii tridențini dicit. Invocationem sanctorum coepisse post tempora Augustini; et in exam, sess. 25. dicit, auctorem invocationis b. Mariae fuisse Petrum Gnapheum, qui vixit circa annum Domini 480. quae imperitia vel malitia est intolerabilis in tantis Magistris in Isräel, cum sint loca innumerabilia in Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Basilio, Athanasio, Irenaeo, et aliis quos postea citabimus, et quae ctiam citantur a Centuriatoribus Centur. 4. cap. 4. et Centur. 5. cap. 4.

Tertio: Papistas esse asinos, qui docent ex libro s. Hieronymi contra Vigilantium, Vigilantium negasse invocationem sanctorum; cum in toto illo libro Hieronymi non sit una syllaba de invocatione sanctorum, sed solum de honore reliquiarum. At hoc ipsum ostendit Philippum non quidem asinum, sed certe valde stupidum fuisse; nam etsi Vigilantius non dixit, sanctos non esse invocandos, tamen dixit, eos non posse orare pro nobis: hinc autem si non colligeremus, eum negasse invocationem sanctorum, lunc vere tardiores asinis essemus. Quis enim invocaret eum, qui non potest ullum auxilium praebere? Sapientius igitur fecerunt Magdeburgenses, Centur. 4. cap. 8. qui videntes non posse negari, quin Vigilantius idem senserit quod ipsi, dicunt, eum non fuisse haereticum, sed sanctum presbyterum, et cum llicronymo contendisse ac vicisse.

Porro Calvinus multa etiam dicit mirabilia. Priınum assirmat lib. 3. Institut, cap. 20. § 21. in omnibus hymnis et litaniis Papistarum, nullam unquam sieri Christi mentionem: et cum semper oremus sanctos mortuos, numquam nobis in precibus Christum occurrere. Quod certe tale mendacium est, ut periculum sit, ne diabolus cognomen mendacis amittat; quid enim? nonne in litaniis dicimus: Kyrie eleison, Christe eleison, Pater de coelis Deus etc. Nonne fere omnes hymni, quos in breviario legimus, sunt vel Ambrosii, vel Gregorii, vel Prudentii, vel Sedulii antiquissimorum auctorum? Et nonne omnes diriguntur ad Deum, et terminantur per Gloria tibi Domine, vel quid simile? Nonne omnes orationes Ecclesiae, quae leguntur in missa, diriguntur etiam ad Deum, et terminantur Per Christum Dominum nostrum?

Secundo: Sanctos cum Christe regnantes passim in illo capite 20. libri 3. vocat mortuos, larvas, umbras, colluviem; quae incredibilis blasphemia est.

Tertio dicit, lib. 3. cap. 20. § 20. solum Christum introisse in sanctuarium coeli, et solum ipsum deferre ad Deum vota populi eminus in atrio existentis. Quibus verbis significat, non solum sanctos homines, sed etiam ss. angelos non posse Deo nostras preces offerre, sed solum Christum: quod est contra apertissimam Scripturam, Tob. 12. Ego, inquit Raphäel, obtuli orationem tuam Domino. Et Apocal. 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. Et contra ipsum Calvinum, qui infra sui oblitus admittit angelos offerre Deo nostras preces.

Quarto divit, lib. 3. cap. 20. § 22. nos invocaré sanctos plane ut Beos, et habere nos Deos plarimos non pro numero urbium, ut dicitur Hierem. 2.

de Judaeis, sed pro numero capitum multitudinis, quae est calumnia manifesta, ut ex litaniis apparet. Quis enim Deo dicere auderet, s. Deus, ora pro nobis? Nec est nova calumnia; nam etiam antiqui hostes Ecclesiae mentiebantur, homines mortuos pro Diis catholicos habere, ut patet ex Cyrillo lib. 6. in Julian. ultra med. et lib. 10. ante med. et ex Eusebio lib. 4. histor. cap. 15. et lib. 8. cap. 6. et ex Augustino lib. 22. contra Faustum, cap. 4. et ex Hieronymo contra Vigilantium.

Quinto ibidem dicit: Nos rogare virginem, ut filium jubeat facere quod petimus. At quis nostrum hoc dicit? cur non probat ullo exemplo? Praeterea si Josue 10. dicitur: Obediente Deo voci hominis, cur non posset aliquo modo dici, filium Dei obedi-

re matri aliquid petenti?

Sexto ibidem dicit: Nos ante statuas Barbarae, vel Catharinae demurmurare Pater noster, et pastores hunc usum suo plausu approbare. At fideles etiam simplicissimi si interrogentur, respondere solent, se orationem dominicam dirigere ad Deum, id autem se facere coram imaginibus sanctorum, sperantes per auxilium sanctorum suam orationem ad Deum melius, et felicius perventuram, sed etiamsi aliqui tam stupidi essent, ut s. Barbarae dicerent. Pater noster, num imperitia aliquorum traduci debet quasi esset dogma ecclesiasticum? et qui sunt pastores, qui hunc abusum probant?

Septimo dicit: In concilio III. carthaginensi vetitum fuisse, ne in publicis precibus diceretur: Sancte Petre, ora pro nobis, sed istud decretum, nisi in suo codice Calvinus addiderit, nusquam reperitur. Concilium enim solum definit, ut oratio sacrificantis dirigatur ad Patrem, non ad Filium vel Spiritum sanctum, de sanctis nulla mentio. Sed Calvinus per suam dialecticam ex eo, quod oratio debet dirigi ad Patrem, deducit non posse invocari sanctos, et inde ulterius deducit, concilium statuisse, ut non dicatur, s. Petre ora pro nobis.

Octavo dicit: Horrendum esse sacrilegium, sanctos vocare praesules salutis, et nullo colore defendi, quod quidam sanctis dicunt, e coelo nos respice et adjuva. At priora sunt verba Ambrosii libro de viduis: posteriora Gregorii nazianzeni oratione in Cyprianum, in Athanasium, in Basilium: istis autem duobus viris nihil habuit antiquitas sapientius.

#### CAPUT XVII.

Quomodo sancti invocandi non sint.

Nunc ut rei veritas manifesta flat, ponemus et

probabimus aliquot propositiones.

Prima propositio. Non licet a sanctis petere.ut nobis tamquam auctores divingrum beneficiorum, gloriam, vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media concedant. Haec est contra primum errorem, et contra calumniam Calvinistarum. Probatur Primo Scriptura, psal. 83. Gratiam et gloriam dabit Dominus. Et ps. 120. Levavi oculos meos in montes, unde veniel auxilium mihi, auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. Montes sunt homines sancti, ut exposit Augustinus in hune psalmum, et fusius tract. 1. in Joannem, et libro de pastoribus, cap. 8. jubemur ergo levare oculos ad montes, idest, ad sanctos, et ab eis auxilium exspectare, sed ut intelligamus ab eis auxilium exspectandum esse, non ut ab auctoribus, sed ut ab impetratoribus; ideo statim subditur: Auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. Item Jacob. 1. Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est descendens a Patre luminum.

Secundo probatur ex usu Ecclesiae; nam in orationibus, quae leguntur in missa, vel in officio in celebritatibus sanctorum, nihil unquam aliud petimus, quam ut eorum precibus a Deo nobis benefi-

cia concedantur.

Tertio ratione; nam ea quibus indigemus, superant vires creaturae, ac proinde etiam sanctorum: ergo nihil debemus a sanctis petere, nisi ut a Deo impetrent, quae nobis utilia sunt.

Quarto ex Augustino lib. 8. de Civit. Dei, cap. ult. et lib. 22. cap. 10. et ex Theodoreto lib. 8. ad Graecos, qui diserte docent, sanctos non esse invocandos ut Deos, sed ut qui a Deo impetrare

possunt quod volunt.

Est tamen notandum, cum dicimus, non debere peti a sanctis, nisi ut orent pro nobis, nos non agere de verbis, sed de sensu verborum; nam quantum ad verba, licet dicere: Sancte Petre miserere mei, salva me, aperi mihi aditum coeli: item da mihi sanitatem corporis, da patientiam, da mihi fortitudinem etc. dummodo intelliganus, salva me et miserere mei orando pro me, da mihi hoc et illud tuis precibus et meritis. Sic enim loquitur Gregorius nazianzenus orat.in Cyprianum et in Basilium, et alii multi veterum:necnon Ecclesia universa, cum in hymno ad Virginem dicit:

Maria maler graliae, Maler misericordiae, Tu nos ab hosle prolege, El hora morlis suscipe.

Et in hymno apostolorum:

Quorum praecepto subditur Salus et languor omnium, Sanate aegros moribus, Nos reddentes virtutibus.

Et sicut apostolus de se dicit, Roman. 11. Li salvos facerem aliquos ex illis. Et 1. Cor. 9. Li omnes facerem salvos, non ut Deus, sed juvando concionibus, precibus etc.

Secunda propositio. Sancti non sunt immediati intercessores nostri apud Deum, sed quidquid a Deo nobis impetrant, per Christum impetrant. Nota, tres personas posse considerari, quando nos Deum oramus; unam ipsius Dei,a quo petimus beneficia; alteram Christi, per cujus meritum ea cupimus nobis dari; tertiam ejus qui petit beneficia per Christum. Ex his tribus personis non potest prima sanctis tribui, ut jam probavimus; nec secunda, ut nunc ostendemus; sed solum tertia.



Itaque sanctos invocamus ad hoc solum, ut faciant id, quod nos facimus, quia melius et efficacius ipsi facere possunt quam nos, melius illi et nos simul, quam nos soli. Probatur jam conclusio: Solus Christus est, qui mundum reconciliavit Deo. et qui meruit nobis gloriam et gratiam, et omnia necessaria ad salutem, ut patet Coloss. 1. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia, pacificans per sanquinem crucis ejus quae in terris, el quae in coe-lis sunt. El 1. Joan 2. Ipse est propitiatio pro peccalis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Atque hinc Christus dicitur ostium Joan. 10. et via Joan. 14. quia, ut ipse ait, nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum. Hinc etiam dicit Joan. 16. Petite in nomine meo. Hinc dicitur mediator Dei, et hominum 1. Timoth. 2. et 1. Joan. 2. dicitur advocatus apud Patrem: ergo nihil a sanctis petere possumus, nisi ut intercedant apud Deum quo nobis Christi meritum applicetur, et per Christum

gratiam et gloriam consequamur.

Secundo probatur ex verbis sanctorum. Ambrosius lib. de Isaac, cap. 8. Ipse Christus, inquit, est os nostrum, per quod Patri toquimur: oculus noster, per quem Patrem videmus; dextera no-stra, per quam nos Patri offerimus. Augustinus psalm. 108. exponens illud: oratio ejus fiat in peccalum: Oratio, inquit, quae non fit per Christum, non solum non potest delere peccalum, sed etiam ipsa fit peccatum. Bernardus sermone de b. Virgine, qui incipit, Signum magnum: Opus est, inquit, mediatore ad mediatorem.istum, nec alter nobis utilior, quam Maria. Quibus verbis docet Christum esse intercessorem immediatum, qui per se impetrat, sanctos esse mediatos, qui non nisi per mediatorem Christum impetrant.

Tertio probatur ex orationibus Ecclesiae. Omnes enim, quae de sanctis sunt, illam formam habent': Concede nobis Deus intercessione hujus sancti tale beneficium, per Christum Dominum nostrum.

#### CAPUT XVIII.

Sanctos pro nobis orare.

Habemus igitur, quomodo sancti invocandi non sint. Nunc, ut intelligamus quomodo invocandi sint, accedat Tertia propositio: Sancti orant pro nobis saltem in genere, secundum Scripturas. Probatur ex iis Seripturis, quae agunt solum de sanctis hominibus. Primus est Hier. 15. Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Ergo Moyses et Samuel jam mortui poterant, et solebant orare pro populo Judaeorum; ergo falsum est in Scripturis non haberi, quod sancti mortui orent pro vivis.

Respondet Calvinus duobus modis. Primo, ex hoc loco colligi potius contrarium; cum enim dicitur, si steterint, nimirum ad orandum, significatur

eos nec stelisse, nec orasse, et si isti praecipui prophetae non orabant, quanto minus alii?

At contra, quia etsi forte significetur, eos tunc non orasse, quia intelligebant rem esse jam desperatam, tamen significatur eos aliás orare consuevisse, quando se impetrare posse putabant, alioqui inepta esset haec Dei loquutio. Nam si quis diceret, si jumentum meum oraverit pro te, nihil impetrabit: inepte loqueretur. Quare? Quia jumenta non possunt orare; et similiter si quis diceret, si venerit huc Cicero vel Demosthenes, non persuadebunt mihi, inepte loquerclur. quia mortui huc venire non solent. Ita ergo et Deus (quod absit) inepte loqueretur, cum dicit: Si steterint coram me Moyses et Samuel. Si illi non possent, vel non solerent Deum interpellare. Aliud esset, si Scriptura diceret, si starent, idest, si per impossibile nune viverent et orarent. At nunc ail: Si steterint, et graece E'àν στὰ, non ἐὰν ἰστὰ; et hebraice ממנר si stabit Moyses.

Secundo respondet, sensum hujus loci hunc esse, si nunc steterint coram me duo aliqui insignes viri, quales olim erant Moyses et Samuel, tamen nihil obtinebunt. At contra opponimus gravissimos auctores, Chrysostomum homil. 1. in epist. 1. ad Thessulon. et Hieronymum in hunc locum, et Gregorium lib. 9. moral. cap. 12. qui docent Deum loqui de ipso vero Moyse et Samuele.

Secundus locus est 2. Machab. ult. ubi Judas in visione quadam vidit Oniam pontificem et Hiere-miam prophetam, qui jam obierant, orantes pro populo Judaeorum; ad quem locum nihil habet, quod respondeat Calvinus, nisi hunc librum non esse canonicum. At nos probamus esse canonicum argumento, quod Calvinus non potest rejicere, si vult sibi constare; ipse enim contra invocationem sanctorum affert tanquam argumentum potissimum testimonium concilii III. carthaginensis, ut videbimus in solutione argumentorum: in illo autem eodem concilio cap. 47. sic dicitur: Item placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil legatur in Ecclesia sub nomine divinarum Scrippurarum. Sunt autem canonicae Scripturae, Genesis, Exodus etc. Et infra: Esdrae libri duo, Machabaeorum libri duo etc. Vel igitur Calvinus recipiat libros Machabaeorum, ut canonicos et divinos, vel non deterreat nos hujus concilii auctoritate a sanctorum invocatione; nec enim dicendum est, eos Patres in uno sapere, et in altero delirare.

Tertius locus est Apoc. 5. ubi describuntur 24. seniores in coelo procidisse coram throno Dei, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum. Quem locum exponentes Primasius. Richardus, scholia graeca apud Oecumenium, et Gagnejus, dicunt orationes illas esse intercessiones pro infirmorum stabilitate.

Quartus locus est. 2. Petri 1. Dabo autem operam, et frequenter habere vos, nimirum commendatos, sive in animo, post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Ut enim exponunt scholia graeca apud Occumenium, aliqui veteres non inepte hinc colligebant, sanctos post obitum gerere curam viventium. Et quamvis hoc sit evidens argumentum, tamen est probabile.

Quintus locus est Luc. 16. ubi dives epulo orat pro fratribus suis: ergo multo magis orant justi pro tota Ecclesia.

Sextus est Apocalyps. 6.animae sanctorum martyrum magno clamore petunt vindictam de interfectoribus suis : ergo multo magis misericordiam petunt fratribus suis. Respondet Brentius istas orationes intelligi figurate; dicuntur enim sancti mortui clamare ad Dominum, quia preces, quas viventes effuderunt, adhuc resonant in auribus Dei. At contra: nam dives Epulo dum viveret, non oravit pro fratribus suis. Sancti etiam martyres dum hic viverent, non petebant a Deo vindictain de persecutoribus, sed potius at eis ignosceretur; ergo oratio, qua petunt vindictam, nova est; nam dum viverent, quia peccare poterant, et periculum erat ne si ultionem peterent, id facerent ex cupiditate. non pelebant: nunc autem eam petunt intuita, et amore justitiae, ut recte exponit Beda.

Accedat ultimo, quod Scripturae aperte docent communionem Ecclesiae triumphantis cum militante: nam Hebr. 12. apostolus dicit, nos accessisse ad Ecclesiam primitivorum, qui sunt in coelis, idest, cives illorum esse, Ephes. 2. et Galat. 4. dicit, matrem nostram esse Hierusalem, quae est in coelis. Et Coloss. 1. et Ephes. 4. dicit, Christum esse caput super omnem Ecclesiam, et certe non excluditur Ecclesia coelestis: at communio ista exigit necessario, ut membra pro invicem sollicita sint, et invicem se juvent. Haec enim est natura membrorum sub uno capite viventium, ut apostolus docet Roman. 12. et 1. Cor., 12. Hinc apparet quam falsum sit, quod Calvinus dicit lib. 3. Institut. cap. 20. § 24. Deum voluisse, ut nullum nobis esset commercium cum sanctis mortuis. sed nec illis nobiscum. At quomodo haec vera esse possunt, si sumus una respublica, unus populus, unum corpus? Vide Augustinum lib. 20. de Civit. Dei, cap. 9. ubi hoc ipsum probat.

Quarta propositio. Sancti. qui regnant cum Christo, pro nobis orant, non solum rin genere, sed etiam in particulari. Probatur pimo angeli orant pro nobis, et curam nostri genont, etiam in speciali, ut patet Tob. 12. Zachar. 1. Apocalyps. 8. Daniel. 10. psalm. 90. et Matth. 18. ergo multo magis id spiritus hominu m beatorum faciunt: nam in primis nihil eis deest porum, quae angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cum sint praediti intelligentia et voluntate, et adsint semper Deo, et nos vehementer diligant, ac demum sint aequales angelis, quod sunt membra corporis Ecclesiae nobis magis conjuncta, quam sint angeli, et expertit sunt miserias et pericula nostra, quae angeli non sunt experti.

Respondet Calvinus: Hoc argumentum concludere, si possimus ostendere, sicut angeli praesunt hominibus, eosque custodiunt, atque eorum rebus intersunt, ita etiam sanctos hominum spiritus facere. Existimat enim ipse (ut olim Vigilantius) sanctos omnes in atrio quodam quasi in libera custodia inclusos esse, nec inde unquam egredi, aut ullam de nobis sollicitudinem gerere.

Nos autem facile ostendenius non solum ab an-

gelis, sed etiam a spiritibus beatorum hominum regi et gubernari fideles viventes: Et sit hoc argumentum secundum; id enim promisit Christus. Apocal. 2. Qui vicerit, inquit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo. El cap. 3. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei. Et infra: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicul el ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Hic loquitur Joannes de spiritibus mortuorum, ut patet ex illis verbis: Et custodierit usque in finem opera mea; et loquitur de tempore ante resurrectionem, ut patel ex eo quod dicit: Reget eas in virga ferrea. Nam regere in virga ferrea, non significat, punire, quod eliam post resurrectionem fiet, sed significat regere virga pastorali, quod solum sit ante resurrectionem. Dicitar autem virga ferrea, quia inflexibilis est ad injustitiam, ut psalm. 44. Virga directionis, idest virga rectissima, virga regni lui, et etiam sempiterna; nam regni ejus non erit finis. Quod autem sequitur: Et tamquam vas figuli confringet cos, non significat homines perdendos, sed peccatores, Christo peccata conterente et delente, ut exponit Augustinus in psol. 2. juxta illud Actor. 10. Occide, et manduca. Vel reguntur, sive pascuntur electi in virga ferrea, reprobi autem tamquam vas figuli confringuntur.

Quod vero hoc significet, regere, in virga ferren, patet primo ex verbo hebraeo, quo utitur David psalm. 2. Dynn. Et ex graeco Joannis Apocalypsis 2. 12. et 19. quod est ποιμάνεις, idest, pasces, sive pastoraliter reges.

Secundo ex eo, quod dicitur Apoc. 12. Peperit filium, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea; Christus autem non punit omues gentes, sed regit pastoraliter.

Tertio, quia psal. 2. unde Joannes verba sua desumpsit, dicitur Christus totam suam haereditetem regere in virga ferrea: Postula a me etc. nec tamen suspicari possumus totam Ecclesiam a Christo esse destruendam.

Quarto, quia sie exponunt, regere in virga ferrea, Hilarius, Augustinus et Theodoretus in ps. 2. et Primasius ac Beda, et Rupertus in cap. 2. Apocalypsis. Habemus igitur, spiritus hominum heatorum post mortem ante diem resurrectionis accipere potestatem in gentes. et regere, et pascere eas; necnon esse columnas in templo Dei, idest, sustentare Ecclesiam, quod proprie sanctis martyribus convenire docet Chrysostomus in fine sermonis de Juventio et Maximo, ac demum sedere in trhono Christi, idest, cum illo praesidere toti mundo, et Ecclesiam regere et gubernare.

Idem colligitur ex illo Matth. 24. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit sie facientem; amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. Bona enim Domini Ecclesia est, ut Hilarius docet, quod eliam aperte legimus in praefatione de apostolis, quam unam esse ex novem antiquissimis testatur Pelagius papa II. qui s. Gregorium praecessit, in epist. 4. decretali. In ea praefatione dicitur: Gregem tuum pastor aeterne

non deferas, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuisti praeesse pastores. Id quod et Patres diserte docent.

Basilius oratione in quadraginta martyres, dicit: 0 cuneum inexpugnabilem! o communes generis humani custodes, optimi curarum socii etc. Et Gregorius nazianzenus orat. in Cyprianum: Tu, inquit, ab alto nos respice, nostrumque sermonem, ac vitam dirige, et sanctum ovile hoc pasce. ut simul una rege etc.

Hilarius in psalm. 124. Neque desunt stare volentibus sanctorum custodiae, neque angelorum

munitiones.

Ambrosius lib. 8. in Lucam, in fine: Sicut angeli praesunt, inquit, ita et hi, qui vitam merue-

rint angelorum.

Item Leo serm. 2. de anniversario suae assumptionis: Petrus, inquit. nunc plenius et potentius ea, quae sibi commissa sunt, peragit, et omnes partes officiorum, atque curarum, in ipso, per quem est glorificatus, exequitur. Et similia habet serm. 1. et 3. ejusdem argumenti. Item Maximus in serm. de martyribus Tauricis: Cum his, inquit, nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, et in corpore nos viventes custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt.

Denique Theodoretus lib. 8. ad Graecos, circa finem: Qui peregre, inquit, aliquo proficiscuntur. petunt martyres sibi comites esse in via, aut potius itineris duces; qui vero jam sospites redierunt. gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Habomus igitur ex Scripturis secundum Patrum explicationem, sanctos orare pro no-

bis.

Idem probatur Secundo testimoniis Patrum. Cyprianus lib. 1. epist. 1. Si quis hinc nostrum, inquit, prior divinae dignationis veleritate praecesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus et sororibus nostris, apud misericordiam patris non cessel oratio.

Gregorius nazianzenus orat. 14. quae est de obitu Gregorii patris sui: Nunc magis, inquit, proficit nobis precibus, quam antea doctrina, quanto etiam Deo propinquior est, postquam vincula

deposuit corporalia.

Joannes Chrysostomus in serm. de Juventio et Maxino, tom 3. Etenim sicul milites, inquit, vulnera in praeliis sibi inflicta regi monstrantes fidenter loquuntur, ita et illi absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quaecumque voluerint apud regem coelorum impetrare possunt.

Hieronymus hane ipsam conclusionem ex instilulo probat libro contra Vigilantium, in epistola ad Paulam de obitu Blaesillae: Pro te, inquit, Dominum rogal, mihique veniam impetrat peccatorum.

Augustinus lib. 7. de baptismo contra Donatistas, cap. 1. Adjuvet, inquit, nos Cyprianus orationibus suis, in istius carnis mortalitate tamquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino quantum possumus, bona ejus imitemur. Leo serm. 3. de anniversario suae assumptionis: Nuno, inquit, mandatum Domini pius pastor (Petrus) exsequitur, confirmans nos cohortationibus suis, et pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione superemur. Et in serm. 1. de ss. Petro et Paulo: Sicut, inquit, nos experti sumus, et nostri probavere majores, credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitae ad obtinendum misericordiam Dei semper nos specialium patronorum orationibus adjuvandos. His accedant omnia testimonia, quae afferemus pro sequenti conclusione; nam qui dicunt sanctos invocandos, sine dubio fatentur eos orare pro nobis.

Probatur ultimo ex apparitionibus sanctorum, qui aperte testati sunt, se orare pro nobis etiam in particulari. Scribit Eusebius lib. 6. histor. capite 5. s. Potamicenam carnifici promisisse, se cum ad Dominum pervenisset, aliquid el boni impetraturam: deinde post tres dies a consummato martyrio carnifici per quietem apparuisse, atque ejus capiti coronam imposuisse, pauloque post juxta martyris praedictionem, et ipsum ex impio carnifi-

ce pium Christi martyrem effectum.

Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 16. Non solum, inquit, beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus confessorem apparuisse Felicem, cum a barbaris Nola oppugnaretur, audivimus non incertis rumoribus, sed teatibus certis. Alia id genus plurima vide apud Basilium in orat, de s. Mamante; Gregorium nazianzenum oratione prima in Julianum, et oratione de s. Caesario; Gregorium nyssenum in vita Gregorii neocaesariensis; Theodoretum lib. 5. histor. cap. 24. Evodium et Lucianum de inventione et miraculis s. Stephani; Ambrosium in serm.de ss. Gervasio et Prothasio, et serm. 90. de s. Agnete; Prudentium hym no de s. Fructuoso; Paulinum natali octavo s. Felicis; Sulpitium in vita s. Martini, qui omnes auctores unte mille annos floruerunt.

#### CAPUT XIX.

#### Sanctos esse invocandos.

Sequitur Quinta, ac postrema propositio: Sancti. sive angeli, sive homines pie, alque utiliter a viventibus invocantur. Probatur primo Scriptura, Genes. 48. Jacob sic ait benedicens filiis Joseph: Angelus, inquit, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Hic aperte s. Jacob angelum invocavit. Item Job 5. Voca si quis est, qui tibi respondeal, et ad aliquem sanctorum convertere. Ubi nomine sanctorum intelligit angelos, ut d. Augustinus exponit in annotationibus in Job, qui etiam illud, c. 19. Miseremini mei amici mei, ad angelos dici existimat, juxta quod dicitur, cap. 33. Si fuerit angelus loquens pro eo unus de millibus, miserebitur eis, et dicet, Et libera cum. Sicut eliam cap. 15. cum dicit: Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis. Nomine sanctorum intelliguntur angeli; nam idem habetur cap. 4. his verbis: Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem. Quamvis autem

haec verba non videantur convincere, quia non sunt ipsius scriptoris libri, sed Eliphaz amici Job, tamen ideo convincunt, quia indicant tunc fuisse consueludinem invocandi patrocinium sanctorum

angelorum.

Item Exod. 32. Moyses ita orat: Recordare Domino Abraham, Isaac et Isräel servorum tuorum. In quem locum scribens Theodoretus quaest. 67. in Exod. dicit sanctum Moysem; cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse etiam patrocinium patriarcharum. Ubi notandum est, quia ante Christi adventum, sancti qui moriebantur, non intrabant in coelum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium; ideo non fuisse consuetum in Testamento veteri, ut diceretur: Sancte Abraham ora pro me etc. sed solum orabant homines ejus temporis Deum; et allegabant merita sanctorum, qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur.

Respondet Calvinus: Non peti ejusmodi verbis auxilium a meritis sanctorum, sed solum commemorari pactum, quod Deus cum patriarchis fecerat de protegendis et adjuvandis eorum posteris.

At solutio non satisfacit, nam et pactum Dei, et justitia sanctorum simul commemorabantur, ut patet ex psal. 131. Memento Domine David, et omnis mansuetudinis ejus. Et infra: Propter David servum tuum non averlas faciem Christi tui. Quae verba Salomonis sunt orantis Deum per merita patris sui Davidis, jam defuncti, ut constat ex lib. 2. Paralipom. cap. 6. Unde etiam lib. 3. Reg. cap. 15. dicitur: Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, ut suscitaret filium cjus post eum, eo quod fecisset David rectum in oculis Domini. Et Daniel. 3. Ne auseras misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum, et Isräel sanctum tuum. Et Moyses Exod.34. Hierem. cap. 32. et alii, cum orabant Deum, initio dicere solebant: Deus, qui facis misericordiam in millibus his, qui diligunt te, idest, qui propter justitiam Patrum misereris saepe filiorum, quod erat implorare merita veterum justorum. Unde etiam b. Augustin. quaest. 149. in Exod. sic ait: Admonemur, inquit, cum merita nostra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum merilis posse, quos Deus diligit. Idem docel Chrysostomus homil. 42. in Genes. et 27. in

Praeterea in utroque Testamento saepe legimus viventes a viventibus invocatos; nam lib. 1. Regum cap. 7. dicunt filii Isräel ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum: Item Job ultimo: Ite ad servum meum Job, ille orabit pro vobis. Roman. 15. Paulus ait: Obsecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum. Idem repetit Ephes. 6. 1. Thessal. 5. 2. Thess. 3. Coloss. 4. et Hebr. 13 ergo licebit etiam nunc invocare eosdem sanctos cum Christo regnantes. Nam si nunc non licet, vel quia nolunt; et hoc non, cum sint majori charitate praediti,

quam antea, et (ut loquitur Cyprianus serm. de mortalitate) de sua immortalitate securi, et de nostra incolumitate solliciti: vel quia non possunt; et hoc non, quia si poterant cum hic essent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria? vel quod non sciant quid oremus; et hoc non, quia unde sciunt angeli conversionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in coelis; ut dicitur Luc. 15. inde sciunt sancti nostras preces: vel demum quia fit injuria Deo, aut Christo, si alius quam ipse invocetur, et hoc non, quia tunc non liceret viventes invocare.

Atque hoc argumentum adversarii numquam solvere potuerunt. Calvinus enim solum respondet, aliam esse rationem invocationis vivorum et mortuorum, quia vivi omnes subnizi una Christi intercessione tam pro se, quam pro aliis Deum rogani, quia sunt invicem membra; et quia Scriptura, hortatur, ut oremus pro invicem, Jacobi 5. At hoc idem de mortuis dici potest; nam et illi sunt membra ejusdem Ecclesiae, et una Christi intercessione nituntur; quidquid enim uobis petunt, a Deo

per Christum petunt.

Probatur tertio ex conciliis, ac primum in epist. episcoporum Europae scripta ad Leonem imperatorem, quae habetur post concilium chalcedonense, sic dicitur: Sanctissimum vero Proterium in choro, et ordine sanctorum martyrum ponimus, et ejus intercessione misericordem, ac propitium Deum habere postulamus. Et actione 11. concilii chalcedonensis, dicunt Patres: Flavianus post mortem vivit, martyr pro nobis oret. Deinde in VI. synodo generali, cap. 7. ex canonibus recens editis, sic dicitur: Solo Deo creatore adorato, invocet Christianus sanctos, ut pro se intercedere apud majestatem divinam dignentur. Item VII. synodus generalis action. 6. in fine: Cum timore, inquit synodus, omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatae Deiparae, item sanctorum angelorum, omniumque sanctorum. Item in concilio gerundensi. cap. 3. aurelianensi I. can. 29. moguntino sub Carolo Magno, cap. 33. toletano V. cap. 1. et toletano VI. cap. 2. et bracarensi II. cap. 9. indicuntur litariae recitandae vel triduo ante ascensionem, vel allis temporibus. Sunt autem ista concilia fere omnia celebrata ente annos fere mille. His accedat factum Gregorii, qui litanias indixit tempore pestis, lib. 1. vitae ejus, cap. 42. et Walfridus Strabo c. 28. testes sunt.

Sed forte objicient, litanias hic vocari solum Kyrie eleison, Christe eleison; id enim vocant litaniam Graeci; ut patet ex Basilio epist. 63. et ex liturgia ipsius Basilii et Chrysostomi.

Respondeo: In conciliis praedictis litanias vocari illas ipsas invocationes Dei et sanctorum, quas nos modo vocamus litanias; nam in primis Walfridus Strabo lib. de rebus ecclesiasticis, cap. 28. declarans, quid sit litania, de qua agitur in his conciliis, et nominatim in concilio I. aurelianensi, dicit esse sanctorum invocationem. Deinde tunc dicebantur litaniae triduo ante ascensionem, et dicebantur non stando, sed ambulando et circumeundo aliqua loca: at nunc videmus servari idem tempus et eundem ritum; ergo caedem sunt litaniae omnino.

Probatur quarto testimoniis Graecorum et Latinorum Patrum. Ex Graecis primus prodeat s. Dionysius areopagita, qui cap. 7. Ecclesiast. hierarch. Nam profecto, inquit, idem fit, ac si quis sole suos radios sanis largiente oculis, sibi oculos eruens, solaris luminis particeps fieri postulet. Sic impossibilium superflua spe ille suspensus est, qui sanctorum flagitat preces, et naturae ipsorum consentaneas sacras operationes abigit etc.

S. Irenaeus lib. 5. contra haereses ultra medium: Et sicut illa (Eva) seducta est, ut effugeret Deum, sic haec (Maria) suasa est obedire Deo, ut virginis Evae, virgo Maria fieret advocata. Quid clarius?

Eusebius lib. 13. praeparationis evangelicae. cap. 7. Haec nos. inquit, quotidie factitamus, qui verae pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tamquam viris sanctis. quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.

Athanasius serm. in evangelium de sanctissima Deipara, idest, de annunciatione circa finem: Inclina, inquit, aurem tuam (Maria) in preces nostras, et ne obliviscaris populi tui. Et infra: Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo. Et infra: Intercede hera, et domina, et regi-

na, et mater Dei pro nobis.

Basilius orat. in 40. martyres: Qui aliqua. inquit, premitur angustia, ad hos confugiat: qui rursum laetatur, hos oret: ille ut a malis liberetur, hic ut duret in rebus laetis. Idem oratione in psalm. 33. in illud: Oculi Domini super justos, et sures ejus in preces eorum: Sanctae. inquit, spirituales virtutes (angeli) aliquae, oculi dicuntur, quod curam susceperint nos intervisendi nonnullae aures, ut quae nostras excipiunt preces.

Gregorius nazianzenus orat. in Cyprianum, in ipso medio, loquens de quadam sancta virgine, quam Cyprianus tunc ethnicus et magus per daemonem ad stuprum sollicitabat: Virginem Mariam, inquit, rogavit, ut periclitanti Virgini opem ferret. Et infra: Vicit virgo, vincitur daemon etc. Idem in fine Cyprianum invocat; sicut ctiam fecit in fine orationis in Basilium, et in fine orationis in Athanasium, ubi sic ait: Tu autem e supernis propitius nos respice, et populum hunc sanctum dirige, et nos in pace quidem fove et compasce, in certamine autem dirige, et suscipe, et cum te ipso statue, et iis qui tales sunt ut tu, etiamsi magna sit petitio.

Chrysostomus homil. 66. ad populum, circa fin. Nam, inquit, et ipse qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulchra, et fastu deposito stat sanctis supplicaturus, ut pro se apud Deum intercedant, et scenarum fabrum, et piscatorem ut protectores orat qui diademate redimitus incedit. Idem hortatur ad supplicandum sanctis homil. 5. et 8. in Matth. homil. 43. in Genes. homil. 1. in priorem Thessal. serm. in Juventium

BELLARMINI. Vol. 11.

et Maximum, et alibi.

Gregorius nyssenus oral in s. Theodorum, circa fin. Intercede, inquit, ac deprecare pro patria apud communem regem et dominum. Timemus afflictiones, exspectamus pericula. Non longe absunt scelesti Scythae, bellum adversum nos parturientes. Ut miles propugna pro nobis, ut martyr pro conservis utere libertate loquendi. Et infra: Quod si majori etiam opus fueril deprecatione et advocatione, fratrum tuorum martyrum coge chorum, et cum omnibus una deprecare, admone Petrum, excita Paulum, Joannem item theologum, ac discipulum dilectum etc.

S. Ephrem in sermonibus de laudibus sanctorum martyrum: Precamur, inquit, beatissimi martyres, qui pro Domino salvatore, proque illius charitate sponte et impigre tormenta sensistis, atque ideo familiarius Domino conjuncti estis, ut pro nobis miseris et peccatoribus, et de negligentiae squallore sordentibus. Dominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gra-

tia Christi.

Cyrillas catechesi 5. mystagogica: Cum hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, et Deus orationibus illorum, suscipiat preces nostras etc.

Theodoretus in historia sanctorum Patrum, singulas vitas ita concludit: Ego autem huic narrationi finem imponens rogo et quaeso, ut per horum intercessionem divinum consequar auxilium. Multa item habet de invocatione sanctorum lib. 8. ad Graecos, qui est de martyribus.

Damascenus lib. 4. de fide, cap. 16. Per eos (sanctos jam defunctos) daemones abiguntur. infirmi curantur, caeci vident, leprosi mundantur, tentationes et tristitiae solvuntur. Omne donum bonum a Patre luminum per eos, qui inhaesitabili fide petunt, descendit.

Theophylactus in cap. 11. ad Haebr. Jam nunc, inquit, arrabonem, et pignus honoris habent (sancti in coelo) unde alias eis potestas esset, ut succurrere queant invocantibus se? Unde ipsis, quod

fiduciam, habent intercedenti?

Jam ex Latinis. S. Cornelius papa in epistol. 1. quae est de translatione corporum apostolorum: Orantes, inquit, Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercedentibus sanctis suis apostolis, maculas vestrorum purget peccatorum etc.

- S. Hilarius in psal. 129. Intercessione, inquit, angelorum non natura Dei indiget, sed infirmitas nostra. Missi enim sunt propter eos, qui haereditabunt salutem, Deo nihit ex his quae agimus ignorante, sed infirmitate nostra ad rogandum et promerendum. spiritualis intercessionis ministerio indigente. Similia dicit de intercessione sanctorum apostolorum et prophetarum in psal. 121
- S. Ambrosius lib. de viduis, ultra medium: Obsecrandi sunt angeli, qui nobis ad praesidium dati sunt. martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare no-

stris, qui proprio sanguine, etiamsi qua habuerunt, peccata laverunt. Isti enim sunt Dei martyres, nostri praesules, speculatores vilae, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostrae infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt. Item lib. 10. in Lucam exponens cap. 21. Mortuis regibus, inquit, in perpetuum martyres regnum coelestis gratiae honore succedunt, et illi fiunt supplices, hi patroni.

S. Hieronymus iu epitaphio Paulae circa finem: Vale, inquit, o Paula, et cultoris tui ultimam sencetutem orationibus juva. fides et opera tua Christo te sociant, praesens facilius, quod postu-

las, impetrabis.

S. Maximus in ser. de s. Agnete: Itaque, inquit, o splendida Christo, pulchra Dei filio, et omnibus angelis et archangelis grata, ut nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus.

Ruffinus lib. 2. hist. cap. 33. Circuibat (Theodosius) cum sacerdotibus et populo omnium orationum loca, ante martyrum et apostolorum thecas jacebat cilicio prostratus, et auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebut.

S. Paulinus in fine carminis panegyrici de sancto Celso:

Celse juva fratrem socia pietate laborans, Ut vestra nobis sit locus in requie.

Et in epist. 12. ad Severum inserens quaedam carmina de s. Claro, sic ait:

Qualibel in regione poli silus aut paradisi, Clare sub aeterna pace bealus agis. Haec peccatorum bonus accipe vola rogantum, Ut sis Paulini, Therasiaeque memor.

Prudentius eodem tempore plurima scripsit carmina de sanctis, iu quibus eos invocari a viventibus docet. Proferamus loco exempli pauca. In carmine de s. Laurentio, sic ait:

Quod quisque supplex postulat, Fert impetratum prospere. Et tristis haud ultus redit. Ceu praesto semper adsies, Tuosque alumnos urbicos Lactante complexus sinu Paterno amore nutrias.

Item in hymno de s. Cassiano.

Audil, crede, preces martyr prosperrimus omnes, Ratasque reddit quas vides probabiles.

Item de s. Hippolyto:

Hippolylo scio me debere, Deus cui (hrislus Posse dedit, quod quis postulet, annuere.

S. Augustinus tract. 84. in Joan. Ideo quippe ad ipsam mensam, inquit, non sic eos (martyres) commemoramus, quemadmodum alios qui in

pace requiescunt, ut etiam pro ets oremus. sed magis, ut ipsi pro nobis orent. Item serm. 17. de verbis spostoli: Habet, inquit. ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt cum martyres eo loco recitant ad altare Dei. ubi non pro ipsis oretur, pro caeteris autem defunctis oretur. Injuria est cnim pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. Item lib. de cura pro mortuis c. 4. Non video, inquit, quod sit adjumentum mortuorum provisus sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum locus, nisi ad hoc, ut dum recolunt ubi sint reposita eorum, quos diligunt, corpora, eisdem sanctis illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent.

S. Victor uticensis lib. 3. de persequutione wandalica circa finem: Adestote, inquit, angeli Dei, deprecamini patriarchae, orate s. prophetae. estote apostoli suffragatores, praecipue tu Petre beate, quare siles pro ovibus et agnis a communi Domino magna tibi cautela et sollicitudine commendatis? Tu s. Paule gentium magister. cognosce quid Wandali faciunt Ariani. et filii tui gemunt lugendo captivi, universique ingemi-

scite simul pro nobis apostoli.

S. Fulgentius in serm. de laudibus b. Mariae: Ideo, inquit, omnes cursus naturae Virgo Maria in Domino nostro Jesu Christo suscepit. ut omnibus ad se confugientibus foeminis subveniret.

S. Leo serm. 5. de Epiphania: Confirmate, inquit. amicilias cum s. angelis et patriarchis.prophetis, apostolis, martyribusque sociamini, horum divitias concupiscite et per bonam aemulationem ipsorum ambite suffragia. Vide eundem in sermonibus de anniversario sune assumptionis, et de sanctis Petro et Paulo, et Laurentio.

S. Gregorius lib. 2. dialog. csp. ull. in fine: Ubi, inquit, in suis corporibus sanctorum martyres jacent, dubium Petre non est. quod multa valeant signa demonstrare, sicut et faciunt, et pura mente quaerentibus innumera miracula ostendunt, sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, utrumne ad exaudiendum ibi praesentes sint, ubi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos majora signa ostendere, ubi de eorum praesentia potest mens infirma dubitare. Quorum vero mens in Deo fixa est. tanto majus habet fidei meritum, quanto illic eos novit, et non jacere corpore, et tamen non deesse ab exauditione.

S. Gregorius turonensis lib. 1. de gloria martyrum cap. 94. Cyprianus, inquit, beatissimus carthaginensis, et antistes et martyr, salutem sae-

pius infirmis supplicantibus praestat.

S. Beda lib. 4. in Cantica, circa finem: Sed et cavernam materiae, inquit, cito volatu petamus, idest, sanctorum vel angelorum, vel hominum crebras pro nobis intercessiones apud misericordiam pit conditoris quaeramus, haec sunt enim firmissima ac tutissima sanctae Ecclesiae praesidia. Idem habet lib. 3. in Matth. in illud cap. 15. Qui non respondit ei verbum: Sanctorum, inquit, sunt petenda suffragia, ut ipsi supplicent pro Ecclesía.



S. Anselmus in lib. de excellentia b. Virginis Mariae cap. ultim. Rogamus, inquit, te Domina per ipsam gratiam, qua te pius et omnipotens Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilia esse donavit, quatenus id apud ipsum nobis impetres et obtineas, ut plenitudo gratiae, quam merusti, in nobis sic operetur, quo participium beati praemii nobis misericorditer quandoque donetur.

S. Bernardus serm. 2. super evangelium Missus es': inquit, In periculis, in augustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis, et sic in temetipso experiris, quam merito dictum sit, et nomen Virginis Maria.

Ex his 30. antiquis et doctissimis Patribus, soli sunt quinque Gregorio posteriores; ex quo apparet, quam illustre fuerit mendacium Philippi, qui ante Gregorium ignotam fuisse scripsit sanctorum invocationem.

Probatur quinto ex miraculis b. Bernardi factis contra hanc haeresim. Scribitur enim lib. 3. vitae ejus cap. 5. quod cum b. Bernardus apud Tholosam contra hanc ipsam haeresim praedicaret, populorum turbis offerentibus panes, ut eis vir sanclus benediceret, et benedicebat ille signo crucis edito his verbis: In hoc scietis vera esse quae a nobis, falsa quae ab haerclicis suadentur, si infirmi vestri gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Et cum episcopus Carnotensi, qui aderat, diceret: Si bona fide sumpserint, sanabuntur.B. Bernardus addidit: Non hoc ego dixi. sed vere quicumque gustaverint, sanabuntur, ul veros nos et veraces Dei nuncios esse sciatis. Et subjungit auctor: Tam ingens multitudo languentium gustato illo pane convaluit, ut per totam provinciam verbum hoc divulgaretur.

Nota, miracula ista non esse facta proprie ad probanda merita b. Bernardi; nam ipse diserte dixit, ut sanarentur aegroti, si vera erant, quae praedicaverat: et ne forte tribuerentur fidei et devotioni populorum addidit, omnes sanandos qui inde gustassent, sive cum fide, sive sine fide, ut nimirum totum miraculum referretur tamquam ad finem, ad confirmationem veritatis: Ergo cum sint facta innumerabilia miracula ad hanc nostram sententiam confirmandam aut ipsa vera est, aut Deus testis fuit falsitatis.

Accedant postremo infinita miracula, quibus sancti saepissime demonstrarunt, se audire preces viventium, et posse ac velle eos juvare, a quibus invocantur. Vide de his miraculis epistolam Nili recitatam in VII. synodo act. 4. Theodoretum in histor. lib. 5. cap. 24. et lib. 8. ad Graecos. Ambrosium sermon.90.qui est de s.Agnete. Augustinum lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. Gregorium turonicum in libris de gloria martyrum et confessorum. Gregorium romanum lib. 3. dialog. cap.

22. 23. 24. 25. et. 37. Bonaventuram in vita s. Francisci.

Ex his colligi potest, quam sint leves haereticorum responsiones, quas adhibent ad loca Patrum a nobis citata; nam Magdeburgenses Centuria 4. cap. 4. inconstantissime loquuntur; nunc enim agnoscunt esse Patrum testimonia, sed dicunt eos errasse, nunc vero dicunt a maligno spiritu esse inserta in operibus tantorum vivorum, quod tamen non aliter probant, quam quia Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto c. 12. et Epiphanius in haeresi Colliridianorum, dicunt solum Deum esse adorandum. Nec advertere volunt eos Patres loqui de adoratione, quae soli debetur Deo, in quo sensu etiam nos fatemur, solum Deum adorandum, cum quo tamen bene cohaeret, quod dicimus, sanctos non ut Deos, sed ut amicos Dei invocandos.

Porro Brentius cap. 24. Confessionis Wirtembergensis, omnia constur eludere per figuram prosopopejue. Dicit enim Patres in concionibus invocare solitos esse nomina mortuorum ac si viverent, sicut interdum inter declamandum alloquimur coelum, vel terram, vel mortuos homines, quos tamen certe scimus non audire. At hoc figmentum in primis, si ullum haberet locum, solum haberet in testimoniis Basilii, Nazianzeni, et quorundam aliorum, qui inter concionandum sanctos invocaverunt.Nullum autem haberet in testimoniis Dionysii, Ircnaei Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini, et aliorum, qui vel docent sanctos invocandos, vel narrant.a quibus sint invocati. Sed quod nec in testimoniis Basilii et Gregorii locum habeat, inde patet, quod isti Patres ibidem pollicentur sibi, et aliis auxilium ex illa invocatione, et miracula quae facta sunt, satis ostendunt, non inanem prosopopejam, sed petitionem efficacem esse invocationem sanctorum.

Jam Calvinus lib. 3. cap. 20. instit. respondet, Patres voluisse quidem prohibere hanc superstitionem, sed non poluisse frangere impetum vulgi, id quod ostendit ex concilio carthaginensi III. cap. 23. ubi prohibetur, ne in precibus, quae ad altare funduntur, oratio dirigatur ad alium, quam ad Patrem. Ex quo vult Calvinus colligi, voluisse Patres ejus concilii saltem impedire ne mysterium coenae profanaretur invocatione mortuorum. Quod etiam confirmatur ex s. Augustino lib. 22. de Civ. Dei c. 10 ubi dicit sanctos non invocari a sacerdote sacrificante.

Sed nimis infirmum est Calvini refugium: Nam quod Patres non cupiverint prohibere invocationem sanctorum, patet ex verbis ipsorum jam citatis, ubi ipsi suadent, hortantur, docent, sanctos invocandos, et ipsi eos passim invocaverunt, et in conciliis a se celebratis eos invocari praeceperunt. Neque in concilio carthaginensi habetur unum verbum de invocatione sanctorum, sed solum praecipitur, ut oratio sacerdotis sacrificium offerentis dirigatur ad personam Patris, non filii aut Spiritus sancti, quod etiam modo servamus, quamvis toti sacrificemus Trinitati.

Beatus etiam Augustinus solum docet, ipsa prece qua sacrificium offertur, non invocari sanctos, sed Deum, cui soli sacrificatur; Nam quod in ipso

sacrificio memoria fiat martyrum, et invocentur, ut pro nobis orent, idem Augustinus diserte docet tractat. 84 in Joan. et serm. 17. de verbis apostoli, et Cyrillus catechesi 5. mystagogica, ut supra citavimus, et idem patet ex liturgia Chrysostomi, et aliorum veterum; nam in omnibus sancti invocantur.

#### CAPUT XX.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Superest nunc argumenta adversariorum proponere et solvere.

Argumentum primum. Invocatio sanctorum in injuriam Dei cedit; Nam Rom. 10. dicitur: Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Ergo ille solus invocatur, in quem credimus, non autem credimus nisi in Deum, ergo vel solum Deum invocamus, vel sanctos faciemus Deos.

His accedunt duo loca Patrum, Ambrosius in 1. cap. ad Roman. Solent, inquit, pudore passi neglecti Dei, misera uti excusatione dicentes: Per istos posse ire ad Deum, sicut per comites pervenitur ad regem, Age, numquid ita demens est aliquis, aut salutis suae immemor, ut honorificentiam regis vendicet comiti, cum de hac re si qui ctiam tractare fuerint inventi, jure ut rei damnentur majestatis? et isti se non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturae, et relicto Domino conservos adorant; quasi sit aliquid plus, quod servetur Deo: Nam ideo ad regem per tribunos aut comites itur, quia homo utique est rex, et nescit, quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem (quem utique nihil latet, omnia enim merita novit) promerendum, suffragatore non opus est, sed mente de-

Idem Theodoretus lib. 8. ad Graecos in fine, Suos, inquit, mortuos Dominus Deus noster in templa pro Dis vestris induxit. ac illos quidem cassos gloria, vanosque reddidit, suis autem martyribus honoremillorum dedit. Pro Pandiis enim Diasiisque ac Dionysiis, hoc est, Jovis, Liberique patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomae, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisque ss. martyribus solemnitates populari epulo peraguntur. His verbis fatetur Theodoretus nos habere sanctos pro Diis.

Respondeo: Quemadmodum non fit injuria, sed honor regibus, quando eorum amici honorantur, et ad eos legati mittuntur, ita Deo non injuriam, sed honorem deferri, quando sancti non ut Dii sed ut amici Dei honorantur, et tamquam patroni apud Deum accipiuntur. Alioqui etiam faceret Deo injuriam, qui a viventibus orationes postularet, ut fecit apostolus Rom. 15. et alibi, et Centurio injuriam Christo fecisset, qui (ut dicitur Luc. 7.) non per se, sed per seniores Judaeorum a Christo auxilium petiit.

Ad primum autem locum dico: Ibi agi de invocatione, qua aliquis invocatur ut Deus, et primus auctor bonorum; praecedit enim: Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Dico praeterea, revera sicut Deum non potest invocare ut Deum, qui in eum non credit, idest, qui non credit eum esse Deum, et qui ei non credendo in eo non sperat, nec cum diligit: ita etiam non posse eum sanctos invocare, ut sanctos et amicos Dei, qui suo modo in eos non credit, idest, non credit esse sanctos, nec in eis sperat, ut in patronis, nec eos ut tales diligit. Nec nomen invocationis, vel fidei in Scripturis soli Deo tribuitur. Dicit enim Jacob Gen. 48. Invocetur nomen meum super pueros hos, et nomina Patrum meorum. Ex quo loco docet b. Augustinus lib.loquutionum de Genes, nu. 200. invocationem non solum Dei, sed etiam hominum esse. Et in epist. ad Philemonem dicit apostolus: Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos. In quem locum b. Hieronymus prolixe ostendit, etiam in sanctos haberi debere fidem.

Ad locum Ambrosii dico: Eum agere contra ethnicos, qui astrorum cursus colebant, contra quos ibidem apostolus agit. Unde etiam dicit, eos colere conservos, idest, creaturas.non secus ac Deum; quomodo faceret, qui comiti honores regios deferret. Quod autem in fine addit: Ad Deum promerendum non esse opus suffragatore; intelligitur ex parte Dei. quasi dicat, Deus non eget interpretibus, cum ipse per se omnia videat, et intelligat; tamen ex parte nostri opus esse suffragatoribus, vel saltem id esse utilissimum, idem Ambrosius clarissime docet in lib. de viduis ut supra ostendimus.

Dices: Hoc idem poterant respondere gentiles. Respondeo: Negatur; nam illi putabant, summum Deum non esse immediate accessibilem, nec aliter ad eum veniri, nisi per cultum inferiorum virtutum, ut clarius docet Theodoretus in cap. 1. ad Coloss.

Ad locum Theodoreti dico, eum significare vokuisse, gloriam Deorum translatam in martyres, quia templa et festa Deorum conversa sunt in templa et festa martyrum, sed tamen eorum, quos religio vera permittit, ut martyres non pro Diis habeamus, sicut illi habebant Jovem et Liberum et alios, sed pro viris sanctis e! amicis Dei, qui nos exemplis, precibus, et meritis suis plurimum juvant. De qua re supra diximus.

Argumentum secundum. Invocatio sanctorum injuriam facit Christo; nam 1. Timoth. 2. dicitur: Unus est mediator Dei, et hominum, homo Christus Jesus. Si ergo solus ipse est mediator, injuriam ei facit quicumque per alium ad Deum accedit. Quare Augustinus lib. 2. contra Parmenian. cap. 8. Si Joannes, inquit: ita diceret: haec scripsi vobis, ut non peccetis, et si quis peccaverit, mediatorem me habetis apud Patrem. ego exoro pro peccatis vestris: sicut Parmenianus quodam loco mediatorem posuit episcopum inter populum et Deum, quis eum ferret bonorum atque fidelium Christianerum? Quis sicut apostolum Christi. et non sicut Antichristum intueretur? Et infra: Si esset mediator Paulus, essent utique et caeteri coapostoli ejus, ac sic multi mediatores essent, nec ipsius Pau-

li constaret ratio, qua dixerat, unus Deus, unus mediator Dei et hominum.

Praeterea Coloss. 2. dicitur: Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum,quae non vidit ambulans etc. In quae verba sic scribit Theodoretus: Qui legem, inquit, defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia et Pisidia. Quocirca synodus quoque, quae convenit Laodiceae, quae est Phrigiae metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos, et in hodiernum usque diem videre licet apud istos, et eorum finitimos oratoria s. Michäelis. Illi ergo hoc consulebant, utique humilitate ulentes, dicentes, universorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri: et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.

Respondeo: Nullam injuriam Christo fleri per invocationem sanctorum. Neque enim invocamus sanctos, ut fungantur vice Christi, vel Christum adjuvent, sed ut adjuvent nos, quo facilius a Deo per Christum impetremus, quae poscimus, et si argumentum aliquid valeret; etiam concluderet, non esse petendas vivorum orationes, quod tamen esse contrarium Scripturis etiam haeretici concedunt.

Ad primum ergo locum respondeo: Tribus de caussis dici Christum unum et solum mediatorem Dei et hominum. Primo, quia solus ipse fuit mediator per modum redemptionis. Notandum enim est posse tribus modis unum medialorem reconciliare duos dissidentes; uno modo declarando, uter justum petat; altero modo solvendo creditori pro debitore; tertio modo orando creditorem, ut debitum remittat.

Primus modus, qui est declarando, uter justum petat, inter Deum et hominem, locum non habet, quia constat Deum ab homine esse offensum.

Secundo modo solus Christus est mediator Dei et hominum, et hoc modo loquitur apostolus, ut patet tum ex eo, quod subdit: Qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis; tum etiam quia scribit ad Timotheum episcopum Ephesi in Asia, ubi tunc vigebat haeresis Simonis, quae angelos loco Christi introducebat, unde etiam in epist. ad Ephesios, et ad Coloss. qui sunt populi Asiae, passim inculcat Christum esse caput totius Ecclesiae, et per eum solum reconciliatum esse mundum Deo.

Postremo modo etiam sancti dici possunt mediatores inter Deum et eos, pro quibus orant. Neque est, cur timeamus, nomen mediatoris transferre ad sanctos, sicut ad eos transferimus nomen advocati et intercessoris, quae Christo tribuuntur Rom. 8. et 1. Joan. 2. Nam s. Gregorius nazianzenus in oratione ad Gregorium nyssenum, martyres mediatores inter nos, et Deum appellat, et s. Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 10. dicit prophetas et apostolos omnes fuisse mediatores, et Moyses ipse Deuter. 5. dicit de se: Ego sequester et melius fui, inter Dominum et vos, in tempore illo. Quibus verbis alludens apostolus Galat. 3. dicit, legem veterem ordinatam fuisse per angelos; in manu mediatoris, idest, Moysis, et Hehr. 9. et 12. vocat Christum

mediatorem novi Testamenti, ad distinctionem Moysis qui fuit mediator Testamenti veteris.

Hinc solvitur argumentum ex testimonio Augustini; Nam quia Donatistae putabant a sacerdote pendere gratiam sacramenti, ita ut sacerdos bonus baptizans sanctificaret, sacerdos malus baptizans pollueret, et proinde faciebant sacerdotem mediatorem quodammodo redemptionis ideo Augustinus docet, plebem esse securam sive a bono, sive a malo baptizetur, quia unus est mediator Dei et hominum Christus. Quod autem non neget Augustinus sacerdotem posse dici mediatorem orando, patet, quia ibidem dicit Christianos recte facere, cum se invicem orationibus commendant.

Altera caussa, cur Christus dicatur unus mediator, est, quia Christus non solum est mediator ratione officii, quia conciliat Deum homini, sed etiam ratione naturae, quia est medius inter Deum et hominem, cum ipse et Deus, et homo sit: id quod erat necessarium ad reconciliandum hominem Deo. Hanc rationem redduct fere omnes Patres, ut Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, et alii in hunc locum Pauli, necnon Epiphanius in Ancorato ante medium. S. Cyrillus lib. 12. thesauri cap. 10. et lib. 1. de Trintate, ante medium, Hilarius lib. 9. de Trinitate, ante medium, Hilarius lib. 9. de Civit. Dei cap. 17.et Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 2.

Tertia caussa est, quia solus Christus ita est mediator omnium hominum, ut ipse nullo mediatore indigeat. Nam sancti caeteri etsi mediatores sunt inter Deum et nos, quia Deum suis precibus nobis propitium reddunt: tamen et ipsi indiguerunt reconciliari Deo per mediatorem Christum, et nunc etiam quidquid nobis impetrant, a Deo per Christum impetrant: Christus autem nec pro se, nec pro nobis ullo mediatòre indiguit, vel indiget, sed ut dicitur Hebr. 7. Accedit per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis.

Hanc rationem sequutus est b. Augustinus lib. 2. contra Parmenianum cap. 8. Homines, inquit, omnes Christiani invicem se commendant orationibus suis. pro quo autem nullus interpellat, sed pro omnibus, hic unus, verusque mediator est. Et hinc patet alia solutio ad argumentum ex verbis beati Augustini, non enim negat, quin sacerdos possit esse mediator orando pro populo; nisi in eo sensu, quo mediator Dei et hominum dicitur, qui pro omnibus interpellat, et ipso nullo eget, qui pro se interpellet, aut per quem interpellet.

Urget Calvinus hunc locum Augustini, qui ait: Pro quo nullus interpellat. et ipse pro omnibus, hic unus, verusque mediator est. Sed sancti, per nos orant pro nobis, et nemo pro illis.Respondeo: B. Augustinum, cum ait, Christum pro nobis interpellare, velle dicere, Christum esse quem omnes interpellant, ut omnium mediatorem, sive illi pro se, sive pro aliis orent. Hoc modo Christus interpellat nunc pro b. Petro, non quod oret pro ejus salute, sed quia interpellat pro salute mea, quam etiam b. Petrus postulat. Alioqui etiam angeli essent mediatores eo modo, quo Christus, nam an-

geli orant pro omnibus, et nemo pro illis. Sed ideo non sunt mediatores eo modo, quo Christus, quia ipsi egent Christo, per quem impetrent nobis a Deo beneficia.

Ad tertium locum, qui est ex epist. Coloss. dico: Ibi apostolum damnare haeresim Simonis magi, qui Platonicos sequutus, docuit quosdam angelos adorandos quasi minores Deos, qui et mundum fabricarunt, et per prophetas loquuti sunt, nec posse ullum placare summum Deum qui invisibilis est. nisi per hos angelos. Vide de hac haeresi Irenaeum lib.1.cap.20.Tertullian. in lib.de praescriptione, et Epiphanium in haeresi Simonis. De hac idololatria. sive magia, qua adorantur angeli loco Dei, vel Christi, exponunt hunc locum omnes interpretes. Joannes Chrysostomus hom. 7. in epist. ad Coloss. Sunt nonnulli, inquit, qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari, et ad Patrem accedere, sed per angelos. Propterea (Paulus) sursum ac deorsum, quae de Christo sunt, versat. Ita etiam exponit Oecumenius et Theophylactus; Ambrosius in hune locum putat eos notari, qui adorant stellas.

Hieronymus quaest. 10. ad Algasiam et Haymo in hunc locum docent reprehendi eos, qui sacrificabant angelis, nec ab his dissentit Theodoretus. immo ipse clarissime omnium docet notari hic Simonianos, qui dicebant, Deum apprehendi non posse, sed per angelos esse placandum, et ex illo ipso concilio, quod ipse citat, apparet, idololatriam esse, quam Paulus reprehendil. Sic enim ait concilium laodicenum cap. 35. Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire et ad angelos idololatriae abominandae congregationes facere. quae omnia interdicta sunt. Quicumque autem inventus fuerit occulte huic idololatriae vocans, anathema sit, quoniam derelinquens' Dominum nostrum Jesum Christum accessit ad idola. Ubi. ut vides, concilium non damnat quamlibet venerationem angelorum.sed eam, quae Deo propria est.

Quod vero Theodoretus dicit de oratoriis s. Michäelis duobus modis potest intelligi. Uno modo, quod velit dicere, haereticos aedificasse oratoria sancti Michäeli, ut eum ibi colerent secundum haeresim Simonis, ei sacrificando etc. Altero modo, quod significare voluerit, templa ab haereticis exstructa ad sacrificandum malis angelis, esse conversa a catholicis in oratoria's. Michäelis, et exmultitudine talium locorum colligi, quam multum haeresis Simonis ibi olim grassata fuerit.

Quod enim templa idolorum olim conversa sint in basilicas martyrum, et aliorum sanctorum, certum est ex ipso Theodoreto lib. 8. de martyribus, et adhuc Romae videtur templum omnium Deorum conversum in templum omnium sanctorum, et templum Castoris et Pollucis, in templum sanctorum Cosmae et Damiani, et Gregorius lib. 2. dialogorum cap. 8. scribit a s. Benedicto conversum suisse sanum Apollinis in oratorium s. Martini, et ipse b. Gregorius lib. 19. epist. 71. ad Mellitum, praecipit Augustino episcopo Anglorum, ut sana idolorum non destruat, sed aqua benedicta aspergal, et reliquiis sanctorum ornet, ac demum in templa Dei veri convertat.

Argumentum tertium. Sancti jam defuncti non cognoscunt viventium preces, igitur frustra invocantur. Quod autem sancti non cognoscant preces viventium, his argumentis probatur. Primo, Scriptura soli Deo tribuit scrutari renes et corda, et scire cogitationes hominum 3. Regum 8. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Secundo Job 14. dicitur: Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget. Tertio Ecclesiast. 9. dicitur: Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil noverunt amplius. Quarto, Isaise 63. dicilur. Tu es enim pater noster, et Abraham nescivit nos. Quinto, lib. 4. Regum cap. 22. dicitur Josine regi a Deo: Colligam te ad patres tuos. ut non videant oculi tui omnia mala, quae introducturus sum in locum istum. Sexto, b. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 13. Si parentes, inquil, non intersunt, qui sunt alii mortuorum,qui noverunt quid agamus, quidve patiamur? Isaias propheta dicit: Abraham nos nescivit, et Israel non cognovit nos. Si tanti patriarchae quid erga populum ex ipsis procreatum ageretur, ignoraverunt, quomodo mortui vivorum rebus, atque actibus cognoscendis, adjuvandisque miscentur?

Item Gregorius nazianzenus in fine orationis in Gorgoniam sororem suam: Si tibi, inquit, aliqua nostri sermonis est ratio, et hoc sanctis animis a Deo munus, ut talia resciscant, suscipe nostrum sermonem multorum epitaphiorum loco. Vides cerle Gregorium dubitasse, an sancti cognoscant nostras preces. Qualem etiam dubitationem legimus in Augustino lib. de vera religione cap. 53. Quisquis, inquit, angelorum vet hominum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit: Quisquis in illo manet, et potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Ubi videtur dubitare, utrum omnes sancti possint humanas preces sentire.

Similem etiam dubitationem legimus in Origene lib. 2. in epist. ad Romanos, non procul a principio: Si extra corpus, inquit, positi.vel sancti qui cum Christo sunt, agunt aliquid et laborant pro nobis ad similitudinem angelorum, qui salutis nostrae ministeria procurant.vel rursum peccatores etiam ipsi, extra corpus positi, agunt uliquid secundum propositum mentis suae, angelorum nihilominus ad similitudinem sinistrorum; habeatur hoc quoque inter occulta Dei, neque chartulae committenda mysteria.

Respondeo: Hujus argumenti nec bonam esse consequutionem, nec verum id, quod assumitur. Itaque primum consequutio negari potest: Nam com certum sit ex tot Patrum testimoniis, et tot miraculis a Deo ostensis, eos qui invocant sanctos, exaudiri et impetrare quod petunt. Certe non frustra invocantur sancti, etiamsi demus eos non audire, neque cognoscere nostras preces, nam aliquis alius eorum vice fungitur; sicut non frustra supplicat regi, qui certe scit regem non lecturum supplicationem, sed aliquem alium ex aula ejus, et nihilominus ita se impetraturum quod petit, ac si rex legisset supplicationem.

Deinde, non est verum quod assumitur, sanctos

ignorare quid ab illis petamus. Nam etsi dubitatio esse possit, quemadmoduni cognoscant absentia, et quae solo cordis affectu interdum proferuntur; tamen certum est eos cognoscere; cum, ut ostendimus, praesint nobis, et rerum nostrarum curam gerant. Et certe metior est haec consequentia: Sancti recte invocantur, ergo sciunt quid petamus; quam illa: non sciunt quid petamus, ergo non recte invocantur. Nam antecedens primi argumenti habetur ex consensu totius Ecclesiae: antecedens secundi, non probatur ullo solido fundamento.

De modo autem, quo cognoscunt, quatuor sunt doctorum sententiae; quidam dicunt eos cognoscere ex relatione angelorum, qui nunc ad coelos ascendunt, nunc inde ad nos descendunt. Quam rationem innuit b. Augustinus lib. de cura pro mórtuis cap. 15.

Alii dicunt: Sanctorum animas, sicut etiam angelos, mira quadam celeritate naturae quodammodo esse ubique, et per se audire preces supplicantium quam rationem videtur habere b. Hieronymus in lib. contra Vigilantium. Sed neutra est sufficiens, nam neque angeli, neque animae beatae, etiamsi praesentes sint, possunt cognoscere naturaliter preces nostras, quando sola cognitione oramus. Et praeterea, ad cognoscendas preces, quae eodem tempore fiunt in diversissimis locis, non sufficit celeritas, sed requiritur vera ubiquitas, quam nec angelorum, nec hominum spiritibus convenire credimas.

Alii dicunt: Sanctos videre in Deo omnia a principio suae beatitudinis, quae ad ipsos aliquo modo pertinent, et proinde etiam orationes nostras ad se directas. Ita docent b. Gregorius lib. 12. moralium cap. 13. et b. Thom. 3. part. quaest. 10. art. 2. et 2. 2. quaest. 83. art. 4. et Cajetanus ibid. estque probabilis haec sententia.

Alii postremo dicunt: Sanctos non videre in Verbo orationes nostras a principio suae beatitudinis, sed solum tunc revelari eis a Deo orationes nostras, quando eas fundimus. Sic enim prophetae, Deo revelante, cognoverunt futura; et multi sanctorum hic in terris donum a Deo habuerunt, quo cognoscerent cogitationes hominum, et facta etiam occultissima, ut de Samuele 1. Regum 9. Item de Elisaeo narratur lib. 4. Regum cap. 5. et de Petro Actor. 5. et idem de s. Benedicto scribit b. Gregorius lib. 2. dialog. cap. 20. Et idem legimus de s. Bernardo, Francisco, aliisque permultis: Quanto magis credendum est, sanctos in coelo hoc dono pollere? Haec est aperta sententia b. Augustini lib. de cura pro mortuis cap. 15.

Atque ex his duebus prior videtur simpliciter probabilior, quia si indigerent sancti nova revelatione. Ecclesia non diceret ita audacter omnibus sanctis: Orate pro nobis, sed peteret aliquando a Deo, ut eis revelaret preces nostras. Deinde non posset reddi ratio tam facile, cur sancti nunc invocentur; et ante adventum Christi non invocarentur. Tamen posterior sententia est magis idonea ad convincendos haereticos; rationem enim superiorem Calvinistae non recipiunt, quippe qui putant sanctos non videre Deum ante diem judicii, hanc autem rejicere non possunt; nam etiamsi san-

chi non viderent Deum, adhuc possent eis revelari preces nostrae sicut hic in terris revelabantur.

Sed dices: Quid respondebimus haereticis secundum hanc ultimam sententiam, si petant, cur Patribus in lymbo non revelarentur preces viventium, si nunc revelantur in coelo? Respondeo: Patribus in lymbo non fuisse ordinarie revelatum quid hic agebatur, quia non erant beati; Nam ad perfectam beatitudinem pertinet scire ea, quae ad se pertinent, et praecipue quae faciunt ad honorem et gloriam. Praeterea, quia sancti in lymbo non ita gerebant curam rerum nostrarum, nec erant praepositi Ecclesiae, ut sancti in coelo sunt, ut supra ostendimus, et ex divinis literis manifeste deduximus.

Ex his ad primum dico, solum Deum cognoscere cogitationes omnes omnium cordium, idque naturaliter et propria virtute: Sanctos autem solum cognoscere eas, quae a Deo ipsis manifestantur, sive beatifica visione, sive etiam nova revelatione.

Ad secundum respondet Gregorius lib. 12. moralium c. 13. eum locum exponens, sancto Job voluisse dicere, naturaliter non cognoscere defunctos, quid agant vivi, sicut nec vivi cognoscunt, quid agant mortui; tamen sanctos, qui Dei claritate fruuntur, omnia in Deo videre; quae nimirum ad eos pertinent.

Ad tertium, eadem solutio est.

Ad quartum, Hieronymus in eum locum exponit de cognitione approbationis, ut sit sensus; Abraham nescivit nos, idest, non habet nos pro filiis, non diligit nos, contemnit nos, quia intelligit nos a te recessisse, et haec videtur literalis expositio. Quia tamen b. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 13. exponit de cognitione proprie dicta, ideo responderi eliam potest, Abrahamum et Isräelem, et alios Patres veteris Testamenti non cognovisse posteros suos viventes, quia nondum beati erant, et naturaliter mortui non sciunt quid viventes agant.

Ad quintum, eadem solutio est.

Ad sextum dico: Augustinum loqui in eo capite de cognitione et conversatione naturali, id enim solum contendit, mortuos non versari nobiscum, nec esse sollicitos de rebus nostris, nec eas cognoscere, sicut faciebant, cum hic viverent. Nam quod supernaturaliter divina revelatione sciant. quae hie aguntur, docet aperte ibid. cap. 15. Et quod divina virtute possint huc venire, et nobis opem ferre, docet ibid. cap. 16. ubi sic ait: Non igitur, inquit, ideo putandum est, vivorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam qui busdam sanandis, vel adjuvandis martyres adsunt, sed ideo potius intelligendum est, quod per divinam potentiam martyres vivorum rebus intersint, quoniam defuncti per naturam propriam rebus interesse non possunt.

Dices: Augustinus putabat, matrem suam beatam esse, ut ipse dicit de cura pro mortuis cap. 13. et tamen ibidem probat, mortuos non scire quid agamus, quia mater sua numquam ad consolandum veniebat. Respondeo: Sanctos cognoscere preces nostras, et posse ad nos venire quando

volunt; tamen non propterea scire omnia nostra, nec interesse essidue rebus nostris, more humano, ut Augustinus eo loco probat exemplo matris suae.

Ad locum Nazianzeni dico, illud (Si) non esse dubitantis, sed affirmantis, ut cum dicit apostolus ad Philemonem: Si habes me socium, suscipe illum; Nam Gregorius nazianz. passim asserit, sanctos videre quod hic agatur, ut oratione in Athanasium: Ab alto, inquit, recte novi, res inspicit nostras, manumque porrigit iis, qui laborant pro bono, et tanto amplius, quanto magis a vinculis est liberatus.

Ad alterum locum b. Augustini dico: Eum rectissime dicere: Quisquis in illo manet, et potest humanas preces audire, quia multi manent in Deo qui non possunt humanas preces audire, videlicet illi omnes, qui sunt in charitate, et tamen nondum sunt beati, nam omnis qui manet in charitate, in Deo manet, 1. Joan. 4. et tamen non omnis, qui manet in charitate, jam est in coelo beatus.

Ad locum Origenis dico: Eum ibi agere de naturali conversatione et notitia; non enim ambigit, an sancti videant quid agamus, et nos juvent orationibus suis, quod disertis verbis docet lib. 8. contra Celsum circa finem, et hom. 26. in lib. Numeri, et hom 16. in Josue, et alibi, sed solum, utrum sancti hominum spiritus, sicut angeli et daemones, qui vere semper nobis adsunt, illi ut ad bonum, isti ut ad malum petrahant, nobiscum assidue versentur.

Argumentum quartum. Deus paratissimus est nos audire, et magis nos diligit quam ullus sanctorum, ergo frustra invocantur sancti, immo signum diffidentiae est, sanctos invocare, ait enim Dominus Luc. 11. Petite, et accipietis. Et Joan. 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et Paulus ad Hebraeos 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae ejus. Praeterea Joannes chrysostomus in hom. de profectu evangelii tom. 3. sic ail: Certum, inquit, non opus tibi patronis apud Deum, neque multo discursu, ut blandiare aliis, sed licet solus sis, patronoque careas, et per temetipsuni Deum preceris, omnino tamen voti compos eris; neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiamsi plurimis pleni simus malis. Idem habet praesatione in psal. 4,

Respondeo: Nihil ex hoc argumento colligi, alioqui enim etiam frustra et ex diffidentia peteremus preces viventium; et praeterea licet Deus sit paratus audire, et magis nos diligat, quam ullus sanctorum, tamen magis paratus est audire sanctos, quam nos, et magis diligit sanctos, quam nos, quia oratio, ut impetret, requirit dispositionem in orante, quam non habemus semper; ideo utilius est, ut ad Deum cum sanctis eamus, quam soli. Unde Job. ultimo dicit Deus: Ite ad servum meum Job, ut oret pro vobis. Et Gen. 20. Abimelech nonnisi per Abrahae preces a Deo sanari potuit. Et Ezech. 20. Deus ipse quaerebat virum, qui opponeret se irae ipsius; volebat enim ignoscere populo, sed per sancti alicujus preces. Denique, quis nescit praedestinationem ipsam juvari precibus sanctorum, quod statuerit Deus uti sanctorum precibus, ad salutem alicujus exequendam.

Ad loca Scripturae dico: Esse impertinentia; nec enim cum oramus sanctos, tunc nihil a Deo petimus, vel non petimus cum fiducia; immo contra; ideo sanctorum preces imploramus, ut majori cum fiducia ad Deum accedere possimus, et facilius impetremus, quod petimus.

Ad locum Chrysostomi dico: In primis eum loqui de iis, qui preces mortalium implorant, non de iis, qui sanctos cum Christo regnantes invocant, ut palet ex illis verbis: Non est opus multo discursu, ut blandiare aliis etc. Dico praeterea. eum reprehendere illos, qui pro se non brant, sed tantum aliorum orationes petunt, ut faciunt multi divites, qui nolunt laborare in oratione, et idcirco solum largiuntur eleemosynas pauperibus, ut orent pro se: quibus merito anteponit eos qui pro se orant, etiamsi aliorum orationes habere forte non possint. Quibus tamen utrisque anteponendi illi, qui et pro se orant, et simul aliorum preces implorant, ut ipse idem Chrysostomus passim docel, ut hom. 5. in Matth. Non igitur, inquit, quasi oscitantes et desides et aliorum meritis pendeamus, habent enim vim pro nobis et quidem maximam, oraliones, supplicationesque sanctorum sed tunc profecto, cum nos quoque idipsum per poenitentiam postulamus. Et hom. 1. in priorem epist. ad Thessalon. Quid mihi opus est, inquit. aliorum precibus, quando ipse sedulus fuero? numquam hoc dixeris homo necesse est et multa prece necesse est. El infra: His itaque cognitis, nec sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas projiciamus etc. Vide eliam homil. 8. in Matth. et homil. 43. in Genesim.

Argumentum quintum. Quis sit invocandus, Christus verbo et exemple nos docuit: Nam Matth. 6. et Lucae 11. Orantes, inquit, dicite, Pater noster qui es in coelis, ipse etiam Christus aliquoties Patrem compellat, Joan. 12. Pater clarifica me, Joan. 17. Pater, venit hora etc. Non igitur angeli, vel homines mortui invocandi sunt, ita colligunt Magdeburgenses Cent. 1. lib. 1. cap. 4. colum. 139.

Respondeo: Oralionem dominicam ad solum Patrem referri volunt idem Magdeburgenses ibidem. Sic enim habent: Non angelum, vel patriarcham, aut prophetam mortuum, sed Patrem tantum jubet invocari. Quaero igitur, liceatne Filium et Spiritum sanctum invocare, an non? Respondebunt, licere. Sic enim infra docent: Quod etiam Filius possit ac debeat invocari, exempla docent. Et infra: Spiritum sanctum quoque posse ac debere invocari, vel ex baptismi verbis colligi potest: Haeo illi.

Non igitur concludit illud argumentum; Christus verbo et exemplo solum Patrem invocari docuit . ergo sancti homines, aut angeli invocandi non sunt. Nam si hoc concluderet, concluderet etiam illud: Christus verbo et exemplo solum Patrem invocari docuit, ergo Filius Dei et Spiritus sanctus invocandi non sunt.

Addo praeterea, Christum cum apostolos docuit orare, non de eo, qui orandus est, sed de iis rebus, quae petendae sunt, admonere voluisse discipulos. Satis enim constabat. Deum esse orandum, et solum etiam Deum, cum auctor donorum quaeritur; sed de modo orandi, sive de petendis rebus apostoli ambigebant, cum dicerent Luc. 11. Doce nos orare.

Argumentum sextum. Nullum exstat Scripturae mandatum, vel exemplum, vel promissio de invocatione sanctorum: non igitur sancti invocandi sunt. Ila colligit Confessio Augustana artic. 12. et

omnes alii hoc argumento uti solent.

Respondeo: Si hoc argumentum concluderet, efficeret etiam, sanctos non orare pro Ecclesia, neg in genere, nec in particulari, quod tamen apologia Confessionis Augustanae aperte concedit. Sie enim loquitor: De sanctis, etsi concedimus, quod sicut vivi orant pro Ecclesia universa in genere. ita in coclis orent pro Ecclesia in genere, tametsi testimonium nullum de mortuis orantibus exstat in Scriptura, praeter illud somnium sumptum ex libro Machabaeorum posteriore. Haec apologia.

Deinde, quod ad mandatum attinet, nullum certe mandatum requiritur, quando ipsa necessitas nos impellit. Exempla plurima sunt in utroque Testamento, ut supra demonstravimus. Promissio denique minime desideratur, cum innumerabilia signa et prodigia ad invocationem sanctorum facta satis testentur. Deum audire eos, qui sanctorum patrocinia ad impetrandum aliquida Deo adhibent. Quainquam in libro Job cap. ult. particulare mandatum, exemplum, et promissionem habeamus ex quibus de toto genere invocationis judicari potest: Ite ad servum meum Job; en mandatum: et orabit pro vobis; en exemplum: et ego suscipiam faciem ejus, ut non vobis imputetur stuttita; en promissio.

At, inquiunt, Job erat vivus et preesens, sancti vero mortui sunt et absentes. Sed non ita est; Sancti enim nunc maxime vivunt ea parte sui, qua preces audire; et pro supplicibus interpellare Deum possunt. Nec sunt absentes, quoad exauditionem, licet loco absentes videantur, ut supra satis probatum est. Et patet de angelis ex illo psal. 137. In conspectu angelorum psallam tibi. Et 1. Corinth: 4. Spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus. De sanctis item hominibus patet ex Apocalyp. cap. 11. et 19. ubi describuntur sancti in coelo videntes ca, quae fiunt in terra. Unde Basilius in lib. de virginitate ante medium: Revereatur, inquit, ipsum sponsum ubique praesentem, et hujus Patrem ac sanctum Spiritum, et quid singula dico? Angelorum innumerabilem multitudinem, et cum his Patrum sanctos spiritus; nullus enim horum est qui non ubique omnia videat. Et Gregorius lib. 12. moralium cap. 12. Quae animae intus claritatem omnipotentis Dei cernunt, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent.

Argumentum Septimum. Nemo audet causidici partibus apud terrenum principem fungi, nisi a principe ipso admissus: Unde ergo vermibus; inquit Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20. § 23. tanta licentia, ut Deo paronos obtrudant, quibus mu-

nus injunctum non legitur?

BELLARMINI. Vol. 11.

Respondeo: Non facious sanctos causidicos, sive patronos ejus generis, cujus illi sunt hic in terris qui jure agunt, caussasque defendunt, quique non misericordiam sed justitiam petunt; hos enum a magistratu admitti necesse est. Tribuimus autem sanctis illud solum munus, quod hic in terris tribuere solemus amicis et familiaribus principum, qui saepe pro miseris intercedunt, nec ulla nova facultate ad id faciendum egent.

Argumentum octavum. Multi invocantur, qui non modo non sancti, sed nec homines fuerunt, ut Christophorus, Georgius, Catharina: superestitiosa igitur invocatio est. Ita ratiocinatur Philippus in Apolog. art. 21. Confess. Augustanae, et Calvinus in lib. de ratione verae reformationis Ecclesiae, ubi etiam pro solita sua modestia s. Dominicum a carnificem, s. Medardum et quosdam alios, bestias; sanctos vero generatim, monstra appellat.

Respondeo: Sanctorum quorumdam historias apocryphas quidem et incertas esse: non tamen propterea sanctos ipsos numquam fuisse. Nam si si ila argumentari licet; plerique apostoli inter sanctos numerari non poterunt, nam historiae, quae feruntur vel ex Abdia, vel ex aliis, ut plurimum non sunt prorsus indubitatae. Habemus quidem in evangelio vocationem apostolorum, et pauca quaedam ex vita ipsorum, necnon felicem dormitionem. s. Jacobi majoris, Act. 11. et s. Petri praedictam mortem gloriosam a Domino, Joannis 21. At aliorum apostolorum finem ex divinis literis non habemus. Quocirca Gelasius papa, canone, Sancta Romana dist. 15. historiam s. Georgii inter apooryphas numeral, et tamen sanctum ipsum Georgium colendum esse affirmat, quia etsi apocrypha erat historia, quae tunc exstabat, non tamen apocrypha est consueludo universalis Ecclesiae, qua semper Georgii, Christophori et Catharinae memoria celeberrima fuit.

Adde praeterea, quod si apocryphae sunt historiae trium vel quatuor sanctorum, innumerabilium aliorum certissimae atque indubitatae sunt; quorumdam etiam sanctitas et gloria in ipsis divinis literis praedicatur, ut Mariae, Joannis Baptistae, Petri, Stephani, et aliorum. Quocirca si ideo nolunt adversarii Georgium, Christophorum, aut Catharinam colere, quod eorum historiae incertae sint, cur Mariam, Joannem, Stephanum, Petrum, Jacobum, non colunt, quorum historias negare non possunt? Cur etiam in suis ipsi calendariis eos ponunt, quos perditissimos homines fuisse, interdum etiam diversae religionis a sua, fateri cogerentur, si ad rem attendere paulo difigentius vellent, de qua re vide dialogum sextum Alani Copi angli.

Argumentum nonum. Si sanctorum invocatio superstitione et ethnica imitatione careret: certe non peteretur ab uno sancto unum, ab alio aliud, cum Deus unus sit auctor omnium donorum, et iis aeque possit per intercessionem unius, ac per intercessionem alterius quodlibet concedere: at catholici unum invocant contra pestem, alium contra oculorum dolorem, alium contra dolorem den tium.

Respondeo: Hoc argumentum passim inculcant Madgdeburgenses, Calvinus, et alii, sed antiquam

renovant querimoniam Juliani apostatae apud Cyrillum lib. 6. in Julianum; Manichaeorum, apud Augustinum lib. 3 contra Faustum cap. 4. et Vigilantii apud Hieronymum lib. in Vigilantium. Omnes enim isti queruntur quod verterimus idola in martyres, et eos similibus votis colamus; quod argumentum est, majores nostros esse Cyrillum, Augustinum, Hieronymum, et reliquam Ecclesiam, quae cum illis communicabat: majores autem Calvini et Magdeburgensium esse Julianum apostatam, Faustum Manichaeum, Vigilantium, ac caeteros apostatas, vel haereticos, qui cum eis communicabaut.

Sed ut ad rem propius accedam, dico: Deum posse, si voluerit, per quemlibet sanctorum omnia concedere, et sine sanctis etiam multa, vel omnia dare: interdum tamen velle unius intercessione, miraculum aliquod operari; aliud vero intercessione alterius operari. Quis autem novit consilium Dei; aut quis ei dicere potest, cur ita facis? Sicut etiam per unum operatur Deus multa miracula, et per alterum fortasse majorem nulla, cujus rei caussam solus ipse novit, ut b. Augustinus docet in epistol. 137. ad clerum et populum Hipponens. Übique quidem, inquit, Deus est, et nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia. Verumtamen quis potest ejus consilium perscrutari.quare in aliis locis haec miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi b. Felicis nolensis corpus conditum est, quo volui ut pergerent (duo clerici) quia inde nobis

facilius, fideliusque scribi potest, quidquid in eorum aliquo divinitus fuerit propalatum. Numquid non et Africa sanctorum martyrum corporibus plena est? et tamen nusquam hic scimus
talia fieri. Sicut enim dicit apostolus (1. Corinth.
12.), non omnes sancti habent dona curationum:
ita nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri
voluit ille, qui dividit propria unicuique sicut
vult. His accedat, quod etsi quidam sancti aliquo
genere miraculi interdum magis clarent, quam
alii, tamen ab omnibus omnia petimus, nec putamus
ita ab uno unum esse petendum, ut non etiam existimemus alterius intercessione obtineri posse.

Argumentum Decimum. Sancti in coelo nihil sibi mereri, vel impetrare possunt, ergo multo minus allis. Respondeo: Sanctos non posse mereri, nec sibi, nec aliis; tamen ex meritis praecedentibus posse impetrare et sibi et aliis, id quod orando petunt, petunt enim sibi gloriam corporis, nobis au-

tem omnia, quibus indigemus.

Sed objicies: Jam praemium acceperunt meritorum suorum, ergo nihil amplius eis debetur. Respondeo: Eos quidem accepisse praemium. sed ad praemium eorum hoc etiam pertinere, ut semper sint amici Dei, et ut amici impetrent a Deo. quidquid ab illo petunt. Sicut etiam hic in terris, si aliquis, qui diu militavit, regi, omnia stipendia sua acceperit, poterit tamen pro aliis supplicare. et jure amicitiae obtinebit multo facilius quam alius, qui numquam regi servivit.



### LIBER SECUNDUS

## DE RELIQUIIS ET IMAGINIBUS SANCTORUM

#### CAPUT PRIMUM

Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum.

Disseruimus libro superiore de gloria et cultu sanctorum; nunc de veneratione earum rerum, quae ad illos pertinent, idest, reliquiarum sanctarum et imaginum disputandum erit. Ac, ut a reliquiis ordiamur, reliquiarum sanctarum cultum primus reprehendere coepit Eunomius, et post eum Vigilantius, si b. Hieronymo lib. contra Vigilantium credimus. Neque his repugnat quod ibidem paulo infra idem Hieronymus dicit, hanc haeresim olim erupisse contra Ecclesiam, et adversus eam scriptum esse librum Tertulliani, qui dicitur Scorpiacus: nec etiam quod in epistola ad Riparium originem hujus haeresis revocet ad Judaeos et Samaritanos; nam vere primus auctor, qui expresse hoc asseruit, Eunomius fuit. Gnostici enim, contra quos scribit Tertullianus suum Scorpiacum, solum negabant, martyria perpetienda. Ex quo tamen deduci poterat, martyrum corpora non colenda, quamvis ipsi hoc expresse non dicerent. Porro Judaei et Samaritae omnia corpora immunda esse credunt: nihil tamen in particulari de sanctorum corporibus disputant.

Post Vigilantium Constantinus Copronymus imperator, ut Suidas in ejus vita scribit, omnes reliquias ubique deleri jussit. Eadem haeresi laborasse Claudium taurinensem, scribit Jonas lib. 1. de cultu imaginum. Eandem etiam Wiclesstis placuisse, auctor est Thomas Waldensis tom. 3.

Denique eandem hoc tempore Lutherani et Calvinistae excitarunt. Nam Lutherus in sermone de cruce, reliquias ut fidelium seductiones altissime sub terram abscondendas judicat. Eum sequuti Magdeburgenses passim reprehendunt cultum reliquiarum, sed praecipue Cent. 4. cap. 6. col. 456.1dem facit Calvinus lib. de formandae Ecclesiae necessitate, et in admonitione de reliquiis.

Argumenta Wiclefistarum duo erant. Primum, quia Matth. 23. arguuntur a Domino Judaei, quod ornarent sepulchra prophetarum. Secundum, quia in tumulis, quae dicuntur sanctorum nec animae, nec corpora sanctorum sint, sed soli cineres.

His addit Calvinus in admonitione de reliquiis alia quinque. Primum, quia Deus abscondit Moysi corpus, ut habetur Deuteron. ult. Caussa autem redditur ab omnibus, ne Judaei illud adorarent. Unde etiam in epistola Judae legimus: Diabolum contendisse cum Michäele archangelo de Moysi corpore: quia videlicet diabolus illud manifestare volebat, ut occasionem praeberet Judaeis illud adorandi.

Secundum, quia Paulus 2. Corinth. 5. dicit, post resurrectionem Christi se non nosse Christum secundum carnem; quibus verbis monet, quidquid in Christo carnale fuit, oblivioni tradendum, et missum faciendum; ut in eo secundum spiritum quaerendo, et possidendo omne studium ponamus.

Tertium, quia idem Paulns ad Colossens.2.damnat omnem cultum arbitrarium, idest, a Deo non institutum, quem ipse graece vocat ἐθελοθρησκείαν, tamquam stultitiam, etiamsi speciem sapientiae habere videatur. At certe cultus reliquiarum non habetur a Domino institutus, sed est voluntarius, et ab hominibus excogitatus.

Quartum, quia desiderium reliquiarum numquam superstitione caret, immo mater est idololatriae. Nam non possunt haberi vel attrectari, quin statim,

sequatur veneratio; venerationi autem nullus adhibetur modus, quin statim honor Christo debitus ipsis tribuatur. Id quod experientia testatur; nam in signum solemnis adorationis, cerei nunc passim accenduntur coram martyrum sepulchris. Et confirmatur; nam Hieronymus objicienti Vigilantio esse idololatriam accendere cereos coram reliquiis, nihil aliud respondere potuit, quam id facere solum mulierculas, quae zelum habent, sed non secundum scientiam. Addere possumus concilium elibertinum, can. 34. ubi dicitur, ejusmodi cereis sanctorum spiritus inquietari; et Augustinum, qui lib.de moribus Ecclesiae cap. 34. reprehendit sepulchrorum adoratores.

Quintum, quia maxima pars reliquiarum supposititia est, et saepe accidit, ut pro reliquiis sanctorum ossa latronum, vel etiam canum, aut asinorum veneremur. Id quod probat Primum, quia Augustinus in libro de opere monachorum cap. 28. cum dixisset quosdam monachos circumferre, et venditare membra martyrum, addit: Si tamen martyrum. Si enim jam tunc coeperunt imposturae, quid modo fieri credendum est? Deinde, quia tam multae reliquiae ejusdem generis inveniuntur, ut oporteat vel eundem sanctum multa corpora habuisse, vel multas esse falsas reliquias. Haec ille; quae omnia argumenta cap. 4. referentur.

Porro Calvinistae ubicumque possunt reliquias sanctorum exurunt, et cineres in flumen abjiciunt: et notandum sane anno 1562.a Calvinistis corpora sanctorum Irenaei, Hilarii et Martini effossa, et cremata, et in profluentem projecta fuisse, ut refert Surius, quod idem eodem in loco corporibus aliorum sanctorum fecerant ethnici ante annos 1400. nam ut scribit Eusebius lib. 5. histor. cap. 3. Ethnici martyrum reliquias igni absumptas, in Rhodanum abjecerunt. Ut hinc nimirum intelligamus, quanta sit Calvinistarum cum Ethnicis cognatio sacrilegiorum atque perfidiae. Quod autem Calvinistae ferro et flammis agunt, id agunt imposturis, mendaciis et fraudibus Magdeburgenses, quorum aliquas hic breviter duximus adnotandas.

### CAPUT II.

Deteguntur mendacia Centuriatorum.

Initio igitur de origine venerationis et cultus reliquiarum mirabiliter disputant Magdeburgenses; nam Centur. 6. in ipsa praefatione dicunt, eo saeculo, nimirum post annum Domini 500.coepisse cultum reliquiarum occasione templorum, quae tunc ingentibus sumptibus exstruebantur. Iidem tamen Centur. 5. cap. 7. col. 744. dicunt, cultum reliquiarum ipso quinto saeculo, idest, ante annum 500. coepisse. Non ergo verum est, quod dicunt in praefatione Centur. 6. Porro iidem auctores Centur. 4. cap. 6. col.456.et cap.13.col.1446. dicunt, superioribus saeculis, idest, usque ad annum 300. nihil haberi in probatis auctoribus de veneratione et translatione reliquiarum, sed coepisse istam superstitionem saeculo quarto, quando

jussu Juliani apostatae reliquiae sancti Babylae translatae fuerunt, quae translatio cum summa celebritate facta est circa annum Domini 365. Eo enim tempore Julianus imperavit, ut sanctus Hieronymus testatur in Chronico: non ergo verum est. quod scripserunt Magdeburgenses Centur. 5. et 6.

Sed neque est verum, quod in ista Centuria 4. dicunt; nam in additione ad primam Centuriam, in vita sancti Lucae. fatentur iidem Centuriatores, ante tempora Juliani fuisse translatas summo cum honore reliquias sancti Andreae et s. Lucae Constantinopolim a Constantino imperatore, ut b. Hieronymus testatur libro contra Vigilantium.

Praeterea Centur. 2. cap. 3, col. 31. et sequentibus referunt ad verbum ex historia Eusebii lib.4. cap. 13. epistolam ecclesiae smyrnensis de martyrio Polycarpi; in qua epistola narratur, Christianis cupientibus reliquias martyris, et Judaeis pertinacissime resistentibus judicem ethnicum voluisse corpus in medio positum cremari usque ad cineres: et tamen Christianos collegisse incredibili aviditate reliquias illas: Ac si essent (inquit epistola) lapidibus preliosissimis preliosiores, et auro probatissimo probatiores. Eas autem reliquias a Christianis collectas ad cultum, patet tum ex verbis citatis, tum ex contentione adversariorum. Judaei enim atque ethnici resistebant, ne reliquiae raperentur praetextu pietatis. Existimabant enim corpora a Christianis adorari, ut in eodem loco Eusebius testatur: non ergo verum est, quod dixerunt Centur. 4.

Sed neque tunc coepit honor reliquiarum; nam b. Gregorius lib. 3. epistol. 30. scribit, ipso tempore, quo Petrus et Paulus passi sunt, venisse fideles ab oriente, qui eorum reliquias tamquam suorum civium peterent; sed cum eas detulissent usque ad secundum lapidem ab urbe, divino miraculo impeditos, non potuisse ulterius eas deferre; tum vero a romanis fidelibus apud catacumbas reconditas fuisse. Unde postea Cornelius papa (ut in pontificali Damasus refert) transtulit ad ea loca, ubi nunc jacent. Itaque de origine cultus reliquiarum quatuor mendacia inter se pugnantia Magdeburgenses protulerunt.

Secundum mendacium est, Centur. 4. cap. 8. colum. 602. ubi postquam dixerunt, recte et pic Vigilantium contra reliquias scripsisse, Hieronymum autem solis conviciis et importunitate pro reliquiis pugnasse, addunt Gregorii testimonium: Id quod (inquiunt) etiam Gregorio visum est, qui de scripto Hieronymi contra Vigilantium ita censuit in Vigi antium ita conviciis debacchatur Hieronymus, ut plusculum in eo modestiae cogar desiderare. At ista verba nullius Gregorii sunt, sed Erasmi in argumento ad librum b. Hieronymi contra Vigilantium.

Terlium est, Centur. 5. cap. 6. colum. 699. ubi sic habent: Augustinus (inquiunt) de reliquiis Stephani scribit. superstitiosum, et magnum concursum multitudinis ad eas in Africam usque factum, dementatis populis quibusdam illusionibus, quae pro miraculis habitae sunt, libro de Civitate Dei 22. capite 8. At si legamus totum istud caput, quod ipsi citant, non inveniemus us-

quam nomen superstitionis, vel illusionis, sed tantam pietatem erga sacras reliquias, ut hic locus Augustini satis esse videatur ad omnes haereticorum nebulas dissipandas. Inter alia multa sic ait de quodam miraculo: Clarissima foemina est. nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat, ampla civitas, ampla persona, rem quaerentes latere non sinunt etc. El infra: Unum est apud nos factum, non majus quam illa, quae dixi, sed tam clarum atque illustre miraculum, ut nullum arbitrer esse Hipponensium, qui hoc non vel viderit, vel dedicerit, nullum qui oblivisci ulla ratione potuerit.

Neque est hoc Magdeburgensium solum mendacium impudens, sed etiam peccatum in Spiritum sanctum, quod Dei miracula testatissima, illusiones vocent: et praeterea est insania manifesta, cum b. Augustinum, virum sapientissimum, quasi pueriliter ludentem faciant. Nam cum beatus Augustinus toto illo capite probare contendat fidem catholicam, non carere veris miraculis: nonne prorsus insaniret, secumque ipse, et cum fide pugnaret, si miracula, quibus fidem probari dicit, illusiones ipsemet appellaret, et populum, qui illis credit, superstitiosum, et dementatum diceret?

Quartum mendacium est omnino simile superiori; nam endem Centuria 5. cap. 15. columna 1506. dicunt reliquias martyrum ab ethnicis contemptas fuisse, et in eo melius sensisse, quam superstitiosi Christiani sentiant, Theodoreto auctore lib.8. demartyribus. Atqui Theodoretus eo libro nusquam habet, melius sensisse gentiles de reliquiis, quam Christianos, sed omnino contrarium asserit et defendit. Vide (lector) locum, et judex

Quintum est Centuria 4. cap. 13. colum. 1446. ubi referunt historiam de translatione sancti Babylae, ex Ruffino lib. 1. cap. 36. quia enim oraculum Apollinis obmutuerat ob viciniam sepulchri sancti Babylae, et ideo Julianus apostata jusserat inde amoveri arcam martyris: dicunt Centuriatores diabolum de industria simulasse se impediri a martyre, ut ea ratione occasionem daret celeberrimae illi translationi, et sic introduceret usum translationis et venerationis reliquiarum.

At istud mendacium est impudentissimum; nam in primis repugnat omnibus auctoribus, qui de hoc miraculo scribunt, nimirum Chrysostomo libro contra Gentiles, Ruffino lib. 1. cap. 36. Socrati lib. 3. cap. 48. Sozomeno lib. 5. cap. 49. et Theodoreto lib. 3. cap. 40. Deinde miraculum sequens clare ostendit diabolum serio timuisse; nam vix arca martyris inde abducta fuerat, cum descendit ignis de coelo, et idolum. unde diabolus fundebat oracula, totum consumpsit.

Praeterea non fuit ista prima translatio reliquiarum; nam. ut jam ostendimus, multae antea praecesserunt, et idem corpus sancti Babylae antea
fuerat translatum ex Antiochia ad suburbium istud
Daphnes, ut Chrysostomus docet; unde postea Julianus iterum Antiochiam transferri jussit:non ergo
potuit diabolus illa simulatione velle introducere
usum translationum. Praeterea si diabolus ita cupit istam idololatriam erga reliquias, cur semper

instigavit Judaeos, Ethnicos et Haereticos, ut abolerent omnes reliquias.

Sextum mendacium est in eadem Cent. 4. cap. 13. col. 1447. ubi referunt ex Gregorio nazianzeno oratione prima in Julianum, duos adolescentes nepotes Constantii imperatoris, Gallum et Julianum, volentes exstruere insignem ecclesiam supra lumulum Mamantis martyris, inter se divisisse opus; sed partem illam, quae exstruebatur a Gallo vere pio et fideli felicissime processisse: partem autem, quae exstruebatur a Juliano, qui apostata futurus, jam mente corruptus erat, non poluisse unquam coalescere.eo quod terra insolito more contremiscens, continuo quasi evomeret, quidquid Juliani sumptibus in fundamentis projiceretur. Caussam hujus miraculi Nazianzenus dicit faisse, quod sancti martyres inter se mirifice diligant. Ideo enim martyrem, cui templum exstruebatur, honorem illum recusasse, quod nollet ab eo honorari, a quo collegas suos contumelia afficiendos praevidebat: et ipsum etiam Deum, qui corda intuetur, opus Galli, tamquam Abelis sacrificium admisisse, opus Juliani, tamquam sacrificium Cain ubjecisse. Sic igitur Gregorius.

At nostri Centuriatores de hoc miraculo duplicem sententia proferunt. Ajunt Primo, temeritatem esse credere, illud portentum opera martyris accidisse, propterea quod martyres non sunt καρδιογνώς αι, et dormire dicuntur: ita illi loco citato, colum. 1445. At licet non sint martyres ex natura sua καρδιογνώς αι, idest, cordium scrutatores, quis tamen impedit, quo minus cordium cogitationes illis revelentur a Deo? et licet dormire dicantur, quia requiescunt a laboribus suis, tamen non sic dormiunt, quasi non videant, nec intelligant; nam si ita esset, tum etiam nec viverent.

Addunt Secundo colum. 1447. Deum impedivisse fabricam Juliani, ut indicaret, sibi displicere cultum illum superstitiosum martyrum. At si ita est, cur non impedivit fabricam Galli, qui eidem martyri operam dabat? An etiam Deum dormivisse dicent, ac fortasse Galli fabricam non vidisse?

Mendacium Septimum est in praefatione sextae Centuriae, ubi dicunt, a nobis divinis honoribus coli reliquias, atque easdem etiam, ac si viverent et sentirent, suppliciter invocari; Ceperunt.inquiunt, exanguia, et semicorrosa ossa coli, invocari, divino honore affici. Eadem fere habet Calvinus in libro de necessitate reformandae Ecclesiae: Nec solum, inquit, sanctos Christi loco adorant, sed etiam eorum ossa, vestes, calceos et simulacra.

At quis unquam catholicorum reliquias invocavit? Quis unquam auditus est in precibus, aut litaniis dixisse: Sancte reliquiae, orate pro me? Et quis easdem unquam divino honore affecit, vel Christi loco adoravit? Nos enim reliquias quidem honoramus, et osculamur ut sacra pignora patronorum nostrorum: sed nec adoramus ut Deum, nec invocamus ut sanctos, sed minore cultu veneramur.quam sanctorum spiritus, nedum quam Deum ipsum. Ita respondit etiam olim Hieronymus Vigilantio idem objicienti: et multo etiam ante idem

responderunt discipuli s. Polycarpi apud Eusebium, loco antea citato lib. 4. hist. cap. 15.

#### CAPUT III.

# Asseritur veritas et probatur.

Nunc ad argumenta pro veritate accedamus. Primum sumi potest ab exemplis Scripturarum Exodi 13. Moyses discessurus cum populo ex Aegypto in Palestinam, noluit ibi relinguere ossa s. Josephi, jamdudum mortui, sed ea honorifice secum asportavit, et transtulit in terram promissionis Non ergo superstitiosum neque novum est, transferre ossa sanctorum, ut Magdeburgenses in singulis Centuriis clamant. Item Deut. ultimo Deus ipse ( ut Hieronymus contra Vigilantium argumentatur) corpus Moysi honoravit, dum illud propriis manibus sepelivit. Item 4. Reg. 13. ossa Helisaei cum tetigissent mortuum quendam hominem, continuo illum ad vitam frevocarunt. Non ergo Deus contemnit ossa sanctorum, sed ea honorat, et honorari cupit, dum per illa miraculum tam insigne patravit. Item 4. Reg. 23. cum Joses delubra idolorum everteret, et omnem idololatriam delere vellet, tantum abest, ut reliquias sanctorum delendas esse existimaret, ut cum aliorum mortuorum ossa effodisset, et in cineres redegisset, ossa tamen sancti prophetae ibidem reperta asservari jusserit.

Adhaec de sepulchro Domini legimus Isaiae 11. In eum (Messiam videlicet) gentes sperabunt, et erit sepulchrum ejus gloriosum. Hune locum de sepulchro Christi intelligi certum est,tum ex ipsis verbis, tum ex apostolo Rom. 15. quod autem non intelligantur solum de sepulchro pro eo tempore, quo ibi Christus jacebat, sed etiam pro tempore futuro, ac proinde reliquias honorandas,docet Hicronymus in epistol. ad Marcellam, ut migret Bethlehem, ubi docet, Isaiam praedixisse id quod modo fit, ut sepulchrum Domini ab omnibus honoraretur. Ex quo refellitur Lutheri blasphemia, qui in libro de abolenda missa dicit,Deo non majorem curam esse de sepulchro Domini, quam de bobns.

Denique, si Christus hic adesset, et nos vestem ejus devote oscularemur; continuo nos idololatras esse Lutherus et Calvinus dicerent, at mulier Emorrhoissa solam fimbriam Christi fideliter tetigit, et sanata est, Matth. 9. Neque Actor. 5. sunt reprehensi populi, qui certatim ad umbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurrebant, sed potius fidei suae praemium retulisse dicuntur, et tamen quae reliquiae viliores ipsa umbra cogitari possunt? Neque habiti sunt Actor. 19. superstitiosi, qui Pauli sudaria, et semicinctia deferebant ad aegrotos, ut etiam nos modo facimus, sed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus.

Argumentum Secundum ex conciliis diversarum partium orbis terrae. Ex oriente habemus concilium nicaenum II. Actor. 3. quod vocat reliquias

fontes salutares, quibus Deus multa beneficia hominibus praestat; et Actor. 7. in ultima definitione jubet deponi clericum et laicum excommunicari, qui reliquias martyrum contemnit, et non, ut rem sacram, cum honore tractat.

Item ex oriente habemus gangrense concilium ante annos 1200. canone ultimo, ubi anathema dicit iis, qui memorias martyrum, idest. loca, ubi sunt martyrum reliquiae, execrantur. Eustathiani enim, contra quos coactum fuit concilium, nolebant ingredi martyrum basilicas, ne corpora martyrum, quae ipsi immunda putabant, venerari viderentur.

Ex Africa, concilium carthaginense V. can. 14. jubet, ut nulla altaria, vel memoriae martyrum dedicentur, nisi ibi sint aliquae martyrum reliquiae: et aliter dedicata evertantur: vel populus admoneatur, ne ea loca frequentet, ne superstitione aliqua teneatur, si colat videlicet quasi martyris sepulchrum, ubi revera non est corpus martyris. At si est superstitio colere pro martyris corpore, id quod non est revera tale: Religio igitur erit corpus veri martyris colere; religioni enim opponitur superstitio.

Ex Hispania habemus concilium braccarense III. canon. 5. ubi statuitur, in supplicationibus thecam reliquiarum gestari debere manibus episcoporum, aut aliorum sacerdotum, populo praecedente et sequente.

Concilium epainense, in Gallia celebratum, canon. 25. jubet, reliquias sanctorum non poni in ecclesiis, ubi non sunt clerici, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.

Ex Germania habemus concilium moguntinum, tempore Caroli Magni celebratum, in cujus can. 51. statuatur, ne corpora sanctorum transferantur de loco ad locum, siue consilio episcopi, et licentia sanctae synodi. Quod certe ad honorem non exiguum sanctarum reliquiarum pertinet.

Habemus denique ex Italia concilium lateranense, sub Innocentio III. eap. 62. ubi cavetur propter periculum fraudum, ne novas reliquias ullus publice venerari încipiat, sine auctoritate summi pontificis. Unde est lex canonica cap. *Cum ex eo* de reliquiis, et sanctorum veneratione; cui similis est lex etiam civilis, C. de episcopis et clericis L. Decernimus.

Tertio, probatur ex Patribus. Eusebius lib. 7. histor. cap. 15. de sede lignea s. Jacobi apostoli: Servatur, inquit, eum ingenti studio, velut a majoribus tradita memoria sanctitatis, et cum magna veneratione habetur. Haec ille. Non ergo rideant Lutherani, si quando audiunt Romae cathedram s. Petri ligneam honorari.

S. Athanasius in vita b. Antonii, scribit sibi ab Antonio relictum pallium tritum, et addit: Legalarius Antonii benedicti, qui tritum pallium cum melote imperio ejus meruerat accipere. Antonium in Antonii muneribus amplectitur, et tamquam magna haereditate ditatus, laetanter per vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. De eodem magno Antonio Hieronymus refert in vita Pauli primi eremitae, cum Pauli tunicam ex foliis palmarum contextam Antonius adeptus esset, ob ipsius

Pauli reverentiam, illam induere solitum, in diebus tantum solemnibus paschae et pentecostes.

S. Basilius in psalm. 115. in illud. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus: Quando, inquit, judaice quis moriebatur. abominabilia erant morticinia: cum pro Christo mors contingit, preliosae sunt reliquiae sanctorum ejus. Antea dicebatur sacerdotibus et Deo dicatis: Non contaminabilur ex aliquo mortuo; nunc autem qui contingit ossa martyris, quandam sanctificationis societatem assumit ex gratia corpori insidente. Et oratione in quadraginta martyres, loquens de reliquiis ipsorum per totam illam regionem dispersis: Hi sunt, inquit, qui nostram regionem administrant, et veluti turres quaedam cohacrentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non uno loco seipsos includentes, sed multis jam locis hospites facti, et multas patrias exornantes.

Gregorius nyssenus oratione in Theodorum martyrem, initio orationis: Anima quidem, inquit, ex quo sublimis abiit, in suo loco requiescit, et corpore soluta cum sui similibus una vivil.Corpus vero venerandum et immaculatum ipsius instrumentum, cum multo honore, et cultu compositum atque ornatum, in augusto, sacroque loco situm est. Deinde narrat multis verbis eos, qui templa martyrum ingrediuntur, primo mirari molem aedificii, deinde parietes et pavimentum pulchre ornata, tum statuas et picturas varias, et subjungit tandem: Ubi his, inquit, oculos oblectavit, cupit deinceps ipsi conditorio appropinqua re, sanclificationem ac benedictionem, contrectationem ejus esse credens. Quod si quis etiam pulverem, quo conditorium, ubi martyris corpus quiescil, obsilum est, auferre permillal, pro munere pulvis accipitur, ac tamquam res magni pretti condenda terra colligitur: Namipsas allinyere reliquias, si quando aliqua ejusmodi prospera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam id sit multum desiderandum et optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, et cjus desiderii compotes facti.

Gregorius nazianzenus orat. 1.in Julianum paulo ante medium, reprehendens Julianum, quod cum Deorum falsorum monimenta veneraretur, veri Dei amicorum et martyrum corpora despiceret: Non victimas, inquit, pro Christo caesas reverilus es? (et aliquot interpositis) quorum vel sola corpora idem possunt, quod animae sanctae; sive manibus contrectentur, sive honorentur, quorum vel solae sanguinis guttae, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora. Haec non colis, sed contemnis et aspernaris, qui Herculis rogum, ex calamitate injuriisque mulieribus illatis excitatum, admiraris.

Eusebius Emissenus, sive potius Caesarius Arelatensis, aut quicumque homiliarum illarum est auctor. Homilia de sancta Blandina: Ubi sunt, inquit, qui venerationem sacris martyrum dicunt deserendam non esse corporibus etc.

S. Cyrillus episcopus hierosolymitanus, catechesi 18. Ut autem, inquit, non solum anima sanctorum honoretur credaturque; quod etiam in

corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia iacens in sepulchro Elisaei mortuus, mortuumque prophetae corpus attingens, vivificatus est.

S. Joannes Chrysostomus serm. de sanctis Juventio et Maximo, primum laudat eos, qui corpora illa inhumata relicta pie rapuerunt etiamsi cum periculo vitae suae. Deinde subjungit: Idcirco saepius eos invisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, ut inde benedictionem aliquam assequamur. Vide cundem hom. ult. in epist. ad Romanos, ubi dicit, Romam excellere omnibus urbibus, propter corpora Petri et Pauli. Item hom. 61. ad populum, ubi comparat sepulchra et reliquias sanctorum cum sepulchris et cadaveribus imperatorum et regum, et ostendit illa summo honore coli.ista deserta et abjecta esse, et pulchre dicit, summum honorem Constantino imperatori fuisse, quod potuerit fieri janitor b.Petri, quia nimirum sepultus erat ad fores ejus basilicae, ubi conditae erant aliquae particulae b. Pctri reliquiarum.

Theodoretus lib. 8. ad Graecos de martyribus: Ac animae quidem, inquit, triumphatorum martyrum in coclesti nunc patria vitam agunt angelorum choris intersitae: Eorum vero corpora, non singula quidem singulis monumentis conduntur, sed civitates, oppida, paganique conventus haec inter se sortito partiti sunt, laborantibusque animis, ac aegrotis corporibus salutaria ea confiteri non cessant.

Denique Joannes Damascenus lib. 4.cap. 16. de side orthodoxa copiose disputat de martyrum reliquiis venerandis.

Jam ex Latinis s. Ambrosius serm. 93. de sanclis Nazario et Celso in fine: Quod si dicas mihi, inquit, quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta? honoro in carne martyris exceplas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina aeternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur aulem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur et daemones? quod et afflixerunt in supplicio, sed glorisicant in sepulchro? Honoro ilaque corpus, quod Christum honoravil in gladio, quod cum Christo regnabit in coelo.

Maximus in sermone de sanctis Octavio, Adventore et Solutore: Cuncti, inquit, martyres devotissime percolendi sunt, sed ii praecipue venerandi sunt a nobis, quorum reliquias posside-

Gaudentius episcopus Brixiae, tractatu de dedicatione basilicae: Ut venerandas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit, deinde ut hanc honori eorum basilicam fundare valeremus ipse largitus est etc. Vide totum tractatum, ubi multa de cultu reliquiarum loquitur.

S. Paulinus natali tertio s. Felicis, de urbe Roma loquens, ob reliquias apostolorum, sic ait:

Nam prius imperio lanlum, el viclricibus armis, Nunc el apostolicis terrarum es prima sepulchris,

#### Ibidem:

Martyris ad lumulum debes et terra coronas.

Prudentius in hymno de s. Laurentio.

O ter, quaterque a septies
Beatus urbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus.
Sedem celebrat ossium.
(ni propter advolvi licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Vix fama nota est abditis,
Quam plena sanctis Roma sit,
Quam dives Urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

S. Hieronymus in lib. adversus Vigilantium; Dotet, inquit, martyrum reliquias pretioso operiri velamine, et non vel pannis, vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Idem in epist. ad Marcellam, quam scripsit nomine Paulae et Eustochii, inter alia bona quae sunt in Palaestina, numerat, posse adorare sacros cineres Joannis Baptistae, Elisaei et Abdiae, qui ibi servantur.

Ruffinus lib. 11. hist. cap.28. cum gentiles tempore Juliani ossa b. Joannis Baptistae apud Sebastem Palaestinae igni cremarent: Quidam, inquit, cum tantum nefas humanis quidem manibus, sed mente ferina fieri viderent, mori gratius habentes, quam hujuscemodi piaculo funestari, inter eos, qui ossa ad exurendum legebant mixti, diligentius ac religiosius congregantes, furtim se vel stupentibus, vel insanien tibus subtraxere, et ad religiosum patrem Philippum venerandas reliquias pertulere etc. Vide eundem libro eodem cap. 33.

S. Augustinus epist. 103. ad Quintianum: Portant sane (latores epistolae) reliquias beatissimi et gloriosissimi martyris Stephani, quas non ignoral sanctitos vestra, sicul et nos fecimus, quam convenienter honorare debeatis.

Auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus cap.73. Sanctorum corpora, et praecipue beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime honoranda credimus.

S. Leo in serm. de s. Laurentio, de craticula ejus loquens: Nam quid, inquit, non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi etiam instrumenta supplicit?

S. Gregorius lib.5.epist. 50. ad Palladium: Quia reliquias, inquit, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, necnon Laurentii.atque Pancratii martyrum, cum veneratione praebuimus, hortamur, ut cum reverendia suscipere et collocare, auxiliante Domino debeatis. Idem repetit epistola sequenti. Idem lib. 3. epist. 30. Constantiae imperatrici petenti caput s. Pauli respondet: Sacrilegum esse corpora tantorum sanctorum tangere, vel inspicere. Et ibidem narrat, multos repentina morte obiisse, quod praesumpsissent ad corpora san-

ctorum tangenda, vel aspicienda proprius accedere; et tandem pollicetur se missurum aliquid de rasura catenarum s. Pauli, si tamen limando aliquid detrahere poterit; eam enim esse catenarum illarum conditionem, ut pro dignitate, vel indignitate petentium, aut sine mora alla ramenta de catenis lima excutiantur, aut nihit omnino excuti possit, etiamsi totis viribus quis limando laboret.

S. Gregorius turonicus libro de gloria martyrum et confessorum, nihil fere aliud tractat, ut supervacaneum sit aliquid inde velle decerpere. Omitte Bedam, Bernardum, ac posteriores, quod de fide ipsorum ne adversarii quidem dubitent.

Quarto, probatur ex miraculis factis ad reliquias, quae certe non fierent, si Deo cultus reliquiarum non placeret. S. Epiphanius in vita Isaiae, Ezechielis et Hieremiae scribit, a plurimis coli solita sepulchra eorum ob multa beneficia, quae in iis locis propter merita eorundem prophetarum Deus conferebet.

S. Basilius oratione in Mamantem dicit omnibus nota esse miracula, quibus martyr aliis sanıtatem, aliis vitam reddiderit. Et oratione in Julittam scribit, cum reliquiae s. Julittae ad quendam locum adductae fuissent, ubi laborabatur penuria aquae, mox e terra erupisse fontem aquae dulcissimae.ut videretur sancta illa, quasi mater vel nutrix communis. totam illam regionem lacte suo alere.

S. Gregorius nazianzenus oratione in Cyprianum: Omnia potest, inquit, pulvis Cypriani, cum fide, ut sciunt hi, qui ipsi experti sunt et miraculum ad nos usque transmiserunt.

S. Chrysostomus in lib. contra gentiles, de reliquiis s. Babylae martyris: Senteniae, inquit, nostrae abunde fidem faciunt, quae quotidiana a martyribus eduntur miracula.

Palladius in historia Lausiaca cap. 62. ad reliquias Philemonis, multa miracula facta narrat. S. Ambrosius sermone de sanctis Gervasio et Prolasio, et epistola ad sororem de eisdem, inter multa miracula facta refert etiam caecum nomine Severum, arte lanionem, omnibus notissimum, fuisse curatum ad contactum feretri, quo reliquiae portabantur. Ubi etiam non tacet idem b. Ambrosius, Arianos impudentissime negare ausos illa miracula, quae totus populus videbat.

S. Hieronymus lib. contra Vigilantium: Tu, inquit, saepius hoc vilissimo tortus es pulvere, ubi daemonem alloquitur, qui per os Vigilantii reliquias sanctorum, vilissimum pulverom appellaverat: et in epist. ad Eustochium de vita Paulae, narrat ad sepulchra Elisaei et Joannis Baptistae atque Abdiae, rugire daemones consuevisse: In vita Hilarionis dicit, magna quotidie signa fieri ad sepulchrum ejus.

S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. tet miracula dicit facta ad reliquias s. Stephani brevissimo tempore, ut multi libri scribendi sint si omnia referri debeant. Sulpitius in vita Martini dicit, solo contactu vestis ejus curatam mulierem a fluxu sanguinis. Alia id genus sine numero referri possent.

Quinto, probatur ex miraculis, quae saepe in ipsis sanctorum mortuis corporibus cernuntur, per quae

Dens apertissime nos ad corum venerationem quasi invitare videtur. S. Joannes chrysostemus scribit in sermone de sanctis Juventio et Maximo, vultus corum corporum ita splendere coepisse post mortem, ut non posset in eos intendi sine honore quedam, et plane teles fuisse, qualem describit vultum Stephani s. Lucas Actor. 6. cum ail: Intuebantur vultum ejus tamquam vultum angeli.

S. Hieronymus in vita Hilarionis scribit, corpus ejus post decem menses adhuc omnino integrum repertum, el tantis fragrans odoribus, ut delibu-

tum unguentis videretur.

S. Augustinus serm. 2. de s. Vincentio, dicit, corpus éjus expositum feris, a cervo mirabiliter defensum: et projectum in aquas mergi non potuisse. Et lib. 9. Confess. cap. 7. dicit corpora sanctorum Gervasii et Protasii incorrupta per plurimos annos a Deo conservata, ut suo tempore pro-

palarentur.

Solpitius in epistola ad Bassulam Socrum, de obitu s. Martini dicit, post mortem ejus in ipsius corpere glorificati hominis apparuisse figuram: fuisse enim carnem ejus vitro puriorem, lacte candidiorem, ut septennis pueri decorem ostenderet. Quod idem de corpore s. Francisci refert s. Bonaventura. De s. Eduardo rege Anglorum, qui ante annos 400. floruit, scribit auctor ejus vitae apud Surium mense januario, anno 36, ab ejus obitu, inventum esse corpus ipsius integrum, plenum succo, flexibile, ac și etiam tunc viveret, et non solum ossa et carnes in nullo laesas, sed nec pilos capitis aut barbae, nec ipsas vestes aut calceos. Quid de corpore s. Andreae dicimus, ex quo li-

quor mirificus perpetuo funditur.

Ego ipse vidi Bononice corpus b. Catharinae integrum, atque incorruptum cum ante annos supra centum sancta illa virgo de hac vita migraverit. Vidi guoque apud Montem Falcum in Umbria corpus b. Clarae aeque integrum, alque incorrup. tum, cum ante annos 300. virgo illa felicissima obierit: et, quod majus adhuc miraculum videri potest, in ejus corde conspiciuntur instrumenta dominicae passionis ex ipsa carne tam admirabili arte formata, ut omnes qui ea cernunt, cogantur dicere, vere digitus Dei est hic. Ac, ut alia multa praeteream, quid postremo de cive ac patrona mea beatissima Agnete Politiana dicam? Floruit illa ante annos-300, et vivens et mortua multis magnisque miraculis, quorum unum me puero contigit, cujus non ego solum, sed tota civitas testis fuit, Ejus corpus incorruptum, atque pulcherrimum non semel vidi. De qua etiam a probatis auctoribus literis proditum est, cum ad ejus sacrum corpus visendum, et venerandum sancta Catharina senensis accessisset, pluviam coelestis roris, instar man supra utramque divinitus descendisse. Et cum eives de sacro illo corpore aromatibus condiendo cogitarent, ut diutius servaretur, continuo suavissimum liquorem instar balsami, ab-eo . corpore fundi ac manare coepisse, ut omnes intelligerent, corpus divina gratia conditum nullis oliis aromatibus indigere. Ejus divini liquoris adhuc reliquiae in Ecclesia cum ipso eorpore asser-

BELLARMINI. Vol. 1.

Sexto, probatur ex inventione et revelatione divinitus facta sanctorum corporum. Si enim Deo cultus reliquiarum non placeret, cur ipse servis suis corpora sanctorum, quae latebant, osfenderet? S. Ambrosio revelata divinitus corpora sanctorum Gervasii et Protasii, scribit ipse in epistola de hac re, quae refertur in tomis Surii. Scribit hoc idem s. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 7. Exstat etiam epistola Luciani, in qua significat sibr divinitus ostensa corpora sanctorum, Stephani , Nicodemi et aliorum. Fuisse autem verum iHud Stephani corpus, innumerabilia miracula ostenderunt, de quibus Evodius Hbros duos conscripsit. Et h. Augustinus serp. 91. ex novis: Latuit, inquit, tanto tempore corpus ejus (Stephani) processit quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, mortuus viv is facit mortuos, quia nec mortuus.

Adhaec refert Sozomenus lib. 5. cap. 8. ossa sanctorum martyrum Nestabi et Eusebii fratrum, quae Gazenses miscuerant cum ossibus camelorum et asinorum, ne a Christianis internosci possent, sanctae cuidam foeminae divina revelatione ostensa, et ab eadem collecta fuisse. Idem Sozomenus lib. 7. cap. ult, refert ossa Abachuc et Michaeae episcopo cuidam divinitus revelata fuisse. Idem Sozomenus lib. 9. cap. 2. refert quadraginta martyrum reliquias divina revelatione inventas.

Beda de sex actatibus in Martiano, refert caput Joannis Baptistae ab ipso Joanne revelatum duobus monachis; et in Zenone scribit, corpus sanut Barnabae cum evangelio Matthaei super ejus pe-

ctore inventum, ipső Barnaba revelante.

Septimo, probatur ex translatione reliquiarum; de uno loco ad alium, honoris gratia, ab entiquis celebrari solita. Nec enim negari potest, quin ad honorem pertineant sacrorum ossium translationes. Prima quidem et antiquissima translatio fuit ossium Joseph ex Aegypto id Pataestinam, a Moyse facta Exod. 13. Deinde translatio reliquiarum Petri et Pauli, quae facta est ipso tempore, quo passi sunt, ad catacumbas: Gregorius lib.3. epist. 30. Tum eorundem corporum translatio a catacumbis, partim ad Vaticanum, partim ad praedium Lucinae in via Hostiensi. Cornelius papa epist. 1. Ruffinus lib. 2. cap. 28. describit translationem reliquiarum Joannis Baptistae ex Palæslina Alexandriam.

S.-Hieronymus libro contra Vigilantium scribit, tempore Constantini imperatoris translata Constantinopolim, Andreae, Lucae, et Timothei reliquias; et tempore Arcadii translatas ex Judaea in Thraciam reliquias Samuelis prophetae, tanto honore, ut in vase aureo ab episcopis reliquiae portarentur comitante tanta populorum frequentia, ut a Palaestina usque ad Chalcedonem jungerentur populo-

rum examina.

S. Ambrosius initio exhortationis ad virgines: Ego, inquit, ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis et gratiae reservavi. Augustinus lib. 9. Confess. cap. 7. Cum, inquit, corpora sanctorum Gervasii et Prolasii propalata et effosse digno cum honore transferrentur etc. Chysostomus lib. de s. Babyla describit,

quanto honore reliquiae martyris translatae sint. Sozomenus lib. 7. cap. 10. describit translationem reliquiarum s. Meletii antiocheni. Theodoretus lib. 5. cap. 36. describit translationem reliquiarum Chrysostomi. Evagrius lib. 1. cap. 16. describit honorificam translationem s. Ignatii sub Theo-

dosio juniore Aptiochiam.

Octavo, probatur ex eo, quod reliquiae sub altaribus reconduntur, cujus rei meminit sonctus Ambrosius in exhortatione ad virgines, de reliquiis Vitalis et Agricolae, et in epistola ad sororem, de inventione corporum Gervasii et Protasii. Sanctus Hieronymus libro contra Vigilantium. Prudentius in hymno 11. de coronis sanctorum; qui est de s. Hippolyto. Sanctus Augustinus serm. 11 de sanetis. Sozomenus lib. 5. cap. 8. et concilium carthaginense V, can. 14. Videtur autem ista consuetudo apostolorum tempore coepisse; nam ideo Joannì Apocalyp. 6. ostensae sunt in coclo animae martyrum sub altari, quia corpora eorum in terris sub altaribus requiescunt, ut Augustinus insinuat loco notato. Porro ad magnum bonorem pertinere bunc locum reliquiis assignatum, docent Hicronymus et Augustinus locis notatis, et res ipsa hoc docet. Semper enim altaria in magno honore fuerunt, ila ut cliam suo modo adorarentur, nam Tertullianus libro de poenitentia, inter ritus Christianorum ponit, aris Dei adgeniculari.

Nono, probatur ex usu cereorum et lampadum, quibus honorantur sacrae reliquize; nom quod lumen sit honoris signum, nec sit superstitiosum, lumen accendere ante rem inanimam, etiam sole lucente, patet ex candelabro, quod semper lucebat ante arcam testimonii, Exod. 25. Fuisse autem usum accendendi cereos corum reliquiis, patet ex objectione Vigilantii apud Hieronymum: Videmus, inquit, moles cereorum sole fulgente accentii etc. Et ex ipso Hieronymo epist. ad Riparium: Ergo accensi unte tumulos, eorum cerci idololatri-

ae insignia sunt.

Item ex Constantino, qui ut habetur primo tomo conciliorum in vita Sylvestri, inter alia dona,
quae obtulit sacris reliquiis Petri, Pauli, Laurentii, sanctae Crucis, multa numerantur candelabra,
multae lucernae, quae perpetuo ardere deberent.
Nec est credibile, Constantinum aliquid obtulisse,
quod non esset în usu antea in Ecclesia. Praeterea Theodoretus in historia lib. 5. cap. 36. testatur in translatione reliquiarum s. Chrysostomi,
plurima accensa lumina praelata fuisse.

Paulinus natali 3. Felicis, describens oultum,

qui s. Felici habebatur:

Aurea, inquit, nunc niveis ornantur limina velis, Clara coronantur densis altarta tychnis, Limina ceratis adolentur odora papyris. Nocte. dieque micant, si nox, splendorque diei Fulget, et ipsa dies caetesti illustris honore, Plus micat innumeris tucem geminata lucernis.

Gregorius lib. 3. dialogorum cap. 24. meminit lampadis, quae ardebat étiam noctu, dormientibus omnibus, in temple s. Petri.

Decimo, probatur ratione ducta ab utili, et ab bonesto. Ratio ducta ab utili, est apud Chrysestomum in lib. de sancto Babyla martyre. Deus enim, ut Chrysostomus ait, nibil fore utilius nobis reliquit ad salutem, sanctorum reliquiis: nibil enim efficacius repraesentat, et infigit in animo memorium sanctorum, quam sepulchrum ipsorum, stațim enim atque videmus sepulchrum sancti alicujus, recordamur illius et virtutum ejus, patientiae, charitatis, castitatis, pietatis; et simul cogitamus quanta gloria fruatur in coelis pro labore brevissimo hujus vitae etc.

Ratio ducta ab honesto est multiplex. Primum enim corpora sanctorum fuerunt organz mimarum ad omne opus bonum. Vide Tertullianum de resurrectione carnis. Secundo, fuerunt et sunt instrumenta Dei ad miracula. Tortio, sunt pignora patronorum. Quarto, sunt exuviae carissimorum. Quinto, sunt trophaea triumphantium. Sexto, designata sunt ad gloriam incredibilem, nimirum, ut sint post resurrectionem corpora sole clariore; et us que adeo corporibus omnibus praestent, ut super omnia mérifo collocentur. His igitur, aliisque de caussis sanctorum reliquiae a fidelibus magnifiunt, et debito cultu honorantur.

#### CAPUT IV.

# Solvuntur argumenta adversariorum

Ex iis, quae dicta sunt, non erit difficile argumenta solvere, quae initio proposuimus.

Igitur ad Primum argumentum, quod efat Joannis Wiclef ex evangelio depromptum, respondemus, Dominum non reprehendere Judaeos, quod acdificarent, vel ornarent monumenta prophetarum, sed quod non imitarentur eos, qui illos occiderunt, atque ita seipsos condemnarent. Sic enim exponunt eum locum fere emnes Patres, ut Hilarius, Hieronymus. Chrysostomus. Theophylactus in cap. 23. Matthaei, et Ambrosius ac Beda in cap. 11. Lucae.

Prophelicorum, inquit Ambrosius, aedificatione tumulorum, sceleris cos, qui occiderunt, arguebant, et similium aemulatione factorum se quoque declarabant paternae iniquitatis haeredes: non igitur aedificatio, sed gemulatio loco criminis aestimatur. Huec ille. Et Chrysostomus hom. 75. in Malth. Non quia aedificant, inquit, nec quia Patres suos accusant; vae illis dixit, sed quoniam ila facientes, et ila dicentes Patres suos condemnare audebant, cum ipsi pejora committerent.

Dives: At Luc. 11. Dominus ait: Profecto testificamini, quia consentitis operibus Patrum vestorum, quia illi prophetas occiderunt, vos autem aedificatis corum sepulchra. Ubi videlur Dominus accusare ipsam aedificationem tamquam testimonium consensus in necem prophetarum.

Respondet Chrysostomus foco citato: Judaeos nedificare solitos sepulchra prophetarum non ut honorarent prophetas, sed ut ostenderent vires, el potentiam majorum suorum, qui prophetas occidere potuerunt. Licet enim Judaei non esse hanc suam intentionem dicerent, sed omnino contrari-

om; tamen revera hanc fuisse corum intentionem putet, quia occidere quaerebant Dominum prophetarum.

Hieronymus in cap. 23. Matth. paulo aliter exponit, dicit enim antiquos Judaeos ex superbia occidisse prophetas; recentiores autem ex superbia et ambitione acdificasse sepulchra corundem, et proinde en facto consensisse operibus Patrum suorum.

Cajetacus satis accommodate exponit, eum, qui sepelit eccisum, posse id facere vel ut bronoret mortuum, vel ut compleat actum homicidae; ordinarie enim homines occidunt, et postea sepeliuntur, ut scetus lateat. Judaei autem etiemsi dicerent se aedificare sepulchra prophetarum, ut eos honorerent, tamen id facere videbantur, ut complerent opera Patrum suorum, ut patet ex eo, quod ipsi postea majores prophetas, idest, Christum, et apostolos aliquos occiderunt.

Ad Secondum dioo: In monumentis adesse, ut minimum, memoriam sanctorum; nam inde sepulchra sanctorum apud veteres passim dicuntur memoriae. Porro memoria sanctorum homorabilis est.

Aliqui nec in sepulchro Christi adest nunc anima, vel care Christi, et tamen juxta Isaine cap.

11. erit sepulchrum ejus gloriosum. Dico praeterea, in sepulchris sanctorum inveniri alteram partem substantiae ipsorum, idest, materiam illam ipsam, quam Spiritus sanctorum animarunt, et rursum animabant.

Ad Primum Calvini de Moysi corpore multis modis responderi potest. Hilarius in cap. 17. Matth. Ambrosius lib. 1. de Cain cap. 2. et Gregorius Nyssenus in vita Moysis dicunt, Moysem nondum esse mortuum, et proinde nee sepullum, sed translatum cum Hedoc et Helia: id quod etiam aliqui recentiorum docent. Sed id non facile defendi potest; et firmis orgumentis com sententiam oppughat Rupertus in cap. ult. Deuter. Philo in fine librorum de vita Moysi docet, mortuum quidem Moysem et sepultum, sed ad gloriam Moysi pertinere, quod sepultus sit in sepulchro tam admirando, ut nullus hominum dignus fuerit unquam illud conspicere. Quo etiam videtur alludere Oecumenius in epist. Judae. Probabile tamen est quod scribit Chrysostomus' hom. 5. in Matth. occultatum fuisse Moysi sepulchrum, ne a Judaeis colerctur pro Deo.

Dices: Nec coluctuat Moysem viventem pro Deo, ergo multo minus coluissent mortuum. Respondeo: Viventem non coluerunt, quia quotidie ab illo audiebant, unum esse verum Deum, se autem illius servum: At post mortem recordati mirabilium ejus, et non audientes verba ejus facile potuissent adduci ut crederent esse Deum, cumque adorarent si scirent ubi esset, praesertira quia valde credibile est corpus ejus, licet mortuum, conservasse adhuc splendorem vultus et decorem, quem antea habebat, sicut multis sanctorum accidit. Exemplum habemus in serpente seneo; nam Num. 21. jubente Moysi aspiciebant Judaci tacti a serpentibus in illum aeneum serpentem, et curabantur; nec tamen cum adorabant cultu Istriae, quia nimirum Moyses dixerat illis, serpentem illum non

esse Deum, sed signum duntaret salutis: at 4, Reg. 18. eidem serpenti tamquam Deo sacrificabant, cum tamen jam nulla operaretur miracula, et ideo ab Ezechia confractus fuit.

Dices:Idem periculum est nunc in reliquiis aliorum sanctorum. Respondeo: Falsum esse: nam
populus Judaeorum eo tempere propensissimus
erat ad idololatriam, ita ut etiam vitulos aureos coleret; Unde post, captivitatem babylonicam, quia
populus ille non amplius coluit idola, videmus
Deum illustrasse sepulchrum Isaiae, Ezechiekis,
Hisremiae, Elisaei, Abdiae, et aliorum multis miraculis, et gratum habuisse cultum, qui ossibus
eorum exhibebatur, ut Epiphanius et Hieronymus
tradunt. Adde, quod numquam est auditum apud
Christianos, ut aliqui sanctorum reliquiis divinos
honores detulerint. Nec desunt in Ecclesia, qui et
literis, et sermonibus populos doceant; quis cultus reliquiis debeatur.

Ad Secundum dico 2. Corinth. 5. eum dicitur: Etsi novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus, per carnem intelligi mortaliatem et passibilitatem; et sensum esse, si novimus aliquando Christum mortalem et passibilem, nunc non novimus, nisi immortalem et impassibilem; sicut 1. Corinth. 15. dicitur: Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. Et Hebr. 5. Qui in diebus carnis suae preces, supplicationesque obtulit etc. Sic exponunt omnes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius, Anselmus etc.

Eodem modo respondit VII. synodus act. 6. tomo 4. eidem argumento; quod ab Iconomachis objectum fuerat. Ubi etiam additur testimonium sancti Cyrilli. Et quod non velit apostolus doccre (quod Calvinus ait) esse oblivioni-tradendum, et missum faciendum quidquid in Christo carnale fuit, idest, omnem memoriam humanitatis ejus, ut solum de spiritu et divinitate cogitemus, patel; nam Paulus 1: Corinth. 11. dicit sacramentum eucharistiae institutum in memoriam passionis; et addit: Quotiescumque manducabitis panem hunc. el calicem bibetis, mortem Domini annunciabibilis donec venial: et ipse nihil saepius repetit, quam crucem et passionem et mortem Domini. El quomodo, quaeso, juxta Isaiam cap. 11. esset sepulchrum ejus gloriosum, si deberemus oblivisci mortis Domini? Denique vel debemus recegitare beneficia Domini, vel non: Si non, ingratissimi sumus, contradicimusque Paulo, qui Hebr. 12. aitz Recogitaté eum qui talem adversum semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem. Ŝi sia ergo debemus incarnationem, nativitatem, passionem et mortem Domini cogitare.

Ad Tertium dico. Primo, cultum reliquiarum non esse cultum voluntarium, idest, ab hominibus excogitatum, sed esse a Deo inspiratum, ut patet ex Scripturis citatis; nam Scriptura approbat cultum sepulchri, fimbrine Christi; item umbrae Petri, sudariorum et semicinctiorum Pauli etc.

Dico Secundo, apud Paulum Coloss.2. ἐθελοθρησχείαν non significare cultum quomodocumque voluntarium, idest.non praeceptum à Deo, sed ab homine excogitatum; sed cultum superstitiosum, ut noster interpres recte vertit: sive falsam religionem, ut exponit sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam quaest. 10. Probandum igitur esset Calvino cultum reliquiarum esse superstitiosum, vel falsum, si vellet esse reprehensum a Paulo.

Ad Quartum; nego periculum esse idololatriae, immo cultus reliquiarum est detestatio omnis idololatriae. Nam martyres mortui sunt, ut idololatriam destruerent; qui ergo martyris reliquias colit, indicat se gaudere de idololatriae destructione: et recte Christiani apud Ruffinum lib. 1. cap. 35. eum transferrent reliquias Babylae canebant magna voce: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia.

Ad illud de cereis, dico: Cereos accensos coram tumulis martyrum non esse signum adorationis, Deo debitae; nam non offeruntur cerei martyribus tamquam sacrificia, sed accenduntur in signum laetitiae. Ignis enim accendi solet ad laetitiam significandam estam in rebus profanis. Praeterea, ignis signum est gloriae, unde imperatoribus romanis, et imperatricibus ubique ignis praeferebatur, teste Herodiano lib. 1. Sancti autem vera gloria nunc fruuntur, et cum Christo regnant, atque imperant in coelis, ut merito illorum memoriae ignis accendi possit. Denique ignis signum est vitae, proinde cereis protestamur vivere sanctorum animas, et ipsa corpora suo tempore victura.

Ad Hieronymum dico: Eum, cum ait de iis qui accendunt cereos coram reliquiis (Confiteor zelum Dei habent, sed non secundum scientiam) loqui de iis, qui cereos accendunt, existimantes inde martyres illustrari; nam Vigilantius dixerat, per ironiam: Magnum honorem praebent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrari. De his ergo qui cum tali opinione falsa cereos accendunt, Hieronymus dicit, eos zelum habere, sed non secundum scientiam.

Quod autem Hieronymus absolute putaverit bonum coram reliquiis accendi cereos, patet Primo:
Quia in epist. ad Riparium ipsemet affert in argumentum cultus sanctorum usum accendendi cereos:et libro in Vigilantium ait: Caussabantur quondam et apostoli, quod periret unguentum, sed
Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus
egebat unguento, nec martyres lumine cereorum: et tamen illa mulier in honore Christi fecil, devotioque mentis ejus recipitur: et quicumque accendunt cereos secundum fidem suam,
habent mercedem. Et infra: Illud fiebat idolis, et
idcirco delestandum est; hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est.

Secundo: Idem patet, quia Hieronymi tempore erat usus ejusmodi cereorum non solum apud mulierculas, sed etiam apud episcopos et universam Ecclesiam, ut patet ex Paulino, Theodoreto, et aliis supra citatis.

Tertio: Si esset superstitio accendere cereos interdiu coram reliquiis, esset etiam accendere cum legitur evangelium, et cum mortui deferuntur ad sepulchrum. Atque consuevisse ad evangelium accendi cereos in toto oriente, docet Hieronymus ibidem contra Vigilantium: et accendi in funere,

docet ipse idem in vita Paulae, ubi dicit in funere Paulae etiam episcopos cereos accensos gestasse.

Ad concilium elibertinum respondimus cum ageremus de purgatorio, concilium id prohibuisse, quia fiebat more gentilium, inter quos tunc Christiani versabantar etc.

Ad Augustinum dico: Eum vocare sepulchrorum adoratores quesdam, qui (ut spe putabat) sacrificium panis et vini, aliarumque epularum Manibus defunctorum offerebant, et deinde iisdem cibis et vino se ingurgitabant et inebriabant. Sic enim loquitur: Novi, inquit, sepulchrorum adoratores, novi multos esse, qui luxuriosissime super mortuos bibant, et epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos seipsos sepeliant, et voracitates, ebrietatesque suas deputent religioni. Sed hace scripsit Augustinus initio conversionis suae. Postmodum autem reprehendit quidem illam consuetudinem, sed non tamquam idololatriam; nam lib. 6. Confess. cap. 2. dicit, matrem suam consuevisse ex pietaté id facere: sed Mediolani ab Ambresii clericis suisse prohibitam. Ambrosius enim prohibuerat istam consuetudinem, ne daretur occasio ebrietati, et quia videbatur affinis superstitioni gentilium, licet integro animo a Christianis id fleret. Idem etiam Augustinus lib. 8.de Civit. Dei, cap. 27. dicit, meliores Christianos id non facere, eos autem, qui id faciunt, non sacrificare defunctis martyribus, sed ponere super tumulos sanctorum epulas ut a Deo per merita martyrum sanctificentur.

Quod autem Augustinus non putaverit malum venerari sepulchra sanctorum, patet ex epist. 42. ad Mandaurenses: Videtis, inquit, imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri submisso diademate supplicare. Et Nota, Augustinum haec scribere idololatris, ut ostenderet idolorum cultum a Christianis destrucium. Praeterea Augustinus cum reprehendit sepulchrorum adoratores, certe non reprehendit Chrysostomum et Hieronymum, sed turbas imperitorum. Atqui Chrysostomus serm. in sanctos Juventium et Maximum dicit: Tumulos martyrum adoremus; et Hieronymus ad Marcellam, ut migret Bethlehem, dicit, sepulchra et cineres Joannis Baptistae, Elisaei, et Abdiae merito adorari a fidelibus in Palaestina.

Gaudentius Brixianus Ambrosii aequalis, tract.

4. in Exodum: Gulae, inquit, sua caussa primum coeperunt homines prandia mortuis praeparare, quae ipsi comederent; post hoc sacrificia etiam ausi sunt eis sacrilega celebrare, quamvis nec ipsi minus mortuis suis sacrificent parentalia, dum super sepulchrorum mensas tremulis ebrietate manibus vina fundentes, spiritum balbutiunt etc. ubi arguit morem illum tamquam ex gentilium errore relictum. Itaque fortasse pauci quidam mortuis sacrificabant, qui etiam merilo reprehenduntur, sed non propterea omnis cultus sacrarum reliquiarum abolendus est, quia nimius cultus jure reprehensus est.

Ad quintum argumentum, negamus reliquias, quae publice in templis exponuntur venerandae, esse supposititias. Semper enim Ecclesia diligenter curavit, ne fraudes fierent, et praecipue post

decretum concilii lateranensis, ut nullae reliquiae publice recipiantur sine auctoritate romani pontificis.

Ad illud Augustini (si tamen marturum) dico: Non nimirum, si Augustinus dubitabat de reliquiis, quas quidam privati homines circumferebant. Nos autem de reliquiis agimus, quae publice in templis conservantur.

Ad illud, de pluribus corporibus, dico, in variis locis esse partes eorumdem corporum, sed denominari a parte totum; nam, ut scribit Basilius orat. in 40. martyres, loti martyres 40. dicebantur tunc esse in variis urbibus, quia quaelibet civitas habebat partem corum. Theodoretus cliam lib. 8. de martyribus dicit: Martyrum-corpora raro inveniri integra in uno aliquo monumento, sed esse di-

visa et distributa in varia loca.

Denique: S. Joannes Chrysostomus in libro, quod Christus sit Deus, apostolum Petrum et Romae et Constantinopoli jacere dicit, cum tamen Constantinopoli nibil esset, nisi aliqua particula;nam corpus ipsum Romae esse sepultum idem Chrysostomus testatur homil. 32. in epist. ad Romanos. Sed verba ejus audiamus ex libro jam citato: Romae, inquit, quae urbium est regalissima, relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris et pellionis currunt reges, et praesides, et milites; et Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, non si prope apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii reges.

#### CAPUT V.

#### De nomine imaginis et idoli.

Sequitur nunc ordine suo disputatio de culta imaginum; cujus disputationis octo erunt partes. Primum enim dicendum erit de nomine imaginis, idoli et simulacri. Secundo, qui fuerint hostes imaginum. Tertio, an liceat habere imagines. Quarto, an liceat eas colere. Quinto, quo cultu colendae sint.

His addam peculiarem tractatum de cruce, et quidem trimembrem. Nam Primo agemus de vera eruce dominica. Secundo, de imagine crucis permanente. Tertio, de imagine transeunte, idest, de

signo crucis, quod in aere pingimus.

Ut igitur a nomine incipiamus, Henricus Stephanus in suo thesauro in voce eloudov, scribit apud ecclesiasticos idolum vocari omne simulacrum, numen aliquod repraesentans, quod cultu et honore dignamur. Ex quo sequitur apud ecclesiasticos imagines Christi et sanctorum, et praecipue imagines Trinitatis recte vocari idola. Et si quidem Henrieus per ecclesiasticos intelligit doctores suos, Calvinum, Martyrem, Illyricum et alios ejusdem classis, recte dicit, illi enim vix unquam aliter imagines nostras appellant, quam idola. Si autem per ecclesiasticos intelligit sanctos Petres, vel apostolos et prophetas, falsissimam est, quod ipse dicit; nam in primis VII. synodus, act. 5, et act. 7,

anathema dicit ils, qui imagines Christi et sanctorum vocant idola.

Deinde Origenes homil. 8. in Exod. et Theodoretus quaest. 38, in Exod. exponentes illud Exod. 20. Non facies tibi sculptile (quod LXX. verterunt elδωλον) et omnem similitudinem etc. Dicunt inter imaginem et idolum hoc interesse, quod imago est vera rei similitudo:ut cum pingimus bominem, equum etc. Imago enim ab imitando dicta est. Idolum autem est falsa similitudo, idest, repraesentat id, quod revera non est. Ut cum gentiles proponebant statuas Veneris, aut Minervae. Illa signa idola erant, quia repraesentabant Deos generis foeminini, quales Dii nec sunt. nec esse possunt. Atque ita nec vere repraesentabant, sed erant falsae imagines. Id enim, quod non est, repraesentari non potest. Ex quo intelligimus imagines Christi et sanetorum non esse idola. Sed nec Trinitatis, aut angelorum imagines sunt idola, quia non sunt factae ad repraesentandam naturam Trinitatis, vel angelorum, sed ad exprimendam formam, in qua apparuerant, vel certe eorum proprietates, ut infra dicemus.

Hanc esse veram differentiam illarum vocum secundum ecclesiasticos, probatur Primo, quia Scriptura nusquam tribuit nomen idoli ulli verae imagini, sed solum simulacris gentilium, quae falsos Deos referebant. Scriptura vocat filium Dei imaginem Patris, Sapient. 7. Coloss. 1. et ad Hebracos 1. at numquam vocat idolum Patris; et 3. Reg. 7. dicitur, Salomon fecisse ad ornatum templi imagines cherubin ad similitudinem hominum : item imagines leonum, boum, palmarum, malogranatorum, florum etc. nec unquam ista vocantur idola, quia nimirum rerum verarum similitudines e-

rant.

Secundo, quia Scriptura Testamenti veteris idola vocat ordinarie אלילים, ut Levit. 19. 26. et alibi, vel ארנים, ut Num. 23. Oseae, 6. et alibi. Porro אליל significat vanum, falsum; et similiter i א vanum , mendacium; interdum etiam vo-cat ישקד, idest, mendacium, ut Hieronymus nolat in cap. 7.0seae, ubi semper vides idolum aliquid falsi significare. Denique Habacuch.2, ait Scriptura: Quid prodest sculptile, quia sculpsit, illud fictor suus conflatile, et imaginem falsam? ubi clarissime definitur idolum imago falsa. Cui simile est, quod ait Plato in Theeteto, cum ait: Υέυδη καὶ έίδωλα πέρι πλείονος ποιησάμενοι τοῦ άληθοῦς, idest, mendacia et idola pluris faciunt, quam veritatem ubi idolum cum mendacio conjunxit, et veritati opposuit.

Tertio, quia b. Paulus 1. Corinth. 8. ait: Scimus quia nihil est idolum in mundo. Ubi-idolam nihil esse dicitur, quia licet sit aliquid secondum materiam, tamen nihil est formaliter, cum id repraesentet quod nihil est, et proinde nec vere repraesentet, et consequenter nec sit. Cui loco alium similem adducit Hieronymus in cap. 7. Oseae, ad probandum idolum nihil esse; nam Hesther. 14. dicitur: Ne tradas scoptrum tuum his, qui non sunt, idest, idolis.

Quarto, quia b. Hieronymus in c. 2. Habacuch, et in c. 13. Zachariae, et alibi passim confert haereses cum idolis, quia ut idolum est falsa imago, ita haeresis est falsa imaginatio.

Quinto, ex ipsa vocis proprietate; nam ut Tertulianus docet libro de idololatria) idolum est diminutivum ab είδος, idest, forma, el significat formam parvam, non quantitate sola, sed perfectione. Est enim proprie idolum (ut exponit Eustathius in lib. 11, Odisseae) imago inenis, qualis est. quae cernitur in umbra hominis, et qualia sunt phantasmata, idest, imagines quas imaginatione fabricamus, quibus sacpe uihil respondet in re; et qualia denique sunt spectra et umbrae mortuorum, quae videntur quidem esse aliquid solidum, sed inanes sunt. Unde Homerus in 11. Odisseae, et Lucianus in dialogo de mortuis, animas mortuorum vocant είδωλα; et Virgilius in 6. lib. Aenoidos videtur-idipsum explicare voluisse, cum ait:

Corripit hic subita trepidus formidine ferrum Aeneas, strictamque aciem venientibus offert: Et, ni docta comes tenues sine corpore vitas Admoneat volitare cava sub imagine formae; Irrual, et frustra ferro diverbetet umbras.

Ubi quod Homerus et Lucianus vocant elocat, vanas vocat ipse umbras, et cavas imagines, idest, vanas et inanes. Quoniam ergo idolum propria et primaria significatione designat imaginem inanem, inde scriptores sacri et ecclesiastici doctores vocaverunt idola statuas falsorum Deorum, licet solidae sint quoad materiam, quia inanes sunt quoad formam, idest, quoad repraesentationem. Haec de nomine idoli.

Nomen simulaeri est quidem paulo communius; nam Lactantius lib. 6. de verò cultu, cap. 10. et 13. vocat hominem Dei simulacrum; et lib. 2. de origine erroris, cap. 2. dicit, simulacrum; dici a similitudine, et proinde omnem veram imaginem posse dici simulacrum. Verius tumen est, quod alii dicunt, simulacrum dici â simulando, nou a similitudine; nam in Scripturis simulacra ubique ponuntur pro idolis. Semper enim ubi Latinus interpres posuit simulacra, ut Actor. 15. psal. 143. 1. Joan. ult. et alibi, semper in greco est είδωλα; et b. Augustin. in psal. 135. dicit: Latinos ea simulacra vocare, quae a Graecis dicuntur idola. Hieronymus quoque in cap. 7. Oseae dicit, sic opponi simulacrum Deo, sicut opponitur mendacium veritati; quia simulacrum Deum falsum refert.

Denique, sieut Homerus et Lucianus vocant idola umbras mortuorum, quae videntur solida corpora quaedam, et non sunt; ita etiam Lucretius lib. 4. et Virgilius lib. 4. Georgicorum, et lib. 6. Aeneidos, easdem mortuorum umbras passim appel-

lant simulacra.

# CAPUT VI.

# De principibus Iconomachorum.

Auctores Iconomachiae fuerunt omnes aut Judaei, aut Mahumetani, aut Magi, aut manifeste Haeretici, ita ut negare non possint qui hoc tempore oppugnant imagines, avos et majores suos fuisse impies. Alphonsus de Castro, verbo, Image, tribeit hunc errorem cuidam Felici, quem dicit damaatum in concilio Franconiae, teste Platina in Adriano I, nec tamen potest inventre, quis iste Felix fuerit. Tribuit item Sereno episcopo Massiliae, quem b. Gregorius reprehendit lib. 7. epist. 109, et lib. 9. epist. 9. Denique eundem errorem tribuit Alphonsus b. Epiphanio in epist. ad Joan. Hierosolymit

Sed nullus horum, pace Alphonsi, in isto errore versalus est; nam Felix damnatus in synodo francofordiensi, est Felix episcopus urgelitanus. Is autem tut ex Adone in chronico, et Jona lib. 1. patet) solum docuit. Christim esse filium Dei adoptivum, quia tamea eadem synodus reprobavit eodem tempore (at ex eodem. Adone in chronico anni 792. patet) pseudosynodum Graecorum contra imagines, putaverant tam Elatine, quam Alphonsus, inecresim Felicianam esse haeresim Iconomachorum.

Screaus aulem confregit quidem imagines, sed nullo modo Iconomachis haereticis annumerandus est; nam imagines fregit, quia videbat eas a Christianis, tum recens conversis, adorari pro Dis. Unde beatus Gregorius laudat zelum ejus et fidem, et solum reprehendit temeritatem, qued ausus sit id facero, quod nullus unquam episcopus fecerat, et monet cum, ut populum instruct cur imagines ab Ecclesia teneantur, et praemissa instructione imagines in templis reponi sinat. Nec erat opus, ut Castro diceret, Serenum et Epiphanjum excusari ab haeresi, quia res nondum erat determinata. Satis enim res determinata erat usu totins Ecclesiae: sed nihil isti contra fidem aut veritatem egerunt vel docuerunt. Ac praesertim Epiphanius, qui purgatur ab omni suspicione erroris circa imagines in VII: synodo, act. 6. tom. 5. et nos infra de hac re agemus. Et certe non sine temeritate et praejudicio catholicae fidei tam crassi errores tam magnis viris tribuuntur.

Nicolaus Sanderus lib. 1. cap. ult. de imaginibus, dicit, primes Iconomachos fuisse Manichacos, tum quia id videtur indicare Tharasius in VII. synodo, fum etiam quia Faustus apud Augustin. lib. 20. c. 3. cont. Faustum, glorintur a suac sectae hominibus. Deum sine simulacris coli. Sed an res ita se habeat, vehementer dubito; nam Tharasius in VII. synodo act. 5. non dicit Manichaeos respuisse imagines, sed dicit, Iconomachos dum imagines respuunt, similes esse Manichaeis., qui asserebant, Christum non habuisse verum corpus; qui enim negat Christum posse depingi, videtur existimare. Christum non habere verum corpus. Perro Faustus apud Augustinum non lequitur de imaginibus sanctorum, sed solum de imaginibus Dei. Unde nec Faustus ee loco reprehendit catholices, quod haberent imagines, nec Augustinus repreheadit Manichaeos, quod imaginibus carerent. Ergo primi Iconomachi sunt Judaci, qui in suo Thalmud quod prodiit anno Christi 476. ord. 2. tract. 1. dist. 2. disorte docent, Christianorum coclesias esse domos idololatriae, quod propter imagines dictum esse patet tum ex VII. synodo, abi frequenter Iconomachi dicunter Hebraei: tum ex dialogis Leontii, ubi altercatur Judaeus cum Christieno de imaginibus. Habelur para horum dialo-

gor. in VII. synodo, act. 5.

Circa idem tempus Zenone imperante exstitit Xenajas, queen principem Iconomachorum fuisse dicunt Nicephorus lib. 16. c. 27. et Cedrenus in compendio. Fuit autem iste Xenajas homo persa et barbarus; immo et servus fugitivus: et licet non esset baptisatos, simulans tamen se Christianum irrepsit ad episcopatum. Sed quamquam iste aperte suasit, non esse venerandas imagines: non tamen legimus, quad persuaserit, nist forte aliquibus paucis. At post annos fere centum, Justino-juniore imperatore, Samaritani quidam irruperunt in ecclestam quandam, et in imagines Christi, et sanctorum ferocissime grassati sunt, ut-patet ex epist. Simeonis eremitae ad Justinum imperatorem, quae habetur in VII. synodo, act. 5.

Non diu postea post annum Damini 600: exortus est Mahumetus, qui suae sectae hominibus nullas imagines in temphis permisit, ut ex Alcorano, cap. 15: et. 17. et. ex. ipsa experientia patet. Nec enjm Turcae imagines habeni, et nos idololatras putant

propter cultum imaginum.

Iterum post annoa fere centum, idest, post annum 700. Domini Hebraeus quidam maleficus Ezidi regi srabum-mahumetano promisit 30 annos vitae, si in suo imperio juberet imagines. Christi et sanctorum ex Christianorum ecclesiis auferri et comburi. Jussit ille, sed cum Christiani non parerent, immisit Arabes et Hebraeos in ecclesias, qui negotium impigre perfecerunt: Sed rex Ezides anno sequenti obiit, et Hebraeus tanquam impostor a successore ejus turpissima merte mori coactus est. Narratur historia in VII. synodo act. 5. necnon a Cedreño, Zonava et Niceta in vita Leonis I-sanri.

Paulo post, Leo Isaurus imperator a Judaeis similiter persuasus, publico edicto imagines deponi et deleri ex templis omnibus jussit. Et multos Christianorum resistentium neci dedit; unde leonomachi cognomen invenit. Auctores sunt, Cedrenus, Zonaras, Paulus diaconus et alii. Atque hia fuit primus Christianorum, qui bellum movit contra imagines; nam etsi Philippicus, teste Paulo diacomo, deposuerat imagines sex synodorum; tamen id fecerat odio sextae synodi, non odio imaginum. Fuit enim Philippicus Monothelita., non leonomachus.

Utrum autem Leo recte fecerit, an male, vel ex eo perspici-potest, quod maluit in ea caussa Judaeorum maleficorum consiliis adhaerere, quam s. Gregorii papae, s. Germani patriarchae constantinopolitani, qui tunc sedebant, et imperatori aperte restiterunt, ut ex iisdem auctoribus patei. Fuisse autem Gregorium illum et Germanum, optimos et doctissimos pontifices tradunt historici omnes ejus temporis Graeci et Latini. Restiterunt etiam Leoni duodecim sapientes, qui cum praeposito suo, qui dicebatur magister occumenicus, publicis sumptibus alebantur, et omnium optimi et sapientissimi erant: quos Leo una cum domo, et instructissima eorem bibliotheca combussit. Vide Zonarem in vita hujus Leonia.

Impietatem porro Leonis sequutus est Constan-

tinus Copronymus Aujus Leonis filius, qui in sigrum futurae improbitatis dum baptizaretur, sacrum fontem stercore foedavit; et praeterea necromanticus fuit, et haereticus Mestorianus; nam non credidit b. Mariam esse Deiparam, ut ex Zonara et

Codreno cognosci potest.

Monet autem recte Sanderus Gulielmum Xilandrum, non fideliter vertisse in hac historia verba Cedreni. Ubi enim Cedrenis scripsit, Constantinum istum exegisse juramentum ab omnibus imperio suo subjectis, quo juramento confirmatent, nullam se imaginem adoraturos; filir verbae, Procoviu προσηγήσαι του; ille vertit: hatili se simulaero supplicaturos; quasi videlicet Christiani idolis supplicent. Cum tamen constet, ut jam ostendimus, imagines non recte vocari simulaera; et usus Christianorum habeat, ut imagines veneremur, non ut eis quasi viventibus et sentientibus supplicemus. Sed nimirum qui fidem Deo non habet, nihil mirum, si etiam fidem non servet in libris transferendis.

Post aunum deinde 800.cum aliquandiu quievisset bellum contra imagines; iterum renovatum est a Leone Armenio imperatore; et qui ei successerunt, Michäele Balbo et Theophilo, quos omnes improbissimos luisse, postremum etiam judalcae secue et necromantine addictum testantur Cedrenus

et Zonaras in vita ipsorum.

Fodem tempore, quo Theophilus in oriente imagines oppugnabat, exstitit in occidente sub imperio Ludovici Pii Caroli Magni filii Claudius hispanus, episcopus taurinensis, Felicis Urgelitani discipulus, qui imagines omnes, et cruces e templis omnibus suae dioecesis abstutit. Fuit autem homo imperitus et superbus, ut ex libello ejus, libris Janac inserto apparet, et haeresim arianam, jau sepultam, rursus ad lucem revocare conatus est.

Post illa tempora circa-annum Domini 1372. exstilit Joannes Wiclef, qui obiter attigit imaginum reprehensionem, sed discipuli ejus acrius posten imagines oppugnaverunt. Vide Thomam Waldensem, tom. 3. tit. 19. Eundem errorem tribuit Waldensibus Claudius Coussordius lib.contra Walden-

ses, artic. ultimo.

Scribit eliam Joannes Cochlaeus lib. 3. historiae Hussitarum, a Hieronymo de Praga imaginem Christi crucifixi dejectam, et stercore foedatam, cum famen ipse in cubiculo adoraret imaginem Wicless diademate coronatam.

Denique hoc nostro sacculo primus, qui imagines e templis abstulit, Andreas Carolstad. fuit, anno 1522. teste Joanne Cochlaeo in vita Lutheri. Lutherus autem quamquam rem probaret, reprehendit tamen auctorem, ut ibidem Cochlaeus dicit, quia, ut id faceret, non a se potestatem et auctoritatem flagitaverat. Item Zwinglianes contra imagines pugnasse scribit Cochlaeus in act. Lutheri anni 1526. Philippus quoque in locis communibus explicans decalogum, reprehendit imaginum venerationem. Similiter Magdeburgenses Centur. 8. passim, sed praecipue cap. 9. et 10.

Denique Joan. Calvinus lib. 1. cap. 11. et lib.4. cap. 9. § 9. Institut. acerrime imaginum cultum reprehendit; et Calvinistae, ubicumque possunt, eas frangunt, vel comburant, vel abradunt.

CAPUT VII,

Licere imagines et facere et habere.

His praemissis, ut ostendamus licere Christianis usum imaginum, proponemus et refutabimus varios, qui de hac re exstiterunt, errores.

Ac primus quidem est Judaeorum, qui quondam propensissimi erant ad idololatriam; at post Christi adventum superstitiosissimi sunt contra imagines. Dicunt enim jure divino prohibitum esse ima-gines quaslibet efficere, teste Paulo Burgensi, addit. 2. ad Lyranum super cap. 20. Exod. quod idem docent Wiclesstae apud Waldensem, tom. 3. tit. 19. cap. 152. Ratio eorum est, quia Exod. 20. dicitur: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem etc. Caeterum hic est error manifestus. Et sine dubio non prohibetur in decalogo omnis imago, sed solum illa, quae dici potest idolum, idest, imago, quae habetur pro Deo, vel quae repraesentat tamquam Deum eam rem, quae non est Deus. Cum enim dicitur: Non habebis Deos alienos, prohibetur aclus interior idololatrize; cum autem additur: Non facies tibi sculptile etc. prohibetur actus exterior. Vide Augustinum quaest. 71. in E-

Prebatur haec sententia. Primum, quia si prohiberetur omnis imago, sequeretur praecepta decalogi non esse tantum 10. sed 11. vel 12. contra Scripturam, quae dicit esse 10. Exod. 31. et 34. Deuler. 4. 9. èt 10. nam constat unum praeceptum esse: Non habebis Deos alienos. Alterum, non assumes nomen Dei in vanum. 3. Sabbatha sanctifices. 4. Honora parentes. 5. Non occides. 6. Non moechaberis. 7. Non furaberis. 8. Non dices falsum testimonium. 9. Non concupisces. Ista novem sine controversia sunt distincta.

Porro illud: Non concupisces, vet debet dividi in duo; ut nonum sit, non concupisces uxorem alienam; 10. non concupisces rem alienam; vel ista omnia ad unum pertinent. Si debet dividi in duo, ergo illud: Non facies tibi sculptile, erit andecimum, vel oportet dicere, illud non esse praeceptum distinctum a primo, ut revera dicunt Clemens alexandr. lib. 6. strom. Augustin. qu. 71. in Exod.et epist. 119. cap. 11. et communiter scholast. 3. sentent. dist. 37. et catechismi omnes Latini. Et tune non prohibetur sculptile quodcumque, sed solum sculptile, quod habetur pro Deo alieno.

Si autem: Non concupisces, est unum tantum, ut existimant Philo in lib. de decalogo ante med. Joseph. lib. 3. antiquit. cap. 6. et 8. Origen. hom. 8. in Exod. Ambrosius et Hieronym. in cap. 6. ad Ephes. Procopius et Rupertus in cap. 20. Exedi: Tunc illa omnia verba erunt unum praeceptum: Non factes tibi sculptile etc. Et non adorabis ea, neque coles, sed facere imagines absolute, et adorare easdem, sunt res distinctee, ut patet; quia potest unus adorare sculptile, quod non fecit, et alius non adorare, quod fecit. Ergo unum tantum horum est prohibitum, alioqui essent undecim praecepta. Sed certum est prohiberi cultum: ergo non prohibetur fabricatio per se, sed solum in ordine adcultum. Proinde peccat, qui facit, ut adoret, non qui facit ad alium usum.

Secundo probatur, lege divina non probiberi imagines absolute, ex eg, quod in ipsa Soriptora legimus imagines factas Dei jussu. Siguidem Exod. 25. Deus fleri jussit imagines cherubin super arcom. Num. 21. Serpentem aeneum, 3. Reg. 6.et 7. Cherubin, boves, teones et alia. Respondent Judaei: Deum praecepisse bominibus, non autem sibi ipsi. Porro imagines templi ipsum jussisse fieri, sicut prohibuit surtum; et tamen ipse jussit ut Judaei spoliarent Aegyptum, Exod. 12.

At contra. Primo, praecepta decalogi sunt explicationes juris naturae, excepto illo de sabbatho: res autem prohibitae jure naturae, sunt prohibitae. quia malae; non inalae, quia prohibitae, et proinde nec a Deo praecipi possunt. Nec jussit unquam Deus furtum, sed. donavit-nt Dominus, Judaeis bona Aegyptierum. Deinde, si imagines essent prohibitae, certe propter periculum idololatrize: at idem est periculum, si Deus jubeat eus fieri, immo eo majus, quo illae habentur diviniores, sicut accidit de serpente aenco. 4. Reg. 18. non ergo prohibuit Deus imagines absolute.

Probatur tertio, quia numquam intelligitur probitum id, quod nullo modo adversatur fini Jegis: finis autem praeceptorum primae tabulae est, ut servetur Deo saus honor illibatus, ut patet ex initio decalogi: Ego sum Dominus Deus tuus. Hom ex illa comminatione: Ego sum Deus zeloles. Hem ex illa explicatione, Exod. 20. Non facietis mecum Deos aureos, et Deos argenteos, liem ex Levit. 26. Non facielis sculptile, et idolum, ut adoretis. Denique ex illo Isaiae 42. Ego Dominus gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. At imago non facta ad venerationem. non adversatur honori Dei: Non igitur est prohibita.

Dices: Imago est occasio idololatriae. Respondeo: Etiam sol et lung, et alia multa sunt talia; sed per accidens.

Quarto, ars pingendi et sculpendi bona est, et # Deo, ut patet Exod. 31. et 35. ubi dicitur, Deus dedisse duobus viris Beseleel et Goliab spiritum suum, sapientiam et scientiam ad sculpendum, et excogitandum multa pro ornatu tabernaculi.

Quinto, Deus primus auctor est omnium imaginum, naturalium et artificialium; nam genuit filium ad imaginem suam; et formavit hominem ad imaginem suam.

Sexto, imago est secundum naturam, et necessaria; nam in primis omnia naturalia producant aliquid sibi simile, idest, imaginem sui. Homo quidquid cognoscit sive sensu, sive intellectu, per imagines cognoscit. Non possumus in lumine versari, quin corpora nostra umbram efficiant, quae imago est corporis. Vestes omnes imagines sunt corum membrorum, ad quae tegenda factae sunt.

Denique Judaei tempore Christi habebant imaginem Caesaris in nummis, ut patet Matth. 22. et nunc etiam retinent imagines principum in pecuniis, cur ergo dicunt, non licere nllam imaginem habere? Certe si quis eis eripere vellet imagines, quas in nummis el aulaeis habent, continuo muta-

rent sententiam.

Secunda opinio est Ambrosii Catharini in opasculo de imaginibus, ubi docet. Deum in decalogo prohibuisse imagines simpliciter; sed illud praeceptum fuisse positivum et temporale: nam propterea existimat ipse Deum jussisse fleri imagines cherubin, ut indicaret, imagines non esse malas per se, sed solum malas, quia prohibitas: et etiam ne praejudicaretur Testamento novo, in quo permittendae erant imagines.

Sed haec opinio nobis non probatur, tum propter argumenta facta contra Judaeos, tum etiam quia sanctus lyenaeus lib. 4.cap.31.et 32.diserte docet, decalogum esse legem naturalem, excepto praecepto de sabbatho. Et Tertullian.lib.de idololat.toto contendit. nune maxime observandum hoc praeceptum. Idem docet b. Cyprianus lib. 3. ad Ouirinum . c. 59. et de exhortatione martyrii, cap. 1. b. Augustin. passim affirmat totum decalogum, excepta lege de sabbatho, a Christianis servandum, et nominatim illud: Non facies tibi sculptile. Vide lib. 15. cont. Faustum, cap. 4. et 7. et lib. 19. cap. 18. lib. 3. contra 2. epist. Pelagian. cap. 4. Idem habet b. Thomas 2. 2. q. 122. art. 1. et 4. Ergo si in decalogo prohiberentur omnes imagines, peccarent Christiani habentes imagines.

Dices: in decalogo praeceptum sabbathi est positivum saltem ex parte; ergo nihil prohibet, quo minus etiam praeceptum de imaginibus sit ex parte positivum. Respondeo: In praecepto sabbathi posita esse multa, quae indicent, illud esse positivum; nam Primo, praemittitur, Memento; quia nimirum cum non sit naturale praeceptum, poterant illius facile Judaei oblivisci. Secundo, additur ratio praecepti: Quia Dominus quievit ab opere die septimo; non autem additur ratio ulli alteri praecepto, quia caetera sunt simpliciter naturalia. Denique Irenaeus, Augustinus et Thomas diserte solum sabbuthum excipiuat a naturalibus praeceptis decalogi.

Tertia epinio est Thomae Cajetani in c. 20. Exod, qui docet, non esse prohibitum facere ullam imaginem, vel idolum, sed solum prohibitum, esse, ne quis facial sibi imaginem, quam habere velit pro Deo suo; et probat, quia non est dictum: Non facies sculptile; sed, non facies tibi sculptile.

Haee sententia displicet solum in modo loquendi; nam Cajetanus pro eodem habet idolum, et imaginem, cum falsum sit; ut supra ostendimus. Deinde videtur concedere licere facere idola, quae habeantur pro Diis, modo non habeat pro Diis ille, qui facit. At Pertullianus toto lib. de idololatria probat evidentissimis rationibus prohibitum esse Christianis pictoribus, aut statuariis facere idola gentilibus. Et Ecclesia celebrat 8. novembr. martyrium sanctorum Claudii, Nicostrati et sociorum, qui necati sunt, quia noluerunt simulacra gentilibus facere cum essent peritissimi statuarii.

Neque Cajetanus hoc negaret, quippe qui in 2. 2. quaest. 10. artic. 4. docet, non licere vendere idola gentilibus; ideo incaute loquutus est in commentario Exodi. Nec obstat illa particula, tibi; nam secundum hebraicam phrasim redundat. Sicut Genes. 12. Vade tibi de terra tua; et in canticis can-

ticorum passim. BEELARMINI, Vol. 1.

# CAPUT VIII.

Non esse prohibitas imagines Dei.

Quarta opinio est Calvini, lib. 5. Institut. cap. 11. ubi dicit Primo, nefas esse Deo invisibili et incorporeo, imaginem visibilem et corpoream collocare. Secundo, imagines Christi et sanctorum non esse prohibitas simpliciter, sed non debere poni in templis. Tertio, historias depictas habere aliquem usum ad instruendum: imagines autem solas Christi, vel sanctorum sine ulla notatione rerum gestarum nullum habere usum, nisi ad oble-

ctandum, et ideo frustra fieri.

Ut ergo incipiamus a primo capite, probat Calvinus non posse pingi imaginem Dei. Primo, quia Exod. 20. prohibetur omnis Dei similitudo; nam postquam dixerat Scriptura: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, subjungit infra, explicans: Deos aureos et argenteos non facietis mecum, idest, non facietis imagines aureas, vel argenteas, quae Deum repraesentet. Et Denteron.4. Memento quod Dominus loquulus sit tibi in monte Horeb, vocem verborum audisti, imaginem nullam vidisti, observa ergo teipsum ne forte deceptus facias tibi ullam similitudinem. Et Isai. 40. Cui similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponelis ei? Et cap. 46. Cui assimilastis me, et adacquastis, et comparastis me, et similem fecistis? Qui confertis aurum de saeculo, et argentum statera ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat Deum. Denique Act. 17. Paulus dicit: Genus ergo cum simus Dei, non existimandum, auro, vel argento, aut lapidi artis sculpturae, et cogitationis hominum divinum esse simile.

Secundo, probat ex concilio elibertino can. 36. Placuit in templis non haberi picturas, ne quod colitur, vel adoratur, in parietibus dipingatur. Ubi palam est ugi de imaginibus Dei, qui solus a Christianis colitur et adoratur.

Tertio, idem probat ex Patribus: nam Eusebius lib. 1. de praeparatione evangelica, cap. 6. et lib. 2. cap. 8. et Lactantius lib. 1. divin. institutionum, c. 15. scribunt, omnes quorum simulacra videmus, fuisse homines mortales: ergo nullum erat simulacrum veri Dei immortalis. Item Augustin. de side, et symbolo, cap. 7. dicil, nesas esse Deo simulacra collocare. Praeterea idem Augustin. lib. 4.de Civit. Dei c.19.et 31 refert Varronem dicentem, qui primi Deorum simulacra induxerunt. eos et timorem demosisse, et errorem auxisse. Et lib. 6. c. 10. refert Senecae querimoniam, qui dolebat inviolabiles Deos in materia vilissima, atque ignobili dedicari.

Poterat addere etiam Origenem lib. 7. contra Celsum, in fine, et Joan. Damascenus lib. 4. de fide, cap. 17. qui docent, Christianos nullam Dei imaginem habere, utpote incorporei et invisibilis. Denique Patres VII. synodi, act. 4. 5. et 6. qui dicunt, Christum recte pingi, quia est homo: Deum autem pingi non posse.

Quarto, probat ex periculo erroris: nam licet s. Gregorius scripserit imagines esse libros idiolarum, tamen e contrario Scriptura vocat imaginem

Digitized by Google

ligneam, doctrinam vanitatis. Hierem. 10. et conflatile, doctorem mendacii. Habacuc 2. Itaque, inquit Calvinus, si Gregorius in schola spiritus edoctus fuisset, numquam dixisset imaginem librum idiolarum esse.

Quinto, ratione, quia non videtur posse fieri veram imaginem corpoream rei incorporeae. Adde etiam, quod imagines flunt rerum absentium: Deus

autem ubique est praesens.

Haec opinio Calvini est eliam aliquorum catholicorum, ut Abulensis in cap. 4. Deuter. quaest. 5. Durandi in 3. dist. 9. q. 2. et Peresii de traditionib. part. 3. in tractatu de imaginibus; qui docent, imaginem Dei non recte fleri, et ab Ecclesia fortasse

tolerari, non tamen probari.

Ego dico tria: Primo, non esse tam certum in Ecclesia, an sint faciendae imagines Dei sive Trinitatis, quam Christi et sanctorum; hoc enim consitentur omnes catholici, et ad sidem pertinet illud est in opinione. Secundo, miram esse Calvini fraudem et astutiam, qui posteaquam probavit non esse faciendas imagines Dei, ita degreditur ad amplificationes, et triumphum canit, quasi probasset, non licere colere, vel facere ullam imaginem. Tertio dico, licere pingere etiam imaginem Dei Patris in forma hominis senis; et Spiritus sancti in forma columbae, ut Cajetanus docet in 3. p. q. 25. art. 3. Ambrosius Catharinus in lib. de cultu imaginum. Dieghus Payva lib. ultim. contra Kemnitium. Nicolaus Sanderus in suo opere de cultu imaginum. Thomas Waldensis tom. 3.tit.19.c. 155. Id vero ita probamus.

Primo: Angeli sunt incorporei, et tamen depicti et sculpti sunt in Testamento veteri: Exod. 23. 3. Regum 6. quare Deus etiam, licet incorporcus,

pingi poterit.

Calvinus respondet id factum esse ad paedagogiam veteris legis, nunc autem praeteriisse saeculum illud puerile. At nos non quaerimus quorsum facta sint, sed tamen disputamus pingi posse rem incorpoream: et sicut ad paedagogiam populi pinguntur angeli, cur ad paedagogiam populi non poterit pingi Deus? Nam licet praeterierit saeculum illud, quod puerile dici poterat respectu nostri, tamen et nostrum puerile dici potest respectu futuri saeculi in coelo.

Secundo: Deus visus est corporea specie; nam Adae apparuit tamquam homo deambulans in paradiso ad auram post meridiem, Genes. 3 Jacob vidit Deum innixum summitati scalae;et proinde forma corporea, Genes. 28. Moyses vidit posteriora Dei, idest, terga et humeros, Exodi 33. Isaias cap. 6. et Michaeas 3. Reg. ult, viderunt Dominum sedentem in solio ad formam hominis regis. Et Amos cap. 9. vidit Dominum stantem super altare. Denique Daniel cap. 7. vidit cum sedentem in throno, ct describit caput et capillos ejus canos, et vestimenta ejus alba. Spiritus sanctus apparuit in forma columbae, Matth. 3. Denique angeli apparuerunt frequentissime in forma humana, Genes. 18. et 19. in lib. Tobiae. Visi sunt etiam cum alis, ut Isaiae 6. et Daniel. 9. et in stola candida. Matth. ultim. Luc.ull.et Joan.20.Quid ergo prohibet sic pingi?

Respondet Calvinus: Quod Deus interdum se o-

stenderit in humana forma, fuisse praeludium incarnationis, columbam autem subito evanuisse, ut indicaret Spiritum sanctum invisibilem esse. Sed quorsum haec? Non enim quaerimus ad quem finem, vel quamdiu Deus apparuerit in forma corporea, sed contendimus posse Deum pingi in ea forma, in qua seipsum demonstravit. Et praeterea non est verum, apparitionem Dei in forma humana semper fuisse praeludium incarnationis; nam interdum apparuit Deus Pater, vel Spiritus sanctus, qui tamen incarnandi non erant. B. Augustinus lib. 2. Trinit. cap. 11. existimat, in illis tribus viris, qui apparuerunt Abrahae, Genes. 18. apparuisse tres personas Trinitalis: et lib. eodem, cap. ultimo, convincit, Patris personam visam esse in forma humana, ex Daniele cap. 7. ibi enim legimus visum esse antiquum dierum in throno, qui filio hominis, idest, Christo, regnum tradebat; et tamen nec tota Trinitas, nec Deus Pater incarnandus erat.

Tertio: Scriptura verbis tribuit Deo omnia membra humana, dum eum dicit stare, sedere, ambulare; nominat ejus caput, pedes, brachia, tribuit illis edem, thronum, scabellum etc. Cur ergo non poterit pictura exhiberi, qualis depingtur scriptura?

Respondent: Scripturam ideo sine periculo tribuere membra Deo, quia alibi eadem Scriptura Deum incorporeum esse dicit. Sed cur, quaeso, eadem Scriptura non poterit impedire errorem picturae? Sicut enim a Scriptura discimus, membra quae tribuuntur Deo in ipsa Scriptura metaphorice esse accipienda, ita etiam ab eadem discimus membra, quae tribuuntur Deo in pictura, metaphorice esse accipienda. Et idiotae, qui vident picturas et non possunt legere Scripturas, possunt ac debent a praelatis et concionatoribus institui, ut concilium tridentinum monet, sess. 25. Alioqui fateor, non sine periculo exhiberi imperitis ejusmodi picturas. Hic enim tantum defendimus, non esse in universum damnandas ejusmodi imagines.

Quarto, pinguntur ea, quae minus videntur posse pingi quam Deus, nimirum virtutes, quae non solum spirituales, sed etiam accidentia suut; cur

ergo non poterit pingi Deus?

Quinto, homo est vera imago Dei, sed hominis potest pingi imago, ergo et Dei;nam quae est imago imaginis, est etiam exemplaris;quae enim sunt similia uni tertio, sunt etiam inter se similia.

Dicent, hominem non esse imaginem Dei qua parte pingitur, idest, corpore, sed qua parte non

potest pingi, idest, animo.

Respondeo: Si ita esset, sequeretur, hominem non posse depingi; nam homo non est homo ratione figurae et colorum, quae sola exprimuntur in imagine, sed est homo ratione substantiae, et praecipue ratione animae, quae pingi non possunt. Dicitur tamen homo vere et proprie depingi, quia figura et colores imaginis non solum figuram et colores hominis repraesentant, sed ipsum totum hominem; alioqui numquam fieret, ut res depicta videretur res ipsa vera. Quod tamen accidit uvis, quas pinxerat Zeusis, ad quas carpendas aviculae accurrebant, teste Plinio lib. 35. cap. 10.

Ita igitur licet homo sit ad imaginem Dei ratione intellectus et voluntatis; tamen ipse totus homo intelligens et volens, recte dicitur et est imago Dei; nam Genes. 1. non ait Deus: Faciamus animam, sed, faciamus hominem ad imaginem Dei; et cum imperator quidam saeviret in eos qui confregerant imaginem uxoris suae, dixit illi s. Macedonius (ut Theodoretus refert in historia religiosa, cap. 43.) eum male agere, quod pro imaginibus suis. Dei occidat imagines. Et tamen imperator non animas, sed homines occidebat. Si autem ipse totus homo est imago Dei, et totus homo vere pingitur: ergo imago Dei vere pingitur. Illud tamen verum est quod sicut homo est imago Dei valde imperfecta, obscura et dissimilis: ita etiam homo pictus est imago Dei valde imperfecta, obscura et dissimilis.

Ultimo probatur ex usu Ecclesiae. Jam enim receptae sunt fere ubique ejusmodi imagines; neque credibile est Ecclesiam toleraturam universaliter aliquid illicitum. Adde quod concilium VII. act. 5. approbat imaginem Spiritus sancti in forma columbae, et concilium trident sess. 25. admittit imagines Dei praecipue in picturis historiarum.

Pro solutione argumentorum observandum est tribus modis posse aliquid pingi. Uno modo ad exprimendam perfectam similitudinem formae et naturae rei ipsius, et hoc modo res corporeae solum pinguntur, quae lineamentis et coloribus praeditae sunt. Et si quis hac ratione Deum pingere tentaret, is verum idolum constitueret.

Altero modo ad historiam aliquam oculis exhibendam; quomodo si quis pingere vellet expulsiouem Adami de paradiso, pingere deberet Deum in forma hominis ambulantem, et Adamum, atque Evam nudos inter arbores se occultantes, ao demum angelum in forma humana gladium gestantem, et Adamum cum conjuge expellentem. Qui autem ita pingeret, non vellet certe repraesentare Dei vel angeli naturam, sed solum exhibere oculis per picturam, id quod auribus exhiberet alius recitando Scripturam, et hoc modo potest Deus pingi.

Tertio, potest aliquid pingi extra historiam ad explicandam naturam rei non per immediatam et propriam similitudinem, sed per analogiam, sive metaphoricas, mysticasque significationes. Quemadmodum pingimus angelos, juvenes, alatos, formosos, nudis pedibus eto ad significandum eos semper viribus pollere, celerrime moveri, splendore gratiae et virtutum praeditos etc. quae vide apud Dionysium, cap. ultim. coelestis hierarch. Hoc etiam modo pinguntur virtutes: Et ipse homo, imago Dei, est hujus generis tertii. Non enim est inter hominem et Deum alia similitudo, quam analogica. Hoc modo pingimus Deum Patrem, cum eum extra historiam pingimus humana forma.

Hoc modo pingimus Christum in forma ovis, et evangelistas repraesentamus per aquilam, leonem, bovem et hominem, et Spiritum sanctum in forma columbae, aut linguarum ignis. Ubi tamen notandum, non debere ejusmodi imagines multiplicari, nec tolerandum, esset, quod pictores audent ex capite suo confingere imagines Trinitatis: ut cum pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, et in medio eorum columbam; ista enim monstra quaedum

videntur, et magis offendunt deformitate sua, quam juvent similitudine. Unde etiam ministri hungarici in suo opere contra Trinitatem lib. 1. cap. 4. collegerunt multas formas imaginum Trinitatis, et eas tamquam monstra quaedam accurate depicta ridenda proponunt, easque vocant cerberos, geryones, janos trifrontes, monstra et idola, quibus certe occasionem blasphemandi pictoris nostri dederunt.

Praeterea notandum est, errare Bartholomaeum Garanzam, qui in summa conciliorum dicit, can. 82. sextae synodi, prohiberi imaginem Christi in forma agni, et Spiritus sancti in forma columbae. At concilium non prohibet istas imagines, sed anteponit tantum istis imagines Christi in forma humana. Unde in VII. synodo, act. 2. legitur epistola Adriani ad Tharasium, in qua laudata dicitur in VI. synodo imago Christi in forma agni. Idem dicit Helias in VII. synodo, action. 4 idem Epiphanius in VII. synodo, act. 6. et praeterea in VII. synodo, act. 5. approbatur imago Spiritus sancti in forma columbae.

Praeterea ratio Bartholomaei contra ipsum videtur concludere; ipse enim dicit prohibitas esse has imagines, quia praesente veritate cessare debent figurac. At istae imagines non fuerunt in usu in Testamento veteri, sed coeperunt post Christi adventum. Imago enim agni sumpsit occasionem ex illis verbis Joannis: Ecce agnus Dei; Imago autem columbae ex illa columba, quae apparuit super Christum, Matth. 3. Occasionem errandi videtur iste auctor accepisse ex ipso canone, qui non integre habetur in illa synodo, sed corrigendus est error ex VII. synodo, ubi saepius iste ipse canon integer adducitur.

Ex his ad argumenta adversariorum facile poterit responderi. Ad primum posset uno verbo dici, in omnibus Scripturis citatis prohiberi imaginem Dei primi generis. Existimo tamen Exodi 20. cum dicitur: Deos aureos, et Deos argenteos non facietis mecum. Et similiter Isaiae 40.et 46.ubi Deus conqueritur dicens: Cui assimilastis me? ad literam non agi de imagine facta ad repraesentandum Deum verum, nec enim tales a Judaeis fiebant, sed de quibuscumque simulacris, quae haberentur pro Diis. Vult enim Deus dicere, si vobis simulacrum ligneum est Deus, cum ego etiam sim Deus sequitur, me similem esse Deo ligneo secundum vos; nam Deus Deo non posset non esse similis?

Ad secundum dico, si concilium illud loquitur de imagine solius Dei (ut vult Calvinus) nullam esse difficultatem; nam intelligemus concilium de imagine Dei primi generis. At sit loquatur concilium de omnibus imaginibus; etiam sanctorum, est major difficultas, de qua infra.

Ad tertium, Eusebius et Lactantius loquuntur de idolis genlium. Volunt enim ostendere, Deos gentilium fuisse homines, et probant, quia omnia idola gentium sunt statuae hominum, quorum etiam supulchra ostendantur. Augustinus de fide et symbolo, loquitur de imagine Dei primi generis. Varro apud Augustinum recte dicit, eos, qui simulacro Deorum induxerunt, metum dempsisse. et errorem auxisse; nam quidam propterea crediderunt ipsa simulacra esse Deos, et videntes canec aliis, nec sibi

prodesse, vel obesse, coeperunt Deos contemnere. At si non Deos simulacra, sed imagines Deorum esse credidissent, et imagines non proprias, sed analogicas, nec metum amisissent, nec errorem invenissent, quemadmodum non minuitur metus principum, nec error ullus oritur per imagines eorundem, quas videmus quotidie. Seneca apud eundem Augustinum conqueritur, simulacra Diis poni propter eundem errorem, quia putabantur ipsa simulacra Dii, vel certe Dii simulacris illis similes judicabantur. Origenes et Damascenus, et Patres nicaeni loquuntur de imagine Dei primi generis.

Ad quartum dico Primo: A Calvino injuria reprehendi b. Gregorium; nam b. Gregorius, cum ait picturas libros esse idiotarum, non agit de imagine Dei, sed de imaginibus sanctorum, ac potissimum de historiis depictis, quibus mysteria redemptionis continentur. Prophetae autem, quos opponit Calvinus Gregorio, cum dicunt, lignum esse doctorem vanitatis, vel mendacii, de simulacris falsorum Deorum, non de veris sanctorum imagi-

nibus loquuntur.

Dico secundo: Idola quidem esse doctores mendacii, quia volunt videri Dii,vel certe videntur referre Deorum effigiem, cum vere non referant: At imago Dei et Trinitatis, ut a nobis pingitur, doctor est veritatis, quia neque habetur pro Deo a nobis, neque fit ad referendam Dei effigem, sed ad perducendum hominem in aliquam Dei notitiam per analogicas similitudines.

Ad quintum, jam ostendimus quemadmodum

pingi possit res incorporea.

Ad ultimum, pingi solent absentia, quia non videntur: Deus autem licet sit praesens, tamen non videtur, ideo pingi potest, ac si abesset. Alioqui nec oporteret orare Deum voce exteriore; voces enim sunt propter eos, qui non intuentur cogitationes; Deus autem scrutatur renes et corda,

#### CAPUT 1X.

Imagines in templis recte collocari.

Alterum Calvini dictum, quod imagines non debeant poni in templis, probat ipse lib. 1. Instit. cap. 11. Primo, quia primis quingentis annis non fuerunt ullae imagines in templis Christianorum.

Secundo, quia concilium elibertinum can. 36.

prohibet picturas in templis fieri.

Tertio, quia non potest imago in templo in sublimi loco statui, quin statim erigatur signum quoddam idololatriae. Nam, ut b. Augustinus ait, epistola 49. Cum his sedibus locantur honorabili sublimitate, ut a precantibus, atque immolantibus attendantur. ipsa similitudine animatorum membrorum, atque sensuum, quamvis sensu, et anima careant, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur. Item in psal.113. Hoc enim facit, et extorquet quodammodo illa figura membrorum, ut animus in corpore vivens magis arbitretur sentire corpus, quod suo simillimum videt etc. Et Paulo post: Plus valent simulaine.

lacra ad curvandam infelicem animam, quod os, oculos, aures, pedes habent: quam ad corrigendam, quod non loquuntur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant. Ibidem Augustinus dicit. in templis Christianorum esse quidem vasa aurea et argentea, sed non talia, quae os habeant et non loquantur. Confirmat etiam ex 1. Joan. ultimo, ubi Joannes non dicit, ut caveant a celte simulacrorum, sed a simulacris ipsis, quia nimirum non possunt haberi in templo, quin adorentur.

Quarto probat, quia templa sunt instituta pro imaginibus vivis et iconicis, atque a Deo institutis quales sunt baptismus, qui est imago internae sanctificationis et gratiae; et sacra coena, quae est imago corporis Domini: sicut ergo templa ornantur istis vivis quodammodo imaginibus, ita debonestantur imaginibus mortuis etc.

Quinto, probat lib. 4. cap. 9. § 9. ex Epiphanio in epist. ad Joannem hierosolymit. ubi dicit, contra Scripturae auctoritatem esse, quod in Ecclesia pendeat imago hominis; et loquitur de imagine, quam ipse dicit fuisse Christi, vel sancti alicujus.

Sexto addunt alii, quod Adrianus imperator (teste Aelio Lampridio in vita Alexandri imperatoris) in gratiam Christianorum templa jusserit exstrui

sine simulacris.

Haec sunt illorum argumenta, quibus tamen nihil territi, asserimus nusquam melius, quam in templis imagines sanctorum collocari. Probatur primo, quia in Testamento veteri, quando Judaei propensissimi ad idololatriam erant, in templo fuerunt imagines cherubin, Exodi 25. et 3. Reg. 6.

Secundo, probatur ex consuetudine Ecclesiae. quae fuit primis quingentis annis, ut appareat impudens Calvini mendacium. Tertullianus in libro de pudicitla, ante medium, bis testatur, in sacris calicibus Ecclesiae catholicae, depictum fuisse Christum in forma pastoris ovem errantem suis humeris reportantis ad ovile; et tam erat id commune, ut catholici, contra quos in eo libre scribit Tertullianus, inde argumentum sumerent ad probandam poenitentiam, etiam gravium delictorum, in Ecclesia concedi. At certe calices sacri in Ecclesia, et in loco maxime sacro poni solent.

Sozomenus lib. 5. cap. 20. et Nicephorus lib. 10. cap. 30. scribunt tempore Juliani apostatae statuam Christi, quae apud Paneadem fuerat, in templum a Christianis introductam. Quod certe factum est ante annum Domini 500. cum ad eum annum Sozomenus non pervenerit. Eusebius lib. 3. et 4. de vita Constantini, dicit, in templis a Constantino exstructis in Palaestina, fuisse maximam copiam imaginum aurearum et argentearum.

Nazianzenus epist. 49. ad Olympium, conqueritur, quod civitas Diocaesariensis evertenda esset, in qua ipse templum mirifice exornarat; et addit; Neque enim si statuae dejiciantur, hoc nos excruciat, etiamsi alioqui excruciat, verum etc.

Damasus in vita Sylvestri scribit, Constantinum in loco, ubi fuerat baptizatus, posuisse agnum ex auro purissimo, ad dexteram agni, statuam argenteam Salvatoris; ad laevam autem, statuam argenteam Joannis Baptistae. In Ecclesia autem ipsa La-

teranensi posuisse imagines argentes Salvatori, apostolis duodecim et angelis quatuor. In VII. synodo, act. 6. refertur. quemadmodum discipuli s. Epiphanii, templum Epiphanio erexerunt, et ima-

ginem ejusdem in eo posuerunt.

Basilius orat. in s. Barlaam in fine, in ipsa concione ostendit imaginem sancti Barlaam alicubi in templo depictem, et ait, gaudere se, quod melius pictores expresserint manum ejus pro Christo combustam, quom ipse oratione descripserit: Abeo, inquit, fortium martyris factorum pictura a vobis superatus. Gaudeo tali vestrae fortitudinis victoria hodie victus. Video manus ad ignem luctam exactius a vobis descriptam. Video luctatorem in vestra imagine illustrius depictum.

Gregorius nyssenus orat. in Theodorum, initio: Oblectatur, inquit. dum aedem, ut templum Dei. el magnitudine structurae, et adjecti ornatus, decore splendido elaboratum intuetur; ubi et faber in animalium figuram lignum, formavit, et pictor induxit etiam flores artis in imagine depictos, fortia facta marturis, repugnantias, crucialus, efferalas et immanes tyrannorum formas, impetus violentos, flammeam illam fornacem, beatissimam consummationem athletae, certaminum praesidis Christi humanae formae effigiem, omnia nobis tamquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens, certamina atque labores marturis nobis expressit, ac tamquam pratum amoenum et floridum, templum ornavit. Solet enim eliam pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse.

In missa Chrysostomi, quam Erasmus latinam fecit, sic habetur: Sacerdos egreditur e parvo ostio portans evangelium, praecedente ministro cum lucerna, et conversus ad Christi imaginem inter duo ostia, inflexo capite cum exclamatio-

ne dicit etc.

Evodius lib. 2. de miraculis sancti Stephani scribit, in Ecclesia, ubi reliquiae s. Stephani servabantur, fuisse quoque imaginem ejusdem martyris depictam, ad quam visendam frequentes homines concurrere soliti erant.

Prudentius in hymno de s. Cassiano scribit, se in templo s. Cassiani vidisse super altare ejus ima-

ginem.

Erexi ad coelum faciem, stetit obvia contra Fucis colorum picla imago martyris. Plagas mille gerens, totos taccrata per artus, Ruptam minutis praeferens punctis cutem.

Item de sancto Hippolyto:

Picta super tumulum species liquidis viget umbris, Efficiens tracti membra cruenta viri.

Paulinus epist. ad Severum, conqueritur, quod se una cum sancto Martino in templo depingi curaverat, et rogat, ut saltem ista carmina adscribi jubeat.

Adstat Martinus perfectae regula vilae, l'autènus veniam quo mereare docet. Hunc peccatores, illum spectate beati, Exemplar sanctis ille sit, iste reis. Et natali 10. sancti Felicis, inquit:

Sanclasque feramur in aulas, Miremurque sacras, velerum monumenta figuras etc.

Nicephorus lib. 14. cap. 2. scribit, Pulcheriam Augustam posuisse in templo, quod Constantinopoli ipsa extruxerat, imaginem b. Mariae, quam e Hierosolymis ad eam miserat Eudocia.

Valentinianus junior admonitus a Sixto papa (ut in vita Sixti scribunt Anastasius, qui supplevit pontificale Damasi, Platina, et alii) posuit in Ecclesia s. Petri supra tumulum, idest, super altare b. Petri, imaginem auream Salvatoris, gemmis pretiosissimis ornatam, et duodecim apostolorum ima-

gines item aureas.

B. Augustinus lib. 1. de consensu evangelistarum, cap. 10. testatur, multis in locis suo tempore cerni potuisse Christum depictum inter apostolos Petrum et Paulum: et idem dicit de historia Abrahae mactare volentis filium, lib.22. cont. Faustum, cap. 73. Non est autem credibile Augustinum loqui de privatis domibus, ad quas non omnibus patet aditus, sed de publicis locis, et locis non profanis, sed sacris. Nam b. Gregorius lib.9. epist.9. dicit, in locis veneiabilibus non sine ratione depictas imagines sanctorum fuisse ab antiquis. Ubi nomine antiquorum non potest intelligere homines sui sacculi, sed superiorum; floruit autem ipse post annum 500. Ergo loquitur de Patribus, qui ante annum 500. floruerunt.

Denique Adrianus I. in libro pro imaginibus, qui habetur post VII. synodum circa finem, refert Sylvestrum, Damasum, Coelestinum, Sixtum, Leonem, Joannem et Pelagium, pontifices templa picturis exornasse. Qui lamen omnes ante annum Domini 500. sederunt. Vides igitur, quam egregic mentiatur Calvinus, cum ait in Institut. lib. 1. cap. 11. § 13. in templis Christianorum non fuisse ima-

gines primis 500. annis.

Tertio, probatur ex quatuor conciliis, duobus orientalibus, et duobus occidentalibus. In oriente celebrata est VII. synodus tota pro hac re. Item in VIII. synodo, can. 3. renovantur decreta septimae synodi. In occidente celebratum est concilium romanum sub Gregorio III. quod quidem nationale fuit, sed concurrerunt ad id concilium fere mille episcopi. In eo concilio damnata est hacresis Iconomachorum, imagines e templis deturbantium, sub ipsis initiis hujus contentionis. Vide Sigebertum in chronico anni 633. Celebratum est etiam concilium tempore Stephani et Caroli Magni, pro eadem re, ut testatur Adrianus I. qui Stephano successit, in libro pro imaginibus ad Carolum.

Quarto, probatur ratione; nam signa sacra nusquam melius, quam in sacris locis poni possunt. Deinde nullum est ornamentum templorum melius, quam sacrarum imaginum, quia imagines simul templum ornant, et continent mentes hominum, ne vagentur inanibus cogitationibus. Praeterea templum est imago quaedam coeli; nam apostolus Hebr. 9. comparat tabernaculum Mosaicum cum coe-

lo: et Chrysostomus hom. 36. in priorem ad Corinthios dicit, templum Christianorum esse quasi regiam coeli, sive terrestre quoddam coelum. Sicut ergo templum est imago coeli, ita decet, ut in ipso templo sint imagines eorum, qui in coelo sunt, idest, Christi et sanctorum. Denique, ubi melius ponentur imagines sanctorum, quam in domibus ipsorum, idest, in basilicis sanctorum, ubi reliquiae ipsorum quiescunt?

Ad primum argumentum patet solutio. Non enim

illud argumentum, sed mendacium fuit.

Ad secundum Payva respondet, concilium elibertinum solum prohibere imaginem Dei, quae pingitur ad ipsius Det effigiem repraesentandam. Sed non videtur satisfacere, tum quia concilium loquitur in genere de picturis, tum etiam quia non erat in usu eo tempore, immo nec unquam fuerunt in Ecclesia tales imagines, quae sunt vera idola.ut ostendimus supra testimoniis Origenis, Augustini et Damasceni: Concilium autem loquitur de eo, quod fieri solebat, et interdicit ne deinceps fiat.

Nicolaus Sanderus lib. 2. de cultu imaginum c. 4. respondet: Concilium illud prohibuisse imagines in templis, quia tempus et locus id requirebant. Tunc enim periculum erat, ne gentiles existimarent, nostros adorare ligna et lapides: ac denique periculum erat, ne in persequationibus fuissent imagines contumelia affectae à persequutoribus. Haec solutio bona est.

Neque obstat quod quidam dicunt, hoc concilium celebratum fuisse post concilium nicaenum, et proinde non fuisse periculum perseguutionum; nam revera concilium hoc celebratum fuit ante nicaenum, cum adhuc durarent perseguutiones, ut patet ex canone 25. ubi agitur de iis, qui adferebant literas a confessoribus. Solebant enim ii, qui in persequatione confilebantur fidem, postea dare literas commendatitias pro lapsis ad episcopos, et in toto fere concilio agitur de iis, qui labuntur ad idololatriam. Fateor tamen rationem illam canonis. Ne id, quod adoratur et colitur, in parietibus depingatur, non multum quadrare huic expositioni.

Alanus Copus in dialogis lib. 5. cap. 16. dicit, hic prohiberi imagines, quia ab illis Christianis adorari coeperant tamquam Dii; et hunc esse sensum: Placuit in Ecclesia non esse picturas, ne aliquid in parietibus existens adoretur et colatur ut Deus. In quem sensum accepit istum canonem b. Ivo in suis decretis part. 3. cap. 40. sed huic etiam expositioni ratio canonis non omnino quadrat; nam debuisset dici potius, ne id quod pingitur, adoretur: quam ne id quod adoratur, pingatur.

Alii ergo dicunt tantum prohiberi, ne imagines depingantur in parietibus Ecclesiae, non autem ne depictae in tabellis aut velis in Ecclesia habeantur; et rationem esse volunt propter honorem imaginum, quia in parietibus facillime corrumpuntur, vel humore parietum, vel situ, vel alia ratione. Qua ratione fuit olim prohibitum etiam, ne crux in pavimentis sculperetur, ne videlicet conculcaretur; et tunc hic erit sensus: Placuit picturas in Ecclesia, idest, in ipsa fabrica, sive muris Ecclesiae esse non debere, ne id, quod adoratur et colitur, in parietibus depingatur, idest, ne contingat rem sacram et venerabilem, quales sunt sanctae imagines, in parietibus esse, ubi facillime corrumpantur. Huic expositioni aptissime convenit ratio canonis.

Adde postremo, quidquid concilium statuerit, magis illud concilium esse pro nobis, quam contra nos; nam contra nos tantum esse potest concilium 19. episcoporum, quod provinciale fuit, et minime confirmatum, et in aliis decretis videtur errasse, praesertim cum in plurimis casibus, ne in articulo quidem mortis velit absolvi poeniten-

(Sic enim accipio, quod ait concilium, communionem dari quamvis non desint, qui per communionem accipiant solam eucharistiam. Moveor autem his rationibus. Primo , quoniam in ipso elibertino concilio pro eodem accipitur reconciliatio et communio; nam can. 69. sic legimus, placuit agi debere poenilentiam, et sic reconciliari, nisi necessilas infirmitatis cöegerit ante tempus dare communionem. Ubi vides idem esse reconciliare, et dare communionem aut certe in ipsa communione includi reconciliationem. Solebant enim veteres sacramentum reconciliationis semper conjungere cum sacramento eucharistiae. Et ideo Tertullianus et Cyprianus. et alii scriptores ejusdem antiquitatis pra codem accipiunt communionem, reconciliationem et pacem. Secundo, quia s. Innocentius in epist.ad Exuperium,cap. 2. Corrigens observationem antiquam, qualis fuit tempore concilii elibertini. satis aperte indicat, consuevisse poenitentibus nonnullis, etiam in fine vitae. negari reconciliationem. Quaeritum est, inquit, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti in extremo fine vitae suae poenitentiam simul, et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior, durior, posterior, interveniente misericordia, inclinatior est. Nam consueludo prior tenuit, ut concederelur poenitentia, sed communio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persequuliones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communio est, concessa poenitentia, ne tolum penitus negaretur, et duriorem esse remissionem fecit temporis ratio. Sed posteaquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit. jam depulso terrore, communionem dari obeuntibus placuil, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani haeretici negantis veniam, asperitatem et duriliam subsequi videamur. Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore, a perpetuo exitio vindicentur. Haec Innocentius, cujus verbis illud expendendum videtur, non dixisse Innocentium, concessam fuisse aliquando lapsis reconciliationem, negatam communionem: sed concessam poenitentiam, negatam communionem.Concedebatur enim lapsis primo poenilentia,idest,injungebatur actio poenitentiae, deinde alio tempore

reconciliatio tribuebatur. Unde est illud Augusti. ni in epist. 180, ad Honoratum, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius poenitentiae actionem. Porro apud Innocentium nomine poenitentiae non reconciliationem, sed poenilentiae actionem esse intelligendam, perspicuum est ex co quod ipse dicit, petentibus poenitentiam el reconciliationem communionis, concessam fuisse poenitentiam, ne totum negaretur, et negatam communionem, ne homines de reconciliatione securi non revocaren. tur a lapsu, et quia remissionem duriorem fecit temporis ratio. Ubi vides apud Innocentium id esse negari communionem, quod negari reconciliationem et remissionem. Quod clarius adhuc perspicitur in verbis sequentibus, ubi dicitur, posteriore tempore concessam fuisse communionem, ne videretur Ecclesia imitari Novatiani asperitatem et duritiam, qui veniam negabat.Ex sententia igitur Innocentii negare communionem est negare veniam, et Novatiani duritiam imitari, qui, teste Cypriano lib. 2. epist. 4. Ambrosio lib. 1. de poenitentia, cap. 2. et Socrate lib. 4. cap. 23, poenilentiam concedebat, alque ad eam hortabatur, sed reconciliationem a Deo petendam non a sacerdotibus impertiendam docebat. Sed nihil apertius dici potuit eo, quod extremo loco adjunxit Innocentius, tribui videlicet hoc tempore cum poenitentia communionem, ut homines in exitu de hac vita a perpetuo exitio vindicentur. Sequitur enim eos, quibus negatur communio, a perpetuo exitio minime liberari; quod non esset consequens, si negata communione non etiam reconciliatio negaretur).

Pro nobis autem facit, quod hinc aperte colligitur, eo tempore fuisse imagines in templis, non enim diceret concilium: Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, nisi jam esse coepissent. Praeterea hinc habemus, vel ipsas imagines, vel certe sanctos, quorum sunt imagines, coli et adorari; id enim significat illud: Ne id quod colitur et adoratur, in parietibus depinyatur. Adde quod hoc ipsum concilium can. 26. indicit jejunium omni sabbatho; et can. 33. prohibet usum uxorem episcopis, presbyteris, diaconis, subdiaconis; quorum utrumque execrantur adversarii nostri.

Ad tertium dico: Augustinum loqui de simulacris praesupposito errore gentilium. Vult enim Augustinus dicere, quando quis putat simulacrum esse Deum, et accedit, ul adoret, et invocet ipsum simulacrum, mirabiliter confirmatur, et fovetur in errore, ab ipsa membrorum humanorum similitudine. Ita eum esse intelligendum probo ex verbis ejus; nam in epist. 49. quaest. 3. ait: Cum his scdibus collocantur honorabili sublimitate, ut a precantibus, alque immolantibus attendantur ipsa similitudine animatorum membrorum, atque sensuum etc. Ubi nota illud, ut a precantibus attendantur. Et quod ibidem ait: Accedente praesertim veneratione multorum etc. Experientia enim docet imagines, quae non habentur pro Diis, neminem licet rudissimum ita decipere ut putentur vivere et spirare.

Ad illud de vasis Ecclesiae aureis, dico: Augu-

stinum voluisse ostendere simulacra gentilium, continere homines in errore, non ratione materiae quia pretiosa sint, sed ratione figurae, quia figuram habent nostrae similem; id autem ostendit Augustinus dupliciter. Primo, quia multi dorsum convertunt ad solem, et interim supplicant simulacro solis: non quia sol non sit longe nobilior, sed quia figura illa solis globosa, non tam facile persuadet solem vivere et sentire, quemadmodum figura simulacri quae est nostrae similis. Secundo, quia catholici etiam habent in locis sacris vasa ex materia pretiosa, et tamen quia deest figura humana, ne gentiles quidem putarent ea vasa vivere vel spirare.

Dices: Si calices non putantur vivere, quia carent humana forma, ergo imagines quae habent humanam formam, si in templo sint, putabuntur vivere. Respondeo: Augustinus non dicit, imagines humanae formae putari vivere; sed si putentur, putari propter formam, non propter materiam. Non ergo Augustinus, dicit: Imagines in Ecclesia non fuisse, sed solum formam humanam simulacrorum multum valere ad fovendum errorem in iis, qui simulacra pro Diis colunt. Ad confirmationem dico: Joannem loqui de idolis. Sic enim est in graeco: Φυλάξατε ἐαυτοὺς ἀπὸ τῶν ἐίδιώλων: ex quo textu latinum interpretari textum licet.

Ad quartum dico. Primo, Calvinum recte imitari suos majores; nam etiam antiqui Iconomachi dicebant, nolle se imagines istas mortuas, sed sufficere sibi eucharistiam, quae est imago corporis Domini; quibus catholici responderunt in VII synodo, act. 6. tom. 3. eucharistiam non debere vocuri imaginem vel figuram corporis Domini, cum ipsum Domini corpus revera sit. Secundo dico: Imagines vivas et mortuas non esse inter se contrarias, sed alias juvari ab aliis, ut ostendimus. Denique imagines sanctorum non recte vocari mortuas. Imaginis enim vita est repraesentatio: Illae ergo sunt mortuae, quae nihil repraesentant.

Ad quintum, Thomas Waldensis tom. 3. tit. 19. cap. 157, dicit: Epiphanium propter haeresim Antropomorphiterum tunc vigente hoc fecisse. Alii dicunt, Epiphanium loqui de imagine hominis profani, quae ibi henorabatur instar imaginum Christi et sanctorum: ita respondet Marianus Victorius in annotatione ad hanc epist. Communior et verior solutio est, verba illa esse supposititia; quod patet primo, quia post finem epistolae ista adjecta sunt; epistola enim plane finita erat, ut apparebit legenti.

Secundo, quia haeretici Iconomachi non objecerunt hunc locum catholicis, cum tamen objecerint omnia dicta Patrum, quae ullum colorem habere poterant, ut patet ex VII. synodo, act. 6.

Tertio, quia Epiphanius diaconus in VII. synodo, act. 6 convincit duo alia similia loca. Epiphanii scriptis fuisse inserta ab haereticis.

Quarto, quia ut ibidem dicitur, discipuli Epiphanii in ejus templo imaginem ejus posuerunt, quod certe non fecissent, si eorum praeceptor dixisset, id esse contra Scripturae auctoritatem.

Quinto, quia tempore Epiphanii Basilius, Nyssenus, et alii vivebant, qui imagines in templis laudabant.

Sexto, quia senientia ilia: esse contra Scripturae auctoritatem pendere in templo imaginem hominis, indigna esset Epiphanio, viro doctissimo, cum sit ineptissima. Nusquam enim id legitur prohibitum, immo contrarium legitur, ut patet de imaginibus cherubin in forma humana, quae erant in templo Salomonis.

Septimo, quia Gregorius lib. 9. epist. 9. dicit: Nullum unquam episcoporum ante Serenum Massiliensem fregisse imaginem Christi vel sanctorum.

Octavo, quia b. Hieronymus in epistola ed Pammachium, contra Joannem hierosolymitanum, totam fere hanc epistolam Epiphanii a se latinam factam recitat, et tamen non meminit hujus veli. Nono, quia nec stylus convenit cum reliqua epistola.

Ad illud de Adriani templis sine simulacris, dico, Adrianum jussisse fleri templa sine simulacris gentilium. Christiani enim nolebant orare in templis gentilium, quia plena erant idolis. Ideo Adrianus jussit eis fleri templa sine ejusmodi idolis. Unde idem Lampridius ea simulacra ibidem appellat numina; numina autem non vocantur imagines, nisi proponantur adorandae pro Diis.

#### CAPUT X.

# Imagines utiles esse eliam extra historiam.

Postremum Calvini dictum, quod imagines sine notatione historiae, non sint utiles, est manifeste falsum; nam ipse non probat ullo argumento non esse utiles, et nos probare possumus esse utiles pluribus modis. Primo, quia Deus in templo suo jussit fieri imagines cherubin, sine ulla historiae notatione, Exod. 25.et certe non sine caussa.

Secundo, quia semper Christiani habuerunt imagines, etiam solitarias, et extra historias, cum tamen primi Christiani non ducerentur sola delectatione. Tempore Christi tres imagines factae leguntur. Prima est, quam Christus ipse linteo faciei suae admoto fecit, et regi Abagaro misit. Id enim refert Evagrius lib. 4. cap. 26. et Metaphrastes in vita Constantini Magni, et Damascenus lib. 4. de imaginibus: et hanc non esse fabulam, testatur ingens miraculum factum Edessae per hanc imaginem, ut ibidem scribit Evagrius. Testatur etiam dies festus, qui agebatur Constantinopoli, in die translationis hujus imaginis ex Edessa Constantinopolim.

Secunda est, quam apud Paneadem mulier liberata a fluxu sanguinis Christo erexit; testis est Eusebius lib. 7. hist. cap. 14. qui eam se vidisse asserit. Meminit ejusdem Sozomenus lib. 3. cap. 20. Damascenus lib. 1. de imaginibus, et Theophylactus in cap. 9. Matth.

Tertia est, quam dicitur Nicodemus fecisse, et quae a Judaeis per ludibrium crucifixa, innumerabilibus miraculis claruit. Refert hoc Athanasius in libello de passione imaginis Domini, cap. 4. Et quamquam dubium esse possit, an sit hoc opus Magni Athanasii, tamen certum est esse antiquissimi auctoris; quandoquidem citatur tamquam antiquissima historia in VII. synodo, act. 4.

Praeter has Christi imagines exstant etiam beatae Virginis, quas b. Lucas pinxisse dicitur, quarum meminit Theodorus Lector, qui ante mille annos floruit, lib. 1. Collectaneorum. Nicephorus lib. 14. histor. cap. 2. et Simeon Metaphrastes in vita s. Lucae. Tertullianus libro de pudicitia, meminit imaginis Christi in forma pastoris, ovem ferentis in humeris suis depictae in sacris calicibus, ut supra diximus. Aelius Lampridius in vita Alexandri Severi refert Alexandrum imperatorem in suo larario imagines Christi et Abrahae haboisse. At certe credibile est, eum a Christianis didicisse, quemadmodum Christus pingi deberet. Eusebius lib. 7. historiae, cap. 14. dicit, passim consuevisse pingi imagines apostolorum, et se multas antiquissimas vidisse. Ambrosius in epistola de inventione sanctorum Gervasii et Protasii, quae apud Surium exstat, dicit se cognovisse eum, qui sibi apparuerat, fuisse b. Paulum, ex imagine picla quam apud se habebat.

Chrysostomus oratione in s. Meletium, dicit Meletii imagines adeo celebres fuisse, ut etiam in annulis, in poculis, in phialis, in thalami parietibus, atque ubique alibi conspicerentur. Similiter Theodoretus in historia religiosa, in vita Simeonis Stylitae dicit, Romae in omnibus officinis pro foribus pendere consuevisse imagines s. Simeonis.

Augustini tempore frequentissimas imagines fuisse, colligitur ex lib. 1. de consensu evangelistarum, c. 10. ubi dicit, passim inveniri imagines Christi inter Petrum et Paulum depicti. Multa alia testimonia Athanasii, Basilii, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Cyrilli hierosolymitani et Cyrilli alexandrini, et aliorum multorum Patrum, vide in VII. synodo, act. 4. et lib. 3. Damasceni apologetico in fine. Addes etiam praeter ista, omnia illa quae paulo ante nos attulimus, ad probandum, imagines fuisse in templis primis quingentis annis.

Tertio, probatur ab utilitatibus. Prima est instructio et eruditio. Melius enim interdum docet pictura, quam Scriptura; cujus utilitatis meminit s. Gregorius nyssenus, oratione in Theodorum, et s. Gregorius papa lib. 7. epist. 109. et lib. 9. epist. 9.

Dices: Historiae quidem depictae instruunt, at non imagines solitariae. Respondeo etiam solitarias imagines, ut a Christianis pinguntur, semper continere quasi per compendium aliquam historiam. Nam cum pingitur Christus, semper pingitur vel in forma pueri in sinu matris, vel in forma viri alligati ad columnam, vel in cruce pendentis, vel resurgentis e tumulo, vel ascendentis in coelum etc. Sic etiam sancti semper cum insigni virtutis, vel passionis, vel potestatis pinguntur, Petrus cum clavibus, Laurentius cum craticula, Andreas cum cruce etc. martyres omnes cum palma, sancti omnes cum diademate. Ex quibus signis seu instrumentis docemur quasi per compendium, quid illi quos veneramur egerint, quidve passi sunt.

Secundo, utiles sunt imagines, quamvis solitariae, ad charitatem erga Deum, et sanctos fovendam et augendam. Qui enim diligit, libenter inspicit imaginem absentis amici, et Inspiciendo magis inardescit. Hinc Severus Sulpitius, quia vehementissime sanctum Paulinum diligebat, nec tamen poterat apud eum semper esse, rogavit eum per literas, ut imaginem suam ad vivum expressam ad se mitteret; cui modeslissime se excusans, respondit Paulinus epist. 8. ad Severum, se nondum habere perfectam imaginem secundi Adami, sed gerere adhuc primi Adami effigiem, et ideo nolle mittere. Gregorius quoque lib. 7. epist. 53.mittens Secundino imaginem Salvatoris, dicit, se scire eum imaginem cupere, ut in amore ipsius domini recalesceret.

Tertia utilitas est excitatio ad imitandum. Explicatur prolixe haec utilitas in VII. synodo, act. 6. extrema, de eadem loquitur Basilius oratione in quadraginta martyres. Notum est apud Terentium in Eunucho, quam vehementer juvenem quendam conspecta tabella, in qua pictus crat Jupiter, stuprum inferens Dianae, ad simile flagitium perpetrandum provocarit. Contra vero Nazianzenus in carmine de virtute, quod citatur in VII. synodo, act. 4. dicit impudicam mulicrem, cum ad quendam evocata veniret, in ipso limine conspexisse imaginem Polemonis continentissimi hominis, et inde confusam erubuisse, et poenitentia ductam rediisse domum suam.

Quarto . utiles sunt imagines , quia conservant in nobis memoriam Christi, et sanctorum, et simul in angustiis docent , nos habere patronos , quos invocemus. Hinc Theodoretus in vita Simeonis Stylitae, dicit Romae frequentissimas fuisse imagines sancti Simeonis, ut ea ratione sibi tutelam et praesidium multi pararent.

Quinta utilitas est confessio fidei, dum enim diligimus et honoramus imagines sanctorum, testamur nobis placere eorum fidem, et doctrinam, et sanctos mores: et simul nos detestari omnem impletatem et idololatriam, contra quam ipsi usque ad mortem pugnaverunt. Et nunc praecipue testamur, nobis non placere novitates Lutheranorum et Calvinistarum, dum id religiose veneramur, quod illi sacrilege destruunt.

Sexta est honor Dei et sanctorum; nemo enim unquam dubitavit, quin erigere statuas, vel imagines magnis viris, ad honorem eorum perlineat. Certe Eusebius lib. 7.historiae, cap. 14.hanc praecipuam fuisse caussam indicat, cur Christiani coeperint sanctorum imagines desiderare.

Neque obstat, quod ait hoc ex gentilium consuetudine natum: non enim loquitur de aliqua gentilium superstitione, sed de naturali, et proinde bona consuetudine, qua soliti erant statuas erigere iis, quos honore dignos judicabant, quamquam in eo postea errarent, quod sceleratis etiam hominibus et falsis Diis eas erigebant.

# CAPUT XI.

Proponitur quaestio de cultu imaginum, cum argumentis adversariorum.

Demonstravimus hactenus imagines Christi, et sanctorum fleri atque haberi, et in templis, aliis-Bellarmini Vol. II. que sacris locis collecari posse: sequitur nuno controversia de cultu, utrum videlicet ejusmodi imagines aliquo genere cultus prosequendae sint. De qua controversia Damascenus in libro de hacresibus circa finem, duas extremas hacreses adducit. Unam eorum, qui dicebant, imaginibus deberi divinos honores, quos hacreticos vocat Christianocategoros, idest, Christianorum accusatores, quia propter eos accusabantur Christiani tamquam idolorum cultores. Eodem modo certum est Alexandrum Severum coluisse imagines Christi et Abrahac, cum caeteris suis idolis, teste Aelio Lampridio. Hace hacresis refellitur omnibus Scripturae testimoniis, quae prohibent ne cultum Deo proprium tribuamus creaturae.

Alter error priori contrarius est eorum, qui nullum omnino honorem imaginibus sanctorum deferri patiuntur. Refert hunc errorem Damascenus in libro de haeresibus in fine, et est eorum omnium, quos recensuimus in secundo capite disputationis, qui quidem contendunt, non esse ullo modo colendas imagines, propter haec argumenta.

Primo, quia Scripturae utriusque Testamenti severe interdicunt cultum simulacrorum, Exodi 20. Deuteron. 4. Rom. 1. etc. Et quia catholici respondent, Scripturas reprehendere cultum, qui tribuitur simulacris tamquam Diis: Calvinus lib. 1. Institut. cap. 11. § 9. et 10. constur ostendere etiam Judaeos et Gentiles non habuisse simulacra pro Diis, sed in simulacris Deum verum coluisse : et tamen reprehendi, quia Deus non patitur cultum suum ullo modo communicari cum imaginibus; et certe si Deus non debet coli in imagine, eodem modo sancti, licet colendi essent, non essent tamen colendi imaginibus. Quod Judaci non habuerint simulacra pro Diis, sed Deum verum in idolo coluerint, probat Calvinus, quia Exod. 32. populus dicebal de vitulo aureo: Isti sunt Dii tui Isräel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Ubi fatentur se in vitulo colere eum Deum, a quo fuerant liberati de Aegypto, et ibidem Aaron indicturus diem festum in honorem vituli aurei, jussit praeconis voce dici: Cras solemnitas Domini est, ubi in hebraeo illud, Domini, est יהורה. Et Jud. 17. mulier quaedam ait: Sanctificavi, et vovi Domino mille et centum argenteos, ut faciam sculptile atque conflatile. Ubi etiam pro, Domino, est nomen proprium Dei veri והיה.

Quod autem gentiles coluerint Deum verum in idolis, probatur primo ex Augustino in psalm. 113. qui refert gentiles respondere solitos, cum accusabantur idololatriae, se non colere ipsa idola, sed numen quod per idolum significabatur. Item ex eo; quod gentiles mutabant simulacra pro arbitrio, nec tamen Deos mutabant. Item quia uni Deo plura simulacra erigebant; nam unum Jovem esse dicebant, et tamen innumerabilia illi simulacra dicabant. Denique. quia nova idola quotidie sacrabant, nec tamen dicebant, se novos Deos facere.

Secundo, adducunt concilia tria constantinopolitanum, sub Leone Iconomacho, teste Paulo diacono lib. 21. Item aliud constantinopolitanum episcoporum 338. sub Constantino Copronymo, teste Paulo diacono lib. 22. rerum romanarum, utrum-

que definivit imagines abolendas. Utriusque acta prolixe referunt Centuriatores, Centuria 8. cap. 9. Tertium fuit concilium francofordiense, in quo reprobata fuit VII. synodus, quae imagines retinendas censuerat. Ita referunt Ado in chronico anni 793. Abbas urspergensis in chronico anni 793. Hincmarus Remensis lib. contra episcopum jandunensem, cap. 20. et Joannes Aventinus in historia seu annalibus Bojorum lib. 4. Annonius lib. 4. Rhegino lib. 2.

Porro Magdeburgenses Centur. 8.cap. 9. in fine, ex isto concilio adducunt argumenta 10. contra imagines, et solvunt argumenta 44. nicaenae synodi, et respondent ad 11. testimonia Patrum, quae allata fuerant pro imaginibus a nicaena synodo. Sed tam argumenta, quam solutiones sunt merae nugae; numquam enim ea nicaena synodus exsti-

tit, ut infra suo loco dicemus.

Tertio, adducunt libros quatuor Caroli Magni contra imagines, ex quibus Calvinus lib. 1. Institutionum, cap. 11. duo deducit. Primo: Nicaenum concilium fuisse statim refutatum ab orthodoxo principe. Secundo: In concilio illo nicaeno manifestam impietatem definitam. Nam, ut ex libro Caroli patet, in eo concilio definitum est, imaginibus deberi honorem sacrificiorum, et eum cultum, qui tribuitur vivificae Trinitati. Prodiit iste liber anno 1549. addunt Centuriatores Centur. 8. cap. 9. col. 645. exstare alium lib.adhuc acriorem contra imagines, Ludovici Pii, si tamen credere dignum est.

Quarto, adducunt Patres; nam Irenaeus lib. 1, cap. 24. ponit inter haereses Carpocratis, quod coleret imaginem Christi et Pauli. Epiphanius haeres. 79. dicit, haereticos esse, qui imaginem beatae Virginis circumferunt et colunt. Ambrosius de obitu Theodosii: Inveniet, inquit, Helena crucem Domini, regem adoravil, non lignum utique, quia hic gentilis est error, sed adoravit illum, qui pependit in ligno. Hieronymus in cap. 3. Danielis: Cultores, inquit, Dei imagines adorare non debent. Augustinus de moribus Ecclesiae, cap. 36. Novi, inquit, picturarum adoratores. Gregor. lib. 7. epist. 54. et 109. et lib. 8. epist. 9. dicit imagines adorandas non esse. Alia quaedam testimonia adducuntur ab Iconomachis, in VII. synodo, act. 6. et ibidem refelluntur; sed facilia sunt.

Quinto, adducunt exemplum Ezechiae. 4. Reg. 18. qui confregit serpentem aeneum, quia coli jam

coeperat.

Sexto, adducit Calvinus experientiam, quae docet, paulatim in cultu imaginum irrepere superstitionem et errorem, quo putatur imagini alligata divinitas. Nam cur alioqui una imago Christi vel Mariae, magis frequentatur, quam alia? cur precaturi ad imagines accedunt? cur peregrinantur aliqui magno labore ad aliquam imaginem, cum habeant domi suae forte meliores et pulchriores?

Septimo, adducunt aliquot ratiunculas; nam i-mago, inquiunt, non est capax honoris, cum sit res inanima, et sensus ac rationis, expers. Item i-mago non est sancta ratione ligai, aut ferri, aut marmoris, aut alterius cujusvis materiae, sed nec ratione lineamentorum, aut colorum, aut alterius rei, quae in ipsa sit, cur igitur colitur? Denique

homo est imago Dei, et tamen non solet adorari: quanto minus igitur ligna et lapides adorandi erunt, licet imaginem Dei, aut sanctorum referant.

Atque haec sunt illorum praccipua firmamenta, quibus respondebitur infra cap. 13. nam caeteras nugas Magdeburgensium libenter omittam indignae sunt enim quibus respondeatur. Christus, inquiunt, mortuus est pro hominibus, non pro imaginibus, ergo imagines non sunt colendae. Egregie scilicet. Item si imagines necessario colendae essent, soli divites salvarentur, qui eas emere possunt. Item Cristus non dixit, qui imagines recipit, sed qui vos recepit, me recipit; ergo honor imaginis non refertur ad exemplar. Quod quidem non argumentari, sed ludere est.

#### CAPUT XII.

Imagines Christi et sanctorum recte coli.

Nos cum Ecclesia asserimus, imagines Christi et sanctorum honorandas esse, modo tamen (ut in concilio trident. sess. 25. declaratur) in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis inesse credatur ulla divinitas, sed solum honorentur propter eos, quos nobis repracsentant. Quae sententia probatur. Primum, testimonio Scripturae; habemus tria genera testimoniorum. Primo ea testimonia, quae expresse agunt de imaginibus, nimirum Exod. 25. de cherubia propitiatorii. Et num 21. de aeneo serpente. Imagines enim cherubin super arcam existentes Exod. 25. necessario adorabantur ab iis, qui arcam adorabant.Immo Hieronymus in epistola ad Marcellam, ut migret Bethlehem, ideo dicit tabernaculum fuisse veneratum a Judaeis, quia ibi erant cherubia. Serpens quoque aeneus non poterat non honorari cum in loco sublimi a Deo positus fuisset, et salutem miseris in se aspicientibus adferret. Unde Augustinus lib. 3. Trinit. c. 10. loquens de quibusdam signis, quae venerationem tamquam religiosa merentur, ponit pro exemplo serpentem aeneum. Praeterea tam de imaginibus cherubin, quam de imaginibus serpentis, quod honorari debuerint, patet ex regula b. Augustini lib. 3. doctr. christ. cap. 9 ubi dicit, signa utilia divinitus instituta, veneranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit. Fuisse autem illas imagines cherubin et serpentis a Deo institutas et utiles, certum est. Jam vero, si licuit, venerari imagines angelorum, cur non etiam sanctorum? Si licuit venerari imaginem Christi in forma serpentis (nam serpentem Christi fuisse figuram, habemus Joan. 3.) cur non potius venerabilis erit imago Christi in forma hominis?

Deinde, habemus alia testimonia, quae docent, creaturas honorandas religiose propter solam relationem ad Deum, ut psalm. 93. Adorate scabellum pedum ejus. Matth. 5. Nolite jurare per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus. Ubi nola, juramentum esse actum religionis, quo honoratur primario





Deus, secundario id, per quod juratur. Prohibet ergo Deus juramentum sine debitis circumstantiis, per coelum et terram, ne contumelia flat ejusmodi creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sed similem relationem babent imagines: igitur eadem ratione colendae sunt.

Ultimum genus testimoniorum est eorum, quae docent, creaturas dici sacras, vel sanctas propler relationem ad res sacras, Exod 3. Locus in quo stas, terra sancta est; propter angeli scilicet praesentiam. Exod. 12. dicitur dies Paschae, dies sanctae et veuerabilis propter significationem, et quia dedicata erat cultui divino. Exod. 28. dicuntur vestes sacerdotum sanctae propter eandem caussam: Isaine 11. sepulchrum Christi gloriosum, 2. Tim. 3. dicuntur Scripturae sacrae literae: Ab infantia, inquit, sacras literas nosti. Cur literae illae dicuntur sacrae, nisi quia signa sunt rerum sacrarum? Nec solum literas, sed etiam verba ipsa prolata, venerari, consuevimus, praesertim nomen, Jesus; et evangelium audimus stantes detecto capite, immo etiam luminibus accensis, quamvis, in meridie, ut Hieronymus probat lib. in Vigiliantium. At imagines Christi et sanctorum sunt etiam instituae ad significandas et repraesentandas res sacras, cur ergo eas honorare non liceat? Nam rem sanctam esse, hoc ipso quod sancta est venerabilem, patet ex illis verbis Exod. 12. Dies prima erit sancta, et septima eadem religione venerabilis. Ubi vides pro eodem accipi, rem sanctam et religiose vene-

Secundo, probatur ex concilis Ecclesiae Habemus in primis canonem 82, sextae synodi, ubi dicuntur imagines venerabiles; tametsi enim isti canones non sint firmae auctoritatis, tamen iste canon semper receptus fuit ab Ecclesia, et testatur ut minimum usum Ecclesiae antiquae. Deinde habemus synodum romanam sub Gregorio III. episcoporum fere mille pro imaginibus celebratam, anno 733. juxta Sigebertum, in chronico. Item synodum habitam villa gentiliacensi, anno 766. juxta Sigebertum, vel 767. juxta Adonem, in ea de imaginibus actum, et admoniti Graeci, ut cum aliis piis de imaginibus sentire vellent, ut Paulus Aemilius testatur lib. 2. Rursus aliam synodum pro imaginibus Romae celebratam sub Stephano III. anno 768. juxta Sigebertum, cujus synodi meminit aliquoties Adrianus in lib. de imaginibus ad Carolum.

Post annum deinde 788. septima synodus act. 7. definivit, imagines esse venerandas, non quidem cultu latriae, sed honore illo, quo etiam prosequimur sacras literas.sacra vasa etc. testis Paulus diaconus, Cedrenus, Zonaras etc. Est autem hoc concilium ejusmodi, ut nullo modo dubitari possit, quin generale et legitimum fuerit. Nam habuit in primis legatos romani pontificis, et trium aliorum patriarcharum, Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymae, necnon patriarcham costantinopolitanum, omnes consentientes, ut ex subscriptoribus patet. Praeterea adfuerunt episcopi 350. teste Cedreno, idest, plures quam in prima, secunda, vel tertia synodo generali. Praeterea consensit imperator Constantinus. Ad haec disputatum est acriter, et

diu allatis in medium Scripturis, conciliis et Patribus. Si ergo ullum est concilium generale legitimum, certe hoc est.

Neque obstat, quod contrarium dicantur statuisse concilia constantinopolitana praecedentia et franceofordiense sequens. Nam etiamsi illa omnia fuissent legitima, tamen cedere deberent nicaeno; quia hoc plenarium et generale, illa particularia fuerunt. Est enim regula Augustini lib. 2 de baptismo, cap. 3. concilia particularia plenariis sine dubitatione cedere debere. Fuisse autem illa tria particularia, patet; nam in constantinopolitano sub Leone non fuerunt vocati, nec adfuerunt ulli patriarchae excepto Germano patriarcha constantinopolitano, qui tamen non consensit, et ideo depositus foit.

In concilio constantinopolitano sub Constantino Copronymo non sunt vocati, nec adfuerunt, nec per se, nec per legatos romanus, alexandrinus, antiochenus, hierosolymitanus patriarchae, sed solus pseudocpiscopus, quem haeretici deposito s. Germano patriarcham fecerant. Testantur haec Cedrenus et Zonaras in vita Constantini Copronymi, et ipsi etiam Magdeburgenses. Centur. 8. cap. 9.ccl. 551. et Paulus diaconus, qui tunc vivebat, lib. 22. rerum romanarum.

Denique francofordiense omnium judicio particulare fuit, et (si verum est, quod Centuriatores dicunt) adfuerunt quidem legati romani pontificis, sed synodo, assensi non sunt.

Ad haec accedit, quod ex eventu colligitur nicaenum fuisse legitimum, nam solum illud tandem obtinuit. Imagines enim in templis permanscrunt; et suum honerem in Ecclesia semper habuerunt; immo etiam solius hujus concilii acta exstant, reliqua tria mox evanuerunt, et, solum in historiis aliqua eorum memoria servata est, quod idem accidit primo nicaeno. Fuerunt enim plurima concilia celebrata ab haereticis contra nicaenum 1. sed ipsa cum suis erroribus evanuerunt, sola fides et canones nicaeni ad nos pervenerunt. Habemus praeterea VIII. synodum generalem, act. ult. canon 3. synodum tridentinam, sess. 25.

Tertio, probatur ex Patribus. Basilius in Julianum, ut citat Adrianus papa in epistola ad imperatores, in VII. synodo, act. 2. Historias, inquit, imaginum illorum honoro, et palam adoro hoc enim nobis traditum a sunctis apostolis, non est prohibendum etc.

Chrysostomus in liturgia: Sacerdos, inquit, ad imaginem Christi caput inclinat.

Ambrosius, serm 10 in psalm. 118. Qui, inquit, imaginem coronat imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit, et qui statum contempserit imperatoris, imperatori utique fecisse videtur injuriam etc.

Augustinus lib. 3. Trinit. cap. 10. loquens de signis sacris, quales sunt imagines, literae et sacramenta: Sed quia, inquit, haec hominibus nota sunt, quia per nomines sunt, honorem tamquam religiosa possunt habere, stuporem tamquam mira non possunt etc.ubi nominatim ponit serpentem aeneum inter ea, quae merentur honorem religiosum. Item lib. 3. de doctriua christiana, cap. 9. dicit,

eos servire sub signis, qui honorant utilia signa, nec sciunt quid significent, quales eran olim Judei, Qui autem venerantur utilia, et sciunt quid significent, dicit eos non tam honorare ipsum signum quam rem significatam, et ideo liberos esse. Quod autem imagines sanctorum sint utilia signa divinitus instituta: et proinde veneratione digna tam a servis, quam a liberis, patet ex lib. 2. de doctrina christiana, cap. 25. ubi dicit, picturas et statuas pertinere ad superflua instituita hominum, exceptis illis quae ob finem bonum suo loco et tempore proponuntur ab eo, qui habet auctoritatem. Tales autem esse Christi et sanctorum imagines, certissimus est. Denique lib. 10. Confess. cap. 34 reprehendit pictores et similes artifices, quod necessarium, et moderatum usum, et piam significationem longe aliquando trasgrediantur. Ubi admittit, quasdam esse picturas necessarias, quasdam etiam piam significationem habentes, et proinde venera-

Paulinus natali 10. s. Felicis, de imaginibus in templo depictis, sic ait:

Miremurque sacras veterum monumenta figuras.

Ubi cum sacras vocat figuras, honorandas etiam docet: res enim sacrae omnes honorandae sunt.

Gregorius lib. 7. epist. 3 ad Januarium episcopum Caralitanum, loquens de imagine b. Mariae, et cruce quae posita fuerant in synagoga Judaeorum, quas jubet inde auferri: His, inquit, hortamur affatibus et sublata exinde cum ea qua dignum est veneratione, imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare. Et. lib. 7. epist. 53. ad Secundinum, docet imaginem sacram honorandam eliam prostratione ad terram, non tamen ut Deum: Et nos, inquit, non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur etc.

Damascenus lib.4.cap.17.de fide, dicit esse apostolicam traditionem, cultum crucis et imaginum.

Praeterea crucem, idest, crucifixi imaginem fuisse in Ecclesia semper honoratam, certissimum est; nam Lactantius in carmine de passione Domini

Flecte genu, inquit, lignumque crucis venerabile adora.

Et Sedulius lib. 5. carminis paschalis

Neve quis ignorel, inquit, species crucis esse colendam.

Ambrosius oratione de obitu Theodosii; Sapienter, inquit, Helena egit, quae crucem Christi in capite regum levavit et locavit, ut crux Christi in regibus adoretur. Et lib.de incarnationis dominicae sacramento, cap. 7. Numquid, inquit, cum in Christo imaginem Dei, crucemque veneramur, dividimus eum?

Hieronymus in vita Paulae: Prostrata, inquit, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret adorabat.

Athanasius quaest. 16.ad Antiochum, dicit, Christianos imaginem crucis colere potius quam lanceae, vel columnae, et similium instrumentorum passionis dominicae, quia si gentiles accusent nos,

quod colamus lignum, possumus mox separare duo ligna crucis ab invicem, et eo modo sublata figura crucis, conculcare duo illa ligna, ut ostendamus nos non ligna sed imaginem crucifixi venerari. Denique Patres testantur, Christianos semper accusatos a gentilibus, quod colerunt crucem quae est imago Crucifixi.

Tertullianus in apologetico, cap. 16. dicit Christianos appellatos religiosos crucis:neque ipse hoc negat esse verum. Minutius Felix in Octavio respondet gentilibus objicientibus adorationem crucis. Nec obstat quod ipse dicit: Non crucem neque adoramus, neque optamus; nam loquitur de adoratione propria Deo, de qua accusabantur. Interim ex objectione constat crucem aliquo modo honoratam a Christianis Julianus apud Cyrillum lib. 6. idem objicit. At certe nunquam gentilibus in mentem venisset. ut nostris objicerunt adorationem crucis, nisi vidissent primis illis et sanctissimis Christianis crucem summae venerationi fuisse.

Ridicula est autem responsio Magdeburgensium, qui ex concilio francofordiensi Cent. 8. cap. 9 in flne dicunt, non esse eandem rationem crucis et imaginum aliarum: nam Christus nos redemit cruce, non imagine. Ista enim responsio primo jugulat ipsos Centuriatores, ipsi enim non admittunt crucem posse honorari.Deinde imperita solutio est,nam Chrislus non redemit nos ista, cruce, quam modo auream, modo argenteam, modo lapideam, modo depictam in tabula, vel signatam in aere veneramur, sed illa una lignea, cujus imago est, quam veneramur. Nec enim habemus ubique crucem illam Christi veram, et multo minus eam veteres habcbant tempore Tertulliani et Minutii, cum postea repertam esse constet temporibus Magni Constantini. Magis autem redemit non Christus corpore suo, quam cruce lignea. Quare si licet venerari imaginem crucis, multo magis imaginem corporis. Argumentum quartum, a miraculis. Deus enim per imagines Christi et sanctorum multa miracula operatur, ex quo intelligimus placere illi, ut imagines honorenter. Illustre in primis-est, quod Eusebius refert lib. 7. histor. cap. 14. ubi testatur, ex basi statuae Christi aeneae ab Haemorrhoissa positae apud Paneadem, herbam quandam omnibus incognitam oriri solitam, quae ubi crevisset usque ad fimbriam imaginis Christi, eamque attigisset, vim haberet omnes morbos depellendi; quod etiam refert Theophylactus in cap. 9. Matth. Addit Sozomenus lib. 5. hist. cap. 20. de cadem imagine aliud miraculum. quod videlicet cum Julianus apostata statuam Christi inde amovisset, et suam in eodem loco posuisset, mox ignis de coelo statuam Juliani discerpsit, et caput a reliquo corpore divulsit plane ad eum modum, quo olim accidit idolo Dagon, 1. Reg. 5.

Non est autem praetereundum hoc loco insigne mendacium Centuriatorum: quod enim Juliani statuae accidit, id illi tribuunt etiam statuae Salvatoris. Sic enim loquuntur Cent. 4. cap. 13. col. 1447. Videtur, inquiunt, etiam ea fulmine confracta esse, ut exstaret testimonium, superstitionem illam, qua statuis vis aliqua tribuitur, Deo non placere. Et ibidem superstitiosam vocant her-

bae illius vim, quae morbos omnes curabat. At cum dicunt, imaginem Christi fulmine disjectam, mentiuntur apertissime contra fidem omnium historicorum. Cum autem miracula testatissima Christi, superstitioni diabolicae adscribunt, imitantur scribas et pharisaeos, qui ejusdem Christi miracula in Beelzebub fieri, calumniabantur.

Multa alia miracula per imagines a Deo facta legi possunt apud ipsos Magdeburgenses Cent. 6. et sequentibus, cap. 13. qui tamen respondent ad hoc argumentum ex libris Carolinis, non sequi, imagines esse adorandas, quia miracula faciunt. Multa enim sunt alia, per quae Deus miracula facit, quae tamen non adorantur. Nam Elisaeus per quas Jordanis curavit lepram Naaman: Christus sputo curavit caecum; nec tamen adoramus aquam vel sputum, quin etiam per homines malos aliquando facit Deus miracula, et tamen eos homines omni honore indignos judicamus.

Respondeo: Spectandum esse finem miraculorum; id enim, quod miraculo confirmatur, Dei testimonium habet. Jam Elisaeus et Christus non adhibuerunt aquam vel sputum in miraculis, ut aquam vel sputum honorarent, sed ut ostenderent, ille quidem se esse prophetam Dei, iste autem se verum Dei Filium. Similiter homines mali non faciunt miracula, ut se ac vitam suam commendent, sed fidem. Quare non ipsi, sed fides, quam praedicant, veneranda est.

Miracula autem per imagines facta, ideo facta sunt, ut probarent ac sancirent imaginum cultum. Nam cur, quaeso, ignis coelestis discerpsit statuam Juliani, nisi ut vindicaret injuriam factam statuae Christi? Et cur ab imagine a Judaeis confossa, sanguis prodiit, qui infirmos plurimos curavit, ut est apud Athanasium libro de passione imaginis Domini, Gregorium Turonensem de gloria martyrum,cap. 21. Rhegin. in chronico anni 804. nisi ut ostenderet se honorare id quod Judaei contumelia afficiebant?

Praeterea beneficia, quae per imagines a Deo conferenter, cur illis dantaxat conferenter, qui imagines honorant, et qui existimant Deo placere cultum imaginum? Nam illud miraculum factum Edessae per imaginem Christi, ut refert Evagrius lib. 4. cap. 26. factum est in salute eorum, qui Christi imaginem venerabantur. Scribit etiam Zonaras in vita Michäelis Balbi, cum Leo Armenius imakines persequeretur, filium ejus Sabbatium Constantinum qui mutus erat, accessisse ad statuam s. Gregorii nazianzeni, et sanctum ipsum mente precalum, loquendi usum divino miraculo recepisse. At si cultus imaginum esset idololatria, Deus certe tum maxime idololatriae favere visus fuisset. Scribit Paulus diaconus lib. 21. rerum romanarum, cum Iconomachus quidam conspecta statua b.Virginis, lapides in eam jecisset, eamque comminuisset, per quietem virginem ipsam ab eo visam, terribiliter his verbis comminantem: In caput tuum hoc fecisti. Deinde Paulo post eundem ingenti lapide percussum, alque ita contritum esse, ut ipse statuam comminuerat.

Argumentum quintum duci potest a simili, hoc modo: homo dignus est veneratione, quia imago Dei est, ergo et caeterae imagines Christi vel sanctorum digna sunt veneratione, quod enim uni imagini convenit quia imago est, id necessario omnibus imaginibus convenit. Esse autem hominem venerabilem quatenus Dei est imago, Cyrillus et Augustinus testantur.

Cyrillus catechesi 12. sic ait: Imago lignea terreni regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei? Augustinus epist.203.ad Maximinum episcopum Donatistarum, explicat, cur in titulo epipistolae dixerit: Honorabili (ratri, et ait se non honorare episcopatum ejus, sed honorare imaginem Dei, quam in illo sciebat esse, cum homo esset.

Respondent Magdeburgenses ex lib. Carolino, argumentum nihil concludere, cum non sint similes depictae imagines hominis, ut imago Dei est; imago enim Dei est in mente, similitudo autem inter hominem et picturas est in exteriori figura. Imperite; nam argumentum procedit a simili proportione, ut enim homo se habet ad Deum, cujus est imago, ita se habet pictura ad Christum, cujus est imago; si ergo homo ideo est honorabilis, quia est imago rei honorabilis, certe etiam imago dicta est honorabilis, quia imago est rei honorabilis.

Respondent secundo: Hominem non adorari saltem religiose, sed solum civiliter. At licet homo, ut rex, vel imperator honoretur civiliter, tamen homo, ut imago Dei honoratur religiose; caussa autem cur honoretur sacra res, est, quemadmodum qui honorat hominem. quia sanctus, vel propheta, vel sacerdos, vel episcopus est, certe religiose honorat, non civiliter, ut supra diximus.

Argumentum sextum item a simili, imago regis est venerabilis civili quodam honore, ergo imagines Christi et sanctorum sunt honorabiles enllu religioso. Et confirmari potest hoc argumentum ex insigni fraude Juliani apostatae, quam describunt Gregorius nazianzenus oratione 1. in Julianum, Paolus diaconus in vita Juliani. et alii; erat in more positum, ut imagines imperatorum ab omnibus adorarentur, id quod etiam Christiani faciebant, quippe qui sciebant solum civilem adorationem illam fuisse, qualem etiam ipsi imperatori licet ethnico deferebant. Julianus igitur ut cogeret Christianos saltem per errorem adorare idola, jubebat suam imaginem ita depingi, ut simul pingeretur Juppiter de coelo coronam et purpuram imperator deferens: pingerentur etiam Mercurius et Mars in imperatorem respicientes, ut eo modo indicaret, se sapientem et fortem esse. Itaque seipse inter Deos depictum proponebat, ut Christiani de more venerantes imaginem imperatoris, simul venerarentur imagines falsorum Deorum. Monet autem Nazianzenus fuisse venia dignos Christianos simpliciores, qui non advertebant dolum, nec putabant se adorare aliud, quam regis imaginem.

Respondent Centuriatores loco notato, non esse hace similia, quia imago regis adoratur propter absentiam regis, qui non potest esse simul ubique in toto regno. Deus autem ubique est praesens. At in primis non quaerimus, cur adoretur imago regis, sed ex eo, quod adoratur, colligimus, recte adorari imaginem Christi. Praeterea Christus, ut bo-

mo, non est ubique. nec sancti sunt ubique. Denique falsum est, imagines principum non adorari praesente principe; immo sicut contumeliam facere imagini gravius peccatum est praesente principe, quam absente; ita eliam honorare imaginem praesente principe, res est illi gratissima.

Argumentum septimum a contrario: Imago est capax injuriae et contuineliae, ergo et honoris atque cultus. Eusebius lib. 9. hist. cap. 10. scribit in dedecus Maximini, imagines ejus fuisse vel dejectas, vel atris coloribus foedatas. Idem de ima-

ginibus Domitiani scribit Svetonius.

Theodosius quoque (optimus alioqui et pientissimus princeps) cum Antiocheni imaginem uxoris ejus dejecissent, ita iratus est, ut parum abfuerit, quin totam Antiochiam everterit. Exstant de hac re duae orationes Chrysostomi, idest, secunda et tertia ad populum Antiochenum, quibus deplorat scelus illud in Theodosium commissum. Vide etiam Theodoretum lib. 5. cap. 19. historiae. Denique Julianus apostata Christi statuam non dejecisset, nisi eo modo Christo injuriam fieri credidisset. Neque Deus Juliani statuam fulmine percussisset, nisi ab eo injuriam accepisset, et nisi ad Juliani contumeliam id pertinere visum esset.

Argumentum octavum, idola gentium merito execramur et confringimus, et hine laudatur valde Theodosius, quod, teste Theodoreto lib. 5. cap. 20. historiae, jusserit idola ubique destrui. At certe id non fit, nisi ratione significationis, quia sunt imagines falsorum Deorum; igitur e contrario imagines Christi et sanctorum, quia res vere bonas et

sanctas significant, honorabiles sunt. Argumentum nonum, ab improbitate Iconomachorum, et pietate eorum, qui imagines colunt et coluerunt. Nam Iconomachi, utosteudimus 2. cap. disputationis, fuerunt omnes aut Judaei, aut Samaritani, aut Mahumetani, aut Necromantici, aut manifeste haeretici, quos impios esse negare nemo potest. At qui imagines defenderunt, fuerunt sancti viri et docti, ut Gregorius et Adrianus summi pontifices, Germanus et Tarasius episcopi constantinopolitani, Joannes demascenus, Methodius, Leontius, Jonas aurelianensis, Paulus diaconus, et alii pii doctique viri omnium consensu. Non est autem credibile, Deum per hostes suos polius, quam per amicos et sanctos Ecclesiam docere voluisse.

Quid, quod ipse etiam diabolus odit imagines? Nam ut in Prato spirituali cap. 45. legimus: Eremitae cuidam conquerenti, quod spiritus fornicationis illum vexans, cum illo consenuisset, nec abscedere vellet, apparuit diabolus, ac promisit se discessurum, si is imaginem b. Virginis, quam in cubiculo habebat, non amplius se veneraturum polliceretur. Sed forte diabolus fingit odium in imagines, ut homines decepti magis eas colant. At si ita est, cur diabolus tam saepe per Judaeos et Mahumetanos procuravit imaginum eversionem et confractionem?

Argumentum decimum, ab infelici exitu Iconomachorum, et felicitate eorum qui imagines defenderunt. Nam in primis tempore Leonis Iconomachi, posteaquam imagines sanctorum in foro constantinopolitano crematae fuerunt, orta est pestilentia tam gravis, ut Constantinopoli trecenta hominum milita interirent. Vide chronicum Matthaei Palmerii, anno 744. Item eadem occasione amisit idem Leo et successores ejus imperium Italiae, nec unquam amplius recuperare potuerunt. Vide Zonaram et Paulum diaconum in vita ejusdem. Eo tempore rex arabum Ezides, qui imagines Christianorum confringi jusserat, non supervixit unum annum, cum tamen 30. anni promissi illi fuissent ab eo, qui illum ad Iconomachiam incitavit.

Tempore Constantini Copronymi inauditae calamitates orientem invascrunt; nam terraemotus ingentes integras urbes dejecerunt, et multa millia hominum occiderunt. Item pestis gravissima orta est, ita ut vineae, horti, putei, aliaqua loca vix sufficerent sepeliendis hominibus. Et ne dubitaretur quam ob caussam ista acciderent, simul ubique in vestibus hominum, în velis sacris, indumentis sacerdotalibus divinitus existebant cruces parvae, quasi oleo designatae: Deus enim indicare volebat, velle se ubique conspici crucis imaginem, quam Constantinus Copronymus eo tempore omnino obliterare contendebat. Ad haec tam horribile frigus accessit, ut mare Ponticum ad centum milliaria congelaretur. essetque glacies profunditatis 30. cubitorum cui supervenit nix quae etiam in glaciem versa est.ad altitudinem 20.cubitorum super aliam glaciem 30. cubitorum. Paulo post coepit solvi glacies, et fragmenta ingentia instar magnorum montium, vel insularum, magno impetu discurrebant, quaedam etiam ad Constantinopolim allisa partem moenium, et vicinas domos everterunt. Testatur autem Paulus diaconus se vidisse hace omnia. Eodem anno tanta siccitas poster fuit, ut flumina, fontes, putei fere omnes siecarentur; ita ut omnes intelligerent et dicerent, propter impietatem in Deum et sanctos, quam exercuerant Iconomachi, ista omnia fleri.

Denique obstinatus imperator Constantinus ila periit, ut in morte clamaret, sed adhuc vivum igni inextiguibili traditum comburendum. Testis Zonaras et Paulus diaconus in ejus vita. E contrario Pipinus et Carolus filius ejus, qui cum romano pontifice imagines defendebant, ad regnum et imperium provecti felicissime vixerunt, et regnaverunt, ut ex iisdem auctoribus patet.

#### CAPUT XIII.

Solvuntur argumenta adversariorum.

Superest jam, ut argumenta adversa riorum solvamus. Ad primum Calvini dico, in illis Scripturis reprehendi idololatriam, idest, cultum imaginum, quae habentur pro Diis, vel per quas coluntur tamquam Dii ii, qui vere non sunt.

Ad probationem illam, qua Calvinus consturostendere, Judacos et Gentiles adorasse Deum inidolis; dico in verbis Calvini contineri multa men-



dacia. Primum est, quod Judaei et Gentiles non vocaverint Deos sua idola; nam lib. 1. cap. 11. § 10. Instit. objiciens sibi responsionem catholicorum. ail: Non vocamus, inquiunt, nostros Deos, nimirum imagines; deinde respondet: Neque illi, aut Judaei, aut Gentiles. olim vocabant, et lamen prophetae passim illis fornicationes cum ligno et lapide exprobrare non desinebant. At si Judaei non vocabant idola suos Deos, unde est illud Exodi 32. Fac nobis Deos, qui nos praecedant? et isti sunt Dii lui Isräel? Unde illud Michaeae. Judic. 18. Deos meos, quos mihi feceram, abstulistis? Et 3. Reg. 12. de duobus vitulis Hieroboam, ecce Dii tui Isräel.

Quod autem simulacra ab ethnicis vocarentur Dii, nemo nescit, qui aliquid in pöetis, vel etiam oratoribus legerit. Sod unus locus nunc sufficiet ex Danielis 5, Bibebant, inquit, vinum, et laudabant Deos suos aureos et orgenteos, aereos, ligneosque et lapideos. Et alter ex libro Sapient. cap. 13. Appellaverunt Deos opera manuum suarum. Poteratne clarius Scriptura divina Calvini mendacium

redarguere?

Secundum mendacium est, quod Judaei, cum fecerunt vitulum aureum, non sint obliti Deum verum. Nam plane e diametro pugnant verba Calvini cum verbis Scripturae. Calvinus enim lib. 1. cap. 11. § 9. sic ait: Nec tam incogitantes erant Judaei, ut non meminissent Deum esse, qui eos educerat de terra Aegypti. At Scriptura Deuteron 32. Deum, inquit, qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. E! in psalm. 105. Fecerunt viulum in Horeb, et adoraverunt sculptile: et obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro. Et Hierem. c. 2. Ambulaverunt post vanitatem, idest post idola, et non dixerunt, ubi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terru Aegypti? Quid clarius?

Tertium mendacium est quod Judaei in omnibus suis idolis Deum unum et verum colere voluerint. Sic enim ait Calvinus lib. 1. cap. 11. § 8. Deum quidem esse noverant, cujus virtutem experti erant. Sed a praecunte imagine volebant cognoscere Deum sibi ilineris esse ducem. Et § 9. ait: Deum aeternum Judaei, unum, verumque coeli ac terrae Dominum sub talibus simulacris per-

suasi erant se colere.

At hoc esse mendacium probabo. Primo, quia si Judaei volebant tantum signum corporeum, non erat opus, ut facerent vitulum; nam habebant nubem et columnam ignis, quae melius ducebant, quam vitulus, qui portari necesse habebat:non ergo signum corporeum, sed Deum corporeum quaerebant.

Secundo, quia nulla caussa reddi potest, cur potius vitulum fecerint, quam ovem, aut aliquid aliud, nisi quia assueti erant videre maximum Deum Aegyptiorum, qui est vitulus niger albis maculis insignis, quem ipsi vocant apim; de quo Cicero lib. 1. de natura Deorum; et Augustinus lib. 18. de Civit. Dei cap. 5. et scriptores omnes, Herodetus, Diodorus, Plutarchus, Plinius, Suidas, Eusebius etc. Judaei ergo quia viderant in Aegypto in sum-

mo honore vitulum, putaverunt ipsum Deum coeli esse vitulum illum, et ideo illi imaginem vituli sintuerunt.

Tertio, quia Josue c. ult. datur optio Hebraeis. an velint service Diis alienis, quibus serviunt Thare et Nachor idololatrae, an idolis Amorrhaeorum, an Deo Isräel? non ergo in idolis adorabant, vel putabant, se adorare Deum Isräel. Nam alioqui potuissent respondere, ineptam esse optionem illam. quandoquidem in ipsis idolis Amorrhaeorum, et Thare ac Nachor Deum verum colerent. Idem confirmatur ex 3. Reg. 18. ubi Elias dicit: Usquequo claudicatis in duas partes; si Dominus est Deus, sequimini eum: si Baal est Deus, sequimini illum. Ubi clare opponitur Baal Deo vero. Quando ergo Judaei colebant idolum Baat, certe non colebant Deum verum. Adde illud Deuter. 32. Immolaverunt daemoniis, et non Deo, Diis, quos ignorabant. Adde etiam, quod falso accusarentur Judaei servisse Diis alienis, si in idolis semper coluissent Deum verum. At, inquies; quomodo ergo de vitulo dicitur Exod. 32. Hii sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Quomodo etiam ibidem de vitulo dicitur: Cras solemnitas Domini יהור est? Et Judic. 17. Sanctificavi hoc argentum Domino, ut faciam idolum? Ad Primum respondeo: Significari illis verbis, putasse Judaeos beneficium liberationis de Aegypto se accepisse, non a Deo Moysis, sed ab Api deo Acgyptiorum. Ad Secundum et Tertium, duplex solutio est. Una Cajetani in cap. 32. Exod. quod vere nomen ipsum Domini, tribuatur a Judaeis idololatris idolo, et hoc forte significare Scripturam, Sap. 14. cum ait: Incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt. Nullum enim Dei nomen est incommunicabile, praeter hoc קיהורך, nam caetera tribuuntur aliquando etiam creaturis.

Dices, at nomen illud The est proprium nomen Dei Isräel, non ergo potuit communicari. Respondeo:Forte Judaeos illos, qui plures veros Deos esse credebant, non putasse hoc esse nomen proprium, sed appellativum. Forte etiam communicasse illud nomen per similitudinem. Quomodo enim Aegyptii vocare solent Nilum, suum Jovem; et nos de homine strenuo dicimus, hic est noster Achilles; de sapiente, hic est noster Cato: Ita Judaei de vitulo dicebant, hic est noster The; habeat sibi Moyses suum.

Altera solutio est Abulensis, Cajetani, et aliorum in cap. 16. Judicum, qui dicunt duo genera idolorum fuisse apud Hebraeos. Unum sine nomine certi Dei, quale fuit idolum Michae, Judic. 17. et forte vitulus aureus, quem fecit Aaron, Exod. 32. et renovavit Hieroboam, 3. Reg. 12. non enim Scriptura vocat vitulum Deum Moloch, vel Baal etc. scd

semper ait: Hi sunt Dii tui Israel.

Alterum genus fuit cum certo nomine, ut Baal, Moloch, Astaroth, Chamos etc. ut videre est 3. Regum 11. et alibi. Igitur dicunt, nec improbabiliter, posse de primo genere admitti, quod Judaei in idolo putaverint, se colere Deum verum. Caeterum in hoc etiam eos errasse gravissime, tum quia idolo sacrificabant, et in ipso idolo divinam vim inesse credebant: tum etiam quod imaginabantur Deum

esse corporeum, et ipsi idelo similem. Ex quo sequebatur, ut putarent se colere Deum verum, sed revera non colerent, nisi figmentum suum: Quemadmodum Manichaei dicebant se colere Deum Patrem et Filium ejus Christum: sed quia per Deum intelligebant lucem corpoream, per Christum accipiebant solem istum corporeum, nihil habebant Dei et Christi, nisi solum nomen.

Quod autem Judaei Deum pularent corporeum et idolo similem, secundum hanc segtentiam, patet ex vitulo aureo. Nem ideo faciebant Deum in forma vituli, quia viderant in Aegypto vitulum in summo honore; inde enim existimabant, summum Deum esse vitulum illum, et hoc etiam modo Judaei vere obliviscebantur Dei, licet non putarent se ejus oblivisci. In idolis autem secundi generis adeo certum est Judaeos nec coluisse, nec putasse se colere Deum Isräel, ut id fateatur etiam Petrus Martyr

Calvinista in cap. 17. Judic.

Quartum mendacium est: Ethnicos non putasse idola esse Deos. Sic enim ait Calvinus lib. 1. cap. 11. § 9. Nec ita stupidi fuisse ethnici credendi sunt, ut non intelligerent Deum alium esse, quam ligna et lapides. Haec ille.Licet autem aliqui non fuerint ita stupidi, ut putarent idola lignea, vel lapidea esse Deos; tamen plurimi ita stupidi erant, ut vere crederent ipsa idola vivere, et sentire, et Deos esse. Neque erat haec tanta stupiditas, quantam Calvinus videri vult. Nam movebantur ethnici ad credendum idola esse Deos propter quatuor caussas. Primo, quia id eis dicebatur a pontificibus suis. Secundo: quia videbant totum fere mundum id credere. Tertio, quia diaboli opera interdum idola movebantur, et loquebantur, et futura praedicebant, seu potius moveri. et loqui videbantur; nam revera diabolus ea movebat, et in eis loquebatur, sed populus credebat ipsa vere moveri, et loqui, Solita vero idola loqui, patet ex cap. 21. Ezech. et cap. 10. Zachariae, et ex lib. 1. cap. ult. Valerii Maximi. Quarto, quia erant forma humana praedite; et qui videt sua membra sentire et vivere, facile persuadetur vivere, et sentire etiam sibi similia, praesertim si id a sapientioribus affirmari audiat. Sed quaecumque fuerint caussae, probo multos ethnicorum credidisse, ipsa idola esse Deos et proinde mentiri Calvinum.

gitur credidisse idola esse Dees probo, Primo ex Scriptura; nam omnes prophetae laborant, ut doceant idola aurea et argentea non esse Deos. et probant, quia non loquuntur, non vident etc. Vide Isaiam 46. Davidem psalm. 113. et psal. 134. et Habac. 2. sed praecipue epistolam Hieremiae Baruch 6. ubi ad singula argumenta concludit: Unde notum sit vobis, quia non sunt Dii. At certe stulti essent prophetae, si id refellere conarentur quod nemo assereret. Praeterea Act. 9. de Paulo dicunt Ethnici: Paulus hic suadet.dicens,quia non sunt Dii, qui manibus fiunt. Ergo ipsi putabant esse Deos eos, qui manibus fiunt. Praeterea Hierem. 2. et Sap. 13. et 14. Scriptura dicit: Ethnicos solitos invocare idola, et eis commendare salutem suam; nemo autem invocat. aut orat simulacrum, inquit Augustinus in psal. 113. qui non putet ab illo se exaudiri.

Secondo ex Patribus; Augustinus lib. 3. de doctrina christiana cap. 7. Fateor, inquit, altius demersos esse qui opera hominum Deos putant, quam qui opera Dei. Et infra: Illi simulacra venerantur, vel tamquam Deos, vel tamquam signa et imagines Deorum. Et epistol. 49. ac in psalm. 113. dicit: Ethnicos multos putasse ipsa simulacra vivere, spirare et audire, et proinde esse Deos viventes, et in hoc errore foveri ex ipsa similitudine humanorum membrorum.

Tertullianus in Apologetico cap. 12. dicit, Deos gentilium plura pati, dum fiunt, ab artificibus, quam patiantur Christiani cum occiduntur, quod

eos nolint adorare.

Eusebius lib. 5. praeparat. cap. 15. Triginta, inquit. Deorum millia in terra esse censet Hesiodus. Ego autem multo plures lapideos, atque ligneos hominum creatores esse video. Denique Cyprianus, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Clemens alexandrinus, Athanasius, Theodoretus, et alii. qui scribunt contra gentes, rident etnicos, quod ligna et lapides pro Deo colant. Et quid est, quod ait Horatius lib. 1. serm. Satyra 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum. Cum faber incèrtus faceret scamnum,anne Priamum. Maluit esse Deum.

Nec solum pöetae, sed eliam viri sapientissimi hoc senserunt; nom Hermes Trismegistus apud Augustinum lib. 8. de Civit. Dei cap. 23. dicit, alios Deos factos a summo Deo, alios autem ab hominibus: Deos autem ab hominibus factos dicit esse statuas, quibus arte quadam magica alligantur daemones, ita ut statua sit quasi corpus Dei, spiritus autem inclusus sit anima, et totum idolum sit Deus, quomodo corpus et anima est homo. Et Arnobius lib. 1. contra gentes: Venerabar, inquit, o caecitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, et ex malleis, fabricatos. Et infra: Tamquam inesset vis praesens, adulabar, affabar, et beneficia poscebam. Et infra: Deos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia.

Vide igitur, lector, an non mentiatur Calvinus, cum negat ethnicos habuisse idola pro Diis.

At inquit: Ethnici mutabant simulacra pro arbitrio, nec tamen Deos mutabant. Respondeo: Ethnicos eadem stultitia, qua putabant aliquos Deos posse fleri manibus hominum, potuisse etiam credere Deos aliquos potuisse destrui manibus hominum.

Sed rursum, ait Calvinus, uni Deo multa simulacra ponebant. Respondeo: Ethnicos habuisse alios Deos in coelo, alios in terra: nec putasse absurdum, si unus Deus coelestis, ut Juppiter, vel Apollo, haberet in terra multos collegas minores, idest, multa idola ejusdem nomínis.

Denique addit Calvinus: Ethnici novas imagines sacrabant, nec tamen putabant se novos Deos facere. Respondeo: Falsum esse, non putasse gentiles, se novos Deos facere, saltem terrestres.

Quintum mendacium est lib. 1. Instit. cap. 11. § 10. Prophetae, inquit, passim Judaeis et Genti-

libus fornicationes cum ligno el lapide exprobrare non desinebant, tantum ob ea, quae quotidie ab iis fiunt, qui Christiani haberi volunt, nempe quod Deum in ligno et lapide carnaliter venerabantur.

Hoc est maximum et perniciosissimum mendacium. Nam in primis Judaei et Gentiles immolabant idolis, ut patet de Judaeis Exod. 32. et alibi, de Gentilibus 1. Corinth. 10. et alibi: et hanc Scriptura vocat fornicationem: Christiani autem numquam imaginibus immolarunt.

Praeterea Judaei et Gentes, vel idola putabant Deos, ut ostendimus, vel certe in idolis creaturas pro Deo colebant, quod Christiani non faciunt. Quod autem Gentiles in idolis colerent creaturas pro Diis. probatur; nam plurimi in simulacris colebant pro Diis homines mortuos, quos et ipsi mortuos esse credebant, sed non facile audebant id populis dicere. Probat hoc Lactantius lib. 1. cap. 14. et 15. ubi etiam refert, Ciceronem Tulliolam suam Deam facere conatum esse, erecto illi simulacro. Et Augustinus lib. 8. cap. 26. de Civit. Dei, probat: Paganorum Deos homines fuisse: et lib. 18. cap. 5. docet Serapidis simulacrum digito ad os admodo indicare solitum, ut taceretur Serapidem fuisse hominem, immo et poenam capitis constitutum ait iis, qui Serapidem hominem fuisse dicerent, cum tamen vere hominem fuisse, et mortuum ac sepultum constaret. Idem probat Cyprianus initio libri de idolorum vanitate, et Eusebius de praeparatione evangelica lib. 2. cap. 7. et Tertullianus Apologetici cap. 11.

Alii non homines mortuos, sed daemones in idolis pro Diis colebant, ut patet ex Hermete apud Augustinum lib. 8. de Civit. Dei cap. 23. Quamdam daemones non solum invitati magicis artibus, ut Hermes dicit, sed etiam sponde sua in idolis habitabant, et se supponebant pro mortuis hominibus, ut loco eorum adorarentur, ut docent beatus Cyprianus initio libri de idolorum vanitate, et beatus Augustinus lib. 8. de Civitate Dei cap. 24. et Lib. 22. contra Faustum cap. 17. et idem patet ex eo quod daemones assumpserunt sibi nomina vel idolorum, in quibus residebant, vel hominum mortuorum, quorum vice colebantur. Adjurati enim, et rogati nomen, quidam dicunt, se vocari Beelzebub, quidam Moloch, quidam Chainos etc. alii Jovem, aut Mercurium, aut Apollinem etc. ut observarunt Origenes lib. 6. contra Celsum paulo ante medium. Eusebius lib. 4. praepar. cap. 6. Lactantius lib. 2. cap. 16. et Sulpitius in vita b. Martini. Hoc idem Scriptura testatur, cum Deuter. 32. dicit: Immolaverunt daemoniis, et non Deo. Et psalm. 95. Dii gentium daemonia etc. Et 1. Corinth. 10. Quae immolant gentes, daemonibus immolani, ei non Deo.

Alii nec simulacrum, nec homines mortuos, nec daemones in idolis colerc se dicebant, sed partes mundi; nam in idolo Apollinis colebant solem, in idolo Neptuni mare, in idolo Jovis aetherem etc. ut referunt Eusebius lib. 3. praepar. cap. 2.et Augustinus in psalm. 113. et lib. 4.de Civit.Dei cap. 10. et lib. 7. de Civit. Dei cap. 5. et seq.

Alii denique nec ipsas corporeas mundi partes
BELLARMINI, Vol. II.

in idolis colere se dicebant, sed animas earum partium, idest. solis, lunae, terrae etc. ut referunt Eusebius lib. 3. cap. 3. praepar. et Augustinus loco citato. Sed omnes isti, ut patet, creaturas pro Creature coluerunt: nisi quis ita desipiat, ut homines mortuos, daemones, elementa, stellas, creaturas esse neget. Id igitur Scriptura in ethnicis reprehendit, quod adoraverint creaturam pro Greatore. Quod sane catholici nec faciunt, nec fecerunt unquam, cum imagines nec Deos putent, nec imagines Deorum.

# CAPUT XIV.

# Solvitur argumentum secundum.

Ad Secundum argumentum ex concillis. Dico in primis concilia duo constantinopolitana fuisse illegitima. Quod patet Primo, quia non adfuit romanus pontifex nec per se, nec per legatos, ut ex Zonara, Cedreno, Paulo diacono, et ex synodo nicuena II. act. 6. patet. Porro regula est ecclesiastica concilii I. nicaeni, sine sententia romani pontificis, non licere concilia generalia celebrari, ut praeter alios refert Socrates lib. 2. c. 13. Secundo, quia non consenserunt illi patriarchae nec per se, nec per legatos, ut ex iisdem auctoribus patet. Tertio, quia omnes auctores, qui de conciliis generalibus scribunt, ut Psellus, Photius, Zonaras, Nicephorus, Cedrenus, Nicetas, Paulus diaconus, Rhegino, Ado, Sigebertus, Abbas urspergensis et alii, ista concilia constantinopolitana vel non numerant inter concilia Ecclesiae, vel aperte reprehendunt.

Dico Secundo, etiamsi legitima fuissent, tamen eis derogatum esse per concilium plenarium et vere generale, idest, secundum nicaenum.

Est autem hic notandum, concilium istud constantinopolitanum falso vocari ephesinum III.a multis recentioribus, ut ab eo, qui edidit concilia in quadam admonitione praemissa VII. synodo, et ab auctore summae conciliorum in principio VII. synodi, a Sixto senensi lib. 5. bibliothecae sanctae annotat. 247. et ab aliis. Caussa erroris fuit, quia concilio isti profano praesedit Theodosius episcopus ephesinus. Nam quod vere non Ephesi, sed Constantinopoli habitum sit, patet ex omnibus antiquis historicis, et ex ipso concilio, quod insertum habetur act. 6. nicaeni concilii.

Notandum Secundo; Calvinum et Magdeburgenses impudenter laudare concilium constantinopolitanum praedictum; nam illud concilium etiamsi de imaginibus impie sensit, tamen de cultu et invocatione sanctorum, et de meritis operum recte sensit, et anathema dixit iis, qui id docent quod nunc Calvinus et Magdeburgenses docent. Nam can. 13. anathematizat eos, qui non invocant b. Mariam; can. 17. eos qui non colunt, et non invocant sanctos caeteros; can. 18. eos, qui non credunt Deum redditurum vitam aeternam pro meritis operum secundum justam judicii sui libram. Habentur autem hi canones inserti in concilio nicaeno II. actor. 6. et eosdem fideliter recitant Magde-

burgenses Centur. 8. cap. 9. ex quo sane perspici potest eorum incredibilis vel stupiditas, vel impudentia, qui id laudant, a quo anathematizan-

De concilio autem francofordiensi, quo praecipue nituntur adversarii, dico tria. Primo, quidquid illud concilium definierit, non esse magni faciendum: nam sine dubio illi anteponendum est concilium nicaenum II. quod certum est fuisse universalius, antiquius, et sine controversia a summo pontifice approbatum; nam constat ex ipso concilio abfuisse legatos papae Adriani, et rursus approbatum a Leone III. patet ex Ivone 4. parte cap.

Dico Secundo, si verum est quod dicunt Centuriatores, Centur. 8. cap. 9. col. 639. nihil nobis cam synodum obesse; nam ipsi dicunt, synodo francofordiensi non consensisse, sed repugnasse Adrianum, et legatos ejus. At certum est synodum, cui repugnat romanus pontifex nullius esse auctoritatis, ut patet tum ex Gelasio in tomo de vinculo anathematis, tum experientia. Nulla enim synodus unquem habita est legitima, cui romanus pontifex repugnaverit.

Quid, quod ipsa synodus francofordiensis hoc ipsum docet? nam (ut ex Carolinis libris patet) synodus francofordiensis decrevit, judicium ultimum controversiarum ad romanum pontificem pertinere, et hoc praecipuo argumento refellit synodum VII. quia existimavit sine auctoritate romani pontificis celebratam: Ergo synodus francosordiensis, testimonio Magdeburgensium, seipsum de-

Praeterea ibidem Magdeburgenses dicunt, synodum nicaenam ab Adriano confirmatam; concilium autem francofordiense reprobat synodum factam sine papae auctoritate, ergo judicio Magdeburgensium non est nicaena nostra, sed aliqua alia, quae reprobatur in concilio francofordiensi. Denique ibidem docent Magdeburgenses; in synodo francofordiensi non esse definitum, ut imagines tollantur a templis, sed ut in templis quidem maneant, at non adorentur. Cur ergo ipsi e templis imagines tollunt? cur frangunt? cur non servant francofordiense decretum? Ex quo etiam refellitur mendacium apologiae Anglorum, quae docet, in concilio francofordiensi decretum, ut imagines delerentur. At e contrario synodus francofordiensis testimonio librorum Carolinorum, Hincmari, et ipsorum Magdeburgensium, anathema dixit iis, qui imagines delere volunt. Praeterea res ipsa idem ostendit; nam si ea synodus id statuisset, cur non esse factum? Quis enim resisteret in occidentali Ecclesia decreto episcoporum omnium et regis potentissimi? Non esse autem factum, certo certius est: nulli enim historici id referunt. Immo Jonas aurelianensis tamquam rem novam et sacrilegam refert, quod Claudius taurinensis in sua dioecesi imagines delere voluerit.

Tertio dico, rem esse incertissimam, quid statutum sit de imaginibus in synodo francofordiensi. Nam antiqui auctores non sibi constant, nam in primis ipsum decretum francofordiense, quod citatur in praefatione librorum Carolinorum, testatur in

synodo francofordiensi damnalam synodum, quae Constantinopoli convenerat, et imagines adorari jusserat. Ubi cum nominat Constantinopolim, videtur loqui de synodo haereticorum contra imagines; at cum dicit, ibi decretum, ut imagines adorentur,

videtur loqui de synodo catholicorum.

Pari ratione libri ipsi Carolini dicunt, in synodo francofordiensi damnatam synodum, quae facta fuerat Constantinopoli in Bithynia sine auctoritate papae pro imaginibus adorandis. Ubi cum nominat Constantinopolim, et dicit a synodo abfuisse papae auctoritatem, videtur loqui de synodo haereticorum: Cum autem dicit in Bithynia, et pro imaginibus synodum illam celebratam, videtur loqui de nostra Nicaena. Nam Nicaena est metropolis Bithyniae, Constantinopolis autem in Thracia est.

Jam vero Hincmarus remensis cap.20.libro contra Hincmarum laudunensem, qui ipso fere tempore floruerat, dicit in synodo francofordiensi damnatam synodum, quae Nicaeae convenerat sine papae auctoritate. Ubi etiam duo contraria conjungit, ut patet. Aimonius lib. 4. cap. 85. de gestis Francorum, et Abbas urspergensis in Chronico anni 793. scribunt in synodo francordiensi damnatam VII. synodum Graecorum, quae convenerat Constantinopoli sub Constantino et Irene, ubi etiam

ipsi contraria jungunt inter se. Multi autem historici recentiores dicunt.in synodo francofordiensi damnatam synodum de tollendis imaginibus, quam Graeci VII. generalem dicebant. Ita Platina in vita Adriani, Blondus decadis secundae lib. 1. Sabellicus lib. 8. Enneadis 8. Paulus Aemilius lib. 2. de gestis Francorum. Propter hanc confusionem Alanus Copus dialogo 4. et 5. docet, in synodo francofordiensi solum damnatam synodum constantinopolitanam haereticam: Nicaenam autem non solum non damnatam, sed etiam confirmatam, quam sententiam optarem esse ve-

ram, sed tamen suspicor esse falsam.

Primo, quia libri illi Carolini, licet falso inscribantur Carolo, ut dicemus, tamen sine dubio scripti sunt tempore Caroli, ut patet ex refutatione eorundem librorum, quam edidit Adrianus I. et scripli videntur in concilio francofordiensi, et acta continere synodi francofordiensis. Id enim asserit Hinemarus ejus temporis auctor, et ipsi libri hoc praeserunt: quod autem synodus, quae in his libris refutatur, sit vere nicaena II. dubitari non potest, si legantur vel ipsi libri, vel Adriani responsio.

Secundo, quia auctores antiqui omnes conveniunt in hoc, quod in concilio francofordiensi sit reprobata synodus VII. quae decreverat imagines adorandas. Ita Hinemarus, Aimoinus, Rhegino, Ado, et alii passim docent. Dicere autem hos omnes mentiri, vel libros eorum esse corruptos, ut Copus

dicit, videtur mihi paulo durius.

Tertio, quia si isti auctores loqueretur de falsa VII. synodo, idest. de synodo constantinopolitana contra imagines, certe meminissent etiam in suis historiis synodi nicaenae vere septimae. At non meminerunt ullius concilia VII. nisi istius, quod reprobatum dicunt.

Neque obstat, quod libri Carolini, et Abbas ur-



spergensis, et Aimoinus dicunt reprobatam synodum Constantinopoli habitam; nam Abbas seguntus est libros Carolinos, ut etiam Aimoinus: auctor autem corum librorum vel lapsu memoriae. vel ex imperitia posuit Constantinopolim pro Nicaena; nam alioqui cum dicat synodum celebratam in provincia Bithyniae. ubi Nicaea est, non Constantinopolis, satis indicat, se de Nicaea loqui. Et similiter Abbas et Aimoinus cum dicunt: Synoduni celebratam sub Constantino et Irene, clare demonstrant, se loqui de nicaena synodo, etiamsi per errorem nominet Constantinopolim. Neque etiam obstat, quod Hincmarus, et libri Carolini dicant, synodum reprobatam in concilio francofordiensi fuisse coactam sine auctoritate papae, quod est falsum de nicaena, et verum de constantinopolitana: Nam Hincmarus seguutus est libros Carolinos, ut ipse indicat. Auctor autem corum librorum hoc mendacium finxit cum aliis multis. ut imponeret synodo francofordiensi, ut mox dicemus.

Neque obstat ultimo quod Platina, Blondus Sabellicus et Paulus Aemilius dicant, reprobatam synodum de tollendis imaginibus; nam in primis isti omnes recentiores sunt. Deinde quod ipsi dicunt, non pugnat cum antiquorum historicorum dictis; nam in synodo francofordiensi duae synodi reprobatae fuerunt, nimirum constantinopolitana contra imagines, et nicaena pro imaginibus, ut patet ex libris Carolinis, et ex Hincmaro. Et fortasse haec est caussa, cur antiquorum historicorum aliqui nominent Nicaeam, aliqui Constantinopolim, cum dicunt synodum Graecorum reprobatam in concilio francofordiensi. Videtur igitur mihi, in synodo francofordiensi vere reprobatam nicaenam II. synodum, sed per errorem et materialiter, eo modo prorsus quo olim synodus ariminensis damnavit homousion. Nam auctor librorum Carolinorum imposuit synodo, duoque mendacia illi obtrusit: U. num mendacium fuit, in synodo nicaena definitum fuisse, ut imagines adorarentur cultu latriae. Alterum, decretum illud factum a Graecis sine consensu papae romani.

His duobus mendaciis pro veritate habitis, synodus francofordiensis reprobavit, et merito, nicaenam synodum tamquam profanam et illegitimam. Quod illa duo fuerint persuasa concilio, patet ex ipsis libris Carolinis; nam in praesatione diserte habelur hoc modo: Allata est in medium (scilicet in synodo Francofordiae) quaestio de nova Grecorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus sanctorum ita ut deificae Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur: qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis orationem, et servitutem eis impendere renuentes contempse. runt. alque consentientes condemnarunt. Haec ibi. In ipso etiam opere introducitur Constantinus episcopus Constantiae Cypri in concilio nicaeno anathema dicens iis, qui non adorant imagines eo cultu, quo adoratur sanctissima Trinitas. En clare primum mendacium. Idem auctor clare docet, ad summum pontificem pertinere judicium controversiarum fidei, et ideo synodum illam pro adorandis imaginibus nihil valere, quod pontificis auctoritate careat.

Praeterea auctores illi antiqui, qui dicunt reprobatam esse falsam synodum, quae decreverat imagines esse adorandas, sine dubio per illud, adorandas, intelligunt adorandas cultu latriae; nam ipsi quoque docent imagines esse venerandas, et tamen execrantur illam synodum, quae jubet imagines adorari. Ado in chronico anni 696. dicit, Romae in die exaltationis Crucis, a toto populo Crucem osculari et adorari solitam. Et in chronico anni 717. vocat imaginem venerandam, quam everterat Philippicus haereticus, et restituerat Theodosius catholicus imperator. Rhegino lib. 1. chronici sub finem, agnoscit, crucis adorationem, et deturbationem imaginum per Leonem Iconomachum factam scelus appellat. Joannes Aventinus lib. 4. annalium dicit. Carolo Magno imperatore designato imaginem ejus in templo ab omni populo veneratam ipso praesente. Abbas urspergensis in chronico. invehitur Leonem Isaurum, et Constantinum Copronymum propter imaginum dejectionem, eosque vocat impios, et Antichristi praecursores, et e contrario Gregorium papam laudat, et sanctum virum fuisse dicit, qui propter imagines Christi et sanctorum, imperatorem excommunicavit etc.

Quod autem vere mendacia sint, quod synodus nicaena caruerit papae auctoritate, et quod decreverit imagines adorandas cultu latriae, certissimum est; nam in ipso concilio nicaeno II.aet. 2. recitantur epistolae papae Adriani pro imaginibus, et in omnibus actionibus semper primi subscribant legati romani. Deinde quod ad cultum attinet in prima actione Basilius Ancyranus qui antea fuerat haereticus, resipisceret et confessionem catholicam ederet, toto concilio audiente et probante dixit, se imagines quidem, colere, non tamen latria, cum ea soli debeatur Deo. Similiter Constantinus episcopus Constantiae Cipri in VII. synodo act. 3. loquutus est. Similiter loquuntur etjam caeteri act. 4. et 7.

Neque mirum videri debet, quod auctor librorum Carolinorum tam manifesta mendacia obtruserit synodo francofordiensi de nicaena synodo paulo ante habita; nam si nunc Magdeburgenses, et Calvinus scribere audent, nos colere imagines divinis honoribus plane ut Deos, cum tot libri catholicorum, et ipsum generale concilium latinum, et in Germaniae finibus Tridenti celebratum, diserte clament contrarium: quid mirum si idem confictum sit de synodo graeca, quam paucissimi legere poterant, et quae in oriente celebrata fuerat?

Si dicas, ergo saltem concilium francofordiense, quod frequentissimum fuit, et legitimum, errare potuit. Respondeo: Potuit errare et erravit, non in juris, sed in facti quaestione. Et praeterea non mirum si errare potuit; nam non consensere legati romani, ut Magdeburgenses dicunt: Papa autem non solum non eonsensit, sed etiam refutavit francofordiense decretum, ut patet ex libro Adriani de imaginibus ad Carolum, ubi refutantur omnia mendacia illorum librorum Carolinorum.

#### CAPUT XV.

# Solvitur argumentum tertium.

Quod autem ex libris Caroli adferunt, in quibus praecipuum firmamentum caussae suae constituunt: Dico eos libros neque esse Caroli, neque ejusmodi

quibus ulla fides haberi possit.

Quod Caroli non sint, probatur Primo, quia ex-stat liber Adriani papae I. ad Carolum, in quo libri isti accurate refelluntur; ex quo Adriani libro perspicue intelligitur libros istos ab aliquo haeretico compositos, et a Carolo ad pontificem missos, ut eis responderet. Esse autem Adriani hunc librum, qui exstat in tertio tomo conciliorum, cum aliunde, tum etiam ex Ivone intelligi potest: qui multa ex hoc libro nomine Adriani in 4 partem sui decreti

Secundo, constat ex historiis Graecorum et Làtinorum, ut Zonarae et Codreni in vita Leonis Isauri, necnon Pauli diaconi in vita ejusdem, romanos pontifices, Gregorium III. Adrianum I. et Leonem III. defecisse a graecis imperatoribus, eos excommunicasse, vectigalia eis tribui ex Italia prohibuisse, seque in tutelam Francorum contulisse, atque in eos tandem imperium transtulisse, ea de caussa praecipue quod graeci imperatores hacresi Iconomacorum patrocinarentur, cum e contrario Francorum reges in fide antiqua constantes essent: Quomodo ergo verisimile est Carolum imperatorem eadem haeresi laborasse, et pro errore Graecorum contra romanum pontificem scripsisse? Sed verba Zonarae audiamus.

Igitur, inquit, papa Gregorius deserta imperatoris obedientia ob perversam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cum prius saepe dedisset operam, ut Leonem per literas ab odio Dei revocaret.atque ad cultum sacrarum imaginum reduceret. Et infra in vita Irenes: Adriano veteris Romae papa mortuo Leo suffectus est, vis reverendus et honorabilis, qui cum se ad Carolum Francorum regem contulisset, ab co tempore Roma Franci potiti sunt, Carolo a Leone coranato, et Romanorum imperatore appellato; nam papa Gregorius nihil sibi rei esse voluit cum impiis ecclesiae constantinopolitanae gubernatoribus; et pacem cum Francis fecit.

Tertio, scribit Jonas aurelianensis lib 1. de cultu imaginum (floruit autem Jonas tempore Ludovici Pii. Caroli filii), Claudium taurinensem. ejus haeresis patronum, toto tempore quo vixit Carolus, numquam fuisse ausum mutire, idemque ibidem, virum piissimum ac sanctae memoriae Carolum Augustum appellat. Si ergo Iconomachi, vivente Carolo, non audebant haeresim suam praedicare; si defensores imaginum Carolum, ut pium ac sanctum venerabuntur, quanta impudentia est, libros contra imagines Carolo attribuere?

Quarto, scribit Paulus Aemilius lib.2.hist. Francorum, necnon Rhegino in chronico in concilio quodam Gentiliaci coacto, Pipinum regem, Caroli Magni patrem, Graecorum errorem contra sacras imagines imperatoris Graeci legatis praesentibus confutness. Ex codem quoque Paulo constat, non diu postea ad concilium, quod Romae Stephanus papa celebravit contra eundem Graecorum errorem. misisse Carolum Magnum episcopos duodecim, ex praecipuis regni. Qua ergo audacia adversarii christianissimum principem in Iconoclastam transformare nituntur? praesertim cum Paulo Aemilio in hac parte assentiantur Magdeburgenses Cent. 8. cap. 9. col. 570.

Quinto, constat ex istoricis omnibus, et ex ipsius Caroli epistolis et carminibus, immo ex ipsis rebus gestis, Carolum et Adrianum semper conjunctissimos fuisse. Exstat adhuc Adriani epitaphium ab imperatore Carolo non minus eleganter, quam pie descriptum apud Platinam, cujus hoc est initium:

Hic palel Ecclesiae, Romae decus, inclytus auctor, Adrianus requiem papa beatus habet. Vir cui vita, Deus: pietas. lex: gloria, Christus: Pastor apostolicus, promptus ad omne bonum.

#### Et infra:

Post patrem Carolus lachrymans haec carmina scripsil, Tu mihi dulcis amor, te modo plango paler. Tu memor esto mei, sequitur mens mea semper, Cum Christo tencas regna beata poli.

Num credibile est igitur Carolum alterius religionis ac fidei fuisse, quam Adrianum? et in ipsam Adrianum tam acriter scripsisse, cum eum tantopere coluerit, et post obitum laudarit?

Denique certum est Carolum hominem graece et latine peritum, prudentem et ingeniosum fuisse, libri autem isti, hominis barbari, imperiti, levis, ac pene stulti esse videntur. Nam Constantinopolim urbem notissimam in Bithynla esse, dicit, cum nemo nesciat esse in Thracia, nisi forte, quia frequentes ibi terraemotus flunt, solum mutaverit. Deinde concilium pro cultu imaginum Constantinopoli celebratum asserit, cum tamen Nicaeae celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit:et quod gravius est, per calumniam et mendacium multa tribuunt isti libri Nicaenis Patribus, quae nunquam dixerunt, et interdum, quae adversarii dixerant: quale est illud, quod eucharistia sit imago corporis Christi: quod non solum Patres nicaeni non defendunt, ut iste auctor somniat, sed etiam ex professo refellunt. Unde accepit Calvinus alterius mendacii occasionem. Quia enim Iconomachi dixerant unam solum imaginem adorandam, idest, eucharistiam, atque hoc dictum Pseudocarolus nicaenae synodo attribuerat, Calvino placuit ita rem totam immulare ac dicere: Caeterum no suo solemni, plaudite, fabula careat, additur clausula (nimirum a concilio nicaeno) gaudeant el exultent, qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi offerunt: Quod est mendacium impudentissimum: Concilium enim nicaenum tantum abest, ut voluerit imaginibus sacrificium offerri, ut diserte in actione septima declaraverit non veram latriam, sed honorariam tantum adorationem imaginibus deferri.

Accedat postremo, quod liber isle tamquam alter Melchisedech, est sine patre, sine matre, sine genealogia; prodiit enim repente, in lucem, nec sci-



tur quando, aut ibi, aut quomodo, aut a quo repertus; nec habet nomen auctoris, nec impressoris, nec loci ubi impressus est. Quae sunt omnia argumenta atque indicia fraudum.

Sed esto, sit liber Caroli Magni, quid tandem adversarii obtinebunt? prorsus nihil. Auctor enim hujus libri discrte oppugnat omnia fere dogmata Calvinistarum; aperte enim docet ad romanum pontificem pertinere ultimum judicium de controversis fidei, et eum non a conciliis, sed a Deo ipso primatum habere. Idem vult exorcismum adhiberi in baptismo, templa dedicari certo ritu, orandum esse pro defunctis, sanctos invocandos, reliquias venerandas, chrismatis, aquae, salisque benedicti usum in Ecclesia retinendum, in eucharistia vere esse corpus Christi; idque adorandum et tamquam verum ac proprium sacrificium offerendum, quae sunt omnes exploratae baereses apud adversarios. Si ergo volunt nos credere huic auctori, cum docet, nicaenam synodum errasse, credant eidem ipsi, cum asserit tam multa, quae jam enumeravimus.

Quod si eliam constaret Carolum ipsum hunc librum scripsisse, et in omnibus cum Calvinistis convenire, quid haberent aliud quam testimonium unius homnis laici et militis? Quod opponere velle concilio generali episcoporum stultitia est manifesta. Nam, ut recte ait Damascenus orat. 2. de imaginibus: Christus non commisit Ecclesiam regibus et imperatoribus, sed episcopis et pastoribus.

#### CAPUT XVI.

### Solvitur argumentum quartum.

Ad Quartum argumentum ex testimoniis Patrum, ordine respondeamus. Ireneus lib. 1. cap. 24. non arguit Carpocratem, quod imaginem Christi haberet, sed quod eam coleret ea modo, quo gentes colunt idola, nimirum sacrificiis, ut clarius explicant Epiphanius haeresi 27. et Augustinus haeresi 7. et praeterea quod imaginem Christi, et Pauli eodem loco haberet, quo imagines Homeri, Pythagorae, Platonis et Aristotelis. Epiphanius similiter haeresi 79. reprehendit Collyridianos, non quod imaginem b. Virginis et ipsam Virginem honorarent, sed quod haberent pro Dea, eique sacrificium offerrent.

Jam Ambrosius quando ait, oratione de obitu Theodosii: Helena crucem invenit, regem adoravit, non lignum utique qui est error gentilium etc. Vult dicere, crucem non adorari propter se, sed propter Christum, qui in ea pependit. Licet enim ipsum lignum honoremus, non tamen honoramus, quia lignum est, sed quia Christum crucifixum repraesentant. Unde Ambrosius ibidem sic ait: Sapienter Helena egit, quae crucem in capite regum tevavit et collocavit, ut crux Domini in regibus adoretur.

Porro Hieronymus in cap. 3. Daniel, cum dicit, eos, qui Deum colunt, non debere statuas adorare, loquitur destatuis regum, qui habebantur pro Biis, et quorum statuae divinis honoribus afficiebantur. Reprehendit enim eos, qui id faciunt, quod tres pueri facere noluerunt in Babylone.

Ad locum Augustini de moribus Ecclesiae cap. 36. dico Primo, forte eum loqui de idolis gentium, cum ait: Novi picturarum adoratores.

Dico Secundo: Eum forte loqui de quibusdam, qui imagines sanctorum superstitiose colebant, ita ut accederent ad idololatriam: nam fuisse aliquos Christianos, qui imagines quasi Deos adorarent, tetestatur Damascenus in fine libri de baeresibus.

Dico Tertio: Augustinum scripsisse eum librum in primordiis conversionis suae ad fidem catholicam, et ideo offensum quibusdam ritibus, putasse eos sapere idololatriam, quos tamen postea melius instructus excusavit omnino ab idololatria. Id quod ostendimus cum ageremus de reliquiis; nam in eodem loco dícit eos, qui ponebant epulas super tumulos mortuorum, offerre solitos epulas cadaveribus, et inde vocat eos sepulchrorum adoratores: et tamen lib. 8. de Civit. Dei cap.ult.dicit, eos, qui id faciunt, non offerre mortuis epulas, sed solum ponere cibos super tumulos martyrum, sperantes eos a Deo sanctificari per martyrum preces.

Ad loca Gregorii dico: Gregorium solum reprehendere cultum imaginum superstitiosum, idest quo imagines coluntur ut Dii. Ut patet ex epistola ad Secundinum lib. 7. epist. 53. Scio, inquit, quod imaginem Salvatoris non ideo petis ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas etc. Quod autem aliqua veneratio debeatur imagini ex sententia Gregorii. patet ex lib. 7. epist. 5. Sublata, inquit, qua dignum est veneratione, imagine, atque cruce etc.

#### CAPUT XVII.

# Solvitur argumentum quintum.

Ad Quintum de serpente aeneo confracto ab Ezechia; respondeo non mirum esse, si id Ezechiae fecerint, Hebraei enim. illi adolebant incensum, ut Deo; nam etiainsi adolere incensum non sit necessario sacrificium, cum videamus in Ecclesia etiam non sacerdotes incensum offerre, idque non solum Deo, sed etiam populo: tamen in lege veteri non licebat, nisi sacerdoti adolere incensum, et proinde sacrificium videtur tunc fuisse: vide 3. Regum 12. et 2. Paral. 26.

Praeterea Hebraei obliti significationis, propter quam serpentem erexerat Moyses, honorabant illum propter materiam, quomodo caetera idola, hoc est, putabant beneficia sanitatum ab ipso serpente aeneo profecta. Id enim indicare voluit Ezechias appellando serpentem (7007) idest, aenulum, ubi diminutivum ponitur per contemptum; vel, ut alii legunt, 27072 idest, aes eorum.

# CAPUT XVIII. "

# Solvitur argumentum sextum.

Ad Sextum argumentum Calvini, sumptum ab experientia, quia catholici magis frequentant unam imaginem, quam aliam ejusdem rei, et quia precaturi ad imagines accedunt; et quia peregrinantur ad imagines, cum habeant domi pulchriores. Ex quibus ille colligit, non eredere in imaginibus inesse divi-

Respondeo: Unam imaginem magis frequentari, quam aliam, propter varias caussas. Prima, quia Deus per unam operatur miracula, et non per aliam; quae etiam caussa est, cur magis frequentemus precibus unum sanctum, quam alium. Cur autem Deus hoc faciat, non est nostrum discutere.

Secunda caussa est, quia quaedam imagines pictae sunt a sanctis viris, ut Luca. Nicodemo et aliis, aliae a profanis. Certe autem peculiarem devotionem merentur imagines, quae non solum sunt sanctae propter significationem, sed etiam propter artificem. In quo genere excellebat imago Edessena, quae ab ipso Christo facta credebatur: necnon imago s. Stephani, quae ab angelo formata et allata fuisse putatur, de qua Evodius lib. 2. de mira-

Tertia caussa est, quia aliaquae magis excitant ad pietatem, quam aliae, cum sint magis piae et religiosae etc. Porro precaturi ad imagines accedimus, non ut invocemus imaginem, sed ut memoriam ejus, quem orare volumus, nobis imago refricet. Peregrinationes ad imagines rariores sunt in Ecclesia; ordinarie enim peregrinationes ad reliquias, et loca sancta fieri solent, ut ad sepulchrum Domini, ad limina apostolorum, ad s. Jacobum, ad domum Virginis Lauretanae etc. si qui tamen peregrinantur ad imagines, illa tria spectant, quae diximus.

#### CAPUT XIX.

#### Solvitur argumentum septimum.

Ad Septimum argumentum, ad primam rationem. quod imago non sit capax honoris, cum sit res inanima, et sensus, ac rationis expers. Respondeo: Inde solum probari, imaginem non esse honoris capacem propter se, et ideo imagines non honorari absolute, sed relative ad prototypum.

Ad Secundam dico: Imaginem esse sanctam propter duo. Primo, propter significationem et repraesentationem rei sanctae: et hoc modo quaelibet imago Christi, vel sanctorum etiam in officina

existens, potest honorari. Secundo, propter Ecclesiae institutionem. Nam quemadmodum calices et vestes, et ipsi homines eo ipso flunt sacri, quod dedicantur cultui divino, et separantur a profano usu; ita etiam imagines fiunt sacrae, cum ponuntur ab Ecclesia in templis, vel aliis locis sacris, non ut pascant oculos curiosorum, sed ut excitent memoriam et amorem sanctorum, et serviant cultui rerum sacrarum. In cujus rei signum solent aliquando imagines benedici, et precibus sacerdotalibus quodammodo sacrari, antequam in templis collocentur.

Ad Tertium dico. Primo, hominem ut imaginem Dei esse dignum veneratione, ut supra ostendimus ex Cyrillo catechesi 12. et Augustino epist. 203. Dico Secundo cum Thoma Waldensi tom. 3. de sacramentalibus tit. 19, cap. 134. hominem non

proponi ab Ecclesia colendum ut imaginem Dei. quia periculum esset, ne homo propter se coli putaretur: nam etiam propter se homo capax est honoris.

#### CAPUT XX.

# Proponitur quaestio; Quo genere cultus imagines sint honorandae.

Venio nunc ad postremam quaestionem.quo genere videlicet cultus dignae sint imagines. Tres sunt sententiae.

Prima, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed solum coram imagine colendum exemplar: ita quidam, quos refert et refellit Catharinus. Idem videtur sensisse Alexander 3. part. quaest. 30. art. ult. necnon Durandus lib. 3. sent. dist. 9. quaest. 2. et Alphonsus a Castro verbo, Imago. Fundamendum hujus sententiae est, quia secundum Basilii sententiam in VII. synodo saepius repetitam, honor imaginis transit ad exemplar; non ergo inquiunt hi doctores, in imaginem terminatur: proinde ipsa imago non est quae, honoratur, sed solum per illam, et in illa honoratur exemplar. Et confirmatur ex versibus, qui dicuntur compositi tempore VII. synodi, quique visuntur Venetiis in aede aurea antiquissimo opere incisa, et referuntur a Sabellico lib. 8. Aeneadis 8.

Nam Deus est quod imago docet, se non Deus ipsa: Hanc videas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Quod autem dicitur de imagine Christi Dei, dici etiam posset de imaginibus' sanctorum, nimirum; Nam Petrus est quod imago docet, sed non Petrus ipsa etc.

Secunda opinio est, quod idem honor debeatur imagini et exemplari, et proinde Christi imago sit adoranda cultu latriae, b. Mariae cultu hyperduliae, sanctorum aliorum cultu duliae. Ita Alexander 3. par. quaest. 30 art. ult. b. Thom. 3. part. quaest. 25. art. 3. et ibidem Cajetanus, b. Bonaventura, Marsilius, Almayn, Carthusianus, Capreolus, et alii in 3. distint. 9. idem etiam habet Henricus quodlib. 10. quaest. 6. quamvis addat, nullam imaginem adorandam esse latria; nam ipse putat quidem eundem esse honorem imaginis, et exemplaris, sed simul docet, imaginem Christi non esse imaginem Christi, ut Christus Dens. sed ut homo est.

Fundamenta horum auctorum haec sunt. Primo. quia Ecclesia canit da cruce: O crux ave spes unica. Auge piis justitiam, Reisque dona veniam.

Secundo, quia honor imaginis transit ad exemplar ex Basilio, igitur idem est honor imaginis et exemplaris; quare, si exemplar colitur latria et

Tertio, ex Ambrosio, qui libro de incarnationis dominicae sacramento cap. 7. ait, eadem adoratione coli divinitatem Christi, et ejus crucem: Num, inquit, cum in Christo imaginem Dei, et crucem adoramus, dividimus eum?

Quarto, ex Hieronymo epistola de obitu Paulae: Prostrata, inquit, ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. Sed Dominum pendentem adorasset latria, igitur et ipsam crucem latriae cultu adorabat.

Quinto, ex Aristotele, qui libro de memoria, et reminiscentia dicit, cundem esse motum in imaginem, ut imago est, et in ipsum exemplar.

Sexto, mensura adorationis uniuscujusque rei est ratio, sive excellentia, propter quam adoratur; sed ratio, cur adoratur imago, non est alia, quam excellentia exemplaris, ergo idem omnino debetur honor imagini, qui debetur exemplari.

Septimo, qui imaginem regis afficit contumelia, habetur reus laesae majestatis, ac si ipsum regem contumelia affecisset, eadem igitur ratio est imaginis, et exemplaris quod attinet ad honorem et contumeliam.

Tertia opinio versatur in medio, estque eorum, qui dicunt, ipsas imagines in se, et proprie houorari debere, sed honore minori, quam ipsum exemplar, et proinde nullam imaginem adorandam esse cultu latriae. Ita Martinus Peresius in libro de traditionibus, tractatu de imaginibus, item Ambrosius Catharinus in tractatu de imaginibus. Nicolaus Sanderus lib. 2. cap. ult. de imaginibus. Idem videtur sensisse Gabriel, qui in 3. dist. 9. quaest. unica, et in canonem missae lect. 49. ait, imaginem adorari eadem adoratione cum exemplari, non tamen univoce, sed analogice. Hoc enim est dicere, coli imagines cultu inferiore, quam ipsum exemplar.

Pro solutione quaestionis, et opinionum conciliatione notandae sunt tres distinctiones. Id enim, quod honoratur.potest honorari per se vel per accidens: propter se, vel propter aliud: proprie vel improprie. Per se honoratur suppositum, in quo inestratio venerationis, per accidens id, quod est conjunctum rei, quae adoratur, nec est ipsa ratio adorationis: ut cum honoratur rex, per se honoratur homo ille, qui est rex,per accidens honoratur purpura, et reliqua illi adjuncta, et accidentia omnia ejus, excepta regia dignitate, quae licet non sit id, quod honoratur, est tamen id, quo homo ille honoratur. Itaque persona honoratur per se, ut quae; regia dignitas honoratur per se, ut qua; reliqua honoratur per accidens.

Secunda distinctio, potest aliquid honorari propter se, vel propter aliud. Id honoratur propter se, quod habet in se rationem venerationis, non dependentem aliunde; et hoc modo sola natura rationalis est venerabilis. Propter aliud honoratur id, quod habet quidem in se caussam honoris, sed illa caussa tota pendet ab alio, et hoc modo signa rerum sacrarum sunt venerabilia; habent enim in se relationem similitudinis, sive repraesentationem rei sacrae, et proinde quandam excellentiam, sed illa tota pendet ab ipsa re sacra.

Tertia distinctio, polest aliquid honorari proprie, vel improprie. Id proprie dicitur honorari, quod vere ratione sui ipsius honoratur. Improprie dicitur honorari, quod honoratur loco alterius. Legatus regis aliquando honoratur ut legatus, et tunc apse proprie honoratur, licet propter alium honoretur: aliquando honoratur loco regis honore proprio regibus, et tunc ipse improprie honoratur; proprie autem rex in ipso tunc honoratur. Id clarius apparet quando unus pro alio accipit possessionem aliquam; vel cum funus celebratur absente corpore, circa statuam, et flunt erga statuam omnia, quae circa corpus flerent, ut cum aliquando, teste Sexto Aurel. Victore, Romae triumphavit Trajanus mortuus, et statua ejus pro eo sedit in curru triumphali. Nec enim potest dici, statuam proprie triumphasse, sed Trajanum a statua repraesentatum.

#### CAPUT XXI.

# Imagines per se et proprie colendas.

Nunc justa positas distinctiones aliquot sententiis rem totam explicabimus. Sit igitur haec Prima sententia, sive propositio. Imagines Christi, et sanctorum venerandae sunt non solum per accidens, vel improprie sed etiam per se et proprie, ita ut ipsae terminent venerationem, ut in se considerantur, et non solum ut vicem gerunt exemplaris. Probatur Primo, quia concilium VII. actor. 7. definivit imagines Christi esse venerandas, sed non latria; vult igitur esse venerandas, per se, et proprie aliquo cultu: nam si 'concilium solum vellet imagines adorari per accidens, vel improprie, ita ut terminus proprius adorationis non esset imago, sed Christus ipse non diceret, non debere adorari latria; Christus enim latria adoratur, cum sit Deus.

Neque obstat, quod quidam dicunt, imaginem Christi non repraesentare Christum ut Deum, sed Christum ut hominem, et proinde in imagine Christi non posse adorari Christum ut Deum, sed Christum ut hominem: Nam imago Christi ipsum Christum, idest, hypostasim divinam, humana carne vestitam repraesentat: sicut imago cujuslibet hominis non solum figuram et colorem, sed etiam personam et totum ipsum hominem repraesentat. Alioqui apostoli videntes Christum in carne non debuissent adorare latria: nec Thomas dicere debuisset: Dominus meus, et Deus meus. Nam non videbant Christum ut Deum, sed ut hominem.

Secundo probatur, nam si imago non est veneranda nisi improprie, quia nimirum coram illa, vel in illa, aut per illam adoratur exemplar, certe licebit simpliciter negare, imagines esse venerandas. Quod enim non dicitur nisi improprie, simpliciter negari potest, ut patet: at concilium VII. actor. 7. anathema dicit iis, qui negant imagines esse venerandas.

Tertio, concilium idem ibidem, definit imagines venerandas eo modo, quo veneramur evangelia et sacra vasa: Atqui ista honorantur per se et proprie, ut omnes fatentur, nec enim personam alicujus atterius gerunt: igitur et imagines per se proprie venerandae sunt.

Quarto, in ipsa imagine vere inest aliquid sacrum, nimirum similitudo ad rem sacram, et ipsa dedicatio, sive consecratio divino cultui; ergo ipsae in se. et non solum ut prototypi vicem gerunt, honore dignae sunt.

Neque objectiones supra adductae convincunt. Ad Primam dico: Imagines sive honorentur proprie, sive per se, sive per accidens, semper honorari propter exemplar, et semper honorem earum transire ad exemplar, sed alio atque alio modo; nam quando imago adoratur improprie quia videlicet honor in ipsam non terminatur, sed per ipsam in exemplar, tunc immediate, et formaliter honor imaginis transit ad exemplar. At quando imago honoratur per se et proprie, ita ut in ipsam vere terminetur honor.tunc honor ejus transit ad exemplar non immediate, sed mediate, et quasi consequenter; nam qui honorat imaginem alicujus, sine dubio honorat propter eum, cujus est imago, et proinde honor imagini vere exhibitus redundat in prototypum. Quemadmodum qui facit eleemosynam pauperi, Christo illam fecisse dicitur, non quod eleemosyna immediate non tendat in pauperem, sed quia qui eleemosynam facit pauperi, propter Christum facit, et Christum honorat in paupere.

Ad Secundam dico: Illis versiculis solum doceri, non deberi imagini eundem honorem, qui debetur exemplari, ul patet ex ratione, quae in ipsis versiculis redditur. Quia videlicet imago non est Deus, sed imago Dei. Inde enim sequitur non deberi imagini honorem, qui debetur Deo, sed minorem. Nos autem hic non asserimus, eundem honorem, sed aliquem honorem deberi imagini. Et fortasse auctores primae opinionis hoc solum dicere voluerunt, nimirum honorem proprium exemplaris non posse exhiberi imagini, nisi proprie: de honore autem inferiore nihil dixerunt. Quod si ita est,

ab eis non dissentimus.

### CAPUT XXII.

Non esse dicendum, imaginibus deberi cultum latriae.

Secunda propositio. Quantum ad modum loquendi praesertim in concione ad populum, non est dicendum imagines ullas adorari debere latria, sed e contrario non debere sic adorari. Probatur Primo. Concilia non affirmant, sed simpliciter negant imagines adorari latria, igitur et nos eodem modo loqui debemus; nam modus loquendi conciliorum est modus loquendi Ecclesiae, et proinde sequendus ab iis, qui nolunt errare. Porro concilia non asserere, sed negare imagines adorandas esse cultu latriae.probatur nam in primis nullum est concilium, quod asserat imaginibus deberi cultum latriae, deinde concilium nicaenum II. act. 7. clamat imagines adorandas, sed non latria. Similiter nostro tempore concilium senonense c. 14. et concilium moguntinum c. 41. dicunt,a concionatoribus debere moneri populum ne imagines adoret; quod sine dubio intelligitur de adoratione latriae. Dicent fortasse: Concilia ista loquun-

tur de latria, quae exhibetur alicui propter se, non de ea quae exhibetur alicui propter aliud. At id nihil facit ad rem; hic enim non de sensu, sed de verbis agimus. Satis nobis est, in conciliis simpliciter negari, imaginibus deberi latriam: nos enim modum loquendi conciliorum sequi debemus.

Secundo, nullae sunt exactiores formulae loquendi in materia fidei, quam eae, quibus utuntur, qui haeresim abjurante: Atqui in VII. synodo act. 1. Basilius ancyranus, et actor. 3. Constantinus Cypri episcopus abjurantes haeresim dicunt, se recipere

et colere imagines, non tamen latria.

Tertio, Patres passim dicunt imagines non esse adorandas, ut patet ex Augustino epist. 119. c. 11. Prohibetur, inquit.coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa, quae hoc est, quod ipse. Item ex Gregorio, qui lib.7. epist. 109, et lib. 9 epist. 9. monet Serenum episcopum, ut populum instruat, ne imagines adoret, et saepius repetit, non debere imagines adorari. At certe loquuntur de adoratione latriae; nam alioqui imagines venerabiles esse non negant. Porro Joan. Damascenus lib. 1. et 3. apologet. saepius repetit, imagines honorari debere, sed nullo modo latria. Hadrianus papa I. in epistol, ad Carolum Magnum cancult quae epist. habetur in tomis conciliorum post nicaenam H.synodum imperfecta, magis autem integra habetur inter epistolas pontificum nuper editas Romae, mullis verbis docet et repetit, imagines esse honorandas culta, quo honoramus sacras Scriptures, sed non colendas cultu quo colimus Denm. Idem habet Joannes aurelianensis lib.de cultu imaginum. Cur erge quaeso, non loquimur, ut Patres nostri loquuntar?

Quarto, dicere populo, imaginem Christi vel Crucem adorandam esse latriae cultu, illo ipso, quo adoratur Deus, non caret magno periculo; Nam qui defendant imagines adorari latria: coguntur uti subtilissimis distinctionibus, quas vix ipsimet intelligunt, nedum populus imperitus.

Quinto, iste modus loquendi offendit aures catholicorum, et praebet occasionem haereticis liberius

blasphemandi.

Sexto, secundum rei veritatem (ut ostendam paulo post) non potest dici, adoreri latria imagines, nisi per accidens, vel improprie, per se autem, et proprie nullo modo. Et praeterea illa adoratio per accidens, vel impropria rarissime exerceri solet. Ordinaria enim adoratio est illa, quae exibetur imaginibus externis per se, et proprie. At quod simpliciter dicitur, non intelligitur de eo, quod per accidens, vel improprie, et aliquando convenit rei, sed de co, quod per se, et proprie, et ut in plurimum convenit, ergo simpliciter loquendo non est affirmandum, sed negandum imagines adorari latria. Est autem valde credibile s. Thomam, Alexandrum alensem, et alios doctores scholasticos illius temporis non vidisse nicaenam synodum secundam, neque ootavam synodum generalem, neque epist. Hadriani papae I. pro defensione synodi nicaenae. Nam haec omnia longo tempore latverunt, et hoc nostro saeculo primum edita sunt, ut vel ex eo cognosci potest, quod in tomis conciliorum paulo antiquioribus nihil horam extat: et sanctus Thomas, aliique scholastici veteres nullam unquam de hac nicaena synodo mentionem faciunt.

### CAPUT XXIII.

Imagines Christi improprie, vel per accidens posse honorari cultu latriae.

Terlia propositio: Si de re ipsa agatur, admitti potest, imagines posse coli improprie, vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipsum colitur.

Ac primum, quod imago possit coli improprie eo cultu, quo ipsum exemplar, probatur; Nam aliquando imago accipitur pro ipso exemplari, et ea, quae fierent circa ipsum exemplar, si adesset praesens, flunt circa imaginem, mente tamen defixa in exemplari. Si concionatores alloquuntur imaginem, crucifixi, eique dicupt, tu nos redemisti, tu non Patri reconciliasti; ista enim non dicuntur imagini, nec ut lignum est, nec ut imago est, sed ut accipitur loco exemplaris, idest, dicuntur ipsi Christo, cajus tamen imago vicem gerit. Quemadmodum etiam in die parasceves cum crucifixus paulatim delegitur et ostenditur, et adorandus proponitur, illa omnia per imaginem ipsi Christo vero exhiberi intelliguntur. Tunc autem proprie nullus honor defertur imagini, sed soli exemplari: tamen improprie dici potest ipsa eliam imago honorari.

Quod autem possit imago adorari adoratione ipsius exemplaris, proprie quidem.sed per accidens, probatur; nem aliquando non accipimus imaginem pro exemplari, nec consideramus solam imaginem, vel solum exemplar, sed consideramus exemplar. ut objective relucet in imagine. et ipsum sic repraesentatum, et quasi vestitum imagine veneramur: tunc autem necessario adoramus imaginem eodem cultu, quo ipsum exemplar, sed per accidens; nam qui adorat aliquem, adorat etiam omnia, quae cum illo conjuncta sunt. Sicut qui adoret regem vestitum, adorat simul regem et vestes; sed imago concipitur eo tempore conjuncta cum exemplari, quod adoratur; igitur etiam ipsa adoratur, per accidens lamen, quia ipsa nec est suppositum quod adoratur, nec ratio adorationis, sed quiddam adjunctum.

Videtur autem haec fuisse mens auctorum secundae opinionis; nam illi omnes cum explicant, quomodo jmago adoretur eadem adoratione, qua ipsum exemplar, semper deveniunt tandem vel ad impropriam adorationem, vel ad adorationem per accidens. Alexander et Bonaventura satis clare indicant se loqui de adoratione impropria. Dicunt enim ideo imaginem Christi adorari latriae cultu, quia non tam ipsa, quam Christus in ipsa adoratur.

Porro b. Thomas, et qui eum sequuntur, intelligendi sunt de adoratione per accidens; nam in primis hoc probat argumentatio eorum de unitate motus in imaginem et in exemplar. Tunc enim est idem molus in imaginem et in exemplar, quando

BELLARMINI, Vol. II.

exemplar consideratur ut objective relucet in imagine. ut diximus.

Deinde Capreolus diserte admitti adorationem istam imaginum esse per accidens, quomodo adoratur vestes regis, cum rex vestitus adoratur. Immo b. Thomas ipse art. 4. ejusdem quaestionis dicit, ita honorari honore regio imaginem regis, sicut vestes regis. certum autem est vestes regis non honorari regio honore, nisi per accidens.

Denique codem tendit speculatio Cajetani, cum ille dicit, imaginem Christi adorari latria, non ratione materiae, nec ratione formae, seu figurae, sed ratione actualis repraesentationis; non enim vult dicere, repraesentationem illam actualem esse rationem, cur imago adoretur latria: sed vult dicere, illam repraesentationem esse conditionem, ratione cujus imago concipitur conjuncta cum exemplari, et proinde per accidens adoratur.

# CAPUT XXIV.

Imagines per se, et proprie non esse colendas co cultu, quo exemplar ipsum colitur.

Quarta propositio: Imago per se, et proprie non est adoranda eodem cultu, quo ipsum exemplar, et proinde nulla imago est adoranda cultu latriae per se, et proprie.

Probatur primo ex concilio VII. act. 7. ubi legimus imaginem Christi non esse adorandam latria. Id autem falsum esset, si imagini per se, ac proprie deberetur idem cultus, qui debetur exemplari, Christus enim cultu latriae adorandus est.

Dices: Concilium loquitur de adoratione quae exhibetur rei propter se; imago autem adoratur latria, sed propter aliud. Contra;nam concilium dicit, imagines non aliter adorari, quam adoretur liber evangeliorum et sacra vasa; Quod idem repetit VIII. synodus act. ult. can. 3. At nemo unquam dixit librum evangeliorum, vel sacra vasa adorari latria ullo modo.

Secundo probatur ex Augustino, Gregorio et Damasceno, et ex conciliis senonensi et moguntino supra citatis, ubi habetur imagines non esse colendas culto divino.

Dices, loquuntur de cultu divino, qui exhibetur alicui propter se. Contra; quia de hoc non poterat esse dubitatio. Concilia autem de his relias definiunt, quae in controversiam veniunt.

Tertio latria est cultus proprius Deo, sed nulla imago per se, et proprie est Deus, sive considere-tur ratione materiae, sive ratione figurae et colorum, sive ratione relationis, ergo per se, et proprie non debetur ulli imagini cultus latriae.

Dicet, aliquis fortasse, latriam esse cultum proprium Deo, quando exhibetur propter se, non autem quando propter aliud. Contra; nam de essentia verae latriae est exhiberi propter se: latria enim dicitur summus cultus, qui debetur vero Deo, ut primo principio omnium rerum: Implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum prime

principio, et propter aliud; Nam si primo principio, non ergo propter aliud: si propter aliud, non primo principio. Ergo vel imagini exbibetur cultus latriae propter se, et haec est vera idololatria, vel non exhibetur propter se, et tum ille non est cultus verae latriae.

Praeterea vel ista latria, quae exhibetur imagini propter aliud, est idem cultus cum eo. qui exhibetur Deo, vel alius minor; si idem, ergo aeque colitur creatura, atque ipse Deus: quae certe idololatria est: nam idololatria non solum est, cum adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cum adoratur idolum simul cum Deo, Exod. 20. Deos aureos, et Deos argenteos non facietis mecum. Si est cultus minor, non ergo est latria: Nam latria est summus cultus.

Quarta ratio, imagini non convenit cultus internus, nec externus verae latriae; nam internus cultus est apprehensio rei, ut primi principii, et prostratio voluntatis conveniens illi apprehensioni: actus autem externus proprius est sacrificium. Certe autem nec apprehendimus imaginem, ut primum principium, nec illi sacrificamus: non igitur illam adoramus cultu latriae.

Quinta ratio, imago ut imago, opponitur exemplari, et est illo inferior, ergo non potest coli eodem cultu, sed minori; Nam unumquodque honorandum est pro sua dignitate. Certe autem longe majus est, esse Christum, quam esse imaginem Christi.

Sexta ratio, qui colebant imaginem Christi divinis honoribus, inter haereticos numerantur ab Irenaeo lib. 1. cap. 24. Epiphanio haeresi 27. Augustino hacresi 7. et Damasceno lib. de centum haeresibus in fine: Alqui isti cum Christum colerent, sine dubio imaginem ejus propter ipsum colebant; non igitur licet imagines colere divinis honoribus, idest, cultu latriae, etiamsi quis dicat, id se facere propter Deum, vel Christum, non propter imagines; nam hoc ipso, quod cas colit divinis honoribus, convincitur eas colere propter ipsas, non propter Deum, quidquid ipse verbis dicat.

Accedant postremo illi antiquissimi versiculi:

Nam Deus est, quod imago docet, non Deus etc.

Satis enim aperte significant, non deberi imagini cultum Deo debitum.

Ex his ad argumenta proposita facile responderi potest.

Ad primum: 0 crux ave spes unica etc. Respondeo: Vel ibi accipi crucem pro ipso Christo crucisixo, ut diximus: vel illam esse prosopopejam rhetoricam.qua Ecclesia alloquitur crucem eo modo, quo Moyses alloquitur coelum et terram, cum ait Deuteron. 32. Audite coeli, quae loquor etc. et quando b. Andreas eandem alloquebatur, cum diceret. Salve crux pretiosa etc. significamus autem hac prosopopeja nos desiderare fructum crucis, idest, salvari per meritum Christi, qui in cruce pas-

Ad secundum dicetur infra in responsione ad quintum.

Ad tertium dico; Ambrosium per crucem intel-

ligere passionem Christi sive carnem patientem. sicut per imaginem Dei intelligit divinitatem. Vult enim dicere, unum esse Christum Deum, et crucifixum, et propterea cum adoratur Christus Deus, non separari ab illo humanitatem; et cum adoratur Christus crucifixus, non separari divinita-

Ad quartum respondeo: Hieronymum ibi non dicere.a Paula proprie adoratam crucem.sed quod prostrata ante crucem adorabat Christum, quem in cruce repraesentari videbat.

Ad quintum de uno moto in imaginem, et in exemplar, variae dantur solutiones. Peresius respondet, id non esse verum, quod eodem motu feramur in imaginem, et exemplar, cum illa sint opposita, nec possint cognosci, nisi duabus cognitionibus: Ait etiam nusquam haberi in Aristotele id, quod b. Thomas adducit. At certe Aristoteles lib. de memoria et reminiscentia cap. 2.id aperte dicere videtur:Nam reddere volens caussam, cur memoria cognoscat absentia, dicit, caussam esse, quia in memoria sunt species rerum, quae sunt quasi picturae quaedam, et si quidem homo speculetur illa phantasmata.ut res quaedam sunt in se, non cognoscet praeterita.sed rem praesentem cogitabit: At si speculetur eadem phantasmata, ut imagines sunt, tunc cognoscet praeterita, quorum illae sunt imagines, quia nimirum non potest cognosci imago ut imago quin simul cognoscatur res, cujus illa est imago. Nec verum est, quod dicit Peresius, relativa quia sunt opposita, non posse cognosciuna cognitione; nam ita sunt opposita, ut unum ab altero pendeat, et unum sine altero nec definiri, nec cognosci possit.

Durandus aliter respondet, admittit enim esse unum motum mentis in imaginem, et in exemplar; sed negat propterea esse etiam unam adora. tionem; nam licet mens utrumque simul cognoscat, tamen non dicit, unum esse alterum; sed intelligit esse distincta et disparia, et proinde non adorat

illa una et eadem adoratione.

Confirmant alii hanc solutionem, quia licet sit unus motus mentis, idest, intellectus in imaginem et exemplar, tamen possunt esse contrarii motus voluntatis. Nam qui videt imaginem Christi male depictam, odit imaginem, ut imago est, et tamen diligit Christum: et econtrario, qui videt imaginem Judae pulchre expressam, diligit imaginem, et odit exemplar.

Haec solutio non satisfacit; nam b. Thomas non dicit, motum in imaginem, ut imago est, esse etiam in exemplar, sed dicit, motum in imaginem, ut imago alterius est, esse etiam in exemplar; et hoc est verum tam de motu intellectus, quam voluntatis. Nam qui amat imaginem Christi, non quia imago est, sed quia imago est Christi, impossibile est quin simul diligat Christum, quandoquidem Christus est ratio, cur diligat imaginem. Qui autem diligit imaginem pulchram Judae, et odit Judam, non diligit imaginem illam ut Judae, sed ut pulchram imaginem simpliciter, idest, delectatur illa proportione, quae est inter imaginem et exemplar, non curans quale sit exemplar.

Existimo ergo aliter respondendum. Ac primum, admitto esse eundem motum etism voluntatis in



imaginem et exemplar: sed lunc vel exemplar concipitur et adoratur tamquam principale objectum, vel non, idest, vel concipio, et adoro ipsum Christum in imagine objective relucentem; vel concipio, et adoro imaginem ipsam, ut Christi imaginem, ita ut Christus in obliquo ponatur, non in recto. Si primum, tune adoratio quidem est latriae, sed fertur in Christum per se, in imaginem solum per accidens: hoc videntur sibi voluisse Capreolus et Cajetanus. Si secundum, tunc adoratio fertur quidem in imaginem per se, et consequenter in Christum, sed non est adoratio verae latriae, sed longe inferior.

- Dices: At Christo convenit adoratio latriae verae, si ergo ista adoratio terminatur etiam ad Christum, erit verae latriae. Respondeo: Christo convenire veram latriam, quando adoratur ut est in se, non autem quando adoratur ut est in imagine per participationem. Quemadmodum qui honorat famulum regis, certe honorat ipsum regem; et tamen longe aliter honorat regem ipsum in propria persona, quam in famulo suo, ut notum est. Et hinc patet responsio ad secundum: Nam cum honoratur imago, honor ejus transit ad prototypum, sed honor ille non est talis, qualis debetur prototypo in se, sed qualis ei debetur, ut ab imagine participatur.

Ad sextum dico eodem modo, rationem cur honoretur imago, esse ipsum exemplar, exemplar tamen aliter honorari debere, ut est in se, aliter ut

participatur ab imagine.

Ad septimum dico: Eum, qui laedit statuam regis puniri ut reum majestatis, quia vere laesit regem, sed nego tam graviter puniri, ac si laesissst regem. Quod si aliquis acque graviter puniretur, id fieret, quia constaret non laesisse statuam ut statuam regis, sed accepisse statuam pro ipso rege.

### CAPUT XXV.

# Quo genere cultus adorentur imagines.

Quinta Conclusio. Cultus qui per se, proprie debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogice et reductive pertinet ad speciem ejus cullus, qui debetur exemplari. Explico: Imaginibus non convenit proprie nec latria, nec hyperdulia, nec dulia, nec ullus alius eorum, qui tribuuntur naturae intelligenti. Non enim est capax res inanima, et rationis expers ejusmodi cultuum: sed cultus quidam inferior et varius pro varietate imaginum. Itaque imaginibus sanctorum non debetur proprie dulfa, sed cultus inferior, qui dici potest dulia secundum quid, vel dulia analogice, sive reductive. Similiter imaginibus b. Virginis non debetur hyperdulia simpliciter; sed hyperdulia secundum quid, sive analogice redu-

Denique imaginibus Christi non debetur latria vera, et simpliciter, sed cultus sine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, ut imperfectum ad perfectum. Probatur, sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus ima-

ginis ad cultum exemplaris, sed imago est ipsum exemplar analogice, et secundum quid; nam homo pictus est homo secundum quid, et analogico, ergo eliam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus et analogicus.

Praeterea, imago reducitur ad speciem exemplaris; nam homo pictus, et equus pictus differunt specie, quia homo verus et equus verus differunt specie: ergo etiam cultus imaginis reducitur ad cultum exemplaris, et forte b. Thomas et b. Bonaventura, et alii hoc solum dicere voluerunt, cum dixerunt, eodem cultu coli imaginem et exemplar; ita enim corum sententiam interpretatur Gabriel:

quod si ita est, omnes convenimus.

Ex his habemus etiam, quid sit dicendum de vera cruce Domini, de clavis, spinis, aliisque reliquiis. Sunt enim haec omnia honoranda minore cultu, quam Christus vel sancti, quorum reliquiae sunt, sed tamen tali, qui analogice et reductive pertineat ad speciem cultus, quo Christus vel sancti coluntur: nam reliquiae ideo merentur honorem, quia ratione contactus, vei aliquo alio modo habitudinem habent ad eos quorum sunt reli-

### CAPUT XXVI.

# De adoratione crucis.

Etsi crux Domini partim inter reliquias veneretur, partim inter imagines ( nam crux illa vera, in qua Dominus pependit, propter contactum sacri corporis et sanguinis, inter pietosissimas reliquias habenda est, nec solum ipsa integra, sed etiam particulae ejus; at crux illa eadem, quatenus figuram crucifixi Domini repraesentat, et similiter caeterae cruces illi similes, inter sacras imagines numerantur) tamen quia peculiares errores, el pe-culiaria argumenta de cruce inveniuntur, peculiarem etiam de illa disputationem instituendam putavimus.

Fuit igitur haeresis in primis Claudii taurinensis, qui praeter caeteras imagines crucem Domini execrabatur, teste Jona lib. 1. Vixit autem Claudius anno Domini 800. Idem eodem tempore in oriente docebant Paulitiani, a quodam Paulo sic appellati, teste Euthymio in Panoplia part. 2. til. 21.

Deinde circa annum Domini 1130. exstiterunt Petrus Bruis, et Henricus, qui similiter crucem Domini, ejusque cultum oppugnabant, teste Petro Cluniacensi, qui contra eos epistolam prolixam et eruditam illo ipso tempore scripsit ad omnes episcopos. Circa idem tempus, vel paulo post exstiterunt in oriente Bogomiles, qui idem iisdem argumentis docebant, teste Euthymio Panopl. par. 2.

Non minus postea crucis honorem detestati sunt Wiclefistae, apud Thomam Waldensem tom. 3. iii. 20. Calvinus lib. 1. Institut. cap. 11. § 7. Magdeburgens. Centur. 4. cap. 4. col. 302. cap. 6. col. 458. et 459. ubi etiam impudenter mentiuntur, usum signi crucis saeculo IV. novum fuisse. Nam Tertullianus lib. de corona militis, meminit signi

crucis, cum tamen floruerit saeculo II. Sicut etiam Cent. 7. c. 6. col. 191. mentiuntur, Sergium papam fuisse auctorem primum, ut crux adoraretur, et exoscularetur. Nam Sergius papa sedit anno Domini 688. At meminit adorationis et exosculationis crucis Evagrius lib. 4. cap. 26. qui est centum annis Sergio antiquior. Meminit etiam Hieronymus in epistol. ad Marcellam, ut migret Bethlehem.

Argumenta Bogomilium et Petrobrusianorum erant tria. Primum, quia crux dolorem et ignominiam Christo attulit, ergo detestanda est iis, qui Chri-

stum diligunt.

Secundum, quia stultus et impius judicaretur fllius, qui patibulum amaret et honoraret, in quo

pater ejus suspensus fuisset.

Tertium, quia si oportet adorare omnes cruces quia Christus in cruce pependit; oportebit etjam adorare omnia sepulchra, quia in sepulchro Dominus quievit; et omnia praesepia, quia in praesepi reclinatus fuit; et omnes columnas, lanceas. spongias, flagella etc. Immo et omnes asinos (inquit Claudius) quia Christus asino vectus fuit.

Quarto arguit Claudius, hostes Christi gaudebant de passione Domini, de resurrectione dolcbant: et contra, amici ejus de passione dolebant, de resurrectione gaudebant, ergo qui crucem honorant, et

illam amant, imitantur Christi hostes.

Quinto argumentabantur Wiclefistae apud Waldensem, si ratione contactus, vel quia istrumentum passionis fuit, crucem adoramus, oportebit etiam adorare labia Judae, quae contigerunt os Domini osculando, el manum illius servi, qui Dominum tetigit, cum alapam illi inflixit; nam haec omnia teligerunt Dominum, et instrumenta passionis fuerunt.

Sexto argumnt Centuriatores, superstitio est characteribus tribuere virtutein; at Papistae tribuunt figurae crucis vim pellendi daemones, et omnia mala; ergo superstitiosi sunt. Quae objectiones infra cap. 30. diluentur: Antea vero rem explicabimus. Dicemus igitur tria: Primo, de ipsa cruce. Secundo, de crucis imagine. Tertio, de signo crucis transeunte.

# CAPUT XXVII.

### De cruce vera Domini.


Quantum ad primum, antequam veniam ad probationes, notanda sunt aliqua de figura ipsius crucis. Sciendum igitur, crucem ex tribus lignis factam esse, quorum unum erat longum, cui corpus adhaerebat, alterum transversum superpositum longo, quibus affigebantur manus, tertium lignum erat infixum in ligno longo, ut in eo pedes erucifixi starent, et clavis figi possent. Id testatur Irenaeus lib. 2. cap. 42. Habitus, inquit, idest, figura crucis fines et summitates habet quinque, duas in longitudinem, duas in latitudinem, unam in medio, in qua quiescit, qui clavis affigitur. Item habet Justinus in dialogo cum Triphone ultra medium.

Utrum autem lignum transversum esset suprapositum ligno longo, ita ut non emineret lignum longum sursum versus, non est certum; Nam Beda in quaest. in Genes. ubi de victoria Abrahae loquitur, dicit crucem similem fuisse literae graecae τ, qualem etiam fuisse olim hebraicum Thau, docet Hieronymus in c. 9. Ezechielis. At b. Augustinus epist. 120. c. 26. dicit, lignum longum eminuisse supra transversum. Et hoc est probabilius; nam est conformius verbis Irenaei, et verbis apostoli ad Ephesios c. 3. ubi alludens ad figuram crucis, nominat sublimitatem, profundum, longitudinem et latitudinem. Porro qui dicunt crucem fuisse similem literae thau, dicunt verum, quia parum differebat.

Quod autem scribit Beda in suis collectaneis et floribus, crucem factam ex quatuor generibus lignorum, ex cedro, pino, cypresso et buxo: et quod scribitur in historia scholastica de ligno eruto ex probatica piscina etc. non habent veterum

testimonia, nec videntur probabilia.

Illud autem non est ignorandum, veteres aliquid addidisse mysterii gratia, quod etiam nunc ex parte servatur. Nam lignum longum producebant sursum versus, et flectebant ad modum baculi pastoralis, ut referret literam graecam P. paulo inferius apponebant duo ligna transversa ad similitudinem crucis s. Andreae quae referrent literam graecam X.ita ut duae illae literae per abbreviationem significarent Christum; infra illum ponebant lignum transversum, quod vere perficit crucem. et inde pendebat velum expansum: Infra lignum trans-



versum erat lignum longum in similitudinem hastae; ad infimam parne tem addebant capulum ad commoditatem gestandi. Haec omnia significabant crucem esse vexillum imperatoris Christi; nam crucem testabatur ipsa figura: Christi nomen indicabant due literae X et P, vexillum, ex velo, hasta et capulo dignosceba-

tur. Vide Joannem Pierum Valerianum de signis hieroglyphicis lib.50. et Primasium lib.4.in Apocalyp. ubi hoc ipsum signum vocat manogramma et signum Christi. Tale fere fuit et labarum Constantini. Nam ut Eusebius resert lib.9. hist. cap. 9. labarum. quod ante imperatores gestari solebat et a militibus adorari, Constantious in formam crucis redegit, sie tamen, ut etiam vexilli formam non ammitteret.

Describit autem ipsum labarum Eusebius lib. 1. de vita Constantini, ubi dicit, fuisse hastam totam auro circumdatam, in cujus summitate posita erat corona preliosissima, infra eam cornu transversum ad formam crucis, ex quo pendebat velum purpureum auro et gemmis ornatissimum, ad cujus partem infimam visebantur imagines Constantini et filiorum. In ipsa vero hasta sub corona erant literae nominis Christi.

Jam vero modus crucifigendi communis non erat, ut multi putant, funibus alligando, sed clavis figendo. Pictores vero solent solum Christum depingere clavis affixum, latrones autem, et s. Petrum funibus. Sed non ita est, omnes enim clavis figebantur, immo et omnes crucem suam ferebant,

Digitized by Google

omnesque antea flagellis caedebantur. Vide Plutarchum de tarda numinis vindicta; Marcum Tullium act. 7. in Verrein; Nonium Marcellum verbo Patibulum, qui sic nit: Deligati ad patibulum circumferuntur, deinde cruci figuntur. Macrobium lib. 1. Saturn. c. 11. Joseph. lib. 6. de bello judaico c. 12. et in vita sua in lib. de passione s. Andreae, inquit proconsul: In ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi praecipiam. Caeterum cum s. Andreas crucifigendus esset, praeter modum ordinarium, jussit idem proconsul ut funibus eum in cruce suspenderent, et clavis affixus cito deficeret. Adde, quod ideo dubitabatur, quaenam ex tribus repertis crucibus, esset crux dominica, quia omnes tres hahebant similia foramina, et clavos etc. Vide Ruffinum lib. 10. hist. cap. 8.

His ergo praenotatis, ad argumenta veniamus. Ac primum, quod lignum crucis venerabile sit, probatur ratione ex Scripturis desumpta. Nam Scripturae testantur, Christum non crucifixum casu, vel inv tum, vel propter sua peccata, sed ipsum sponte elegisse crucem, et elegisse ut altare summi sacrificii, quo placaretur Deus, ut scalam sibi ipsi ad regnum, instrumentum liberationis generis humani, ac demum ut instrumentum, quo diabolum vinceret, ac de eo triumpharet. Ex quo sequitur, crucem illam veram a Deo mirifica fuisse honoratam, et nobis omnibus amabilem et venerabilem esse debere.

Quod sponte illem elegerit, patet Issise cap. 53. Oblatus est, quia ipse voluit, Joan. 10. Ego pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam. In Act. Apostol. cap. 2. Hunc definito consilio, et praescientia Dei traditum interemistis. Actor. 3. Deus, qui praenunciavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, implevit sic. Actor. 4. Convenerunt vere in civitate ista Herodes et Pontiús Pilatus cum gentibus, et populus Isräel facere, quae manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.

Quod crux fuerit ara summi sacrificii, patet, quia Christus ipse crucifixus est summum sacrificium, in epist. ad Hebr. cap. 7. Unde ad Coloss.

1. Pacificans per sanguinem erucis ejus, idest, per sanguinem ejus in cruce, quasi in altari fusum. Et hoc significavit lapis erectus et inunctus, et domus Dei vocatus a Jacob Gen. 20.

Quod crux scala fuerit Christo ad regnum Joan. 12. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, et ego si exallatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans, qua morte esset moriturus. Ad Philip. 2. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus exaltavit illum etc.

Quod serit instrumentum liberationis, docent plurimae figurae, quas collegit Joannes Damascenus lib. 4. de side cap. 12. Id enim significavit lignum vitae in paradiso Genes. cap. 2. area lignes Nõe domum ejus salvans Gen. 7. virga Moysis aperiens mare £xod. 14. lignum aquas dulces reddens £xod. 15. Sed praecipue serpens aeneus exaltatus in deserto. Num. 18. de quo Dominus Joan. 3. Siqui exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita

exallari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Hinc videlicet Ecclesia sequuta Paulum ad Galat. 6. dicit: Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra.

Quod cruce diabolum vicerit, et de eo triumpharit, patet ex epist. ad Coloss. 2. Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, assigens, illud cruci, expolians principatus et potestates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso. Origenes hom. 8. in Josue, dicit, in Graecis haberi: triumphans illos in ligno crucis: et licet nunc non habeamus in ligno, sed ἐν ἀντῶ, id est, in ipso, tamen optime referri polest ad crucem, de qua supra dixerat, έν τῶ ςαυρῶ, ut refert Theophylacius. Dicit ergo Origenes, in cruce duos' fuisse affixos, Christum visibiliter, sponte sua, et ad tempus; diabolum autem invisibiliter invitum, et in sempiternum ejus opprobrium; et boc probat ex isto loco, ubi Paulus mitur metaphora triumphi, indicare volens, crucem esse currum triumphalem, in cujus summa parte sedet Christus triumphans, et in parte ima trahitur diabolus alligatus, et ostentatur quasi in pompa. Id enim significat verbuin έδειγμάτισεν et θριαμβεύoac.

Argumentum secundum sumitur a mysteriis in ipsa cruce significatis. Nam, ut ait Augustinus opist. 120. cap. 26. Qui mortuus est, quia voluit; etiam mortuus est, quando voluit,nec sine euussa crucem potius, quam aliud instrumentum mortis elegit. Quid autem crux mystica significet docent Irenaeus lib. 5. Greg. nyssenus orat. 1. de resurrectione; Augustinus in epist. 119. et 120. Hieronymus et Theophylactus in c. 3. ad Ephes. ubi de cruce exponunt verba Pauli: Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sil latitudo et longitudo, sublimitas et profundum. Nam latitudo vocatur lignum transversum; sublimitas pars ligni, ubi est titulus supra transversum; longitudo ligni pars a transverso usque ad terram; profundum, pars ejusdem, quae latet sub ter-

Significat autem ista figura primo totam perfectionem christianam, ut Augustinus docet; profundum, fidem; sublimitas, spem; latitudo, charitatem; longitudo, perseverantiam.

Secundo, Christi passionis effectum; nam lignum supremum significat coelum Christi passione apertum et Deum placatum; lignum sub terram infixum, infernum evacuatum et diabolum devictam; lignum.transversum respiciena ortum et occasum, totum orbem terrarum redemptum. Itaque propterea Christum crucifixum adorent coelestia, terrestria et inferna, ut Nyssenus deducit.

Tertio, duo brachia erucis sub uno titulo Salvatoris; significant duos populos (inquit Irenseus) sub uno capite Christo inter se connexos, juxta illud Joan. 12. Ego si excaltatus fuero a terra, amnia traham ad meipsum.

Addunt Minutius Felix in Octavio, et Ambrosius serm. 56. crucis figuram esse etiam naturaliter salutarem. Nam aves numquam volarent, nisi ex-

pansis alis crucis formam imitarentur: et navis non moveretur, nisi ex malo et antenna crux fieret: et arator terram non scinderet, nisi ex aratro et stiva crucem faceret; et rursum aliam ex jugo et temone. Coelum ipsum crucem facit, si lineae ducantur ab ortu ad occasum, ab aquilone ad austrum.

Denique etiam Aegyptiis qui hieroglyphicis characteribus utebantur. crux vitam venturam significabat, ut refert Ruffinus lib. 2. histor. cap. 29.

Argumentum tertium, ab inventione crucis, ex qua multiplex testimonium sumitur, quod venera-

tio ligni crucis Deo placeat.

Primo, quod non permiserit Deus lignum illud demergi in mare, vel flammis absumi. Quod enim hostes Christianorum conati sint abolere crucem, ejusque omnia vestigia, patet ex eo, quod altissime crucem sub terram absconderunt, et in loco crucis, Veneris simulacrum; in loco resurrectionis, Jovis; in loco nativitatis, Adonidis posuerunt, ut refert b. Hieronymus in epist. ad Paulinum de institutione monachi. Cur, quaeso, non cremarunt crucem, cum vellent et possent, nisi quia Deus abstulit illis mentem, ut ad solatium piorum lignum pretiosissimum servaretur?

Secundo, quod Deus co tempore crucem inveniri voluerit, quo tuto poterat coli, nimirum ad initium imperii Constantini; Nam si antea reserata fuisset, regnantibus persequutoribus, magis ludibrio quam honore excepta fuisset: Si autem diu post tempora Constantini fuisset inventa, fraudata fuisset sancta crux debito honore. Tunc igitur primum divina providentia crucem manifestavit, cum

primum potuit coli.

Tertio, quia per evidentia miracula demonstratum est esse veram crucem, et proinde crucis inventionem, revelationem illam esse a Deo. Nam rum tres cruces simul inventae fuissent, nec posset plane crux Domini a crucibus latronum internosci, admotae fuerunt omnes tres ad mulierem quandam in extremis agentem, et cum duae priores nihil egissent, tertia admota mulieri, mox illam reddidit sanam. Scribit hoc Russinus lib. 10. hist. c. 8. Socrates lib. 1. cap. 13. Theodoretus lib. 1. cap. 18. Sozomenus lib. 2. cap. 1. et Nicephorus lib. 8. cap. 29. Nec solum mulierem segram sanavit, sed eliam mortuum virum excitavit eodem tempore, ut scribunt Paulinus epist. 11. ad Severum, Severus lib. 2. historiae sacrae et Sozomenus lib. 2. c. 1. qui et viri mortui et mulieris aegrotae meminit.

Neque obstat, quod Ambrosius orat. in Theodosium, et Chrysostomus hom. 84. in Joan. dicunt, crucem Domini ex titulo cognitam, quo carebant aliae duae. Nam Ruffinus indicat, ex titulo quidem fuisse cognitam crucem Domini, sed non omnino evidenter, quia titulus non erat affixus cruci, sed jacebat prope eam; ideoque, ut nulla remaneret ambiguitas, ad miraculum confugerunt. Nec solum crux miraculo illo claruit, sed etiam clavus quem Helena ad Constantinum misit. De eo siquidem (ut Ambrosius testatur loco citato) Judaei dicebant: Ecce et clavus in honore est, et quem ad mortem

impressimus, remedium salutis est, alque invisibili polestate daemones torquet.

Quarlo, quia Helena non ex se incitata est ad crucem Domini quaerendam, sed divinis admonita revelationibus. Sic enim testatur Eusebius in chron. quod Hieronymus latinum fecit: Helena Constantini mater, inquit, divinis monita visionibus, beatissimum crucis lignum in quo mundi salus pependit, apud Hicrosolymam reperit. Et idem dicunt Ambrosius, Russinus, Paulinus, Sulpitius et alii. Ex quo apparet impudens blasphemia Magdedurgensium, qui Centur. 4. cap. 6. col. 458. Helenam superstitiosam vocant, quia Hierosolymam petit. ut lignum crucis inveniret, quam tamen sancti Patres omnes mirifice laudant, et Spiritu sancto inspirante dicunt, cam crucis lignum quaesivisse. Insam vero historiam licet celeberrimam conantur Magdeburgenses dubiam reddere Cent. 4. cap. 13. col. 1438. et 1439. duabus conjecturis. Prima est. quia Ambrosius est antiquissimus omnium, qui eam historiam referunt: sed illius orationem in Theodosium, ubi hoc habetur, Erasmus non reripit, ut germanam. Secunda, quia Eusebius lib. 3. de vita Constantini de Helena multa narrat, et de repurgatione montis Calvariae, et tamen non meminit inventionis crucis.

Ad primam dico primo: Non exstare talem Erasmi censuram, immo ipsi Magdeburgènses Centur. 4. cap. 13. in vita Ambrosii, ex judicio Erasmi hanc orationem Ambrosio tribuunt. Ex quo perspi-

cere potes eorum constantiam.

Dico secundo: Si exstaret, non esse Erasmum divinum oraculum, cui necessario credi debeat.

quando nullam affert rationem.

Dico tertio: Falsum esse, quod Ambrosius sit antiquissimus eorum, qui banc historiam referunt; nam Sulpitius, Paulinus, Ruslinus, Hieronymus, Chrysostomus, qui eandem recitant, aequales Ambrosii dici possunt, cum eodem tempore vixerint, licet Ambrosius esset fortasse paulo senior. Deinde eandem recitat Cyrillus hierosolymitanus, Ambrosio antiquior, in epist. ad Constantium Augustum: ilem Constantinus ipse. Ambrosio similiter antiquior, ejusdem meminit in epist. ad Macharium. quam refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini, ubi sic habet: Tanta est Dei nostri benignitas, ut nulla verborum officia praesenti miraculo digna esse queant. Hoc enim admirationem omnem, stuporemque praeterit, indicium tormenti sacratissimi, tot annis humo sepultum, usque dum interfecto communi hoste, liberae familiae apparuit, ignorari etc. Ibidem addit, novis miraculis fidem esse declaratam.

Ad secundam objectionem dicimus. Eusebium in chronico hujus rei meminisse: in libris autem de vita Constantini non fecisse de hac re mentionem, quia res erat notissima omnibus, et satis putabat esse, quod eam attigisset in literis Constantini. Huic inventioni sanctae orucis addi potest inventio sacrae lanceae, quae divina revelatione reperta est Antiochiae. anno Domini 1098. et inmiraculo nobilitata. Vide Gulielmum Tyrium lib. 6. de bello sacro, Paulum Aemilium lib. 4. de resignibus gestis Francorum, et Dodechinum

Mariani Scoti continuatorem in chronico anni

Argumentum quartum, a testimoniis veterum, qui passim referunt, quanto desiderio tenerentur fideles habendi, aut certe videndi particulas verae crucis, quod ad magnum crucis honorem pertinere nemo ignorat. In primis b. Cyrillus hierosolymitanus calechesi 10. et 13. dicit, ex ligno crucis Hierosolymis invento totum mundum repletum; plurimis indeparticulas petentibus et impetrantibus Constantinus particulam crucis statuae suae inseruit, quam Constantinopoli collocavit, existimans per cam crucis particulam totam urbem custodiendam, ut referunt Socrates lib. 1. cap. 13. et Eutropius, sive Paulus diaconus qui multa addidit Eutropia lib. 11. rerum romanarum. Gregorius nyssenus in vita Macrinae sororis, scribit, eam gestare solitam ad collum crucem argenteam, cui inserta erat particula verae crucis.

Paulinus epist. 12.ad Severum scribit, se mittere, tamquam summum donum, particulam crucis verae, auro inclusam. Idem etiam natali decime s. Felicis, scribit, se restinxisse incendium maximum ostensa particula crucis, quod nulla arte extingui poterat.

Ipse, inquit, domum remeans, modicum, sed grande salutis.

De crucis aeternae sumptum mihi fragmine lignum Promo, tenensque manu adversis procul ingero flammis etc.

Chrysostomus hom.quod Christus sit Deus, scribit, eos qui potuerant potiri particula crucis, auro inclusam servare, ac inde se valde ornari et custodire merito credere. Evagrius lib. 4. hist.cap. 26. et Procopius lib. 2. de bello persico, narrant, Apameae fuisse particulam sanctae crucis, quam sibi ostendi populus voluit, cum civitas diu obsessa jam jam capienda videretur, ut nimirum conspecta cruce Domini, alacrius morerentur. Sed cum ab episcopo crux illa ostenderetur semel et iterum, et tertio effulsisse semel et iterum, et tertio splendidum ignem, non comburentem, sed lucentem, quo territi hostes, obsidionem solverint. Gregorius lib. 7. epist. 126. ad Recharedum regem Visigothorum, mittit crucis particulam, ut eximium munus.

Ambrosius oratione in Theodosium, loquens de clavo inserto ab Helena galeae imperatoris; Sapienter, inquit, Helena egil, quae crucem (particulam videlicet cructs, nimirum clavum unum) in capite regum levavit, ut crux Christi in regibus adoretur.

Hieronymus in psal. 98. exponit de cruce, illud: Adorate scabellum pedum ejus. Et in epist.17.ad Marcellam, dicit: Ergone erit illa dies, quando nobis liceat spelunçam Salvatoris intrare, crucis lambere lignum etc.

Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap.8.scribit: Ad terram sanctam, ex monte Calvariae allatam in Africam, miracula fieri solita, et se cum alio episcopo eam infodisse, et orationis locum super eam constituisse. Quo honore Augustinus prosequeretur

crucem, quando sic honoravit terram, ubi fuerat

His adde Sybillae carmen, quod habetur lib. 6. carminum sybillinorum, prope finem:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit.

Argumentum quintum, ab exaltatione crucis. Constat enim ex Paulo diacono, Zonara et Cedreno in vita Heraclii, Heraclium in recuperatione crucis, quam Persae ex Hierosolymis abstulerant, divinitus adjutum, ita ut etiam de coelo Deus lapidibus grandinis pugnaret contra Persas, ut olim fecerat cum Josue. In ipsa etiam restitutione crucis in suum locum, miracula quaedam contigerunt, ut refert Sigebertus in chronico anni 631. Unde etiam festum institutum testantur Otho frisingensis lib. 5. c. 9. Beda et Ado in martyrologio.

Argumentum sextum, si locus, in quo angelus stetit, terra sancta est, Josue cap. 5. Exod. 3. cur non magis crux, ubi stetit Christus? Si sudaria et semicinctia Pauli honorabantur propter contactum, cur non magis crux Christi sanguine respersa? Si sacramenta honorantur, quia instrumenta gratiae. cur non crux, quae instrumentum est redemptionis?

### CAPUT XXVIII.

# De imagine crucis.

Jam vero de imagine crucis habemus primo teslimonium Matth. 24. Tunc apparebit signum filii hominis in coelo; ex qua apparitione miro modo venerabile reddetur signum illud, idest, crux. Naur etsi Calvinus, Musculus. et alii quos refert in sua catena ad hunc locum Marloratus, negent hic agi de cruce, ac velint hunc esse horum verborum sensum: Tunc apparebit signum Filii hominis,idest, tunc apparebit Filius hominis tam manifeste, ac si edito signo in se omnium oculos convertisset: omnes tamen veteres ad unum exponunt de cruce: ita Origenes, Chrysos!omus, Hieronymus, Hilarius, Theophylacius, Euthymius, Beda in cap. 24. Matthaei: item Cyrillus catechesi 15. et Augustinus serm. 130. de tempore. Ecclesia quoque canit in festo inventionis; Hoc signum crucis orit in coelo, cum Dominus ad judicandum venerit.

Sybilla etiam lib. 6. in fine:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependil. Nec le lerra capil, sed coeli lecla videbis, Cum renovala Dei facies ignila micabil.

Et quidem Thomas Waldensis tom. 3. titul. 20. cap. 158. non omnino improbabiliter dicit, ipsam veram crucem ligneam, quae nunc divisa est in multas particulas, tunc reformandam, et colligendam, et apparituram in coelo. Nam id videntur asserere Sybilla et Chrysostomus in serm. de cruce et latrone; nec alii Patres contradicunt.

Neque obstat illud Ecclesiae: Hoc signum crucis erit in coelo. Nam etiam vera crux dici potest signum crucis, idest, instrumentum habens figu-

ram crucis. Sed si hoc non admittatur, saltem imago crucis lucida in coelo apparebit ex äere, vel igne condensato, ut Abulensis et Jansenius, et alii docent.

Hine autem multiplex argumentum dicitur ad probandum honorem crucis; Nam primo honorabilis est crux, quia ab ipso Christo vocatur signum ejus, idest. vexillum Christi: si enim vexillum imperatoris milites adorant, ut patet ex Sozomeno lib. 1. hist. cap. 4. cur vexillum Christi non adorabitur? Secundo honorabilis est, quia in coelo apparebit, loco nimirum sublimi et honorifice. Tertio, quia manibus Angelorum feretur, ut Augustinus docet serm. 130. Quarto, quia splendebit clarius sole: quod probant Augustinus et Chrysostomus; quia tunc apparebit et conspicietur ab omnibus, quando soi et luna, et stellae obscuratae fuerint, ut patet ex Matth. cap. 24.

Argumentum secundum sumi potest a testimoniis sucrorum conciliorum. Nam synodus VI. can. 73. synodus VII. act. ult. et synodus VIII. act. item ult. canones ediderunt de veneratione crucis.

Tertium argumentum ab usu et testimoniis veterum. Justinus in apologia secunda: Signa, inquit, et notae, quae apud nos sunt, hujus rei (crucis) virtutem declarant. Tertullianus in apologetica cap. 16. objectioni gentilium respondet de adoratione crucis ligneae; Idem facit Minutius in Ostavio. Ex quo apparet, ab ipso Ecclesiae exordio, etiam ante crucis verae inventionem Christianos solitos habere, et venerari crucis imaginem. Origenes lib. 6. in epist. ad Romanos, dicit crucis figuram ante oculos positam, si attente consideretur, valere ad depellendam omnem tentationem.

Constantinus Magnus labarum in formam crucis redegit, ut patet ex Eusebio lib. 9. cap. 9. hist. et ex lib. 1. de vita Constantini. Quia vero labarum adorabatur, numquam Constantinus crucem in labaro posuisset, si putasset, esse idololatriam venerari crucem: Immo Sozomenus lib. 1. cap. 4. hist. scribit, ideo Constantinum vertisse labarum in crucem.ut milites assuescerent crucem venerari.

Dices: Etiam ante Constantini tempora labarum habuit formam crucis, ut Tertullianus in apologetica cap. 16. Justinus in 2. apologia, et Minutius in Octavio testantur.

Respondeo: Labarum ante Constantini tempora habuisse quandam crucis similitudinem, quia erat velum in ligno suspensum, non tamen proprie crucis figuram habuisse, nisi tempore Constantini. Idem Constantinus, ut refert Eusebius lib. 1.de vita Constantini, Romae devicto Maxentio, in loco celeberrimo erexit crucem cum his verbis: Hoc salutare signum. Et rursum in manu dextera statuae suae crucem apponi jussit cum his verbis: Hoc uno verae fortitudinis signo urbem vestram liberavi etc. Idem etiam decreto cavit, ne deinceps ulli facinorosi cruci affigerentur, ut crux non amplius horrori, sed amori et venerationi omnibus esset, ut scribit Sozomenus lib. 1. cap. 8. et Augustinus ser. 18. de verbis Domini. Et contrario in pecuniis, quas omnes amant, crucis figuram excudi jussit, ut ibidem Sozomenus refert.

Constantini pietatem imitatus Theodosius, prohibuit ne crux humi sculperetur, vel pingeretur, ne sacrum signum pedibus calcaretur:ita enim habetur lib. 1.codicis, tit. 8. L. Cum sit nobis. Quod testimonium ex Petro Crinito lib. 9. cap. 9. adversarii corrupte citant, quasi Theodosius prohibuisset imaginem crucis sculpi, vel pingi.

Theodosium sequutus Arcadius filius, auream monetam cum signo crucis cudi jussit, teste Prospero de praedictionibus et promissionibus part. 3.

cap. 34.

Tiberius quoque optimus imperator, Theodosii legem sequutus, cum vidisset in palatio humi erucem in marmore incisam, mox erigi jussit, dicens: Cruce Domini frontem et pectus munire debemus, et nos eam pedibus terimus? testis Paulus diaconus lib. 18. rerum roman. Ubi etiam addit, sub illo marmoro repertum ingentem thesaurum amplius centum millium aureorum, in remunerationem videlicet pietatis tam religiost principis.

Constantini tempore scripsit Lactantius carmen

de cruce, in quo inter caetera legimus:

### Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Non diu postea Athanasius quaest. 16. ad Antiochum reddidit caussam, cur Christiani faciant et colant potius imagines crucis, quam lanceae, vel spongiae; quia videlicet si ethnici dicant nos celere lignum, mox duobus lignis crucis disjuncțis figuram crucis destruimus, nec amplius veneramur.

Joannes Chrysostomus in supplicationibus argenteus cruces cum ardentibus facibus praeferri iubebat, ut Socrates lib. 6. cap. 8. et Sozomen. lib. 8. cap. 8. testantur. Idem etiam Chrysostomus in lib. quod Christus sit Deus, dicit, suo tempore crucis figuram omnibus in locis depingi solitam, in urbibus, in domibus, in cubiculis, in vasis, in solitudine, in montibus etc. Augustinus tract. 36. in Joan, et in psal. 36. Qui tantum, inquit, honorem tribuit supplicio suo, quid servat fidelibus suis? Cyrillus lib. 6. Julianum, respondet Juliano reprehendenti Christianos, quod lignum crucis adorarent, ejusque figuram ante domos suas depingerent. Ruffinus lib. 2. cap. 29. bist. testatur, apud Aegyptum, cum ad fidem converterentur Aegyptii, abique fuisse depictas cruces loco thoracis Serapidis, quem ethnici venerabantur. Beda lib.1. hist. Angl. cap. 25. scribit, Augustinum a b. Gregorio missum ad Anglorum conversionem, crucem argenteam et imaginem Christi in tabula depictam pro vexillo practulisse. Ipse etiam Gregorius lib. 7. epist. 5. de crucis veneratione loquitur. Leo serm. 8. de passione Domini: Pulchra specie, inquit, triumphi sui trophaeum, et invictissimae patientiae signum salutis adorandum populis omnibus inferebat.

Sedulius in carmine paschali:

Pax crucis ipse fuil, violentaque robora membris Illustrans propriis, poenam vestivit honore. Suppliciumque dedit signum magis esse salutis, Ipseque sanctificans in se tormenta beavit: Neve quis ignoret speciem erusis esse colendam, Quae Dominum portavit ovans etc.



Argumentum quartum ab apparitione et miraculis crucis. Primo, apparuit Constantino crux lucidissima in äere cum illis verbis: Ε'ν τούτω νικά, idest, in hoc vince: refert Eusebius lib. 1. de vita Constantini. Ubi etiam addit, se id accepisse ab ipso Constantino jurante rem ita se habere. Neque apparuit illi crux in somno, ut Sozomenus lib. 1. cap. 3. et Paulus diaconus lib. 11. rerum roman. dicunt; sed plane vigilanti, et iter facienti cum toto exercitu, ut Eusebius dicit.

Porro non frustra dictum esse Constantino: In hoc signo vince, apparet ex victoriis Constantini, nam lib. 2. de vita Constantini scribit Eusebius, in praeliis jussisse Constantinum semper deferri labarum cruce insignitum ad eam partem agminis, quae magis laborabat; et quocumque labarum accessisset, mox etiam victoriam sequi solitam. Addit ibidem, eum, qui labarum deferebat, cum metu hostium irruentium reliquisset labarum, continuo necatum esse: qui autem illud de manu abjicientis suscepit, numquam feriri potuisse, etiamsi innumerabilia prope tela in illum conjecta fuissent; omnia enim (mirabile dictu) in hasta crucis infigebantur.

Secundo, apparuit crux lucidissima supra montem Olivetum tempore Constantini imperatoris, de qua apparitione exstat epist. Cyrilli hierosoly-

mitani ad Constantium.

Tertio, apparuit tempore Juliani apostatae, qui eam persequebatur, ut narrat Gregorius nazienzenus orat. 1. in Julianum. Nam cum Julianus inspiceret exsta pecudum aruspicii gratia, invenit crucem coronalam; et quidam aruspices periti, ut resert Paulus diaconus in ejus vita, dicebant signisieari religionem christianam, quae crucem venerabatur, fore perpetuam, nec posse vinci a Juliano. Adulatores autem ejus dicebant, significari angustias, et quasi carceres orucis; sed eventus prio-rem sententiam veram ostendit. Eodem tempore, cum Judaei, Juliani jussu exstruere vellent templum in Hierosolymis in dedecus crucifixi, apparuit rursum in äere circulus ingens lucidus, crucem splendidissimom ambiens; et praeterea in vestibus fere omnium hominum ejus loci apparuerunt cruces quasi summo artificio elaboratae, ut scribit idem Nazianzenus or. 2, in Julian.

Quarto apparuit crux in äere tempore Arcadii, cum imperator bellum susciperet pro fide contra Persas, Christianorum persequutores, in quo bello divinitus adjutus fuit: testatur hoc b. Prosper in lib. de promissionibus divinis part. 3.

cap. 34.

Quinto, apparuerunt cruces in vestibus hominum tempore Leonis Iconomachi, cum haeretici contra imagines sacras insanirent, ut testatur Paulus diaconus in vita Leonis Iconomachi. Ad hoc genus referri potest apparitio crucis in Anglia in arbore, anno 1559. de qua vide Alanum Copum.

Practer has apparitiones miracula sine numero per crucis figuram effecta referri possent. Insigne est illud Hilarionis, quod refert b. Hieronymus factum apud Epidaurum. Nam cum mare egrederetur terminos suos, et periculum esset, ne civitatem obrueret, Hilarion in littore tres cruces pinxit.

BELLARMINI Vol. 11.

Mare autem cum eo pervenisset, coepit intumescere, et in magnam altitudinem instar muri cujusdam
excrevit sursum versus, quasi fremens et indignans,
quod progredi ulterius prohiberetur, tandem crueis virtuti cedens, fluctus suos in seipsum retorsit,
Multa quoque miracula facta narrat Beda lib. 3.
cap. 2. histor. Anglor. per ligneam crucem, ab Oswaldo rege sancto erectam, ac illud omnium primum, quod ipse cum paucis contra innumerabiles
hostes pugnavit et vicit.

Argumentum ultimum a ratione. Nam signa rerum sanctarum sancta et venerabilia sunt, ut supra ostendimus: certe quaelibet crux sancta et venerabilis est, quia gerit imaginem Christi crucifixi, idest, Christi in ipso opere redemptionis occupati,

quo nihil sanctius cogitari potest.

### CAPUT XXIX.

# De signo crucis

Restat signum crucis, quod in fronte, vel in äere pingitur, vel super quascumque res digito exprimitur. Quod signum sacrum esse et venerabile. Primo ostendi potest ex figuris Testamenti veteris.Nam sanguis agni in postibus domorum, de quo Exodi 12. nihil aliud significabat, nisi signum crucis in frontibus Christianorum. Augustino teste in lib. de calechizandis rudibus cap. 20. Item illud Tau, quod Ezechielis cap. 9. jubetur describi in frontibus gementium, apertissime signum crucis, quod in fronte potissimum pingimus, indicabat, teste Cypriano in lib. adversus Demetrianum, et Hierogymo in commentario Ezechielis. His adde illud Apocalyp. 14. Habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus in frontibus suis, idest, signum crucis. Item illud Apocalyp. 7. Nolite nocere terrae et mari, neque arboribus, quoadusque si-gnemus servos Dei nostri in frontibus corum. Hoc enim signum, esse signum crucis, docent Oecumenins: Beda, Anselmus et Rupertus in hunc locum. Jacob quoque cum cancellatis manibus benedixit filiis Joseph, Gen. 48. significavit, fore aliquando tempus, quo benedictiones signo crucis fierent.

Secundo, probatur ex testimoniis veterum, qui primis quingentis annis floruerunt. Dionysius c. 4. 5. et 6. ecclesiast. hierarch. dicit, in omnibus sacramentis adhiberi signum crucis. Justinus quaest. 118. respondet gentilibus quaerentibus, cur Christiani ad orientem orarent: et dicit, caussam esse, quia Deo danda sunt meliora: Sicut etiam, inquit, dextera potius, quam sinistra signum crucis exprimimus, cum alicui benedicimus. Hyppolitus quidam scriptor vetustissimus, et apostolis familiaris, cujus librum citat Palladius in histor. Lausiaca, cap. 148. scribit, virginem quandam signo crucis munitam ex prostibulo illaesam evasisse.

Tertullianus ita loquitur lib.de corona militis:Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubicula,

Digitized by Google

ad sedilia, quandocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Idem habet lib. 2. ad uxorem, et in principio Scor-

piaci.

Cyprianus lib. 4. epist. 6. in fine: Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur. Et libro de unitate Ecclesiae, ultra medium, dicit: Oziam lepra in fronte percussum, offenso Domino, in qua parte corporis signantur, qui Dominum promerentur. Et libro de lapsis, in principio: Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronae se Domini reservavit.

Cornelius papa in epist. ad Fabianum, quae est apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 33. dicit:Novatianum a daemonio arreptum, quod non recepisset in

fronte signaculum Christi.

Origines in Exodi cap. 15. hom. 6.sic ait: Timor et tremor cadunt super eos (daemones) cum signum in vobis viderint crucis fideliter fixum etc. Gregorium neocaesariensem saepe usum signo crucis contra daemones, testatur Gregorius nyssenus in ejus vita. Lactantius lib. 4. cap. 26. dicit, Christum eis omnibus prodesse, qui signum crucis in fronte conscripserint.

Cyrillus catechesi 4. Non pudeat, inquit, nos crucis Christi. Quod si aliquis id occulet, tu manifeste signa te cruce in fronte. Et infra: Fac autem hoc signum. et manducans, et libens, et sedens, et stans, et loquens, et ambulans, et in summa in omni negotio. Idem repetit catechesi 13.

Athanasius. lib. de incarnatione Verbi: Signo crucis omnia magica, inquit, compescun-

tur etc.

Basilius lib. de Spiritu sancto, cap, 37. inter primas apostolicas traditiones ponit, signare se signo crucis. Gregorius nazianzenus orat. 1. Julianum, dicit, etiam milites in mensa signum crucis adhibere solitos. Chrisostomus hom. 55.in Matth.cap. 12. signo crucis omnia sacramenta perfici docet. Et hom. quod Christus sit Deus, plurima de gloria

hujus signi, et eloquentissime persequitur.

Ephrem lib. de poenit. cap. 3. Pingamus, inquit, in januis, alque in frontibus nostris, et in ore, et in pectore, alque in membris omnibus vivificum signum. Armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Item lib. de armatura spirituali, cap. 2. Scuti vice crucis signo teipsum muni; validissima enim armatura est. B. Antonius, ut refert Athanasius in vita ejusdem Antonii, contra omnes terrores jubeat solo crucis signaculo tutos esse monachos, Palladius in hist. Lausiaca, cap. 2. scribit: Sanctum senem quendam cum vidisset, in puteo aspidem, signo crucis munivisse puteum illum, ac deinde sine timore hausisse aquam et bibisse. Theodoretus in histor. religiosa, passim meminit crucis, et virtutis ejus.

Ambrosius ser. 43. hortatur, ut omnia opera a signo crucis incipiamus. Et serm. 90. recitantur verba sanctae Agnetis dicentis: Posuit signum in faciem meam, ut nullum praeter eum amatorem admittam. Id enim est signum crucis, quo dedica-

mur Deo.

Hieronymus in epist. ad Demetriadem: Claudas cubiculum pectoris, crebro signaculo crucis mu-

nias frontem tuam. Item ad Eustochium: Ad omnem incessum manus pingat Domini crucem.

Augustinus tract. 118. in Joan. ad finem. Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium; sive ipsi aquae, qua regenerantur; sive oleo, quo chrismate inunguntur; sive sacrificio, quo aluntur; nihil eorum rite perficitur. Item lib. 1. Confess. cap. 11. Signabar iam signo crucis, et condiebar sale Christi.

Beatus Martinus apud Sulpitium: Ego, inquit, signo crucis, non clipeo protectus, aut galea, hostium cuneos peneirabo securus.

Prudentius in hymno ante somoum:

Fac cum vocant somno Castum petis cubile Frontem, locumque cordis Crucis figura signet. Crux pellet omne crimen. Fugiunt crucem tenebrae. Tali dicala signo Mens fluctuare nescit.

### Paulinus natali 8. s. Felicis:

Nos crucis invictae signum, et confessio munit, Armatique Deo mentem, non quaerimus arma Corporis, et quamquam membris videantur inermes, Arma tamen gerimus, quibus et sub pace serena. Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Tertio, probatur ex miraculis signo crucis factis. Tertullianus initio Scorpiaci dicit: Christianos signando, vel adjurando non solum Christianis, sed etiam ethnicis saepe prodesse. Lactantius lib.4.c.27. dicit praesente Christiano, qui crucem fronte signaverat, diabolorum non ausum imperatori poscenti responsa dare. Epiphanius haeresi 30. scribit, quendam Josephum nondum Christianum signo crucis daemones expulisse, et deinde Christianorum effeclum eodem signo incantationes Judeorum destruxisse. Nazianzenus orat, 1. in Julian. scribit.ipsam Julianum, licet ethnicum, eum spectra quaedam videret, dum necromantici sua mysteria operarentur, signo crucis seipsum muniisse, et mox spectra o-mnia evanuisse. Nyssenus in vita Gregorii thaumaturgi, scribit, diaconum ejus, signo crucis munitum, exivisse noctu incolumen ex balneis inter innumerabilia spectra, ex quibus balneis nemo unquam vivus exierat eorum, qui noctu intra-

Athanasius in vita Antonii: Hieronymus in vita Pauli primi eremitae: Theodoretus lib. 5. hist.cap. 21. et Gregorius lib. 3. dialog. cap. 7. multa scribunt miracula, quae ad solum crucis signum Deus fecit, ac potissimum in daemonum expulsione. Palladius in historia Lausiaca, cap. 54. scribit, quemdam signo crucis munitum in mediis flammis longo tempore illaesum permansisse. Theodoretus in vita sancti Juliani, et in vita sancti Marciani, scribit, ab utroque suo tempore signo crucis ingentes dracones occisos. Item in vita sancti Aphraatis, et sancti Macedonii, et sancti Petri, et aliorum, scribit, eos signo crucis varios morbos curasse. Quod idem

Sulpitius in vita beati Martini; Hieronymus in vita Hilarionis; Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, c. 8. similiter, scribunt. Victor uticensis lib. 2. de perseq. Wand. scribit, ab Eugenio episcopo catholico caecum illuminatorum solo crucis signo. Quod si addere vellemus miracula edita post primos quingentos annos. quae referuntur a probatis auctoribus de s. Benedicto, Bernardo, Francisco, et aliis, nunquam finiremus.

### · CAPUT XXX.

### Solvuntur objectiones haereticorum.

Ex his, quae dicta sunt, facile crit objectiones haereticorum, supra notatas, solvere. Ad primam igitur, quae sumebatur ex co, quod crux dolorem et ignominiam Christo attulit, respondemus, si solum crux attulit Christo dolorem et ignominiam, merito esse execrandam: alqui attulisse etiam lactitiam et gloriam, propter diabolum devictum, et genus humanum redemptum; quae lactitia et gloria tanta fuit, ut dolorem et ignominiam illam priorem plane absorbuerit, ut patet.

Ad secundam, quae sumebatur a similitudine eorum, quorum parentes in patibulis perierunt, qui impii viderentur, si ejusmodi patibula honorarent, dico illa non esse similia; Nam qui nunc in patibu-lis suspenduntur ex sententia judicis, culpa sua suspenduntur; aut vera, aut cerle in judicio legitime probata. Praeterea inviti suspenduntur. Denique ex ipsa morte nihil lucrantur, nisi poenam et infamiam. At Christus non propter culpam veram aut probatam crucifixus fuit. Constat enim ipsum judicem saepius testatum, se nullam in eo caussam invenisse. Adhaec, Christus sponte sua se tradidit crucifixoribus, ut Patris obedientiam impleret, cum alioqui posset evadere, si vellet, ut notum est; quia cum diceret: Ego sum, omnes ejus inimici ceciderunt retrorsum. Denique. Christus ex ipsa morte plurima bona retulit, ut diximus, et sibi, et nobis. Neque, id solum in Christi morte videmus, sed etiam in mortibus aliorum, qui propter Deum aut patriam occiduntur. Amici enim libentissime instrumenta passionis eorum tamquam monimenta virtutis conservant.

Ad tertium argumentum, quod honorare crucem sit quasi lactari de morte Christi, quemadmodum inimici ejus faciebant, dico nos nihil cum hostibus Christi habere commune; nam cum gaudemus de Christi passione, non gaudemus de eo, de quo hostes ejus gaudebant, scd de eo, de quo ipse gaudebat, idest, de triumpho ejus, non de ignominia. Alioqui enim etiam novimus Christo patienti esse compatiendum, et dolores ejus piis lachrymis decorandos.

Ad quartum argumentum dico: Non sequi, si omnes cruces honoramus, oportere etiam nos honorare omnia praesepia, omnes spinas, omnes lanceas, omnes virgas etc.nam omnes cruces adoramus, quia omnes sunt imagines verae crucis, in qua Dominus pependit; et praeterea etiam ipsius Christi crucifixi. At praesepia, spineta, lanceae et similia non sunt

imagines Christi, nec etiam praesepii, spinarum, lanceae et similium, quae Christum teligerunt. Ad imaginem enim non sufficit similitudo, sed requiritur, ut unum exprimatur ex alio. Quare frater non dicitur imago fratris, licet similes sint, quia unus non est ab alio. Filius autem, quia non solum est similis patri, sed etiam ab eo prodiit; idcirco vere dicitur et est imago patris. Jam crucem omnes fiunt ad exprimendam illam primam, et sic imagines ejus sunt. At praesepia, lanceae et similia, non flunt, ad illa exprimenda, sed ad alios usus, et ideo nec imagines sunt. Quando autem pingitur, vel sculpitur praesepe ad repraesentandam Christi nafivitatem, vel columna ad repraesentandam flagellationem, quia tunc praesepe et columna sunt imagines, non carent sua aliqua veneratione.

Si petas unde est, quod pingimus et adoramus crucem, etiam sine Christo crucifixo; et non pingimus, nee adoramus praesepe, vel columnam sine Christo?

Respondeo: Propter tres caussas. Primo, quia crux etiam sola refert ipsum Christum crucifixum: illa autem hoc non faciunt. Secundo, quia crux non habet alium usum, quam repraesentandi, praesertim post edictum Constantini, de non crucifige ndis hominibus. At illa alia habent alios usus; et ideo qui videret unam columnam depictam, non facile posset scire, quid illa significaret, an columnam Christi, an columnam Trajani, vel Adriani, vel Herculis, vel aliorum. Tertio, quia (ut Athanasius quaest. 16. ad Antiochum dicit) cum accusamur, quod adoremus lignum, possumus statim ostendere, nos colere figuram, non materiam, separando duo illa ligna ab invicem: quod in columna, lancea, spongia et similibus. non tamen facile fleri posset.

Ad quintum, de honorandis labiis Judae, et manibus eorum, qui Christum occiderunt, tum propter contactum sacri corporis, tum quia instrumenta fuere passionis, respondeo: Inter crucem et labia Judae, ac manus crucifixorum Christi magnam esse differentiam, ut docet Thomas Waldensis.tom.

3. tit. 13. cap. 120. nam crucem Dominus elegit, et amanter amplexus est, ut rem innoxiam deservientem redemptioni. At labia Judae, et manus impiorum Christus non elegit, nec amavit, sed execrabatur, ut res impias et seeleratas. Nos autem illa solum amare et honorare debemus, quae Dominus amavit et honoravit.

Sed possent respondere Wiclefistae: Paria esse labia Judae, et crucem. Nam ut labia Judae fuerunt instrumentum sceleris Judae, et alioqui in se non erant capacia culpae; ita et crux fuit instrumentum sceleris Judaeorum: et sicut Dominus elegit crucem, non ut instrumentum sceleris sed ut instrumentum passionis; ita quoque elegit labia Judae et manus interfectorum, non ut instrumenta sceleris, sed ut instrumenta passionis. Unde Augustinus in psal. 34. dicit, Judam a Christo electum, et per eum impleret redemplionem nostram.

Respondeo igitur: Differentiam in duobus consistere. Primo, quia labia Judae, et manus interfectorum Christi, non solum instrumenta passionis erant, sed etiam partes illorum hominum impiorum, et ideo non poterant honorari, ut instrumenta passio-

nis, quia simul ipsi impii homines honorari viderentur. At crux, spinae, columna, et similia non sunt partes illorum hominum, sed sunt res per se existentes, et natura sua innoxiae etc.

Secundo, quia in passione Domini possumus considerare actionem et passionem, quarum prior scelerata.postarior sanctissima fuit, Porro labia Judae et manus impiorum fuerunt instrumenta propingua et immediata ipsius actionis scelestae:remota autem et mediata passionis salutaris. E contrario crux, et clavi et similia fuerunt instrumenta propinqua et immediata passionis sanctae et remota ac mediata actionis scelestae, ut patet, et ideo labia Judae magis participant actionem, quam passionem, et crux e contrario magis passionem quam actionem. Propterea crux simpliciter est venerabilis labia Judae simpliciter detestanda.

Ad ultimum, de magia et superstitione dico Tantum abessea magia signum crucis.ut potius co signo omnis magia solvatur, ut ait rectissime s. Athanasius lib. de incarnatione Domini.et salutari ejus adventu: Signo crucis, inquit.omnia magica compescuntur, veneficia inessicacia fiunt. Et infra: Venial, qui istorum dictorum experimentum capere velit, et in ipsis praestigiis daemonum, et imposturis valiciniorum, et in miraculis magiae utatur signo crucis, ab ipsis deriso, nomenque Christi invocet; et videbit, quomodo ejus rei metu daemones fugiant, vaticinio conquiescant, magiae el veneficia jaceant. Haec ille. Scribit etiam Jacobus Sprenger in malleo malefleorum, part. 2. quaest. 1. cap. 2. magos et magas quando initiantur sacris daemonis, palam polliceri diabolo pro tribunali sedenti, et coram testibus, se crucem Domini conculcaturos; quia videlicet, ubi crux honoratur, nullae magicae artes efficaces sunt.

Sciendum igitur est, ideo esse superstitiosum et prohibitum, uti characteribus et figuris ad effectus aliquos producendos, ut magi faciunt, quia effectus illi non possunt esse naturales, quia characteres et figurae non sunt operativae naturaliter. Nec provepiunt illi effectus a Deo, cum nulla talis Dei promissio reperiatur, nec Deus ab illis invocetur, sed fiunt illa omnia a daemone, et characteres solum deserviunt pro signo foederis inter diabolum et magos. At signum crucis operatur mirabilia. non ex virtute sua naturali, quam habeat, ut figura quaedam, nec ut signum pacti cum daemone, sed ut signum divinitus institutum.

Ac, ut clarius id percipiatur, nota, tres esse effectus crucis mirabiles. Primo terret et fugat daemones. Secundo, pellit morbos et omnia mala. Tertio sanctificat ea, quibus imprimitur. Et quidem primum effectum ex tribus caussis habet; ex apprehensione daemonis; ex devotione hominis, et ex instituto Dei.Nam daemon ubi crucem videt.mox recordatur cruce Christi se victum, spoliatum, ligatum et enervatum fuisse. Inde crucem timet et fugit, quomodo canis fugit lapidem et baculum quo percussus fuit.

Deinde, vim habet crux ex opere operantis eo modo, quo vim habet oratio. Nam signum crucis est invocatio quaedom meritorum Christi crucifixi signo expressa. Loquimur enim corde, voce et

nutibus. Itaque opponere contra diabolum signum crucis, est opponere meritam passionis Christi, idest, invocare Deum per Christi merita contra diabolum. Unde effectus tunc magis procedit ex fide, et fiducia, ac devotione interiore, quam ex ipso charactere crucis; sicut quando oramus voce, et impetramus, effectus tribuitur potius fidei et fiduciae internae, quam sono vocis. Et de his duobus modis nullum est dubium.

Existimo tamen, etiam tertio modo, idest, ex instituto Dei, et ex opere operato valere signum crucis contra diabolum. Nam videmus Judaeos et Paganos sine ulla fide in Christum, solum intendentes facere quod Christiani faciunt, fugasse daemones signo crucis, ut patet ex Nazianzeno oratione 1. in Julianum, Epiphanio haeres. 30. et Gregorio lib. 3. dialog. cap. 7. ex quo apparet, non devotione aut fide operantis, sed ipso signo crucis

fugatum daemonem.

Quare sanctus Augustinus lib. 83. quaestionum, quaest. 79. dicit, indictum a Deo daemonibus, ut cedant cruci, tamquam sceptro summi regis, quomodo populi militibus cedunt, cum ab illis profertur signum imperatoris: Nec mirum est, inquit, quod haec signa valent, cum a bonis Christianis adhibentur, quando etiam cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi imperatoris valent. Cum autem non cedunt his signis hujusmodi potestales. Deus ipse prohibe occultis modis, cum id justum, atque utile judicat. Nam nullo modo ulli spiritus audent haec signa contemnere. Contremiscunt haec ubicumque illa prospexerint.

Dices: Ergo erunt plura sacramenta, quam septem. Respondeo: Signum crucis non esse sacramentum proprie dictum; tum quia non confert gratiam justificantem; tum etiam, quia non habet effectum infallibilem, ut Augustinus dicit, et expe-

rientia etiam testatur.

Quantum ad morbos et caetera mala, quae non possunt percipere vim signorum, dicimus ea fugari per crucem tamquam per signum fidei et fiduciae, vel polius tamquam per invocationem, signo expressam. Christus enim promisit fidelibus se daturum quidquid peterent cum fide, et nominatim Marci ult. et de morbis dixerat: Serpentes tollent, super aegros manus imponent, et bene habebuni, et si mortiserum quid biberint, non eis nocebil. Fideles igitur contra morbos, et reliqua mala implorant Dei auxilium per Christi meritum, idque faciunt corde, ore et nutibus. Et quia tunc effectus non producitur ex opere operato, more sacramentorum, sed ex opere operantis, ideo non infallibiliter sequilur.

Quantum ad benedictiones, idem fere dicendum est. Nam cum benedicimus homines, domos, agros et similia, illo signo commendamus Deo per Christi merita res illas, quas benedicimus; et similiter cum benedicimus aquam, oleum, ramos, candelas etc. commendamus res eas Deo, eumque precamur, ut velit illas nobis esse salutares, ulque per eas tamquam per instrumenta nos adjuvet.

Denique id, quod explicito pelimus precibus,



idem implicite petimus per signum crucis. Quamquam non potest, nec debet negari, quin etiam aliqua sanctitas accedat rebus cum signantur cruce: non quidem sanctitas quae sit aliqua qualitas physica, sed sanctitas in relatione consistens, qualis est crucis, clavorum, vestium, aliarumque rerum, quae tetigerunt Christum, aut sanctos: et qualis est eorum, qui tangunt reliquias sanctorum. Nam sanctificari aliquo modo eos, qui tangunt reliquias constanter docent Patres; Basilius in psal. 145. Gregorius nyssenus in vita sancti Theodori, Joau-

nes' chrysostomus in sermone de sanctis Juventio et Maximo et alii. Si autem contactus reliquiarum sanctificat, cur non etiam contactus vexilli salutaris? Certe Augustinus lib. 2. de peccalorum meritis et remissione; cap. 26. id asserit: Catechumenos, inquit, secundum quendam modum suum per signum Christi, et orationem manus impositionis puto sanctificari: et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi. sanctum est tamen. Atque haec de reliquiis, et imaginibus pro instituta nostri operis brevitate sufficiant.



# **LIBER TERTIUS**

# DE IIS REBUS

# QUIBUS SUPERNA HIERUSALEM

AB ECCLESIA IN TERRIS PEREGRINANTE COLITUR.

Etsi sequentes quaestiones de templis, votis, peregrinationibus, festis et vigiliis, quae flunt in honorem Dei et sanctorum, non solum ad hunc locum, sed etiam ad multa alia pertinere possunt, visum est tamen hoc loco eas integre disputare; tum quia disputationes ita conjunctae sunt, ut non facile inter se disjungi possint; tum etiam, quia id, quod non est proprium hujus loci, hinc peti poterit, cum alibi opportunitas de ea re disputandi dabitur. Excipio tamen vota, de quibus hoc loco

non nisi brevissime disseritur, quia jam alibi res tractata est.

Ut igitur a templis ordiamur, septem erunt partes hujus disputationis. Primum enim explicabimus, quae fuerint haeres de hac re. II. An sint templa erigenda. III. Qua forma. IV. Quos ob fines. V. De consecratione templorum et dedicatione. VI. De ornatu eorundem. VII. De iis, quae in templis benedicuntur, ut aqua, oleo, cereis, palmis etc.



# LIBER TERTIUS

# CAPUT PRIMUM

De erroribus circa templa.

Duo genera hostium habuerunt Dei templa. Unum eorum, qui re ipsa templa evertebant; non odio templorum, sed odio gentis, aut religionis. Aliud eorum, qui templa ipsa, vel eorum aliquid oderant tamquam malum. Primi generis fuerunt Nabuchodonosor, Antiochus, Pompejus, Cassius, Titus, qui templum Salomonis vel incenderunt, vel profanarunt, non odio templi, sed gentis. Vide 4. Reg. ult. 1. Machabaeor. 10. Josephum lib. 14. antiquitatis, et lib. 7. de bello judaico. Cornelium Tacitum lib. 21. et Augustinum lib. 18. de Civit. Dei cap. 45.

Christianorum ecclesias Diocletianus jussit omnes solo aequari, non odio templorum, sed religionis christianae. Eusebius lib. 8. hist. cap. 2.Idem facere voluisse Julianum scribit Hieronymus

epistola ad Riparium.

Ariani quoque et Donatistae templa catholicorum profanabant et spoliabant, non odio templi, sed religionis. Vide Athanasium in apologia profuga sua; et Theodoretum lib. 4. hist. cap. 19. et

20. et Optatum lib. 6. contra Parmen.

Ad aliud genus pertinent in primis Manichaei; nam Faustus apud Augustinum lib. 20. cap. 3. et 4. objicit catholicis, quod haberent templa, et altaria more Gentium et Judaeorum, Manichaeos sequuti Messaliani templa omnia et altaria execrabantur, et solum in suis domibus orare volebant Deum, ut Damascenus refert lib. de centum haeresibus. Eodem fere tempore Eustathius templa omnia, et

praecipue martyrum detestabatur, teste Socrate lib.

2. histor. cap. 33. et in privatis domibus conventicula fieri volebat.

Petrobrusiani templa destruebant, novasque tem-

plorum fabricas irridebant. Auctor Cluniacensis in epistola contra Petrobrusianos, et auctor vitae beati Bernardi lib. 3. cap. 5. Idem docuerunt postea Albigenses, ut Bernardus Lutzemburgensis in catalogo refert. Idem docuerunt Waldenses apud

BELLARMINI Vol. 11.

Claudium Caussordium lib.contra Waldenses, cap. 6.idem Wiclesistae apud Thomam Waldensem,tom. 3, tit. 47. et 22. idem Taboritae apud Aeneam Sylvium de origine Böemorum, cap. 35. Idem Anabaptistae Transylvani in antithesibus Christi veri, et Christi salsi, editis Albae Juliae anno 1568.

Porro Lutherani et Calvinistae admittunt templa, sed solum ad concionandum et sacramenta ministranda. Reprehendunt autem quod flant templa ad orandum, quod in honorem sanctorum, quod consecrentur certo ritu, quod magnis sumptibus ornentur. Nam Magdeburgenses Cent. 4. cap. 6. col. 407. et sequentibus, multa dicunt contra ritus consecrandi Ecclesias, et in praefatione Cent. 6. reprehendunt catholicos, qui ingentibus sumptibus fabricent ecclesias, easque in martyrum honorem.

Joannes Calvinus praesat. Instit. reprehendit ornatum templorum ex auro, argento, serico, lapidibus pretiosis etc. et lib. 1. cap. 11. § 13. ornamenta templorum solum esse vellet concionem, et sacramenta, et lib. 3. cap. 20. § 30. dicit, templa quidem erigi debere ad communes preces fundendas, sed non esse putandum ullam inesse templo sanctitatem. Ubi aperte indicat, privatas preces non fieri ullo modo melius in templo, quam alibi.

### CAPUT II.

# An templa sint erigenda.

Qui templa simpliciter erigi nolunt, nihil pro se afferre possunt, nisi Scripturas illas, quae Deum dicunt non habitare in locis manufactis, ut Matthaei 5. Coelum Dei sedes est, terra autem scabellum pedum ejus. Et Actor. 7. Sed excelsus non in manufactis templis habitat. Et Actor. 17. Nec in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur. Hinc enim Manichaei (ut testatur Augustinus lib. contra Adimantum cap. 10.) probabant Deum Testamenti veteris, qui jusserat sibi aedificari tabernaculum et templum, non esse verum Deum, sed malum principium, et pugnare cum Deo Testamenti novi. Sed refelluntur elegantissime ibidem ab Augustino; nam Manichaei dicebant, Deum Testamenti veteris voluisse templa: Deum Testamenti novi non voluisse.

At e contrario legimus in Testamento veteri, Isaiae 66. dicentem Deum, Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum, et quam domum aedificabitis mihi? Et contra in testamento novo, Joan. 2. dicentem Christum de templo manufacto: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Et Matth. 21. Domus mea, domus orationis vocabitur. Deus igitur unus, et idem in utroque Testamento approbat templa, in quibus adoretur, et non approbat templa, quibus putetur includi: quomodo idola, idest, Dii gentium vere in templis continebantur, nec inde poterant exire, nisi qui eos affixerant parietibus, inde detrahere, et asportare vellent. Sed de hoc plura in cap. 4.

### CAPUT III.

### De forma.

De forma ecclesiarum Christianorum non est quod multa dicamus, cum adhuc antiquissimae ecclesiae visantur. Duo tamen notanda sunt. Unum ad similitudinem templi Salomonis, in quo erat atrium, sancta, et sancta sanctorum, ecclesias fere omnes habuisse tres partes. Primo porticus ante ingressum in templum, quem locum Graeci πρόναον, nostri vestibulum dicunt: ubi manebant poenitentes. Deinde erat νάος, idest, templum, sive navis. Ultimo βημα, sive iεράτειον, hoc est, sacrarium, sive sanctuarium, sive adyta, quae erat pars interior templi, ubi erat altare, quaeque divisa erat a reliquo templo gradibus, cancellis et velis. sive aulaeis: neque eo penetrabant alii, quam sacerdotes cum suis ministris clericis.

Praeter has templi partes erat etiam domuncula annexa templo, quae dicebatur aedicula salutatoria, ubi sedebat episcopus, cum se pararet ad sacra facienda. Vide Eusebium lib. 3. de vita. Constantini, ubi describit templum, quod Hierosolymis ad sanctum sepulchrum Constantinus exstruxit: item Theodoretum lib. 4. histor. cap. 20. ubi meminit sacrarii, aulaeis separati a reliquo templo, quo introduxit Basilius Valentem imperatorem: ita lib. 5. cap. 47. ubi meminit tam sacrarii, quam aediculae salutatoriae. Vide etiam Hieronymum in epistola de obitu Nepotiani, Augustinum lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. in fine, et Walfridum Strabonem lib. de rebus ecclesiasticis cap. 4. et 6.

Alterum est ecclesias Christianorum, ut plurimum ad orientem conversas fuisse, et quatuor latera habuisse, quibus quatuor mundi partes aspicerent, exceptis quibusdam, quae propter loci commoditatem aliter constitutae sunt. Id partim experientia constat: partim etiam testimoniis veterum. Nam Tertullianus lib. contra Valentinianos non procul ab initio, dicit, ecclesias Christianorum orientem amare solitas. Walfridus Strabo lib. de rebus ecclesiasticis cap. 4. dicit, majorem partem ecclesiarum ita fabricari, ut qui in eis orant, orientem respiciant: idem Paulinus epist. 12.

Idem testantur Justinus quaest. 118. Epiphanius haeresi 19. quae est Essenorum; Origenes homil. 5. in Numer. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. Gregorius nyssenus orat. 5. de oratione dominica; Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte c. 5. Germanus in lib. de theoria rerum sacrarum, Joannes damascenus lib. 4. de fide cap. 13. et omnes illi veteres, qui scribunt apostolicam esse traditionem, ut oremus conversi ad orientem:id enim praecipue servari par est in solemnibus precibus, quae funduntur in templis.

Rationes autem hujus caeremoniae sunt quinque. Prima, quia ad orientem erat paradisus, Genes. 2. secundum versionem LXX. ubi enim habet vulgata editio: Plantaverat Deus paradisum a principio, graeca habet, Ε'φύτευσεν παράδεισον ενδέν κατὰ ἀνατολάς, et certe verbum hebraeum ¬¬Ρω utroque modo recte verti potuit: significant enim ante et orientem, quae est pars mundi anterior. Unde etiam nostez Interpres, Genes. 4. vertit idem nomen, ad orientalem plagam. Oramus igitur conversi ad orientem, quia profitemur nos peregrinos, et ad patriam nostram, unde ejecti sumus, suspiramus: ita Gregorius nyssenus.

Secunda ratio est, quia ab oriente coelum surgere et moveri incipit, estque propterea pars illa totius mundi corporalis excellentissima. Ideo autem orantes convertimus faciem corporalem ad corpus excellentissimum, tum, ut ait Justinus, quia Deo sunt danda semper meliora, tum etiam, ut admoneamur convertere faciem spiritualem animae ad spiritum excellentissimum, qui est Deus: ita b. Augustinus.

Tertia ratio est, quia Christus, quem oramos, est lux mundi, Joan. 8. Et vir oriena nomen ejus, Zachar. 6. Ut igitur significemus, nos in oratione illustrari a Christo sole justitiae, sicut illustrantur a sole corporeo, qui ad orientem respiciunt, ideo hac caeremonia utimur: ita Walfridus.

Quarta ratio est: quia Dominus ipse moriens in cruce, occidentem respiciebat, nos ad orientem oramus, ut quasi in faciem crucifixi intueamur: et quia ipse ascendit in coelum coelorum ad orientem, psalm. 67. nos ad orientem convertimur, ut quasi eum ascendentem volis, ac precibus deducamus. Ac demum quia ipse ab oriente venturus creditur ad judicium, Matth. 24. Sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem. ila erit adventus filii hominis: nos ad orientem precamur, quasi venturum judicem exspectantes: ita Damasconus.

Possumus addere quintam rationem, quia Judae orabant, et orant ad occidentem, ut patet Exed 26. ubi dicitur: Ostium tabernaculi ad orientem versum fuisse, et Ezechielis 8. ubi dicitur: Ecce in ortio templi Domini inter vestibulum et altare

quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis. Reprehendit enim Scriptura quosdam, qui contra ritum ejus temporis adorabant ad orientem. Nos igitur ad orientem respicimus dum Judaei respiciunt ad occidentem, ut significemus, eorum esse literam occidentem, nostrum autem spiritum vivilicantem: et velamen adhuc manere super cor eorum, nos autem conversos ad Dominum deposuisse velamen.

### CAPUT IV.

# De fine.

Quatuor ob fines eriguntur sacrae aedes, unde etiam quatuor nomina sortiuntur. Primo, ad sacrificandum Deo, et hine dicuntur templa. Secundo, ad orandum, et hine dicuntur oratoria. Tertio, ad martyrum reliquias bonorifice conservandas, et bine dicuntur basilicae, seu memoriae, seu martyria. Quarto, ad populum verbo Dei, et sacramentis pascendum, et hinc dicuntur ecclesiae.

Ex his finibus solum quartum agnoscunt Lutherani et Calvinistae: Anabaptistae autem et Waldenses ne illum quidem. Nam quod non debeant in novo Testamento erigi templa ad sacrificia.constanter asserunt omnes hujus temporis haeretici. et probant omnibus illis argumentis, quibus probare solent non esse in Ecclesia ullum externum sacrificium, vel sacerdotium: quae argumenta non

sunt hujus loci.

Unum invenit argumentum Marloratus, quod directe objiceret contra templa, nimirum illud Apocal. 21. Et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus templum illius est. Ubi de Ecclesia agilur, ut patet ex sequentibus: Ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges afferent splendorem suum in illam. Quae verba mulualur Joannes ab Isaia c. 60. Isaiam autem certum est de Ecclesia isla militante loqui, et confirmatur argumentum ex co. quod Deus voluit everti templum Salomonis, quod ad sacrificia erectum fuerat. Potest etiam confirmari ex Patribus; Patres enim ordinarie a vocabulo templi abstinent, cum de ecclesiis Chrislianorum loquuntur; immo etiam eas templis opponunt, ut Hieronymus, qui in epist. ad Riparium dicit, Julianum Christi ecclesias aut evertisse, aut in templa convertisse. Et Cecilius apud Minutium Felicem objicit Christianis, quod tamquam athei nulla haberent templa vel altaria, et Optatus lib. 6. Qui nostrum, inquit, intravit templum.

Quod autem ad orandum ecclesiae institui debeant, quasi melius sit in uno loco orare, quam in alio, negant omnes hujus temporis haeretici, et probant assertionem suam; Primo, ex illis verbis, Malth. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum etc. Secundo, ex illis, Joan. 4. Venit hora, el nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Spirilus est Deus, et qui eum adorant, in spiritu et veritate adorare oportet. Non ergo oratio obligan-

da est cerlo loco. Tertio, ex Paulo 1. Timoth. 2. Volo viros orare in omni loco tevantes puras manus. Quarto, Deus non est magis in templo, quam elibi. Non enim in templis manufactis habitat, sed coelum et terram implet. Ergo ubique

ex aequo adorari et invocari potest.

Quod vero non sint templa sanctis erigenda, probant quia est manifesta idololatria; nam ad latriae cultum pertinere templa, s. Augustinus docet lib. contra sermonem Arianorum cap. 20. ubi probat Spiritum sanctum esse Deum, quia apostolus dicit, 1. Corinth. 6. Membra vestra templum sunt Spiritus sancti. Si legerent, inquit, Ariani templum Salomonis ex lignis, et lapidibus Spiritui sancto erectum, non negarent illum esse Deum, cum templi constitutio ad latriae cultum pertineat: quomodo ergo negant Spiritum sanctum esse Deum, cum templum habcat longe nobilius? Unde idem Augustinus lib. 8. de Civit. Dei, c. ult. dicit: Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdolia, sacra el sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Item lib. 1. contra Maximum argum. 11. de Spiritu sancto, sic ait Augustinus: Nonne si alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus templum, anathematizaremur a veritate. Christi, et ab Ecclesia Dei, quoniam creaturae exhiberemus eam servilulem, quae uni tantum debetur Deo? Hic autem ad marginem notavit Erasmus: Hoc nunc fit quibustibet divis.

Quod denique non sint ecclesiae erigendae ad conciones et sacramenta, non aliter probant Anabaptistae, nisi exemplo Christi, qui concionabatur, nunc in montibus, nunc in desertis, nunc in mari ex navicula, nunc in privatis aedibus; baptismum dabat in fluminibus; eucharistiam instituit in pri-

vata et profana domo.

Ut igitur hace omnia ordine refellantur, sit Prima propositio. Recle instituuntur certa loca, in quibus verbum Dei, et sacramenta populo ministrentur. Haec est contra Eustathium, Waldenses

et Anabaptistas, et corum similes.

Probatur Primo, exemplo Christi et apostolorum, qui etsi interdum data occasione in variis locis verbum Dei seminarent, tamen ordinarie in templo, vel synagogis, quae erant ejus temporis ecclesiae, id faciebant. Matth. 26. Dominus sic ait: Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. El Joan. 18. Ego palam loquutus sum mundo, ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judaei conveniunt, et in occulto loquutus sum nihil. Item Actor. 5. Angelus educens apostolos de carcere, dicit illis: Îte, et stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitae hujus; qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant. Actor. 13. Paulus et Barnabas missi ad praedicandum, primum intrant in synagogam, et ibi praedicant.

Secundo, probatur exemplo primorum Christianorum; nam quod primi Christiani habuerint ecclesias a privatis demibus distinctas, patet ex epist. 1. ad Corinth. cap. 11. Convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter vos. Et quod ista ecclesia non esset privata domus, patet ex sequentibus: Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? Et rursus: Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Et c.' 14. Mulieres in ecclesiis taceant, si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.

Idem confirmatur ex antiquissimis Patribus;nam Clemens lib. 10. recognitionum, circa finem. refert Antiochiae Petro praedicante conversam fuisse Theophili domum in Ecclesiam, ibique Petro cathedram constitutam, unde doceret populum. Philo in lib. de vita theorica supplicum, quem citat Eusebius lib. 2. hist. cap. 17. scribit, primos Christianos in omnibus locis constituisse aedes sacras ad mysteria celebranda, et sacros libros legendos. Justinus in apolog. 2. ad finem, dicit Christianos die dominico in unum certum locum omnes convenire ad verbum Dei, et eucharistiae communicationem.

Tertullianus antiquissimus Latinorum lib. contra Valentinianos, non procul ab initio expresse meminit sacrae aedis, ad quam Christiani conveniebant. Cyprianus sermone de eleemosynis arguens mulieres opulentas, quae in Ecclesiam sine oblatione veniebant: In dominicum, inquit, sine sacrificio venis, et partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis: Ubi dominicum, Ecclesiam vocat, quia domus illa sacra, Domini palatium est.

Gregorius neocaesaricnsis, Cypriani aequalis cum Ecclesiam exstruere vellet, nec satis loci haberet propter vicinam quandam rupem, eam rupem precibus suis loco movit, ut refert Eusebius, lib.7. histor. cap. 25. Qui etiam c. 26. scribit catholicos cum Paulo Samosaleno de sacra sede apud Aurelianum imperatorem contendisse. Nec refert.utrum narrationem istam de miraculis Gregorii Eusebium scripserit, an Ruffinus, qui Eusebium Latinum fecit, addiderit; uterque enim est antiquus auctor.

Tertio, probatur ratione; nam populus Christianus debet aliquando necessario convenire ad res sacras:necenim concio potest fieri ad singulos seorsim, nec etiam celebratio eucharistiae: et etiamsi posset, non expediret tamen, quia conventus hominum utilissimus est ad alendam animorum unionem: igitur necesse est, ut aliquis certus locus con-

stitua!ur, ubi ejusmodi conventus fiant.

Praeterea si habemus certa loca ad alia ministeria, ut ad judicia, ad convivia, ad somnum etc. cur non etiam ad res sacras? Neque exemplum Domini contrarium ostendit. Nam vivente Domino nondum erat Ecclesia novi Testamenti constituta, sed tunc colligebatur, et constituebatur, et ideo non mirum, si non habuerit propria loca sacra. At postquam Christiani coeperunt esse populus aliquis, mox habuerunt ecclesias, ut ostensum est.

Secunda propositio. Ecclesiae Christianorum ad sacrificia, offerenda institutae sunt, et ideo vere, et proprie templa appellari possunt. Probari posset primo, omnibus argumentis, quae probant eucharistiam esse sacrificium. Sed haec, ut

dixi, ad alium locum pertinent.

Probatur igitur hoc modo; Ecclesiae Christianorum semper habuerunt altaria, ergo semper vera templa fuerunt; nam templum nihil est aliud, quam

locus altaris; et praeterca magis indicat sacrificii ritum altare, quam templum; nam sine altari non potest sacrificari, sine templo potest; quare si, ut excludant sacrificia, haeretici negant templa, multo magis deberent negare altaria, sed altaria nullo modo negare possuni, ui patet ex illo. 1. Cor. 10 Non polestis mensae Dimini, et mensae daemoniorum participes esse. Ubi apostolus opponit mensam eucharistiae mensis idolothytorum, mensae autem idolothytorum erant vera altaria. Unde Ambrosius exponit mensae Domini, idest, altaria. Item ex illo Hebr. 13. Habemus altare, de quo edere non habent polestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quem locum adversarii intelligunt de altari crucis, quasi dicat apostolus: habemus Christi passionem, qua frui non possunt, qui adhue in ejus figura celebranda occupantur. At Patres intelligunt de sacrificio eucharistiae. Nam Theophylactus dicit, hic agi de incruento sacrificio; idem dicunt Chrysostomus, Sedulius, Theodoretus, Oecu-

Accedit traditio omnium Patrum; nullus fere est veterum, qui non meminerit altaris ecclesiae. Canon 3. Apostolorum, Dionysius cap. 3. Eccles. hierar. Irenaeus lib. 4. cap. 34. Athanasius in vita b. Antonii, et in apologia pro fuga sua, Tertullianus lib. de poenitentia, Optatus lib. 6. contra Parmenianum, Hieronymus in epitaphio Neapolitani, Augustinus epist. 50. et alii omnes saepe altaris mentionem faciunt, ubi de ecclesis loquuntur.

Tertio, probatur testimoniis Patrum, qui nomine templi utuntur. Nam in primis Graeci passim utuntur hoc nomine, ut Eusebius, lib. 3. de vita Constantini, Basilius in psalm. 114. Nazianzenus oratione in Gorgoniam sororem; Nyssenus oratione in Theodorum; Chrysostomus homil. 51. in Matth. et alii; nec Latini ab hac voce omnino abhorret; nam Lactantius in carmine de passione Domini alt:

Quisquis ades, mediique subis in limina lempli, Siste parum etc.

Et Salvanius lib 4. de providentia: Ecclesiae, in-

quit, vel potius templum.

B. Ambrosius lib. 2. de officiis, cap. 21. Et maxime, inquit, sacerdoti hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Domini resplendeat. Et cap. 28. Nemo potest accusare, quia templum Dei áedificatum est. Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis, spatia laxala sunt.

Hieronymus in cap. 7. Hierem. Ecclesiam vocat templum; et b. Augustinus lib. 8. de Civit. Dei, cap. ult. cum dicit: Nec nos eisdem martyribus templa sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus: quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Aperte indicat, Deo ista omnia constitui. Unde infra addit: Non autem ista esse sacrificia martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur sacrificium Christiamorum.

Ex his ad primam objectionem respondeo, in c. 11. Apocal, agi de Ecclesia triumphante. Ubi non erit templum, quia tunc cessabunt oblationes et



521

preces et sacramenta, propter quae templa eriguntur: ita enim exponunt omnes probati auctores, Primasius, Beda, Occumenius, Richardus, Rupertus, Anselmus, necnon Augustinus lib.20.de Civit. Dei, cap. 17. Ubi dicit impudentiae nimiae sibi videri, si quis istum locum apocalypsis exponere velit de praesenti Ecclesia.

Ex quo intelligimus non esse Augustioi expositionem apocalypsis, quae habelur tom. 9. operum ejus, ubi de Ecclesia hujus temporis eum locum intelligere videtur. Et ipse contextus hoc declarat; nam in cap. 20. describitur judicium et damnatio impiorum, et concluditur caput illis verbis: Judicatum est de singulis secundum opera ipsorum, et infernus, et mors missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda; et qui non est inventus in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis. Deinde sequitur cap 21. de gloria beatorum: Et vidi. inquit, coelum novum, et terram novam etc. Praeterea paulo post illa verba, (Et templum non vidi in ea) subjungitur, non intrabit in eam aliquid coinquinalum. Quod certe non potest intelligi de Ecclesia hujus temporis, in quam multi intrant, immundi et coinquinati. Ut patet ex parabola de sagena missa in mare, et ex omni genere piscium congregante. Matth. 13.

Respondent: Scripturam loqui de Ecclesia interna et prædestinata, quae solum admittit justos. At contra; nam secundum ipsorum principia, quantumvis aliquis sit praedestinatus et fidelis, semper tamen est immundus, et in omni opere peccat. Peccatum enim non tollitur in hoc mundo per baptismum, ut ipsi dicunt, aut fidem, sed solum non imputantur. Nec possunt dicere hic vocari incoinquinatos eos, quibus Deus non imputat peccata; nam Joannes addit, aut abominationem faciens et mendacium. Quaero igitur, aut Lutherani sideles et praedestinati abominationem faciunt et mendacium, aut non faciunt; si faciunt, ergo non sunt in Ecclesia; si non faciunt, ergo non peccant in omni opere suo. Fateantur ergo necesse est, Joannem lo-qui de Ecclesia coelesti, in qua nulli erunt, qui abominationem et mendacium faciunt.

Ad probationem ex Isaia Hieronymus in eum locum tres indicat expositiones, unam Judaeorum, et Haereticorum Chiliastarum, qui omnia verba Isaiae in illo c. 60. referebant ad felicitatem mille annorum, quam se habituros putant cum Christo hic in terris post resurrectionem, alteram catholicorum qui omnia intelligebant de Ecclesia triumphante; tertiam aliorum catholicorum, qui omnia intelligebant spiritualiter de Ecclesia hujus temporis.

Lyranus duas alias adfert unam quorundam, qui ea omnia intelligunt de felicitate Judaeorum post reditum ex Babylone; alteram suam, quod intelligantur omnia de Ecclesia, sed non omnia de eodem statu Ecclesiae; sed prima pars capitis intelligatur de Ecclesia secundum statum hnjus vitae; secunda de Ecclesia secundum statum vitae futurae.

Prima expositio baeretica est et fabulosa, et millies a Patribus explosa. Secunda probabilis est, et secundum eam nulla est in argumento nostro difficultas. Quarta falsissima est, et recte a Lyrano refellitur: Quinta probabilis est, et secundum eam ar-

gumentum non habet difficultatem. Tertia est maxime probabilis, et eam sequuntur Hieronymus ipse, et post eum Cyrillus in hunc locum: et secundum eam ad argumentum respondemus, ea quae ad literam intelliguntur de Ecclesia militante. a Joanne in Apocalypsi per anagogem intelligi de Ecclesia triumphante; id enim apostoli saepissime fecerunt; ut illud, Ex Aegypto vocavi filium meum. Oseae 11. quod ad literam de filiis Israel intelligitur Matthaeus, c. 2. in sensu allegorico de Christo intellexit; et quod de agno paschali ad literam dixerat Moyses, Exod. 12. Os non confringetis ex eo: allegorice intellexit Joannes de Christo, Joan. 19. neque hoc repugnat Hieronymo; ipse enim ad finem cap. 60. dicit, gloriam Ecclesiae, quae describitur illo capite, impleri quidem in hoc saeculo aliquando, sed plenius implendam in futuro.

Ad confirmationem primam dico, Deum voluisse, ut templum Salomonis everteretur, ut intelligeremus, statum veteris Testamenti jam cessasso, non quod ei templorum aedificatio displiceret.

Ad testimonia Patrum dico: primos Christianos, propter recentem memoriam sacerdotii Aaronici, abstinuisse non solum a vocabulo templi, sed etiam sacerdotii, ne viderentur adhuc durare judnicae caeremoniae. Itaque apostoli in suis epistolis pro sacerdotibus episcopos, et presbyteros, pro templis ecclesias dicunt; et similiter loquuntur Justinus, Ignatius, et caeteri antiquissimi Patres.

Deinde tempore Tertulliani jam satis perspecta differentia inter Christianos et Judaeos, coeperunt Christiani presbyteros et episcopos nominare sacerdotes, ut patet ex Tertulliano, libro de velandis virginibus; libro de monogamia, et alibi, et ex Cypriano in omnibus fere epistolis; et ex sequentibus omnibus Patribus. Adhuc tamen abstinebant a vocabulo templi; quia mundus plenus erat templis idolorum, et usus loquendi obtinuerat, ut nomine templi intelligerunt locus consecratus ad sacrificia cruenta. Et in hoc sensu Octavius apud Minutium Felicem, Optatus et Hieronymus negat Christianos habere templa.

Dices; At Octavius objectioni Cecilii, quod Christiani non haberent templa, aras, sacrificia, respondit, ideo Christianos non erigere templa, quod sciant Deum non posse capi ullo loco; et ideo non sacrificare, quod sciant Deum nulla re indigere; et seipsos loco templorum constituere, et sacrificare justitiam, pietatem, aliasque virtutes: ubi videtur simpliciter admittere Christianos nulla tune habuisse templa, vel altaria, vel sacrificia.

Respondeo: Octavium noluisse sanctum dare canibus; et quia non videbat Cecilium capacem mysterii eucharistiae, quod est unicum Christianorum sacrificium, maluisse hoc tacere, et ad mentem adversarii respondere, qui de sacrificiis cruentis loquebatur. Nam quod ante Minutii tempora Christiani ultaria, et sacrificia, et proinde etiam templa habuerint; patet ex Irenaco et Tertulliano jam citatis; uterque enim Minutio antiquior est.

Tertia propositio. Ecclesiae Christianorum recte ad orandum, etiam privata oratione, instituuntur. Probatur primo. Scripturae testimoniis; nam 3. Reg. 8. et 2. Paralip. 6. Salomon affirmat tem-

plum factum esse, ut sit locus orationis, et petit a Deo, ut quicumque ibi oraverit exaudiatur, 3. Reg. 9. Deus apparens Salomoni pollicetur ita futurum, ut illo petierat. At si esset superstitio orare in templo potius, quam alibi, neque Solomon ad hunc finem instituisset templum, neque Deus approbasset factum ejus, superstitio enim numquam fuit licita. Praeterea Isaiae 56. dicitur domus mea domus orationis vocabitur; et confirmat hoc ipsum Dominus, Matthaei 21. Neque obstat verbum Domini: Intrain cubiculum tuum; vel, venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis etc. Nam post illa emnia Dominus dixit de templo Salomonis: Domus mea, domus orationis vocabitur.

Secundo, probatur exemplis Scripturam, 1. Regum 1. Anna precatura Dominum ad tabernaculum accedit, ubi erat arca, ibique orans exaudita est. 2. Reg. 7. David similiter pracaturus perrexit ad tabernaculum, et coram arca Domini orare coepit. At certe nisi putasset, ibi Dominum magis esse praesentem, et facilius orationem exaudiri, domi suae mansisset. Idem etiam David, ut habetur 1. Paralip. c. 21. voluit ire ad tabernaculum Domini in Gabaon, ut oraret.pro avertenda peste a populo, sed non praevaluit nimio timore perterritus, ideo in ipsa Hierusalem exstruxit altare. Daniel oraturus quia non poterat ingredi templum, in Babylone existens captivus, saltem aperta fenestra orabat ad eam partem conversus, ubi fuerat templum Domini Danielis 6. Lucae 2. Anna filia Phanuelis, Non discedebat de templo jejuniis, et obsecrationibus serviens nocte, ac die. Lucae 18. Publicanus in templo orans justificatur. Actor. 3. Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Actor. 8. Eunuchus reginae Aethiopum venerat adorare in Hierusalem.

Tertio, probatur ex Patribus. Origenes homil. 2. in Exodum, ecclesias Christianas domos orationis vocat. Tertullianus in apologet. cap. 39. dicit, in Ecclesiam conveniri, primo ad orationem. Secundo ad lectionem. Tertio ad exhortationem etc. Eusebius lib. 2. hist.cap. 17. ex Philone dicit, in singulis loeis primorum Christianorum fuisse sacras aedes consecratas orationi.

Chrysostomus homil. 30. contra Anumaeos: Orare, inquiunt, vel domi possumus. Te, homo, decipis, el magno in errore versaris; nam elsi domi
quoque datur orandi facultas, tamen fleri non
potest, ut domi tam bene ores, quam in Ecclesia.
Idem repetit homil. 79. ad populum.

Basilius lib. 2. de baptismo, quaest.8. dicit, locum non parum referre ad orandum, ei solvit duo argumenta, ab adversariis nobis objecta ex Joan. 4. et 1. Tim. 2. et in quaestionibus fuse explicatis quaest. 40. dicit, ad Ecclesias non oportere accedere propter negotia saecularia, sed caussa orationis.

Ambrosius in oratione de tradendis basilicis dicit, se quotidie solitum ire ad martyres. idest, ad basilicas martyrum orationis gratia. Hieronymus in epitaphio Marcellae: Apostolorum, inquit, et martyrum basilicas secretis celebrabat orationibus. Ruflinus lib. 2. hist. c. 33. de Theodosio scribit: Circuibat omnia orationum loca. Augustinus lib.

22: de Civit. Dei,cap.8.meminit multorum, qui in basilicis orantes miraoula impetrarunt. Et ibidem dicit, se cum aliis collegis suis quandam orationis domum dedicasse.

Quarto, probatur ex nomine: nam Ecclesiae a Graecis saepe vocantur ἐὑχτήρια, etaLatinis oratoria. Unde Augustiuus epist, 109. in oratorio nemo aliud agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit.

Quinto, probatur rationibus. Prima ratio, Deus est in templo magis, quam alibi ; nam alioqui non diceret Paulus 1. Cor. 3. Nescitis quia estis templum Dei, et spiritus Dei habitat in vobis? Et 1. Corinth. 6. non diceretur: Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis in vobis; glorificale et portate Deum in corpore vestro. Et 2. Corint. 6. Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus, queniam inhabitabe in illis, et inambulabo. Apostolus enim accipit similitudinem a veris templis; quia enim templum est domus Dei. in qua ipse peculiari modo inhabitat; ideo ipse, ut ostenderet in nobis esse Deum peculiari modo, corpora nostra templum Dei appellavit. Unde Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quaest. 4. dicit, Davidem orasse ante arcam, quia ibi sacratior, et commendatior praesentia Domini erat. Cum igitur in templis sacration et commendation sit praesentia Domini, ibi certe magis orare expediet, quam

Secunda ratio, Deus in templo citius exaudit, ut patet ex promissione Dei, 3. Reg. 9. quod enim Deus promisit templo Salomonis, sine dubio promisit etiam templis Christianorum; nam quod petiit Salomon cum templum dedicavit, idem petit Ecclesia cum nova templa dedicat, nimirum, ut aures Dei in eo loco sint apertae. Non est autem credibile Deum exaudisse preces Salomonis, et non exaudire etiam preses Ecclesiae suae. Immo hic est modus, quo Deus est in templo peculiariter, nimirum, quia ibi est per exauditionem.

Tertia ratio, quia oratio est res nobilissima, et proinde ei debetur locus nobilissimus, qualis est locus sacer. Ita Basilius lib. 2. de baptismo, quaest. 8.

Quarta, quia in Ecclesia sunt omnia accommodata ad excitandam devotionem, quae orationi maxime necessaria est. Nam altaria, cruces, imagines, reliquiae, ipsi etiam parietes Deo dicati movent ad pietatem; quae certe alibi non inveniuntur.

Quinta ratio, quia in templis ordinarie praeter Dei praesentiam, quae est ubique, est etiam praesentia mediatoris Christi corporaliter in eucharistia; quae certe auget spem et fiduciam orantis; et praeterea non potest non incutere menti religiosae horrorem et reverentiam; nam, ut Joannes Chrysostomus dicit, homil. 36. in 1. ad Corint.ubi est Christus in eucharistia, ibi etiam non deest angelorum frequentia; ubi autem est talis rex, et tales principes, ibi est coeleste palatium, immo coelum ipsum.

Hine ad argumenta contraria facile responderi poterit. Ad illud igitur, quod objiciebatur ex evangelio, respondeo, illa verba: Intra in subiculum

tuum, non posse intelligi simpliciter de cubiculo materiali: nam alioqui apostolus Domino contradiceret, qui ait: Volo viros orare in omni loco. Et nonne ipse Dominus legitur orasse frequenter in montibus? In cubiculo autem non legitur. Et Chrysostom, homil. 79. ad popul. dicit, ubique orari posse, etiam in foro: et adfert exempla quorumdam, qui magistratu clamante, et surente pro foribus ejus loci signo crucis muniti, et brevi oratione solo corde ad Deum missa, mox immutaverunt cor magistratus, et propitium habuerunt, quem iratum habituri erant. Dominus ergo Matth. 6. jubet, ut in oratione non quaeramus inanem gloriam, quemadmodum Pharisaei faciebant, qui orabant in angulis platearum, ut viderentur ab hominibas, sed quaeramus Deo placere, et ab illo videri. Quando ergo sic oramus, ut non quaeramus humanas laudes, semper in cubiculo oramus, sive alioqui simus in Ecclesia, sive in montibus, sive etiam in ipso foro. Quando autem intramus cubiculum ad orandum, et cupimus videri, tunc sane extra cubiculum orare dicimur, ut pulchre annotat Joannes chrysostomus in huno locum.

Porro Ambrosius lib. 1. de Cain, cap. 9. Hieronymus in cap. 6. Matth. el Augustinus lib. 2. cap. 6. de serm. Domini in monte, intelligunt per cubiculum secretum cordis, ac volunt prohibitas evagationes mentis tempore orationis. Quod verum est. Sed prima expositio est magis literalis.

Ad secundum dico: Dominum eo loco non loqui de adoratione ratione loci, sed ratione modi. Non enim vult dicere, tempore novae Jegis neminem adoraturum Deum in Hierusalem, vel in monte Garizim, id enim falsum esset; nam Actor. 3. Petrus et Joannes etiam post acceptum Spiritum sanctum ascendebant in templum ut orarent, et ab eo tempore usque nunc qui peregrinantur ad loca sancta Palaestinae, adorant Deum in Hierusalem, et in monte Garizim, et in aliis omnibus ejus terrae locis.

Sensus igitur verborum Domini est, tempore novae legis non adorandum amplius Deum in monte Garizim, idest, non adorandum ritu Samaritanorum, quo utebantur in eo monte adorantes; neque adorandum in Hierusalem, idest, non adorandum ritu judaico, quo utebantur in templo illo adorantes, sed novo ritu, qui erit in spiritu et veritate, idest, qui non consistet praecipue in externis, corporalibus et unibraticis caeremoniis, sed in interna et spirituali cognitione, et dilectione Dei ; in corde contrito et humiliato. Quae tamen adoratio non excludit externum cultum, si ad internum juvandum, vel exprimendum ordinetur. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius, et alii exponunt in commentar. hujus loci qui illud, In spiritu, opponunt caeremoniis Judaeorum, quatenus corporales erant; illud. In veritate, opponunt iisdem caeremoniis, quatenus umbrae et figurae erant.

Non male tamen Theophylactus b. Thomas, et Cajetanus in hunc locum Joannis, illud, In spiritu, opponunt caeremouiis Judaeorum corporalibus; illud, In veritate, opponunt errori Samaritanorum, qui adorabant quod nesciebant. Itaque solutio in hoc consistit, quod Dominus velit praecipuum cul-

tum Christianorum esse spiritualem, et purum ab omni errore: cum praecipuus cultus Judaeorum fuerit externus: cultus autem Samaritanorum fuerit non solum externus, sed etiam impurus, quia simul Deum Isräel, et Deos gentium adorabant.

Sed dices: Non videtur verum, praecipuum cultum Judaeorum fuisse externum. Nam Isai 29. arguit Dominus Judaeos, quod labiis orarent, et honorarent Deum, cor autem eorum longe esset ab ipso. Et David psal. 50. sacrificium Deo offert cordis contriti et humilitati.

Respondeo: Cultum internum, etiamsi is a Judaeis requirebatur, et in quibusdam inveniebatur, esse proprium novi Testamenti, quia internus cultus a spiritu fidei et charitatis procedit, quae est gratia novi Testamenti, et ex lege veteri nullo modo haberi potest. Sicut enim dicimus, timorem esse legis, amorem evangelii, et tamen amorem ex toto corde a Judaeis Deus requirebat, et s. patriarchae et prophetae Deum ex toto corde dilexerunt, et hac ratione ad novum Testamentum pertinebant. Non enim a litera legis, sed a spiritu gratiae id habebant; ita dicimus cultum externum esse proprium legis, quamvis non placeat sine interno; cultum internum esse proprium evangelii, quamvis sine externo esse non possit; et si aliqui in lege veteri cultu interno Deum coluerunt, ut Deus petebat, id non a lege, sed a gratia novi Testamenti ad quam etiam ipsi pertinebant, habuerunt.

Ad Tertium locum facilis responsio est; cum enim apostolus ait: Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione, vel agit de publica, vel de privata oratione: si de privata, ut Ambrosius, Anselmus, Haymo, Thomas, et alii Latini exponunt, tunc sensus est secundum eosdem, non solum in Ecclesia, quamvis ea sit praecipua domus orationis, sed etiam in aliis omnibus locis licitum esse orare Deum, modo turpitudo loci non videatur impedire. Si autem de publica oratione agitur, tunc testimonium hoc pro nobis facit, illud enim, in omni loco, significat, in omni loco ubi ad orandum publice convenitur, idest, in omni ecclesia.

Quod autem hace sit vera expositio, patet Primo ex eo, quod secundum omnes Graecos et multos Latinos apostolus ponit illud, in omni loco, propter Judaeos, qui solum in uno loco, idest, in templo Salomonis orandum censebant. At privatas orationes etiam Judaei ubique faciebant, ut patet ex illo Matth. 6. Amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare: igitur de publica oratione, et de sacrificio agitur, quae solum in templo Salomonis Judaei fieri debere existimabant.

Secundo patet ex eo, quod statim subditur: Similiter mulieres in habitu ornato etc. quae non possunt intelligi, nisi de oratione, quae sit in Ecclesia. Cur enim necesse est mulierem convenienti habitu vestiri, cum ad orandum proficiscitur, nisi propter alios. cum quibus orat?

Tertio patet, quia cum dicitur: Volo ergo viros etc. illud, ergo, conjungit hanc sententiam cum initio capitis, ubi dictum est: Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes etc. Quae verba b. Augustinus in epist. 59. ad Paulinam, e

omnes Graeci intelligunt esse dicta de publica oratione, quae sit in missarum celebratione. Adde, quod Basilius lib. 2. de baptismo quaest.8. utrumque locum sic exponit, ut velit Christum, et apostolum docere voluisse, deinceps non fore locum orationis solum in Hierusalem, sed in toto orbe erigenda templa et oratoria.

Ad Quartum concedo: Deum esse ubique aliquo modo, sed non omnibus modis; nam certe si Deus esset ubique eo modo, quo est in coelis coram beatis, frustra diceremus: Pater noster, qui es in coelis. Ac ut verba ipsa Calvini refellamus, sciendum est, Calvinum lib. 3. Instit. cap. 20. § 30. sic loqui; Cavendum est, ne putetur templum propria esse Dei habitatio, ut ibi aures suas propius nobis admoveat, que mad modam aliquot saeculis ante putatum est. Jam vel Calvinus vult Deum non ita proprie habitare in templo, ut ibi concludatur: vel existimat nullo modo posse dici, Deum magis in templo habitare, quam alibi: si primum, recte dicit, sed mentitur, cum ait: Aliquot saeculis, aliter putatum fuisse; numquam enim catholici taın stupidi fuerunt: si secundum, loquitur omnino contra Scripturas; nam si Deus esset ubique eo modo, quo est in templis, frustra templum diceretur domus Dei, Isaiae 56. et alibi passim. Frustra Paulus diceret, nos esse templa Dei, quia Deus in nobis habitat: et si Deus non loquitur, et audit magis in uno loco, quam in alio, cur, quaeso, in Testamento veteri ordinarie responsa dabat solum ex propitiatorio, quod erat super arcam?

Quarta propositio. Sacrae domus non solum Deo, sed etiam sanctis recte aedificantur, et dedicantur. Probatur conclusio ista quarta ex conciliis, et veterum testimoniis. Concilium gangrense in epist. ad episcopos Armeniae, damnat Eustathium tamquam contemptorem basilicarum sanctorum martyrum, et canon. 20. nominat martyrum basilicas. Concilium cabilonense can. ult. martyrum basilicas appellat. Concilium carthaginense V. can. 14. vetat, ne aedes ulli martyri aedificentur, nisi ibi sit aut corpus, aut aliquae ejus reliquiae; aut ibi martyr habitaverit; aut certe in eo loco passus sit: aliquid enim horum requiritur, ut memoria

martyris dici possit locus aliquis. Praeterea Patres idem docent, ac primum Graeci. Cyrillus catechesi 16. meminit ecclesiae apostolorum erectae in Hierosolymis in loco, ubi Spiritus sanctus descenderat. Athanasius in epist. ad solitariam vitam agentes, nominat templum s. Quirini. Basilius in psalm. 114. in ipso principio vocat sacrum martyrum templum. Nazianzenus orat. 1. in Julianum scribit Gallum, et Julianum aedem sacram Mamae martyri ingentibus sumptibus erigere coepisse, et laudat Gallum, quia ex amore sincero id faciebat. Gregorius nyssenus oratione in Theodorum multa dicit de templo ipsi martyri dicato. Chrysostomus hom. 28. ad populum: Ad veras, inquit, regias ecclesias dico, et oratorias aedes, et martyrum templa etc. Et hom. 66. dicit, Constantinum post mortem factum janitorem piscatoris, quia sepultus erat pro foribus basilicae s. Petri apud Constantinopolim. Theodoretus lib. 8. ad Graecos, templa olim idolorum, nunc martyrum esse dicit. Eusebius lib. 4. de vita Constantini c. 58. 59. et 60. dicit, templum pulcherrimum Constantinopoli apostolis a Costantino erectum. Sozomenus lib.6. cap. 18. meminit templi s. Thomae, quod erat Edessae. Socrates lib. 1. cap. ult. meminit ecclesiae apostolorum. Evagrius lib. 2. cap. 3. meminit templi s. Euphemiae, et lib. 3. cap. 8. templi s. Theclae amplissime a Zenone exstructi. Nicephorus lib. 13. c. 37. meminit templi s. Basilisci. Damascenus lib. 4. c. 16. asserit templa in martyrum memoriam aedificanda. Denique exstat liber Procopii de aedificiis Justiniani, ubi plurima templa martyrum, aliorumque sanctorum enumerat.

Ex Latinis Ambrosius lib. 1. epist. 5. ad Felicem episcopum Comensem: Ortus, inquit, est sermo de basilica. quam condidit apostolorum nomine dedicanda. Hieronymus lib. contra Vigilantium: Ingredere, inquit, basilicas martyrum, et aliquando purgaberis. Ibidem, et in epistola praecedente, et alibi passim meminit basilicarum apo-

stolorum et martyrum.
Gaudentius Ambrosii aequalis, tractatu de dedicatione Ecclesiae: Ut venerandas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit; deinde ut

hanc honori eorum fundare basilicam valeremus ipse largitus est etc.

Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 1. meminit basilicae s. Felicis: In beatissimi, inquit, Felicis basilicae poneretur etc. Et lib. 1. de Civit. Dei cap. 1. Testantur hoc. inquit, martyrum loca, et basilicae apostolorum etc. Et lib. 20. contra Faustum cap. 21. Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat. Et lib. 8. de Civit. Dei cap. 26. Sed hoc videtur dolere, quod memoriae martyrum nostrorum, templis eorum, delubrisque succederent. Auctor libri de ecclesiasticis dogmatibus cap. 73. Martyrum basilicas devote adeundas dicit. Paulinus natali 1. s. Felicis dicit, se optare, ut possit servire s. Felici in ejus basilica purganda et custodienda.

Et foribus servire luis, lua limina mane Munditie curare sines, et nocte vicissim Excubiis servare piis, et munere in isto Claudere promeritam defesso corpore vitam.

Victor uticensis lib. 1. persequutionis Wandalicae scribit, apud Carthaginenses duas amplas basilicas s. Cypriani fuisse. Gregorius lib. 2. dialogor. cap. 8. scribit, a s. Benedicto in monte Cassino duo fana Apollinis versa in oratoria sanctorum, unum Martini, alterum Joannis. Liber pontificalis testatur Sylvestrum dedicasse basilicas a Constantino exstructas, unam Petro, alteram Paulo, tertiam Joanni, quartam Laurentio, et alias. Liberium b. Mariae; Damasum aliam s. Laurentio; Innocentium sanctis Gervasio et Protasio; Sixtum b. Mariae et s. Laurentio; Leonem s. Cornelio; Gelasium s. Euphemiae; Symmachum s. Andreae; Joannem I. s. Philippo et Jacobo; Pelagium II. s. Laurentio; Gregorium s. Agathae; Bonifacium IV. b. Mariae, et omnibus sanctis. Qui omnes pontifices, excepto Gregorio et Bonifacio, ante mille annos floruerunt.

Secundo probatur ratione a simili, ex divinis li-

teris. Templum Salomonis non solum fuit erectum ad sacrificia et orationes, sed etiam ad conservandam arcam Domini, ut patet ex lib. 1. Paralip. cap. 17. ubi David volens aedificare templum, dicit ad Nathan: Vides, quod eyo habitem in domo cedrina, et arca Dei sub pellibus. Item lib. 1. Paralip. cap. 28. David dicit: Cogitavi, ut aedificarem domum, in qua requiesceret arca foederis Domini, et scabellum pedum Dei nostri. Idem patet ex lib. 2. Paralip. cap. 5. ubi templo exstructo introduxerunt arcam in illud cum magna celebritate, et ex ps. 131. ubi dicitur David vovisse votum Deo de aedificanda domo arcae Dei. Ubi etiam legimus, ingredere Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.

Sed idem honor, vel etiam major debetur sacris reliquiis Christi et sanctorum, quam arcae illi Mosaicae: Nam de sepulchro Domini Hieronymus uit epist. 17. ad Marcellam: Venerabantur quondam Judaci sancta sanctorum, quia ibi erat arca. Nonne tibi venerabilius videlur sepulchrum Domini? Ergo sicut super arcam exstrui potuit aedes, ita etiam super Christi sepulchrum: quod si super Christi sepulchrum, certe etiam super sepulchru sanctorum: Nam eadem est ratio omnium, solum enim different secundum magis et minus. Praeterea, quod reliquiae sanctorum sint venerabiles eo modo, quo arca Domini, probatur: Nam arca quatenus lignea erat, nullum honorem merebatur, sed ideo venerabatur, quia repraesentabat sedem Dei, et quia per eam Deus loquebatur; At corpora sanctorum fuerunt vivae sedes Dei; et viva organa, per quae Deus loquutus est; Nam 1. Corinth. 6. dicitur: Membra nostra templum sunt Spiritus sancti. Et 2. Corinth. 13. dicitur: An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus? Ergo licebit etiam exstruere sacras aedes ad sanctorum sepulchra ornanda et conservanda: et hoc est.sancus dedicare basilicas.

Dices; Ergo saltem angelis, et b. Virgini et sanctis, quorum non habemus reliquias, non licebit exstruere basilicas.

Respondeo: Nomine reliquiarum non solum intelligi ossa et vestes, sed etiam loca, ubi sancti passi sunt, vel ubi habitaverunt, aut aliquid praeclari gesserunt. Et hoc modo exstructae fuerunt Cypriano duae basilicae, teste Victore lib. 1. una, ubi passus erat; altera, ubi jacebat corpus ejus. Similiter hoc modo exstructae sunt multae ecclesiae b. Mariae, vel angelis in locis, ubi apparuerunt, vel miracula aliqua ostenderunt. Addo etiam posse erigi basilicas ad sanctorum memoriam conservandam per imaginem, per ipsum solum nomen. Nimirum potest erigi basilica's. Petro, ut qui ingrediuntur, admoniti imagine ibi depicta, vel ipso templi nomine, recordentur s. Petri, eumque in eo loco tamquam patronum colant, et deprecentur. Neque hoc est contra concilium carthaginense V. canone 14. quod statuit, ut nulla memoria acceptetur, nisi ibi sint reliquiae cjusdem sancti, vel constet ibi eum esse passum, aut habitasse; Nam concilium non vult prohibere simpliciter, ne exstruatur basilica sine reliquiis ejusdem sancti, cui basilica dicatur; sed vult ut non habeatur pro tali

BELLARMINI. Vol. II.

memoria martyris, in qua credantur esse ejus reliquiae, nisi fidelissima historia constet, rem ita se habere.

Jam ad argumentum in oppositum duae solutiones sunt. Prima, quorundam recentiorum, qui quia non distinguunt inter templum et basilicam, existimant sacras aedes non posse proprie erigi, nisi Deo, quemadmodum sacrificia non offeruntur, nisi Deo. Quia tamen plurima sunt templa, quee dicantur Deo, ut possint inter se aliquo modo distingui, dicunt denominari a sanctis, non quod eis erigantur, sed quod in templis praecipue colantur eorum memoriae, et ipsi in illis locis patroni invocentur.

Quando igitur legunt in veteribus, vel audiunt in communi sermone vocari templum, vel basilicam s. Petri, vel Pauli, vel aliorum; dicunt debere exponi boc modo: hacc basilica, vel templum est s. Petri, idest, est templum dicatum Deo in memoriam et nomen s. Petri; vel dicatum est Deo, ut ibi oretur Deus per intercessionem s. Petri: quemadmodum missa quaedam dicitur s. Petri, non quod ipsum sacrificium offeratur Petro, sed quod offeratur Deo in gratiarum actionem pro gloria s. Petro collata, et simul interpelletur Petrus tamquam patronus et advocatus apud Deum. Quae sane pia est expositio, et conformis ritui Ecclesiae, qui servatur in consecratione templorum; Nam aliquoties pontifex in ea caeremonia dum preces fundit, dicit, se consecrare templum in honorem Dei, et nomen talis, vel talis sancti.

Altera solutio admittit sacras domos ipsis sanctis vere et proprie aedificari, non tamen sub ratione templi, sed basilicae, vel memoriae. Est enim observandum secundum veterum Patrum doctrinam, templum, et basilicam non esse synonima, et licet de eadem domo saepe dicantur, tamen dici sub diversissimis rationibus. Nam sacra aedes proprie templum dicitur, quatenus erigitur ad sacrificia; eadem sacra aedes dicitur basilica, quatenus erigitur ad ornatum sepulchri alicujus sancti, et commoditatem visitantium ejusmodi religuias. Basilica enim non dicit relationem ad sacrificia: Nam etiam regum palatia dicuntur basilicae, ut patet Hesther 5. immo ea palatia proprie dicuntur basilicae, et inde nomen translatum est ad martyrum aedes si-, gnificandas. Quod etiam videmus in altaribus; Nam unus, et idem lapis dicatur altare, quatenus in eo sacrificatur Deo; et idem dicitur tumulus, vel sepulchrum, quatenus tegit ossa martyris alicujus. Omnia enim altaria sunt sepulchra sanctorum: et sicut lapis ille vere dicatur sancto non sub ratione altaris, sed sub ratione sepulchri: ita domus aliqua vere dicatur sancto non sub ratione templi, sed sub ratione basilicae. Et quemadmodum idololatria esset erigere sanctis altaria, et tamen non est idololatria erigere illis lapideos tumulos: ita idololatria esset erigere sanctis templa sub ratione templi; non tamen idololatria est erigere illis basilicas. Sicut etiam non est idololatria donare sanctis thecas aureas, vel argenteas, quibus includantur reliquiae eorum. Nihil enim aliud sunt basilicae, quam magnae quaedam thecae, quibus minores thecae, et ipsa sepulchra clauduntur.

Ex quibus sequitur, aliter dici missam s. Petri, aliter basilicam s. Petri; nam missa non offertur ullo modo s. Petro, nec primario, nee secundario: at basilica vere aedificatur s. Petro, si non primario, saltem secundario.

Esse autem hoc discrimen inter templum et basilicam, probari potest ex Patribus. Augustinus enim clarissime testatur, templi erectionem esse cultum latriae soli Deo debitum lib. 1. contra Maximinum, et lib. contra serm. Arianorum: et idem Augustinus conjungit templum cum altari et sacrificio lib. 8. de Civitate Dei cap. ult. docens cui convenit unum eorum, et alia convenire, et contra; et tamen in iisdem locis Augustinus fatetur. memorias recte martyribus aedificari, et praecipue locus notandus est lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. ubi sic ait: Nos autem martyribus nostris, non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus,fabricamus. Idem Augustinus nusquam dicit templa martyrum: et tamen passim dicit basilicas martyrum, quod etiam in aliis latinis Patribus observare licet.

Porro Graeci dicunt quidem templa martyribus fabricari, vel dedicari, ut patet ex Busilio in ps. 114.ubi tocat, l'ερὸν τῶν μαρτύρων, et similiter loquuntur Nyssenus, et alii; tamen certum est eos intelligere materialiter, idest, domum illam, quae dicitur templum, fabricari martyribus, non tamen sub ratione templi ad sacrificia, sed basilicae, ad ornandam memoriam ipsorum sanctorum.

Quod autem ipsi etiam intelligant, sacras aedes exstrui martyribus, et non solum Deo, in eorum memoriam, sicut sacrificium offertur Deo in eorum memoriam, probatur; nam ipsi simpliciter asserunt aedes exstrui martyribus, et tamen nusquam dicunt sacrificium offerri martyribus, immo hoc simpliciter negant, ut patet ex Theodoreto lib. 8. ad Graecos: ergo aliter existimabant aedes, aliter sacrificium ad martyres pertinere. Neque obstat ritus consecrationis; nam cum dicitur, templum sacrari ad honorem Dei, et nomen martyris, agitur de consecratione templi, ut templum est.

# CAPUT. V.

De dedicatione et consecratione ecclesiarum.

Magdeburgenses Cent. 4. cap. 6. col. 407. et sequentibus. tria in dedicationibus reprehendunt. Primo, quod templa a nobis cum ingenti laetitia, et celebrilate dedicentur, quod ortum esse dicunt ex κακοζηλία judaismi, et esse rursum introducere judaismum in Ecclesiam.

Secundo, quod utamur tot caeremoniis in consecratione templorum; Nam praeter alias, quaedam sunt quae non videntur posse excusari a superstione et magia. Nam primo pinguntur duodecim cruces, et ante singulas accenduntur singulae lampades; deinde pulsatur templum et aperitur. Tum describitur in pavimento super cineres ad hoc sparsos, baculo pastorali alphabethum graecum ab uno angulo ad alium; et rursus alphabetum latinum ab alio angulo ad alium, ita ut inde crux fiat. Tum fit mixtura ex aqua, vino, sale et cineribus, et inde aspergitur templum; ac demum templum et ara chrismate inunguntur.

Tertio arguunt, quod putemus, templa esse loca sanctiora caeteris: quod etiam reprehendit Calvinus lib. 3. Instit. cap. 20. § 30. Nos ergo juxta eorum reprehensiones, tres sententias subjiciemus

Prima sit, Merito templa Dei cum ingenti laetitia et solemnitate dedicantur. Probatur primo ex testamento veteri, ubi legimus celeberrimam dedicationem tabernaculi et altaris, Num. 7. Item ter legimus factam templi dedicationem cum ingenti laetitia et celebritate. Primo a Salomone lib. 2. Paralipomen. cap. 7. Secundo ab Esdra, lib. 1. Esdrae cap. 6. Tertio a Machabaeis, cum post profanationem iterum esset renovalum et sanctificatum lib. 1. Machab. cap. 4. ad quam solemnitatem, quae annis singulis iterum agebatur Christum etiam accessisse scribit Joannes cap. 10.

Sed hoc argumentum adversarii putant esse potius contra nos, quia videmur judaizare, cum id facimus quod illi faciebant, quantum ad ejusmodi caeremonias attinet. At revera pro nobis est argumentum, siquidem caeremoniae propriae Judaeorum, et quae cessaverunt, nec servari possunt sine peccalo, sunt illae, quae institutae erant ad aliquid significandum futurum in Christo.vel in Ecclesia. Illae enim si nunc servarentur, falsam haberent significationem, et proinde salsae fidei protestationes essent. Ut quia agnus paschalis significabat Christi passionem futuram, si quis nunc agnum eo ritu immolaret, profiteretur Christum nondum esse passum, quod est contra veram fidem. At caeremoniae, quae fundantur in ratione naturali, ut flectere genua, tundere pectus, et similes, non sunt propriae Judeorum, etiamsi ab illis quoque adhiberentur; nec ad legem caeremonialem, sed ad moralem perlinere videntur.

Porro talem esse temptorum dedicationem, patet primo, quia non legitur Deus instituisse hanc caeremoniam: sed Salomon, Esdras et Machabaei natura duce, putaverunt convenire, ut de perfecto templo gratias Deo referrent, et cum publica laetitia auspicarentur usum templi.

Secundo, quia vere natura hoc docet, ut ad finem magnorum operum homines gaudeant, et Deo gratias agant; et similiter quando incipiunt re aliqua nova uti. Deum invocent, et cum laetitia opus aggrediantur. Hoc autem fit in dedicatione templi: Nam exultamus, et Deo gratias agimus, quod templi fabricam completam videamus, et rursum cum laetitia et faustis imprecationibus aggredimur usum ipsius templi.

Tertio, quia natura docet celebrandos esse dies natales magnorum virorum; id enim etiam ethnici faciebant: et apud nos celebratur singulis annis creatio pontificis maximi. Unde sunt sermones aliquot b. Leonis in anniversario suad assumptionis. Cur non eodem modo celebrari poterit natalis templi, quae est res publica, et magna, et toti Écclesiae utilissima.

Adde ultimo, quod Deus ipse exemplum dedicationis dedisse videtur, cum expleto opere suo, in signum laetitiae diem septimum benedixit et sanctificavit, et nihil operando festum diem egit.

Secundo probatur ex praxi Ecclesiae et veterum traditione. Eusebius lib. 9. hist. cap. 10. Festivitates. inquit, a nostri frequentissime gerebantur: cum omni laetitia et exultatione. per urbes et loca singula ecclesiarum dedicationibus celebratis. Congregabantur in unum sacerdotes, nec pigebat étiam longe positos convenire, quia nultum longum videbatur spatium charitati. Idem lib. 4. de vita Constantini, scribit, Constantinum ad consecrationem et dedicationem aedis, quam Hierosolymis martyribus extruxerat anno imperii sui 30. convocasse universam synodum, quae Tyri convenerat etc.

Athanesius in apologia ad Constantinum: Illud, inquit. et a beatae memoriae Alexandro, aliisque Patribus actum est, qui populi conventus habuere, et absoluto opere agendis Deo gratiis dedicationem celebraverunt. Hujus ergo dedicationis te, imperator, auctarem esse oportet. Locus enim ille exaedificatus praesentiam tuae pietatis requirit; hoc enim ei solum deest ad plenum ornatum. Hoc'igitur ut adimpleas, ut vota tua Domino, cui hanc domum construxisti, reddas, omnium vota optant et suspirant etc. Ibidem prodedicatione ecclesiae adfert exemplum Esdrae ex Testamento veteri.

Basilius in psal. 114. initio reddit caussam, cur serius venerit ad ecclesiam dedicandam, ubi populus a media nocte usque ad meridiem exspectaverat: Si vero, inquit, oportet, etiam nos pro nobis ipsis rationem reddere morae ac longioris nostrae absentiae, caussam adferimus, quod alteram huic aequalem Dei Ecclesiam non modico intervallo a vobis distantem, ministerio nostro curantes, tempus hoc diei consumpsimus. Hunc locum, qui forte ambiguus possel videri, fatentur Magdeburgenses Centur. 4. cap. 6. col. 408. de templi dedicatione intelligendum.

Gregorius nazianzen. orat. in novam dominicam sic incipit: De encoentis honorandis lex vetus est, eaque praeclare constituta. Chrysostomus quoque sermonem habuit in encoeniis, tom. 3. Sozomenus lib. 4. c. 13. scribit, Basilium ancyranum ad templi dedicationem plurimos episcopos invitasse.

Ambrosius lib. 1. epist. 5. ad Felicem, dicit, se et ipsum Felicem ad basilicae dedicationem a Bassiano invitatum. Et in epist. ad Sororem, quae habetur inter sermones, num. 92. Cum, inquit, basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare coeperant, dicentes: Sic in romana basilica dedices. Respondi, faciam, si martyrum reliquias invenero etc.

Gaudentius tractatu de dedicatione, dicit, convenisse multos episcopos ad celebritatem dedicationis ecclesiae, quae Brixiae erecta fuerat in honorem reliquiarum Joannis Baptistae, Andreae,

Thomae, Lucae, Gervasii, Prothasii, Celsi, et quadraginta martyrum.

Augustinus quinque sermones ad populum habuit in celebritate dedicationis templi, qui sunt inter sermones de tempore 251. ad 256.

Gelasius Papa epist. 1. ad episcopos Lucaniae et Aprutii, cap. 6. Basilicas, inquit, noviter institutas, non petitis ex more praeceptionibus dedicare non audeat. Item cap. 27. alia quaedam constituit in dedicatione ecclesiarum servanda. Felix IV. qui ctiam ante mille annos sedit, in epistola sua decretali prolixe de hac re disserit, ac inter alia sic ait: Solemnitates vero dedicalionem ecclesiarum per singulos annos celebrandae sunt etc.

Prosper par. 3. cap. 38. de promissionibus Dei, testatur se interfuisse cum apud Carthaginem dedicarctur insigne quoddam templum, quod olim Gentilium fuerat; in cujus frontispicio divinitus scriptum invenerunt magnis atque aeneis literis: Aurelius pontifex dedicavit. Quod praesagium omnes mirabantur, cum viderent ab Aurelio episcopo carthaginensi fieri, quod tanto antea praedictum fuerat.

Gregorius lib. 3. dialogorum, cap. 30. scribit, tempore suo dedicatam hasilicam non sine divinis miraculis, quibus indicaretur, Deo placuisse eam dedicationem. Bernardus sex sermones habuit de dedicatione templi. Rupertus in cap. 28. Genes. probat, recte fieri festivas dedicationes. Hugo de s. Victore, lib. 2. de sacramentis, part. 5. cap. 2. ct 3. Isidorus lib. 1. de officiis, cap. 33. Rabanus lib. 2. c. 43. de institutione clericor. Amalarius in lib. de ordine antiphonarii, b. Ivo in serm. de consecrat. templi, et Walfridus de rebus ecclesiasticis, cap. 9. qui omnes de dedicatione ecclesiae tractant, tamquam de re antiquissima, cum tamen etiam ipsi antiqui sint auctores.

Secunda propositio: Merito ab Ecclesia variis precibus et caeremontis templa consecrantur. Probatur Primo Scripturae testimonio. Siquidem ex Scriptura habemus consecrationem templi, vel altaris, in statu naturae, legis et gratiae. In statu neturae Jacob cap. 28. Geneseos, erexit lapidem, ut ibi sacrificaret, eumque consecravit fundens oleum desuper, et inde eum locum appellavit Bethel, idest, domum Dei; et c. 35. monitus a Deo, ut faceret altare, rursus ibidem erexit lapidem, eumque inungendo consecravit, et libavit super eum libamina. Certe boc non pertinet ad magiam, cum laudetur hoc factum ab omnibus, et constet placuisse Deo. Nec etiam pertinet ad caeremonias legis quae adhuc data non fuerat. Cur ergo non liceat nobis idem facere?

Deinde in statu legis videmus Moysem consecrasse oleo sacro, aliisque caeremoniis tabernaculum, altare, et omnia ejus vasa. Exodi cap. 40. et Num. 7. quas etiam caeremonias certum est non fuisse magicas. Et licet caeremoniae fuerint veteris legis, tamen quia non erant propriae ejus, quippo quae in oratione fundantur, nihil obstat, quo minus a nobis etiam assumi possint.

In statu evangelii non habemus tam expressa testimonia Scripturae, interim tamen ex eo, quod Paulus in priori epistola ad Corinthios cap. 11. Corinthios arguit tamquam Ecclesiae contemptores, quia in ecclesia comedebant, satis innuitur, tunc etiam ecclesiam aliquo modo sacratam fuisse. Cur enim Ecclesiam contemnere dicitur, qui in ea actionem alibi licitam exercet, nisi propter aliquam ejus loci consecrationem? Et confirmatur ex Dionysio areopagita, qui tempore apostolorum vixit; et lib. de ecclesiastica hierarchia, cap. 5. par. 1. aperte docet, allaria sacro oleo inungi, et conse-

crari ab episcopo debere.

Secundo, probatur ex decretis conciliorum antiquorum. Nam concilium carthaginense V. can. 6. sic habet: Similiter et de ecclesiis, quotles super earum consecratione haesitatur, agendum est, idest, ut sine ulla trepidatione consecrentur. Item agathense concilium cap. 14. Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. Idem patet ex concilio II. bracarensi can. 6. Item ex decretis pontificum Gelasii et Felicis IV. supra citatorum, et Joannis I. in epist, ad episcopos Italiae. Alia decreta vide apud Gratianum de consecr. dist. 1. ubi etiam adfertur canon nicaeni concilii; et alius concilii hipponensis, quod plenarium totius Africae fuisse testatur Augustinus lib. 1. Retractat. c. 17. quamquam isti canones modo non exstant, nisi apud Gratianum.

Tertio, probatur ex Patribus citatis in priore conclusione; nam major pars eorum meminit etiam consecrationis et caeremoniarum, quibus uti so-

lemus in consecratione templi et altaris.

Quarto probatur ratione desumpta ex fine illarum caeremoniarum. Finis enim praecipuus est ad significandum templum illud Deo et sacris actionibus dedicari, neque esse domum profanam, sed sacram. Nam etiamsi ista dedicatio essentialiter consistat in voluntate et intentione dedicationis: tamen necesse est, ut haec intentio et voluntas signis externis prodatur aliis hominibus. Quomodo etiam humani contractus consistunt in intentione et voluntate contrahentium: tamen ut innotescat voluntas, et ut firma et rata sint, non solum proferuntur verba, sed etiam multae adhibentur caeremoniae, ut patet in nuptiis, in coronatione regum, in militia etc.

Quoniam ergo templum dedicatur Christo, ideo ad hoc significandum pingitur signum ejus, idest, crux. Pinguntur autem cruces num. 12.ita inter se distantes, ut totum templum occupent; et ad singulas, lampades singulae accenduntur, ad significandum, quod apostoli 12.hoc vexillum Christi per totum orbem terrarum portaverunt, et sua praedica-

tione mundum illustrarunt.

Et quia templum non debet esse profana et communis domus, sed sacra; ideo ad hoc significandum inungitur. Oleum enim est communissimum et evidentissimum symbolum consecrationis. Quia enim est liquor nobilissimus, quippe qui omnibus supereminet, et maxime omnium penetrat, et sanat ac roborat. Ac demum res illustres facit: ideo placuit omnibus gentibus, et ipsi etiam Dee, illo uti ad consecrationem significandam.

Quia rursus templum destinatur divinis sacrifieiis et orationibus, aliisque sanctis et puris actionibus, non autem sordibus et tenebris negotiorum saecularium, ideo ad hanc munditiem et claritatem significandam aspergitur aqua, thus adoletur, cerei accenduntur.

Quia sacratur etiam templum ad concionandum, et docendam fidem, quae est fundamentum totius justitiae; ideo describitur alphabetum in pavimento. Describitur autem graece et latine, quia illis linguis praedicata est fides, et illis linguis utebatur tota fere Ecclesia eo tempore, quo hae cueremoniae sunt institutae.

Et quia in templo non solum docentur homines, sed ctiam moventur et inflammantur ad virtutem, et vitae novitatem; idcirco fit illa mixtio aquae, ci-

neris, salis et vini, ut infra dicemus.

Quia denique ex templo diabolus ejicitur, neque ibi habitare sinitur, sed e contrario oratur Deus, advocantur angeli, aliique sancti, ut in eo loco habitare dignentur; ideo pulsatur ostium, et jubetur diabolus recedere, et reliquiae sanctorum introducuntur.

Alius finis harum caeremoniarum est, ad significandum Christum et Ecclesiam. Ecclesia enim materialis, Ecclesiam spiritualem designat: altare vero significat Christum; hinc igitur altare fit ex lapide, et inungitur, et summo loco ponitur, et sub ipso absconduntur reliquiae: quia Christus dicitur petra, 1. Corinth. 10. et unctus fuit Spiritu sancto, prae consortibus suis, psal. 44. Et caput est totius Ecclesiae, Coloss. 1. Et in ipso abscondita est vita et gloria sanctorum, Coloss. 3. Unde etiam in coelo vidit Joannes animas sanctorum sub altari, Apocal. 6.

Porro caeremoniae, quae fiunt in ipsa consecratione, totum progressum fidelium demonstrant. Nam primo loco pulsatur, et aperitur templum baculo pastorali ab episcopo, quia praedicatores potestate a Christo accepta, corda infidelium pulsant, et ad fidem suscipiendam aperiunt.

Secundo, ingressus episcopus eodem baculo describit in pavimento cinere consperso alphabetum, quia praedicatores eadem potestate in cordibus poenitentium inscribunt rudimenta fidei, eosque catechumenos faciunt.

Tertio, aspergitur templum aqua, et cerei accenduntur, quia post catechismum sequitur baptismus, quod est sacramentum illuminationis.

Quarto, in parietibus pinguntur et inunguntur cruces (nam etiamsi cruces ante initium consecrationis factae sunt, tamen hoc tempore fleri debuissent; sed antea factae sunt propter commoditatem, nimis enim diu exspectaretur, si in ipsa consecratione pingerentur) ad significandam confirmationem, quae post baptismum cruce et chrismate perficitur.

Quinto, fit mixtio quaedam aquae, cineris. salis et vini, quia tota vita fidelium consumi debet in mortificandis vitiis, et vitae novitate quaerenda et retinenda. Nam aqua significat hominem, qualis est ex se post peccatum; est enim frigidus et insipidus. Cinis significat poenitentiam et mortificationem vitiorum. Sal saporem. Et vinum laetitiam et fervorem novae vitae.

Sexto, agitur dies festus cum laetitia, finita con-

secratione, quia post finem hujus vitae fideles intrabunt in gaudium Domini, ubi perpetuo laetabuntur. Haec et similia vide apud Augustinum et Bernardum in sermonibus de dedicatione; et apud Hugonem, Ivonem et Rabanum supra citatos, qui sigillatim explicant rationes harum caeremoniarum.

Tertia propositio: Templum consecratum, merilo sanctum et venerabile, ac divina quadam virtute praeditum existimari debet. Probatur; Primo, ex relatione ad Deum; Templum est dedicatum Deo, ergo est res Dei, ergo sanctum est; nam omnis res Deo dicata, eo ipso est sancta, Levit. ult. Animal quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit. El infra: Quidquid semel fuerit consecratum Domino, sanctum sanctorum erit, Matth. 23. Vae vobis duces caeci, qui dicilis: Quicumque juraverit per templum, nihil est; qui autem juraverit in auro templi; debet. Stulli et caeci quid enim majus est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Ubi Dominus vult templum lapideum nobilius esse ipso auro, quod videlicet auro communicet sanctitatem; nam licet lapides sint absolute inferiores auro, tamen ratione relationis ad Deum, lapides illi, qui templum efficiunt, sunt longe nobiliores et sanctiores auro. Unde Augustinus lib. 4. cont. Cresconium, cap. 40. Deo, inquit, omnipotenti, parietes consecratos, ecclesiam venerandam, quasi quadam obsessione credidit retinendam.

Secundo, probatur ex precibus et benedictione episcopali; nam ut ait apostolus, 1. Tim. 4. Nihil abjiciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Jam si cibi sanctificantur per verbum Dei et orationem, cur non etiam templa sanctificabuntur, quae per sacras personas publicis precibus et benedictione consecrantur? Praeterea sanctificante Salomone templum, Deus etiam sanctificavit, ut ipse dicit, 3. Regum 9. Exaudivi, inquit, orationem tuam, et sanctificavi domum hanc, quam aedificasti. At non minus efficaces sunt preces Ecclesiae, quam Salomonis.

Tertio, probatur ex iis, quae sunt in templo; nam locus rerum sanctarum, sanctus quoque sit necesse est, ut patet ex illo, Exod. 3. Locus, in

quo stas, terra sancia est.

Jam vero in templis sunt multae res sanctae. Primo, crux et imagines Christi et sanctorum. Secundo, reliquiae sanctorum. Tertio, praesentia corporis Domini in eucharistia. Quarto, praesentia angelorum; credibile enim est, aut semper, aut frequentissime in templis angelos adesse. Quare Josephus lib. 7. de bello judaico, cap. 12. scribit, ia lemplo Salomonis paulo ante, quam everteretur, auditas voces: Migremus hinc, quas angelorum fuisse, deserentium eum locum, communis opinio est. Et b. Chrysostomus homil. 1. super illa verba Isaine: Vidi Dominum sedentem etc. dicit: Angelorum multitudine vallari sacram mensam in ecclesiis. Quinto denique, adest Deus ipse per singularem quandam protectionem et virtutem, in cujus rei signum quando tabernaculum a Moyse dedicatum est, Exod. ult. mox caligo, seu nubes quaedam gloriae Domini tabernaculum texit. Similiter fecit, cum templum a Salomone dedicatum est: Nebula enim gloriae, implevit domum Domini, 3. Reg. 8. Idem etiam suo tempore accidisse ecclesiae consecratae scribit Gregorius lib. 3. dialogor. cap. 30. In magna, inquit, serenitate äeris super altare ecclesiae nubes coelitus descendit, suosque illud velamine operuit, omnemque ecclesiam tonto terrore ac suavitatis odore replevit, ut patentibus januis nullus illuc praesumeret intrare. In lib. quoque 2. Machab. cap. 3. legimus, dixisse Heliodorum: In loco illo est vere Dei virtus quaedam; nam ipse qui habitat in coelis, visitator et adjutor est loci illius.

Quarto, probatur ex absentia daemonis; nam sicut templa gentilium polluta sunt et immunda, quia sunt domicilia daemonum, ut patet ex Gregorio lib. 3. dialogor. cap. 7. ita e contrario, templa Deisancta sunt, quia daemonibus carent. Idem enim Gregorius lib. 3. cap. 30. dialogor. scribit, post consecrationem templi, quod antea Arianorum fuerat, diabolum inde egressum sensibiliter in specie suis, maximo strepitu excitatio. Et sicut domus principum asyla sunt, nec ibi lictores ulli manus injicere audent, ita etiam in templo Dei, daemones non sinuntur grassari eo modo, quo in aliis

# CAPUT VI.

# De ornatu templorum.

Ornatus templorum partim in ipsa fabrica consistit, partim in imaginibus, crucibus, calicibus, vestibus, aliisque id genus ornamentis. Reprehendunt hunc ornatum, tam veteres Petrobrusiani et Wiclefistae, quam etiam Lutherani et Calvinistae, locis initio notatis. Argumenta illorum haec sunt.

Primum, ex Hierem. 7. Nolite confidere in verbis mendacii dicentes templum Domini, templum Domini. In quem locum ita scribit Hieronymus: Praecepit, inquit, et tunc populo Judaeorum, et hodie nobis, qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in aedificiorum splendore auratisque laquearibus, et vestitis parietibus marmorum crucis, et dicamus, templum Domini, templum Domini est.

Secundum, ex Hieronymo in epist. ad Nepotianum: Multi aedificant parietes, et columnas ecclesiae substruunt: marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altare distinguitur. Et infra: Neque mihi aliquis opponat dives in Judaea templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas scyphos, mortariola, et caetera, ex auro fabrefacta Tunc haec probabantur a Domino, quando sacerdotes hostias immolabant, et sanguis pecudum erat redemptio peccatorum; nunc vero cum paupertatem domus suae pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem ejus, et divitias lutum putabimus. Et infra: Aut aurum repudiemus cum caeteris superstitionibus Judaeorum, aut si aurum placet, placeant et Judaei etc.

Tertium, ex Ambrosio lib. 2. de officiis, cap. 28.

Melius fuerat, inquit.ut vasa viventium servares, quam metallorum. His non potest responsum referri. Quid enim diceres? timui ne templo Dei ornatus deesset. Responderet, aurum sacramenta non quaerunt, neque auro placent, quae auro non emuntur, ornatus sacramentorum redemptio captivorum est.

Quartum, ex Acacio, de quo Socrates lib.7.cap. 21. refert qui cum accusaretur, quod sacra vasa vendidisset propter pauperes, respondit: Deus noster neque discis, neque calicibus eget, quia non

comedit, neque bibit.

Quintum, ex Hilario in epist. contra Auxentium: Male, inquit, parietum vos amor coepit, male Ecclesiam Dei in tectis, aedificiisque veneramini

Sextum, ex Lactantio, qui lib. 2. cap. 4. laudat Persium, quod scripserit, non debere aurea vasa templis inferri: Egregie, inquit, sapienter sensit. Septimum, ex Bernardo, in apologia ad Guliel-

Septimum, ex Bernardo, in apologia ad Gulielmum abbatem prope finem: O vanitas vanitatum, sed non vanior, quam insanior: fulget Eccelesia in parietibus, et in pauperibus eget: suos lapides induit auro, et suos filios nudos deserit.

Octavum, ex Chrysostomo; qui homil. 51. et 81. in Matth. docet, melius esse dare eleemosynam, quam ornare templum, et refellit argumentum, quod pro nobis sieri solet.

His addunt rationes. Prima ratio est, quia Christus semper amazit et decrit pauperlatem

slus semper amavit et docuit paupertatem.

Secunda, quia otiosum et supervacaneum est aurum in templis; nam nec ipsi parietes sentiunt ornatum illum, nec eo indigent ad finem, ad quem exstructi sunt. Unde Persius:

#### Dicite pontifices, in sancto quid facil aurum?

Tertia, quia non tantum non prodest, sed etiam obest splendor ille templorum; nam avocat mentem, et distrahit a spiritualibus cogitationibus.

Quarta, quia melius est templa viva ornare, quam mortua; numquam autem desunt pauperes, qui templa sunt viva, et qui egent non solum ornatu, sed ctiam necessaria sustentatione.

Quinta, quia in judicio non damnabitur, qui templum non ornaverit auro et argento; sed qui in paupere Christum non aluerit. Haec sunt igitur illorum argumenta, quae etsi magnam vim habere videantur, nihil tamen adversus veritatem poterunt; nihil enim potentius veritate. Porro solutiones horum argumentorum in hoc eodem capite, post explicatam et confirmatam sententiam Ecclesiae adferentur.

Sit igitur prima propositio: Opus bonum et pium ex genere suo est, ingentibus sumptibus templa Dei aedificare aut ornare. Probatur Primo, ex Testamento veteri; nam Deus voluit, tabernaculum ornatissimum esse, ita ut omnia fere instrumenta sanctuarii aurea essent, usque ad emunctorii lampadum. Cortinas autem tabernaculi et vestes sacerdotis esse voluit pretiosissimas, ex serico, bysso, purpura, gemmis etc. et ne deessent artifices, donavit sapientiam et artem ad omnia illa facienda certis quibusdam viris. Vide Exod. 25. 26. 27. 28.

29. 30. 31. 35. 36. 37. 38. et 39. Deinde Num. 7. singuli principes obtulerunt in ornatum tabernaculi immensa donaria auri et argenti. David paravit in sumptus templi, tantum auri, argenti et lapidom pretiosorum, ut incredibile videatur, lege 1. Paralipom. cap. ult. et penult. et lib. 2. cap. 3. 4. et 5. At certe rationes, quae flunt contra ornatum templorum nostrorum, si quid valerent, militarent etiam contra tabernaculum Moysis et templum Salomonis. Nam tunc etiam non deerant plurimi pauperes: tunc etiam parietes non sentiebant ornatum suum: tunc etiam distrabere poterant mentes orantium; et tamen non propterea cessatum est a magnificentissima aedificatione templi et tabernaculi.

Secundo, ex Testamento novo; nam in primis Marci 12. Christus laudavit viduam, quae in gazophylacium templi misit duo minuta, idest omnem victum suum. Si ergo vidua illa recte fecit, in donaria Dei expendens omnem victum suum; quomodo argui possunt, qui donant saltem partem bonorum suorum, ad ornandam Dei domum? Item c.13. dicentibus apostolis: Magister aspice, quales lapides et quales structurae? Dominus occasionem habuit optimam reprehendendi magnificentiam illam templi, vel saltem instruendi discipulos, dicendo, licuisse in Testamento veteri orgare templa, at in lege evangelica non fore licitum. At Dominus nihil tale dixit. Item cap. 14.cum Judas aegre ferret, quod Magdalena in unctionem capitis Domini tantos sumptus faceret, ac diceret: Ut quid perditio ista unguenti facta est? poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus, Dominus respondit: Bonum opus operata est in me. At si licuit praetermissis pauperibus tanto sumptu inungere caput Domini, cur non licea: etiam magno sumptu aedificare domum ipsi Domino?

Tertio, probatur ex vaticinio Isaiae; nam cap. 60. ubi fatentur praecipui expositores ad literam agi de Ecclesia christiana in terris existente, sic legimus: Domum majestatis mea glorificabo. Et infra: Me enim insulae expectant, at adducam filios tuos de longe: aurum eorum, et argentum eorum nomini Domini Dei tui. Et infra: Aedificabunt filii peregrinorum muros tuos, et reges eorum ministrabunt tibi. Et infra: Gloria Libani ad teveniet, abies, et buxus. et pinus, simul ad ornandum locum sanctificationis meae. et locum pedum meorum glorificabo. Quae prophetia ad literam impleta est tempore Constantini, aliorumque principum, qui ecclesias magnificentissimas exstruxerunt, et ornarunt.

Quarto, probalur ed Patribus. Eusebius lib. 9. histor. cap. 10. Ex quo aderat, inquit, cunctis velut divino munere infusa laetitia, maxime videntibus ea loca, quae paulo ante impiis tyrannorum machinis fuerant destructa, rediviva constructione clariora, et celsiora consurgere, templaque excelsa pro humilibus conventiculis elevari.

Cyrillus catechesi 14. Isti qui nunc sunt reges, inquit, pietatis ergo argento induentes et auro sanctam hanc Ecclesiam resurrectionis, in qua

nunc surtus, exstruverunt, et argenteis moni-

mentis splendidam effecerunt.

Athanasius in apologia ad Constantium Indicat, ab ipso Constantio exstructam Alexandriae tam ingentem basilicam, ut ea sola capere posset populum, quem aliae capero non poterant. Neque reprehendit, sed laudat hanc ejus magnificentiam.

Gregorius nazianzenus orat. 1. in Julianum, cum dixisset a Gallo et Juliano extrui coepisse maximis sumptibus basilicam sancto martyri Mainae, subjungit minus Galli Deo acceptissimum fuisse, ut quondam fuit sacrificium Abel.

Gregorius nysseque orat. in Theodorum dicit, templum s. Theodori magnificentissimum, et ornatissimum picturis et sculpturis fuisse: et hoc ad gloriam sancti maxime pertinere, ubi aperte laudat

usum erigendi talia templa.

Joannes chrysostomus homil. 66. ad populum Antiochenum: Servorum, inquit, crucifixi sepulchra regiis auli sunt clariora, non magnitudine et pulchritudine aedificiorum (nam et in hoc superant) sed quod multo majus est, convenientium studio. Idem hom. 51. in Matth. Nec prohibeo, in-

quit, magnifica templa condere etc.

Cyrillus initio libri de recta fide ad reginas. Valde sapienter, inquit, operam datis, ut quae Christo probantur, el sentialis, el facialis: partim operibus et irreprehensibili conspicua fide, et vestras, et regum aulas virginitatis gloria decoratis: parlim sumpluosissima Christo templa erigitis; concessum enim et hoc est cum aliis, ab ipso. vestris animabus.

Theophylacius in cap. 14. Marc. Confundantur, inquit, hoc loco, qui pauperes Christo praeferunt. Et infra: Audiant igitur quomodo Christus praeferat sui curam pauperibus. Christi autem corpus proprie, quod in disco aureo, et sanguis, qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, et cogit, ut corpus Christi in viliori ponatur, praelexens scilicel pauperes, scial cujus par-

Jam ex Latinis. Optatus lib. 6. testatur, suo tempore habuisse Ecclesiam pretiosa vasa sacramentorum, quae Donatistae diripientes conflarunt et ven-

Ambresius lib. 2. de officiis, cap. 21. Et maxime sacerdoti, inquit, hoc convenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula

Domini resplendeat.

Hieronymus in epist. ad Demetriadem, postquam dixeral: Alii aedificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis etc. subjungit: Non reprehendo, non abnuo; sed tibi aliud propositum est etc. Et in cap. 8. Zachariae, refert in gloriam Ecclesiac et laudem principum, quod cum aliquot imperatores ethnici ecclesias everterint, rursum alii basilicas exstruxerint et exaltaverint, summa fastigia, et laquearia, ac tecta auro decorarint, et parietes diversi marmoris crustis vestierint.

Augustinus in psalm. 113. Sed et nos, inquit, pleraque instrumenta et vasa ex auro et argento habemus, in usum celebrandorum sacramentorum, quae ipso ministerio consecrata sancta dicuntur.

Prudentius in hymno de s. Laurentio inducit sic loquentem tyrannum:

Hunc esse vestris orgiis Moremque et artem proditum est, Hanc disciplinam foederis, Libent ut auro antistites. Argenteis scyphis ferunt Fumare sacrum sanguinem, Auroque noclurnis sacris Adstare fixos cereos.

Paulinus natali 3. s. Felicis:

Aurea nunc niveis ornanlur limina velis elc.

Prosper in lib. de promission. et praediction. par. 3. cap. 38. dicit, templum amplissimum Deo vero consecratum suo tempore, cujus tenta erat magnitudo et excellentia, ut etiam plateam haberet quae ad ipsum ducebat, duorum millium passuum longitudinis totam pretioso pavimento, et columnis ac muris ornatam.

Quinto, probatur ex pietate eorum, qui ecclesias aedificarunt, nam praecipui fuerunt quatuor, Constantinus, Justinianus, Carolus Magnus, et Carolus IV. De Constantini templis vide Damasum in vita Sylvestri. et Eusebium lib. 3. et 4. de vita Constantini. De templis a Justiniano erectis, vide Procopium in lib. de aedificiis Justiniani. De templis Caroli Magni, vide Abbatem urspergensem in chronico. De templis Caroli IV. vide Joannem Cochlaeum initio lib. 1. historiae Hussitarum. Constat autem Constantinum sanctum imperatorem fuisse; nam in calendario Graecorum ejus nomen inter sanctorum nomina habetur: et ab Ambrosio in oratione de obitu Theodosii, ab Epiphanio haeresi 70. quae est Audianorum, a Cyrillo, catechesi 14.et aliis Patribus passim sanctus et beatus ap-

Similiter Carolus Magnus tamquam sanctus colitur praecipue Parisiis et Aquisgrani, et ab omnibus historicis mirifice laudatur. Justinianus, excepla haeresi, in quam incidit in extrema aetate, laudatissimus princeps fuit. Porro Carolum IV. optimum et religiosissimum fuisse, patet ex iis, quae adfert Cochlaeus loco notato. Multas item aedificarunt et ornarunt basilicas sanctissimi pontifices, Julius, Damasus, Leo, Symmachus, et alii, qui et ante mille annos floruerunt, et vere sancti scriptorum omnium consensu habiti sunt. Non est autem credibile, ita pios principes, tum ecclesiasticos, tum politicos, in ejusmodi opera conspirare potuisse, si ea Deo non placerent.

Probatur ultimo rationibus. Prima ratio ex magnitudine Dei; nam domus quo majori principi aedificutur, eo debet esse major. Quis autem Deo major? Quare Salomon lib. 2. Paralip. cap.2. Domus, quam aedificare cupio, inquit, magna est: magnus est enim Deus noster super omnes Deos.

Secunda ratio ex ipso genere operis; nam exstruere Deo splendidum templum, est ex genere suo actus duarum excellentium virtutum, religionis ac magnificentiae; proinde bonus ex genere suo.

Tertia ratio, quia non solum est actus illarum virtutum, sed etiam est exercitium et signum aliarum. Nam qui magnificum templum erigit, magnificum testimonium edit fidei suae, et charitatis erga Deum: necnon pietatis et gratitudinis, et quia pecuniae summopere diligi solent, qui eas liberaliter ad honorem Dei expendit, indicat se vere diligere Deum super omnia.

Quarta ratio ab utilitate; Nam templum magnifice ornatum, multas habet utilitates. Primum enim attrahit homines facilius ad res pias, quae in templis geruntur; nec enim obscura et sordida loca libenter frequentantur. Deinde conservat majestatem sacramenterum, et reverentiam, quae rebus divinis debetur; Nam quando videmus altare splendidum et ornatum, facile erigimus mentem, et cogitamus magnum esse Deum, cui talia exhibentur: et econtrario facile contemnitur, quod sine apparatu proponitur. Tertio juvatur pietas et devotio, maxime simplicium, quorum maximus est numerus.

Accedit etiam corporalis utilitas, quod magnifica templa diutius conservantur, et magno splendori sunt civitati. Multitudo quoque aureorum, atque argenteorum vasorum, saepe fuit saluti toti reipublicae, dum in communi captivitate, fame aut peste, Ecclesiae thesaurus multis millibus miserorum opem tulit, ut quasi in id tempus divinitus datus et servatus videretur.

Quinta ratio a contrario: qui ecclesias vastaverunt, aut diripuerunt, semper sacrilegi et perditi habiti sunt, saepe etiam divinitus puniti. ut patet de Balthasare, Daniel. 5. de Heliodoro, 2. Machabaeorum 3. de Antiocho, 2. Machabaeor. 9. Scribit etiam s. Joannes chrysostomus hom.4. in Matth.quo tempore Julianus apostata jussit diripi templorum ornamenta, et praecipue sacra vasa, mox quaestorem regium per medium diruptum expirasse, et Juliani avunculum a vermibus corrosum interiisse. Scribunt quoque Cedrenus et Zonaras, Leonem filium Constantini Copronymi, cum abstulisse a templo insignem coronam, quam Mauritius imperator donaverat ad ornatum templi, mox sensisse in capite suo ignitos carbunculos, inde concepta febre ardentissima periisse.

Secunda propositio: Aedificare, vel ornare templa, licct sit opus pium et bonum, potest tamen cjusdem opus ex defectu circumstantiarum facile vitiari. Probatur; quatuor enim sunt circum-stantiae praecipuae, ex quarum defectu malum erit ornare templa, nimirum tempus, locus, modus et persona. Nam in primis quando quis tenetur juvare proximum, ac praesertim parentes, aut filios, et non potest simul providere proximo, et donare templo: tune non recte facit, si neglectis parentibus, vel proximis aedificet templa. Ait enim Dominus Osce. 6. Misericordiam volo, non sacrificium. Et Marc. 7. reprehenduntur Pharisaei, qui docebant filiosfamilias offerre templo donaria, cum detrimento parentum. Patet id etiam ex Paulo ad Roman. 3. qui docet, non esse facienda mala, ut veniant bona. Denique ex praxi sanctorum, qui tempore magnae necessitatis pauperum, conflarunt calices et vendiderunt, ut patet ex Ambros. lib. 2. de officiis cap. 28. Si enim tempore necessitatis

recte pastores delrahunt ecclesiae ornamenta, certe multo rectius non dantur ecclesiae, quae essent auferenda, si data fuissent.

Neque obstat factum viduae, quae tribuit in donaria Dei omnem victum suum; Nam non tribuit victum patris, aut filiorum, sed suum; et suum non multorum dierum, sed unius tantum; neque enim duobus minutis poterat diu sustentari.

Deinde quantum ad locum, certum est, non omnia loca aequalem ornatum requirere; Nam in magnis urbibus, ad quas multi confluent, splendida templa esse debent; at in locis desertis, ubi soli monachi versantur, non videtur convenire, ut tot sumptus flant in aedificiis templorum. Et hoc est, quod b. Bernardus praecipue reprehendit in apologia ad Gulielmum, quod videlicet monachi cluniacenses vellent habere oratoria sua tam magna, et tam ornala, ut aequarent, vel superarent splendorem episcopalium ecclesiarum; ubi etiam merito reprehendit, quod in pavimento sculperent, vel pingerent sanctorum imagines, et cogerentur qui in eorum ec clesiis spuere necesse haberent, in faciem angelorum, vel aliorum sanctorum humi depictorum spuere.

Quantum ad modum, peccatur, cum ornamenta templorum sunt vana, ac potius curiositati, quam religioni deservientia: qualia erant in oratoriis Cluniacensium, quae b. Bernardus reprebendit in apologia ad Gulielmum: Quid facit, inquit, illa ridicula monstruositas? Quid ibi immundae simiae? quid feri leones? quid monstruosi centauri? quid semihomines? quid maculosae tygrides? quid milites pugnantes? quid venatores tubicinantes? Videas sub uno capile multa corpora, et rursus in uno corpore capita multa. Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis, illinc in pisce caput quadrupedis: ibi bestia praefert equum, cspram trahens retro dimidiam: hinc cornutum animal equum gestat posterius. Tam multa denique, tamque mira diversarum formarum ubique varietas apparet, ut magis legere liceat in marmoribus, quam in codicibus, tolumque diem occupare singula ista mirando, quam in lege Dei meditando.

Quantum ad personam, peccatur, quando quis supra suum statum et conditionem vult ornare templa. Nam si qui paupertatem profitentur, et victum ab aliis emendicant, vellent aedificare templum marmoreum, et auro, ac gemmis ornare, etiamsi forte possent eleemosynis, hinc inde conquisitis, id facere, tamen non decere eorum professionem, magnificentia enim non est monachorum, sed principum. Quare hinc etiam merito arguit s. Bernardus cluniacenses in illa apologia, quod cum monachi essent, tamen sumptibus, ac magnificentia reges aequare vellent.

Superest, ut ad argumenta initio proposita respondeamus. Ad illud igitur, quod objiciebatur ex Hieremia: Nolite confidere in verbis mendacii dicentes: templum Domini, templum Domini, respondeo, a propheta eo loco argui Judaeos, qui confidentes in externo templo, putabant apud se esse Deum, et se diligi a Deo, nec esse ventura ea mala, quae praedicebantur a prophetis, quia

templum Dei apud se habebant, etiamsi ipsi interim male vivendo essent templa diaboli. Nihil autem efficit ista reprehensio adversum aedificationem, ornatumque templorum; Nam etsi reprehenditur nimia fiducia in externo templorum cultu, praesertim oum negligitur cultus animi, tamen non propterea non sunt aedificanda, atque exornanda templa ad honorem Dei et sanctorum memoriam. Id ipsum respondendum est ad testimonium s. Hieronymi; ipse enim reprehendit eos, qui non curantes fieri templa Dei bene vivendo, putant sibi omnia tuta esse, si templum externum aedificent, aut ornent.

Ad secundum, quod ex Hieronymi verbis sumptum est, ut commode respondeatur, quaedam antea praenotanda sunt. Observa igitur primo.propositum Hieronymo esse, ut reprehendat eos, qui majorem curam habent templi materialis, quam spiritualis, idest, qui aedificia mirabiliter ornant, et tamen non curant an ad sacra ministeria eligantur idonei, vel non idonei. Sic enim incipit Hieronymus eam reprehensionem ornatus templorum: Multi. inquit, aedificant parietes, et columnas ecclesiae substruunt; marmora nitent; auro splendent laquearia; gemmis altare distinguitur; et ministrorum Christi nulla electio est. Haec ille, quae verissima sunt, et fuerunt semper.

Secundo nota, ornatum tabernaculi et templi Judaeorum aliquo modo typicum et caeremonialem fuisse; tabernaculum enim et templum cum omni sua supellectile figurae fuerunt Ecclesiae Christianae, ut patet ex Jacobi concione Actor. 15. ubi de Ecclesia exponunt verba Amos. cap. 9. Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud. Item ex Paulo 1. Corinth. 10. 0mnia contingebant illis in figura. Denique idem patet ex illa accuratissima descriptione templi, quae habetur Ezech. 40. et sequentib. et ex eo, quod dictum est Moysi, ut faceret omnia accurate ad exemplar, quod in monte viderat Exod. 25. Quia ergo tabernaculum et templum figurae erant, ideo necesse erat, ut essent talia qualia fuerunt, nec poterant aliquid minus vel magis habere, quia alioqui non recte repraesentassent. Ut etiam in Scriplura, si una litera mutetor, non amplius significat id, quod antea significabat.

Et quoniam figurae Testamenti veteris jam sunt completae, et lex caeremonialis abrogata est: ideo qui nunc existimaret esse necessarium tale templum, quale fuit Judaeorum, superstitiosus esset, ut boc tempore Judaei vere superstitiosi sunt, dum existimant non licere sacrificare nisi in templo tali, quale fecerat Salomon. Et in hoc sensu reprehendit Hieronymus templorum ornamenta; Nam etiamsi modo nulli sunt inter Christianos, qui revera existiment templa necessario requirere illum ornatum, ut existimabant Judaei, tamen dum anteponunt curam fabricae materialis ipsi electioni ministrorum, et aedificio spirituali, videntur factis aliquo modo affines superstitioni Judaeorum. Quod eliam notavit b. Bernardus in apologia ad Gulielmum abbatem: Mihi, inquit, quodammodo repracseniani antiguum ritum Judaeorum.

BELLARMINI Vol. 11.

Nota tertio, tabernaculi et templi Judaeorum ornatum non solum caeremonialem et typicum fuisse, sed etiam moralem; Nam etiamsi nullius rei figura fuissent, tamen ratio ipsa naturalis dictasset, demum Dei ornatam esse debere: et hoc modo recte trahimus ornatum tabernaculi et templi Judaeorum, in exemplum nostrorum templorum. Neque hoc unquam reprehendit Hieronymus, immo diserte dicit in epistola ad Demetriadem: Non ubnuo, non reprehendo.

Ad tertium ex Ambrosio (quod Calvinus adfert in epistola praefixa institutioni) dico, in verbis Ambrosii multa esse contra adversarios, nihil contra nos. Nam primo Ambrosius dicit, aurea vasa Ecclesiae non debere alienari, nisi in magna pauperum necessitate; Ecclesia igitur eo tempore utebatur aureis vasis. Secundo dicit, si nocesse sit alienare vasa Ecclesiae, esse diligenter quaerendum, an non sint aliqua nondum initiata, et si talia inveniantur, non esse ullo modo attingenda vasa initiata; ergo tunc certo ritu vasa consecrabantur. Tertio dicit, si necesse sit vendere vasa initiata, non debere vendi integra, sed prius conflari, et deinde per partes vendi: Id quod fleri debere nos libenter admittimus, atqui haec omnia pugnant adversus haereticos hujus temporis, qui nec pretiosa, nec certo ritu consecrata; Et sancta, vasa sacramentorum esse volunt.

Quod ergo Ambrosius ait (aurum sacramenta non quaerunt) non significat, sacramenta nullo modo requirere aurum, sed non requirere ex necessitate, quamvis requirant ex decentia, quando haberi potest, et quod subjungit (nec auro placent quae auro non emuntur) non significat, in auro displicent, vel nullo modo placent magis in auro, quam in alia materia; sed non ideo principaliter placent, quia ministrantur in auro. Si enim in auro displicerent, vel non magis placerent, quam in alia materia, Ambrosius non servasset illa vasa usque ad eam necessitatem, sed numquam illis usus fuisset.

Ad quartum, de Acacio, dico: Verba illius episcopi habere eundem sensum; Nam cum ecclesia illa abundaret ejusmodi vasis aureis (ut ibidem scribit Socrates) et occurrisset summa quaedam necessitas redimendi captivos, ille sanctus episcopus vendidit partem vasorum et redemit captivos ad quinque millia. Illa autem ejus verba (Deus noster non eget discis, neque calicibus, quia non comedit, neque bibit) significant, ista vasa nullam Deo utilitatem adferre, sed haberi in Ecclesia ad honorem Dei, et nostram utilitatem, et ideo quando occasio se offert, qua possint esse utiliora nobis, si vendantur, dehent vendi, quia hoc etiam erit Deo gratius et magis honorificum. Nam, ut Ambrosius ait, valde pulchrum et honorificum Christe est, cum dici petest: hos pauperes Christus redemit; vel etiam calix Christi non solum sanguine. quem continet, captivos redimit, sed etiam pretio valoris: calix enim redimit ab hoste quos sanguis redemit a peccato.

Ad quintum, ex Hilario, testimonium Hilarii non est ad propositum; non enim agit ille de ornatu templi, sed cos reprehendit, qui in templo hacre-

ticum episcopum, idest, Auxentium audiebant, eo quod existimarent ibi tantum esse veram Ecclesiam, et verum episcopum, ubi erat templum Deo sacrum:et non considerabant templa saepe ab haereticis occupari, et veros catholicos vet in cryptis, vel in desertis saepe versatos.

Ad sextum, ex Lactantio. Lactantius probare volebat, inepte a gentilibus offerri munera idolis, idest Dis non sentientibus: Frustra, inquit, homines auro. ebore, gemmis, Deos excolunt et exornant, quasi vero ex his rebus ullam possint capere voluplatem. Quis usus est pretiosorum munerum nihit sentientibus? Hoc autem probat ex Persio, qui vere sapienter scribit, non debere aurea vasa templis inferri, quasi illis delectentur Dii lignei et marmorei, cum nihil sentiant, sed potius oporteret Diis viventibus offerri, at ipse dicit:

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus Mentis, et incoclum generoso pectus honesto.

Itaque non reprehenditur aurum templi, quando bonum usum habet, idest, excitandi ad pietatem; sed/solum reprehenditur, quando sic offertur Deo, quasi is corporcus sit, et rebus ejusmodi corporaliter delectetur.

Ad septimum, ex Bernardo, dico: Bernardum non reprehendere simpliciter ornatum templi, sed ornatum, quem templis suis monachi Cluniacenses adhibebant. Nam ut ex apologia illa colligitur, reprehendit s. Bernardus Primo, quod monachi, professione pauperes, erigerent oratoria in immensam altitudinem, quod eorum professioni non conveniebat. Secundo, quod dum templa sua ita ornarent, faterentur se esse carnales et infirmos. Ornatus enim templorum illis ecclesiis potissimum convenit, ad quas populus confluere solet, quia simplices homines egent ejusmodi rebus. Unde ibidem ait: Et quidem alia caussa est episcoporum, alia monachorum. Scimus namque quod illi, sapientibus et insipientibus debitores cum sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Tertio reprehendit, quod quaestus caussa ornarent templa, nimirum ut plures confluerent ad offerendum. Quarto, quod cum injuria sanctorum humi sculperent imagines. Quinto, quod bona, quae acceperant distribuenda pauperibus, insumerent in illa ornamenta, quando pauperes valde indigebant. Sexto, quod ornamenta vana adhiberent templis, quae solam curiositatem pascere, non autem pietatem excitare valerent. Porro haec omnia merito reprehenduntur.

Ad octavum ex Chrysostomo, dico: Eum non negare.licitum esse templa magnifice exstruere, et ornare; sed solum anteponere huic ornatui curam pauperum: cujus oppositum docet Theophylactus Chrysostomi discipulus in cap. 14. Marc. sed possunt facile conciliari. Sciendum igitur, absolute melius esse honorare Deum in seipso, quam in pauperibus; Nam charitas Dei semper anteponi debet charitati proximi. Verumtamen quia Deus nulla re indiget, et quae illi offerimus, vult nobis utilia esse, non sibi: ideo tunc Deus magis honoratur, et

fit illi res gratior, quando quod illi offerimus, est hominibus utilius. Hinc igitur quando alicubi templa satis bene se habent, pauperes autem nobiliter patiuntur egestatem: tunc melius est dare pauperibus eleemosynam, quam templo addere ornamenta; et in hoc casu loquitur Chrysostomus. Videbat enim homines pronos admodum ad offerenda Ecclesiae donaria, et negligentes in cura pauperum, in quo sensu etiam videtur dixisse Oseas cap. 6. Misericordiam volo, non sacrificium, idest, malo misericordiam, quam sacrificium.

At econtrario, si alicubi pauperes mediocriter tractentur, sed templa sint inculta et deserta, et propterea decrescat pietas et devotio: tune melius est ornare templa, quia id est utilius etiam proximo, cujus pietas et devotio juvatur illo ornatu: et in hoc casu loquitur Theophylactus. Quando autem esset aequalis indigentia et templorum, et pauperum, modo non sit extrema, videretur melius dare templo quam pauperi, quia pluris facienda est indigentia spiritualis, quam temporalis, et quia ornatus templi est bonum durabilius, et communius, quam sit eleemosyna data pauperibus: et quia magis immediate datur Deo.

Ad primam rationem dico tria. Primo, Christum fuisse pauperem, nec requisivisse propter se ullam pompam, vel delicias in hoc mundo: 1amen non recusasse interdum sumptuosa obsequia, quibus videbat ali et augeri piorum devotionem, ut patet de ingressu ejus in Hierusalem super asinum; in quo libenter admisit, ut multi sternerent vestes suas in via, quae pedibus jumenti illius conculcabantur, et forte etiam lacerabantur Matth 21. patet etiam de unguento pretiosissimo, quo caput suum, et pedes inungi passus est Matth. 26. et Joan. 12.

Secundo dico: Quod Christus fuerit pauper, et stabulum, ac pannos et viles cibos amaverit, ideo factum esse, quia ista congruebant tempori mortalitatis ejus. Venerat enim ut pateretur, et per labores, ac dolores, mundum redimeret: At nunc post mortem et resurrectionem, cum gloriosus regnat in coelo, convenit illi domus magnifica, et splendidissima.

Adde tertio: Templa dicari Christo praecipue ratione divinitatis: qua ratione semper fuit dives rex regum et dominus dominantium. Itaque rectissime exstruuntur illa templa magnifica, qualia Deo conveniunt, licet ipse idem in forma servi, humilitatem et paupertatem verbo, et exemplo docuerit.

Ad secundam dico: Non esse otiosa ornamenta, quia sunt signa reverentiae, et pietatis nostrae erga Deum, et excitant in animis hominum devotionem. Unde interroganti Persio:

Dicite pontifices, in sancto quid facil aurum?

Respondendum est, multa bona facit, quae jam enumeravimus.

Ad tertiam dico: Ornamenta illa non fieri, ut distrahant, sed ut excitent devotionem. Quod si aliqui distrahuntur, est vitium illorum, qui abutuntur rebus bonis:nisi forte ornamenta sint omniao vana et inepta, quae et nos reprehendimus.



Ad quartem de pauperibus alendis, jam responsum est. Adde, quod si propter ordinarios pauperes non liceret exstruere, vet ornare templa, multo minus liceret ornare palatia, instruere convivia, habere apparatum ultum equorum, famulorum, curruum etc. quod si ista licita sunt ad tuendam dignitatem magnarum personarum. non obstante pauperum multitudine, cur non liceat etiam ad conservandam rerum sacraram majestatem templa exornare, non obstante pauperum multitudine?

Ad quintam dico, Matth. 23. numerari opera minora, ut inde colligamus quid de majoribus sentiendum sit; dicitur enim: Ite in ignem aeternum, quia esurivi, et non dedistis mihi manducare: et non dicitur, ite in ignem aeternum, quia rapuistis aliena, sed hoc a majori deducitur ex illo. Ita etium non dicitur, ite in ignem aeternum, quia non aedificastis templum, sed deducitur hoc a majori. Si enim damnabitur qui non fecit eleemosynam, quando eam facere tenebatur: multo magis damnabitur qui non aedificavit, vel non reparavit, aut non ornavit templum, quando id facere tenebatur. Qui autem teneantur, et qui non, alia quaestio est, atque ad rem nostram nihil facit.

### CAPUT VII.

De benedictionibus aquae, salis, cinerum, cerei etc.

Primi, qui ejusmodi henedictiones irridere coeperunt, Waldenses sont, ut patet ex fragmento operis Reynerii, quod exstat in fine libri Claudii Confford contra Waldenses. Exorti sunt Waldenses, endem Reynerio teste anno Domini 1170. Post eos Flagellantes exorti sunt circa annum Domini 1350. teste Bernardo Lutzemburgensi in suo catălogo. qui quod omnem pietatem constituerent in baptismo sanguinis per flagellationem sponte effusi, simul asserebant finem jam accepisse sacramenta baptismi, confirmationis, poenitentiae, et caetera oinnia, et cum eis omnes benedictiones aquae, cinerum, salis etc. Unde etiam instrumentum, quo aspergimus aquam lustralem, vocabant clavam mortis; ipsas vero guttas aspersae aquae scintillas infernales dicebant. Post eos-Wiclefistae (teste Thoma Waldensi tom. 3. tit. ult. cap. 68.) asserebant henedictiones aquae, salis. vini, panis, olei, cereorum, et similium, esse veram practicam necromantiae. Idem de haereticis in Böemia grassantibus scribit Aeneas Sylvius lib. de orig. Böemorum

Martinus Lutherus in libro de visione Danielis contra Ambrosium Catharinum, damnat etiam has omnes benedictiones. Magdeburgenses Centur. 2. cap. 6. column. 121. dicunt, aquae consecrationem tribut a catholicis Alexandro papae et martyri tamquam inventori:sed rectius posse tribui alicui gentilium pontifici, cum ethnicus sit ritus, aquae lustralis aspersio.

Calvinus lib. 4. cap. 10. § 20. Instit. tria dicit

contra aquam benedictam. Primo, Catholicos pugnare seeum, dum dicunt, aquae benedictionem esse apostolicam traditionem; et tamen referunt ejus institutionem in Alexandrum papam auctorem. qui fuit VI. a Petro. Secundo dicit, institutionem hanc esse recentiorem multo, quam ut apostolis vel Alexandro tribui possit. Nam Augustinus epist. 119 cap. 18. dicit, Christianos omisisse caeremoniam lavandi pedes in die coenae Domini, ne videretur ea lotio ad sacramentum baptismi pertincre. Quare manifestum est, nullam eo tempore fuisse in Ecclesia lotionem religiosam, excepto baptismo. Tertio dicit, aquae lustralis institutionem nullo modo a spiritu apostolico proficisci potuisse, quandoquidem nihil est aliud, quam quaedam baptismi profanatio, et quasi repetitio.

Brentius in sua Confessione cap. ult. reprehendit easdem caeremonias, quia non debent adumbrari mysteria fidei, ipso evangelio jam toto orbe coru-

Denique Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus papistarum, loco 27. ponit inter errores, aquam lustralem valere ad delenda venialia, et ad fugandos daemones et morbos: et probat primum ex illo 1. Joan 2. Sanguis Christi emundat nos ab omni delicto: ergo etiam a veniali. Secundo probat quia nusquam scriptum est, ut aqua consecretur ad fugandos daemones. Item quia scriptum est Exod. 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Et Deuter. 18. Non sit maleficus, nec incantator inter vos. Est autem manifesta magia, praeter Dei verbum uti oreaturis ad fugandos daemones. Haec illi.

His non obstantibus sit prima propositio: Recte benedicuntur aqua, oleum panis, cerei, cineres, rami et similia. Probatur primo ex Scripturis, quae continent exemplum et documentum. Exemplum est Domini Matth. 14. et Luc. 9. qui panes multiplicaturus aspexit in coelum, et benedixit cos: et ea benedictione multiplicavit. Certe quod Dominus fecit, argui non potest. Documentum est Pauli, qui dicit 1. Timoth. 4. Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum, quod eum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. In quem locum Chrysostomus et Theophylactus scribunt, apostolum loqui ex hypothesi, idest, omnis quidem creatura bona et munda est, tamen etiamsi esset immunda. facile posses eam sanctificare adhibito signo crucis et oratione. Si ergo etiam res immundae sanctificantur per crucis signum et orationem, quanto magis res alioqui bonae fient meliores et sanctiores per signum crucis et orationem.

Secundo probatur ex traditione veterum. Ac primum de aqua, quod solet benedici ab ipso tempore apostolorum, sunt innumerabilia testimonia. Clemens lib. 8. Apostol. constitut. cap. 35. ponit ordinem consecrationis aquae. Dionysius de ecclesiastica hierarch. cap. de baptismo, dicit, aquam sacris invocationibus consecrari. Alexander I. epist. 1. similiter praecipit aquam benedici. Cyrillus catechesi 3. dicit: Sicut mundi cibi fiunt immundi invocatione diaboli, ita aquam simplicem fiersanctam invocatione Dei. Cyprianus lib. 1. epist.

12. Oporlet, inquit, mundari et sanctificari prius aquas a sacerdote etc. Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 5. docet, aquam debere consecrari, et lib de his qui mysteriis initiantor cap. 3. dicit, aquam nisi crucis signo prius sacretur, nullum habere usum in Ecolesia. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. apostolicam traditionem esse dicit. aquae consecrationem. Epiphanius haeres, 30. et Theodoretus lib. 5. cap. 21. historiae, aquae benedictae meminerunt. Augustinus homil. 27. ex lib. 50. homiliarum. et serm. 19. de sanctis, et lib. 6. in Julianum cap, 8. dicit, aquam signo cruois in Ecclesia consecrari. Adde concilium nannetense canon 4. ubi jubetur presbyter cum aegrotos visitat, primo aspergere aqua sancta aegrotum, et ipsum cubiculum.

Nec Calvini objectiones aliquid valeant. Ad primam dico, aquae lustralis institutionem non tribui Alexandro, sed apostolis. Alexandro autem tribui praeceptum, ut haec caeremonia frequen-

Ad secundam dico: Augustinum non damnare caeremoniam lavandorum pedum, sed solum recensere varias opiniones. Nec dicit Augustinus ullos fuisse quibus simpliciter displiceret caeremonia lotionis pedum. sed solum fuisse aliquos, quibus displiceret lavari pedes catechumenis in die coenae Domini, ne videretur illa lotto ad baptismum necessaria. Unde ibidem dicit.multis placuisse differendam lotionem in octavum diem paschae; et Ambrosius lib. 3. de sacramentis cap. 1. desendit caeremoniam lotionis pedum.

Ad tertiam dico: Per aquam benedictam non repeti haptismum. Differt enim baptismus ab aspersione aquae sanctae, forma, ministro, intentione, et effectu, ut patet. Quamquam non negarim, per aquam benedictam refricari memoriam baptismi. et admoneri Christianos ut cogitent, se aliquando per aquam purgatos fuisse, et pactum cum Deo contra diabolum iniisse.

De benedictione olei habemus testimonia Clementis, Dionysii et Basilii, ubi supra, et Augusti-

ni tract. 418. in Joan.

De benedictione panis extra eucharistiam, habemus testimonium Augustini lib. 2. de peccat. merit. cap. 26. et Paulini in epist. ad Alipium et Romanianum, quae sunt 35. et 36.inter epistolas Auguslini.

De benedictione cerei paschalis, habemus testimonium Strabonis cap. 30. et concilii IV. toletani canon 8. et papae Zozimi, ut ex pontificali patet, idest, ex libro de romanis pontificibus, qui habetur in tomis conciliorum. Scripsit etiam de cereo paschali carmen insigne Prudentius.

De benedictione palmarum et cinerum, habemus testimonium b. Maximi, cujus exstant homiliae inscriptae in die cinerum, et in dominica palma-

rum.

Secunda propositio: Recte ad effectus supernaturales efficiendos et significandos ulimur aqua, olso, aliisque rebus benedictione consecratis.

Mota, benedici illa omnia, quae diximus, in Ecclesia propter tres fines. Primo, ad significandos spirituales effectus. Nam cineris aspersio significat

pocnitentiam; palmae, victoriam; cerei peschalis gloriam resurrectionis. Neque obstat ratio Brentii de adumbratione; nam istae significationes non sunt propriae adumbrationes futurorum, sed repraesentationes externae rerum praesentium invisibilium et spiritualium, vel etiam rerum praeteritarum, quae utilissimae sunt ad affectum excitandum. Alioqui etiam tollemus baptismum, qui secundum apostolum in epist. ad Rom. c.6. continet repraesentationem mortis et resurrectionis Christi, et nostrae etiam per Christum. Unde etiam Augustinus epist. 119. dicit: Christianos diebus dominicis, et a pascha usque ad pentecosten, stando orare solitos, ad significandam ea caeremonia Christi resurrectionem.

Secundo, ad delectionem venialium peccatorum. De qua re vide s. Thomam 3. part. qu. 81. art. 3. et Dominicum a Soto in 4. sent. dist. 45. g. 2. et Gratianum can. Aquam dist. 3. de consecrat. Neque argumentum Heshusii concludit:nam sanguis Christi emundat ab omni peccato, sed si alique modo nobis applicatur. Et quemadmodum applicatur per baptismum et poenitentiae sacramentum, ad delenda omnia peccata: ita etiem applicatur per sacramentalia et orationem dominicam, ad delenda venialia in eo qui est in gratia.

Tertio, ad lugandos daemones, et curandos morbos, ut ex precibus patet, quibus consecrantur. Verum est lamen, quod non operantur infallibiliter, sicut operantur sacramenta; et ratio est, tum quia vim habent ejusmodi res non ex pacto Dei expresso, quòmodo sacramenta, sed ex precibus Ecclesiae, et devotione utentium; tum etiam, quia aliquando non expedit nobis ut liberemur vel a

morbo, vel a daemonis vexatione.

Probatur nunc propositio, quoad istum tertium essectum, exemplis Scripturae et sanctorum. Nam Numer. 5. aquae, super quas maledictiones a sacerdote pronunciatae fuerant, si ab adultera epotae fuissent mox ventrem eius inflari, et femur putrefacere faciebant; nec tamen ista necromantia dici poterat. Num. 19. aque cineribus mixta dicebatur aqua expiationis, eaque mundabantur Judaei non quidem a peccatis, sed a legalibus sordibus, ut apostolus dicit Hebr. 9. Nec dicere possumus com fuisse incantationem. Similiter 4. Regum. 2. Elisaeus ad sanandas aquas miraculo adhibuit salem. Et 4. Regum 5. ad curandam lepram Naaman Syri adhibuit aquam Jordanis. Marc. 6. ungebant apostoli aegros oleo, et curabantur. Haec exempla satis ostendunt, non esse necromantiam, adhibere aquain vel oleum, ad effectus supernaturales, tamquam signa divinae virtutis.

Secundo, probatur exemplis Petrum. Nam apud Epiphanium haeres. 30. Joseph agua benedicta solvit incantationes. Similiter fecit Marcellus Apameensis apud Theodoretum lib. 5. cap. 21. Item Macharius apud Palladium cap. 19. Porro Hilarion apud Hieronymum pane vel oleo benedicto plurimos curavit. Sicut eliam s. Bernardus, ut in vita ejus scribitur lib. 3. cap. 5. Gregorius lib. 1. dialog. cap. 10. scribit,s. Fortunatum curasse quemdam, qui cadens ex equo, femur confregerat, solius aquae benedictae aspersione. Beda lib. 5. bist. cap. 4. scribit, nobilissimam foeminam gravissime laborantem aqua benedicta mox ita convaluisse, ut ministraret mensae, quemadmodum aliquando fecerat socrus Petri. Bernardus in vita Malachiae scribit a Malachia, per aquam benedictam,

hominem phraeneticum esse curatum.

Ad haec et similia ita respondet Heshusius: Mendacia, inquit, quae finguntur de miraculis factis per aquam lustralem, retundenda sunt praecepto: Non dices falsum testimonium. Quod si contendant vera esse, nota est Christi admonitio, pseudoprophetae edent miracula et prodigia, ut inducantur in errorem, si fieri potest, etiam electi. Sed facile est judicare, mendacia necne dici possint quae testimonium habent ab Epiphanio, Theodoreto, Palladio, Hieronymo, Gregorio, Bernardo, et num sint pseudoprophetae sanctissimi illi viri, Josephus, Marcellus, Macharius, Hilarion, Fortunatus, Malachias, qui Christi nomine aut dia-.. boli artes dissolverunt, aut morbos gravissimos curaverunt. Videat potius Heshusius, ne sit ipse temerarius et blasphemus, et in spiritum Domini peccatum admittat. Quid enim temerarium magis, quam tot sanctos Patres mendacii reprehendere, sine teste, sine ratione ulla? Quae est autem blasphemia in Spiritum sanctum, si haec non est opera divina, Christi invocatione, a sanctissimis viris perfecta, inter signa mendacia pseudoprophetarum

Ad rationes autem Tilmanni facile est respondere. Ad illam: Non est scriptum, et aqua sanctificetur, ad pellendos daemones: Respondeo: Falsum est; Nam scriptum est, omnem creaturam posse sanctificari per verbum Dei, et orationem. Et rursus scriptum est: Petite et accipietis. Ecclesia igitur Christum, et Paulum sequens Verbo Dei, et oratione sanctificat aquam, et petit, ut valeat contra daemones et morbos, et Deus miraculis testatur se audire ejusmodi preces. Praeterea etiamsi scriptum non esset, quid tum? Ubi nam scriptum erat ut aquae sanarentur sale, et lepra curaretur aqua Jordanis? et tamen utrumque fecit Elisaeus.

Ad secundam: Non assumes nomen Dei tui in vanum:et non erit inter vos magus, respondeo: Assumere nomen Dei in vanum, proprie nihil esse aliud, quam pejerare, ut recte explicat concilium toletanum VIII. cap. 2. Malefici autem, et incantatores sunt, qui diaboli potestate aliquid mirum operantur. At qui aquam benedicunt, nec pejerant, nec diabolum invocant, sed solum religiose Deum precantur. Tota enim virtus aquae lustralis nititur verbo Dei, et oratione, ut ex apostolo demonstravimus.

# CAPUT VIII.

#### De peregrinationibus.

Disserulmus de templis, nunc de peregrinationibus ad templa, aliaqua sacra loca, paucis disserendum est. Error feit Claudii taurinensis, apud Jonam lib. 3. de cultu imaginum, inanes esse peregrinationes ad loca sanctorum. Eundem sequuti

sunt Petrobrusiani, teste auctore vitae s. Bernardi lib. 3. cap. 5. Wiclefistae autem, teste Thoma waldensi tom. 3. tit. 13. Idololatriae damnabant eos, qui ad loca sancta peregrinabantur.

Joannes Calvinus lib. 4. Institut. cap. 13. § 7. peregrinationes votivas ad loca sanctorum non solum inanes, sed etiam plenas manifesta impietate esse dicit. Non tamen aliter probat, quam communi suo axiomate, quod omnis voluntarius cultus

Deo displiceat.

Magdeburgenses Centur. 4. cap. 6. col. 458. tempore Constantini coepisse volunt abusum peregrinationum ad loca sanctorum, sed non diu postea refutatum fuisse longa oratione a Gregorio nysseno. Quam orationem totam recitant eadem Centur.

4. cap. 10. col. 936, et seguentibus.

Ex qua oratione sumuntur haec argumenta. Primum Christus Matth. 5. inter ea. quae homines beatos faciunt, non posuit peregrinationes. Secundum, multa sunt pericula spiritualia in itineribus, ac praesertim mulierum, ut notum est. Tertium, nihil invenire possumus Hierosolymis, quod in nostra regione non habeamus, nam Deus non magis est ibi, quam alibi, ut patet ex eo, quod homines regionis illius non sunt meliores caeteris, sed forte pejores. Porro res Dei, idest, templa et altaria ubique inveniri possunt. Poterant addere Hieronymi epist. ad Paulinum de institutione monachi, in qua multis argumentis probat, non expedire peregrinationem ad loca sancta suscipere; et adducit exempla s. Antonii, et aliorum monachorum, qui licet in vicinia sanctorum locorum habitarent, lamen numquam ad illa venerunt.

Sed nihil horum nos movere debet. Sunt enim peregrinationes ad loca sancta piae, et religiosae, ut concilium tridentinum sess.25.rectissime docet. Id probatur primum Scripturae testimonio Deuter. 16. Deus instituit, ut omnes tilii Israel ter in anno ad tabernaculum, vel templum Domini peregrinarentur. Quod praeceptum studiose servabat Helcana et Anna uxor ejus 1. Reg. 1. necnon Christus ipse cum matre sua, et s. Josepho Lucae 2. Joann. 12. etiam gentiles veniehant adorare in Hierusalem propria regione relicta. Actor. 8. Eunuchus Aethiops ex longinqua regione veniebat adorare in Hierusalem. Actor. 20. Paulus ipse festinabat in itinere, ut in Hierusalem faceret pentecosten; quem locum adducit Hieronymus in epist. 17. ad Marcellam, ut ostendat bonum esse ad loca sancta peregrinari. Haec igitur exempla ex Scripturis petita, quae nullo modo reprehendi possunt, satis indicant, non esse inanem peregrinationem.

Secundo probatur ex Patribus. Eusebius lib. 6. hist. cap. 9. Alexander, inquit, Hierosolymam adorandi, et locorum sanctorum videndi caussa properavit. Idem refert Hieronymus lib. de vir. illustr. in Alexandro. Porro iste in Alexander floruit centum annis ante tempora Constantini, et martyr fuit sanctissimus, quem etiam mirifice laudant Magdeburgenses Centuria 3. cap. 10. in principio. Ex quo apparet mendacium esse Magdeburgensium, quod coeperint peregrinationes ad loca sancta tempore Constantini. S. Nicolaus quoque adolescens ante Constantini imperium voti caussa

peregrinatus est in Hierusalem, auctore Simeone Metaphraste. Idem Eusebius lib. 3. de vita Constantini, et Ambrosius oratione de obitu Theodosii laudant Helenam, quod religionis caussa Hierosolymam iverit.

Gaudentius episcopus brixiensis in serm. de dedicatione templi, scribit se peregrinatum in Hierusalem, et in itinere, cum transiret per Caesaream Cappadociae, accepisse dono a duabus sanctis mulieribus, neptibus magni Basilii, reliquias XL. martyrum.

Joannes chrysostomus homil. 66. ad populam Antiochenum, circa finem, comparans sepulchra martyrum cum sepulchris regum: Itaque, inquit, quo regias quidem aulas videat, nullus unquam peregrinatus fuerit: multi vero reges plerumque hujus spectaculi gratia peregrinati sunt; futuri namque judicii vestigia, et signa sanctorum aedes exhibent, ubi daemones flagellantur, corréguntur homines, et liberantur.

Hieronymus epist. 17. ad Marcellam: Longum est, inquit. nunc ab ascensu Domini usque ad praesentem diem per singulas aetates currere. qui episcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, pulantes minus se religionis minus habere scientiae, nec summam, ut dicitur. manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum evangelium de patibulo coruscaverat. Item epist. 27. de obitu Paulae: Cujus, inquit, gentis homines ad loca sancta non veniunt? In epist. 46. ad Rusticum, qui voverat peregrinari ad loca sancta Palaestinae: Redde, inquit, quod praesentem Domino spopondisti, incerta est vita mortalium ne ante rapiaris, quam tuam impleas sponsionem. Denique epist. 154. ad Desiderium, hortatur illum, ut veniat ad loca sancta, et inter alia dicit: Certe adoras. se ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est.

Sulpitius lib. 2. sacrae historiae describens acta Helenae dicit, illud esse mirandum Hierosolymis, quod in loco, unde Dominus coelum ascendit, adhuc serventur pedum ejus vestigia, et cum ad eum locum undique fideles confluant et rapiant aliquid calcati pulveris, damnum tamen arena non senticit

Paulinus epistol. 11. ad Severum: Non aliter, inquit, affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter praesens fuit Christus; videant atque contingant. Et natali 3. s. Felicis scribit, turbas innumerabiles ex remotissimis locis peregrinari solitas ad corpus s. Felicis.

Prudentius in hymmo de ss. Hemiterio et Chelidonio.

Exteri necnon et orbis Huc colonus advenit. Fama nam terra in omnes Praecucurrit proditrix Hic patronos esse mundi, Quos precantes ambiant.

Augustinus epist. 137. ad clerum et populum hipponensem: Elegit, inquit, aliquid, medium,ut

certo placito se ambo constringerent, ad locum sanctum se peregrinaturos.

Cassianus lib. 4. de institutis renunciantium c. 31. meminit monachorum, qui orationis caussa ad loca sancta pergebent: Quidam, inquit, fratrum ad loca sancta Aegypti partibus orationis caussa convenerant.

Socrates lib. 7. cap. penultimo scribit, Eudociam Theodosii junioris uxorem ex voto Hierosolymae peregrinationem suscepisse. S. Alexium peregrinatum ad nobiliores ecclesias mundi, scribit Simeon Metaphrastes in ejus vita.

Bedu lib. 5. hist. cap. 7. scribit regem Ceeuduallam peregrinationem ud limina apostolorum suscepisse, cupientem ibi baptismum suscipere, et mox a baptismo ex hac vita migrare. Quorum utrumque impetravit; nam in sabbatho s. a papa Sergio baptizatus, in ipsa hebdomada paschae in albis positus, levi morbo correptus migravit ad Dominum. Item cap. 20. scribit regem Coenredum relicto regno peregrinationem ad apostolorum limina suscepisse, et apud eadem limina in jejuniis et precibus usque ad vitae finem permansisse.

Nicolaus I. in epist. ad Michäelem scribit, multa millia hominum ex omnibus terrae finibus configere solita ad limina apostolorum religionis caussa.

Palladius in hist. Lausiaca cap. 143. scribit Philoromum, presbyterum bis voti caussa peregrinatum Hierosolymam, et item ex voto peregrinatum Romam ad limina apostolorum.et Alexandriam ad reliquias s. Marci. Idem cap. 118. scribit Melaniam Hierosolymae occupatam in suscipiendis peregrinis ex toto orbe venientibus.

His adde concilium cabilonense sub Carolo Magno celebratum, quod can. 45. docet eorum devotionem omnibus probari debere, qui poenitentiae caussa ad limina apostolorum, vel alia sancta loca peregrinantur.

Probatur ultimo ratione, sumpta ex utilitate peregrinationum; nam tria bona adferunt. Primo cedunt in honorem Dei et sanctorum non mediocrem. Est enim manifestum signum, Deum, et sanclos a nobis magni sieri, cum laborem. et pericula itinerum sponte suscipimus, ut sanctorum reliquias invisamus. Secundo, est opus poenitentiae et satisfactionis, quia laboriosum, et poenale. Tertio, auget devotionem; Nam praesentia loci sancti vix dici potest, quantum incutiat horrorem, quantam excitet reverentiam; et licet ubique sint aliqua sancta loca, tamen saepe alibi sunt loca sanctiora. ad quae utile est peregrinari, vel si non sint sanctiora, sunt tamen alia ab his, quae in nostra patria inveniuntur, et ipsa novitas juvat ad excitaedam devotionem, saepe ctiam peculiari amore ferimur erga sancti alicujus memoriam, quae procul abest a nobis, et eo accedere non parum juvat, licet habeamus domi memorias celebriores.

Ex his ad argumentum Calvini dico: Cultum voluntarium dici eum, qui sine ratione suscipitur, ut si quis voveat se non iturum ad mensam, nisi bis laverit manus. At cultus qui exhibetur Deo per actus virtutum, non dicitur voluntarius, licet non sit praeceptus, ut patet Num. 30. ubi Dominus jubet impleri vota rerum non praeceptarum. Ad Mugdeburgenses dico duo. Prime, forte non esse Nysseni illam orationem; nam nec habetur in operibus ejus, nec scitur quis illam verterit in sermonem latinum, et forte etiam graece non invenitur.

Secundo dico: In ea oratione non reprehendi absolute peregrinationem in Hierusalem, sed reprehendi ejusmodi peregrinationem in certis personis, idest, monachis et sanctimonialibus; Nam de talibus solum eo loco agitur. Quamvis autem peregrinatio sit bona, tamen non omnibus convenit, quidam enim sunt quibus non convenit peregrinari quales sunt mulieres, nisi magnum et tutum habeant comitatum; item monachi, qui in claustris, in silentio, precibus, se jejuniis exercentur, illorum enim majus bonum impediretur minore bono peregrinationis. Et hoc modo Jonas lib. 3. respondet ad calumnias Claudii contra abbatem Theodemirum: dixerat enim Claudius abbati laudanti peregrinationes ad urbem: Quare tu monachos tuos retines in monasterio, et non mittis omnes Romam?Respondet Jonas pro abbate, quia peregrinatio est bona. sed non convenit monachis; sicut et nuptiae bonae sunt, sed non conveniunt professoribus continentiae. Sic etiam Hieronymus, qui tam multa dixit in laudem peregrinationum, tamen Paulinum monachum dehortatur a pereginatione, quia proposito ejus magis conveniebat quies, et stabilitas monasterii. Ubi etiam recte monuit idem Hieronymus, s. Antonium, quia monachus erat, numquam peregrinatum ad loca sancta. Hilarionem autem quia in Palaestina degebat, semel tantum loca sancla invisisse, ne videretur contemnere religionem eorum locorum, quae in vicinia erant. Sic ergo et Gregorius nyssenus facit: nam alioqui quomodo credibile est Nyssenum voluisse reprehendere, quod sciebat factum a s. Alexandro martyre, suae regionis homine, et quod non ignorabat laudari ab omnibus doctoribus suae aetalis.

Sed diluamus objectiones. Ad primam rationem dico: Ea probari solum, peregrinationem non esse opus necessarium ad perfectionem, vel ad salutem. Et ad hoe solum probandum adfertur a Gregorio; nam monachi illi putabant se non posse esse perfectos, nisi viderent loca sancta, quod certe falsum

Ad secundam dice: Illa pericula recte probare, peregrinationem non esse omnibus accomodatam, sed solum viris maturis, et quibus parum aut ninil periculi immineat. Gregorius igitur recte argumentatur, quia de sanctimonialibus agit, cum dicit propter pericula debere omitti ejusmodi peregrinationes; nulli enim hominum generi magis cavenda sunt pericula tentationum, quam sanctimonialibus, quibus et sexus, et professio cautionem maximam indicit.

Ad tertiam dico: Nihil esse Hierosolymis quod non possit alibi inveniri, si agamus de rebus essentialibus et necessariis ad religionem; Deus est ubique, sacramenta, templa, altaria ubique etiam inveniri possunt: et noc sufficiebat Gregorio, ut suaderet monachis et virginibus, ne solliciti essent pro itinere hierosolymitano: tamen interim negari non potest, quin aliquid sit Hierosolymis, quo de-

votio juvari possit, quod alibi non invenitur, nimirum sepulchrum Domini, et loca illa sancta, quae toties Dominus calcavit, et in quibus tot mirabilia operatus est. Sed haec non tanti facienda sunt ut propterea oporteat deserere majora bona.

#### CAPUT IX.

De votis quae nuncupantur sanctis.

Erasmus in colloquio, quod inscribitur Naufragium, miro modo irridet vota, quae sanctis. nuncupantur. De haereticis autem omnibus nulla esse potest dubitatio, quin nos pro idololatris habeant ob ea vota quae passim sanctis nuncupamus; et ratio esse potest, quia votum est actus religionis soli Deo debitus qualis est etiam juramentum et sacrificium, ut patet ex divinis literis, ubi perpetuo vota dicuntur fieri Deo, Numer. 30. Deuter. 23. in psalmis passim, et praecipue Isaiae 19. ubi legimus: Colent eum in hostis, et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent.

Verumtamen, posse aliquo modo sanctis vota nuncupari, certissimum est. Et probatur testimoniis antiquorum Patrum. Eusebius lib. 13. praeparatione evangelica cap. 7. loquens de martyribus, nominé omnium Christianorum: Nos, inquit, verae pietalis milites, ut Dei amicos honorantes ad monumenta illorum accedimus, votaque illis facimus tamquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profilemur. Theodoretus lib. 8. ad Graecos, ubi dixerat varia a martyribus peti, subdit: Pie, inquit, fideliterque precatos, ea maxime consequi quae desiderant, testantur illa, quae votorum rei persolvunt; nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii manuum simulacra suspendunt ex argento, aurove confecta etc. Palladius in histor. Lausiaca cap. 113. scribit, sanctum Philoromum ex voto apostolis nuncupato venisse Romam ad limina apostoloruni, et deinde Alexandriam ad s. Marcum.

Prudentius in hymno de ss. Hemeterium et Chelidonio:

Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolae
Confrequentant observantes
Voce, votis, munere.

Paulinus natali 1. de s. Felice:

Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram Vo-

Et natali 2.

Coram vota tibi, coram mea corda dicavit.

Et natali 4.

Annua vola mihi remeanl, simul annua lingude Debibita etc.

Gregorius Turonicus lib. 2. hist. Francorum c. 37. meminit voti, quod nomine Clodovei regis s. Martino fecerunt ministri ejus: Domino, inquit,

gratias agentes, et vota beato confessori promittentes laeti nunciaverunt regi etc.

Accedat adversariorum testimonium: nam Faustus apud Augustinum lib. 20. contra Faustum c. 3. Idola, inquit, vertistis in martyres, quos votis similibus colitis. Ex quo Fausti testimonio discimus, usitatissimum in primitiva Ecclesia fuisse, ut martiribus vota flerent.

Ad argumentum autem quod nos ipsi proposuimus. respondet b. Thomas in 2, 2, quaest. 88. art. 5. vota quae fiunt sanctis, vel praelatis, includere duas promissiones: unam quae fit sanctis, et illam non esse formaliter votum, sed materiam voti: alteram quae fit Deo, et illam esse formaliter votum: ut cum quis dicit: Voveo b. Mariae me ad ejus domum peregrinaturum:promittit Virgini hanc peregrinationem, sed haec promissio non est votum: et simul promittit Deo, se impleturum promissionem Virgini factam, et haec secunda promissio vere est votum. At ista recte se habent in votis, quae includunt promissionem homini mortali factam; nam qui vovet obedientiam praelato revera votum non praelato, sed Deo facit, licet ipsi praelato obedientism promittat, non enim illo voto praelatum, sed Deum colere et honorare intendit: similiter qui vovet perpetuo ministrare in Xenodochio, Deo facit votum, non Xenodochio, tametsi in utilitatem et commodum Xenodochii faciat. At qui vovet jejunium vel peregrinationem sanctis, ipsos sanctos religiose honorare intendit. Et praeterea Cajetanus in eum articulum b. Thom. probat ex ipsa professione fratrum praedicatorum, vota vere fieri sanctis: Nam dum profitentur, dicunt: Voveo Deo, et b. Mariae, et omnibus sanctis, me praelato tali vel tali obediturum, ubi ex duabus promissionibus una dirigitur ad praelatum, et illa est materia voti; altera quae est formaliter votum ad Deum, et sanctos simul. Cajetanus igitur adfert aliam solutionem, ac dicit vota fieri sanctis, non ut sunt creaturae quaedam rationis participes, sed ut in eis Deus habitat per gloriam, ita ut vota, quae fleri dicuntur sanctis, flant Deo in sanctis: quomodo maledicta in sanctos dicuntur blasphemiae, quia Deus in sanctis maledicitur.

Sed objiciet fortassis aliquis. Aut vota, quae flunt Deo in sanctis, terminantur ad solum Deum, quomodo sacrificium soli Deo offertur, licet in memoriam et honorem sanctorum: aut terminantur etiam ad ipsos sanctos, ita ut revera ipsis vota flant, quomodo eleemosyna, quae datur Christo in paupere, vere datur ipsi pauperi: si primum accipiatur, ergo non vere flunt vota sanctis. Si seeundum, ergo idololatrae videmur.

Respondeo: Secundo modo fieri vota sanctis, nec tamen nos esse idololatras; nam non eadem ratione fit votum sanctis, et Deo; et solum votum quod fit Deo, est cultus latriae. Animadvertendum est enim, inter omnes convenire vere et proprie sanctis aliquid promitti; sicut vere et proprie aliquid promittitur Deo: id enim et b. Thomas concedit, et per se patet; nam si licet sanctis aedificare sepulchra, et basilicas, ornare eorum reliquias, accendere coram eis sereos, ut supra ostensum est, cur non liceat eis ista promittere?

Rursum, inter omnes catholicos convenit aliter promitti munus Deo, aliter sanctis; Nam Deo promittitur in signum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum, et in recognitionem beneficii ab ipso, tamquam a primo auctore accepti, et proinde illa promissio est cultus latriae; at sanctis promittitur aliquid in signum gratitudinis erga mediatores et intercessores, per quos a Deo beneficia accepimus; et proinde illa promissio non est cultus latriae. sed duliae.

Solum videtur dubium esse, an ista promissio facta sanctis possit diei volum, idest, an volum sit nomen generale, quod dicatur analogice de promissione facta Deo et sanctis, quomodo nomen orationis, et nomen cultus se habent: an vero sit nomen speciale, quod solum dicatur de promissione Deo facta, sicut sacrificium non dicitur nisi de munere, quod offertur Deo. Etsi autem controversia vocabuli. cum de re constat, nos torquere non debet; existimo tamen secundam usum Ecclesiae nomen voti esse generale; nam nullus dicere auderet, sacrifico Deo et b. Mariae; vel etiam absolute, sacrico b.Mariae; et tamen dicimus, voveo Deo et b.Mariae; et etiam simpliciter, voveo b. Mariae.

Praeterea nomen voti ita est conjunctum cum nomine orationis, ut graece dicatur votum euyh, oratio vero προσευχή, ut notat Gregorius nyssenus or. 1. in orationem dominicam; Latine autem sacpissime accipitur votum pro oratione. Et ratio est, quia ut ibidem docet Nyssenus, vota ordinantur ad orationem; solemus enim cum impetrare aliquid volumus, prius volis conciliare eum, a quo volumus petere, deinde petere id, quod volumus. Unde est illud 6. Aeneidos: Aenea cessas in vota, precesque? Sicut ergo orationis nomen non solum dicitur de illa petitione, qua a Deo postulamus beneficia, quaeque est actus latrine; sed eliam de illa, qua postulamus a sanctis, ut nostram orationem juvent, quamfundimus ad Deum: ita etiam voti nomen non solum conveniet promissioni, quae fit Deo, quaeque est actus latriae, sed promissioni, quae fit sanctis, et quae non est actus latriae. Neque his repugnat, quod in Scripturis'nomen voti semper accipiatur pro promissione facta Deo; nam cum scriberentur Scripturae sanctae, nondum coeperat usus vovendi sanctis.

Sed objicies: Si promissio facta sanctis mortuis potest dici votum; cur non etiam promissio facta sanctis adhuc viventibus nobiscum?

Respondeo primo: Quia promissio facta sanctis cum Christo regnantibus, est similior promissioni quae fit Deo, quam fit promissio homini mortali. Nam quemadmodum id, quod promittimus Deo, non est illi utile, sed nobis, et solum sit in signum honoris et gratitudinis; ita etiam quod promittimus sanctis in coelo regnantibus, non est illis utile, sed nobis; neque enim illi nostris rebus indigent, cum sint beati et solum ista illis promittimus et offerimus in signum memoriae, honoris et gratitudinis. At quae hominibus hic viventibus promittimus, illis utilia sunt, vel certe esse possunt, cum ipsi multis rebus egeant.

Secundo: Quia votum non convenit sanctis, nisi quatenus sunt Dii per participationem; at sanctos,

cum Christo regnantes certo seimus esse tales; de viventibus nobiscum non seimus certo, sed suspicamur tantum.

Tertio: Quia sancti in coelo jam sunt reipsa beati et gloriosi, et filii Dei, ac Dii quidam per participationem, quia sunt confirmati in illo statu, neque excidere possunt. At sancti, qui vivunt nobiscum, modo sunt sancti, modo non sunt. et magis in spe, quam in re sunt beati et gloriosi. Recte igitur quae mortalibus promittuntur, non dicuntur vota; dicuntur autem, si beatis hominibus in coelo degentibus promittantur.

#### CAPUT X.

An sint festi dies a Christianis celebrandi.

Postrema restat quaestio de festis. Disseremus autem primo de festis in genere. Secundo, de die dominica. Tertio, de paschate. Quarto de caeteris festis Domini. Quinto de festis sanctorum.

Quod igitur ad primum attinet, de celebratione festorum in universum, tres sunt errores. Primus veterum Ebionitarum, qui existimabant debere Christianos servare dies festos novi et veteris Testamenti, idest, sabbathum et dominicam, ut Eusebius refert lib. 3. hist. cap. 27. Eundem errorem tempore b. Gregorii quidam renovare voluerunt, ut patet ex lib. 44. epist. 3. Idem hoc tempore servant Christiani. qui in Aethiopia degunt, qui in eodem honore habent sabbathum et dominicam. Argumentum eorum est, quia Exod. 31. de sabbatho dicitur: Pactum est sempiternum, signumque perpetuum.

Alter error est Petrobrusianorum, ut patet ex lib. 3. cap. 5. vitae b. Bernardi: et Waldensium, ut docet Guido in sua Summa: et Wiclefistarum, ut refert Thomas Waldensis tomo 3. tit. 16. cap. 140. qui omnia festa tollebant, tamquam si festi dies ad caeremonias Judaeorum solum pertinerent.

Argumenta eorum erant illa loca b. Pauli. Primus Rom. 14. Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem; idest, alius putat unum diem esse sanctum, alium profanum; alius vero omnes dies putat esse aequales: et licet Paulus toleret in Romanis errorem illum de discretione dierum, quia nondum erant instructi plene; tamen clare indicare videtur esse errorem. Secundus est Gal. 4. Dies observatis, et menses, et annos: timeo vos, ne frustra laboraverim in vobis. Tertius locus est Coloss. 2. Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi. Ad haec addunt ex Patribus rationem; num sabbathum, quod mandatum fuerat Judaeis carnaliter observandum, nimirum, ut abstinerent ab operibus servilibus, nobis mandatum est spiritualiter, ut scilicet vacemus a peccatis, quae sunt opera vere servilia; quae sententia est sanctorum Patrum; Ambrosii in cap. 13. Lucae; Hieronymi in cap. 4. ad Gal. Augustini epist. 119. et Gregorii lib. 11. epist. 3.

Tertius error est Lutheranorum et Calvinistarum, qui admittunt dies festos, sed ita admittunt, ac si non admitterent. Summa doctrinac corum in

BLLLARMINI. Vol. II.

his capitibus consistit. Primum docent, festos dies celebrare esse jure divino et naturali praeceptum. Probaut ex decalogo; nam licet praeceptum de sabbatho sit aliquo modo caeremoniale, est tamen aliquo modo etiam naturale, aliqui in decalogo positum non fuisset. Praeterea, quia natura ipsa docet, oportere nos aliquando feriari ab operibus corporalibus, tum ut vacemus Deo, et conveniamus in Ecclesia ad verbum Dei audiendum: tum etiam ut aliquam remissionem concedamus famulis et operaris nostris; et in hoc primo non dissentimus.

Secundo docent: Quia jus divinum non determinavit certos dies, quibus Christiani feriari debeant, debere eos determinari ab Ecclesia, idest, a pastoribus, consentiente populo: et in hoc etiam non multum dissentimus; solum enim displicet, quod putant necessarium populi consensum. Christus enim potestatem gubernandae Ecclesiae non tribuit apostolis cum ea conditione, si populus consentiret, sed simpliciter. Verum de hac re alibi diximus.

Tertio docent, dies determinatos ad feriandum non debere haberi caeteris sanctiores quasi mysterii aliquid, vel piam significationem continerent: sed solum haberi tamquam determinatos, disciplinae, et ordinis, ac politiae caussa, ita ut cum hac determinatione simul consistat aequalitas dierum: et in hoc nos accusant, quasi habeamus discrimen dierum more judaico; et probant assertionem suam ex locis Pauli supra citatis. Paulus enim reprehendit discrimen dierum: at certe non reprehendit discrimen necessarium ad ordinem et politiam, ergo discrimen religiosum et caeremoniale, quale erat Judaeorum, quale esse videtur ( ut ipsi dicunt ) Christianorum, qui ob similes significationes dies mysticos habent et colunt.

Quarto docent: Determinationem dieram non obligare Christianos in conscientia, nisi ratione scandali vel contemptus: et in hoc etiam arguunt catholicos, quod obligent fideles humanis praeceptis. Porro sententiam suam Centuriatores probant, quin festorum observatio in primitiva Ecclesia habebatur res indifferens, et media, ut revera est, ergo non potuit imponi postea sub necessitate; nam Paulus, et alii. modo colebant sabbathum, modo dominicam indifferenter: nam Actor. 13. Paulus in sabbatho concionatur. Joannes autem Apocal. 1. mentionem facit dominicae.

Praeterea quia Paulus, Galat. 4. resistit pseudo-apostolis volentibus introducere obligationem festorum. Deinde Heshusius idem probat: quia cum plura sint festa Christianorum, quam Judaeorum, si eorum observatio ad peccatum obliget, erit intolerabilius jugum Christianorum, quam fuerit Judaeorum; de quo tamen Petrus ait Act. 12. Nec nos, nec Patres nostri portare potuimus. Addit Calvinus lestimonium Socratis lib. 5. cap. 21. qui dies festos liberos esse voluisset, ac reprehendit impositam necessitatem.

Quinto docent: Non licere dies festos consecrare sanctis vel eucharistiae, et multo minus conceptioni b. Mariae: sed de hoc infra suo loco. Hanc esse mentem haereticorum. patet ex Magdeburgensibus Cent. 1. lib. 2. cap. 6. col. 503. ex Tilmanno He-

shusio lib. de 600. erroribus pontificiorum titul. 26. ex Philippo in locis, in expositione decalogi; et ex Calvino lib. 2. Institutionum cap. 8. § 28. et sequentibus; sed notanda sunt etiam singulorum singula mendacia, sive ineptiae.

Magdeburgenses Centur. 1. lib. 2. cap. 6. col. 504. dicunt, tempore Aniceti coepisse in romana Ecclesia laborare mysterium iniquitatis, et se predere semina Antichristi, quia nimirum Anicetus volebat pascha non celebrari alio die quam dominico. At hoc ipsum statuerunt eo tempore fere omnium ecclesiarum concilia; et postea nicaenum I. et idem servant etiam Lutherani. Quid igitur garriunt contra romanain sedem?

Tilmannus dicit: Apud pontificios pari honore cum celeberrimis festis totius Ecclesiae coli dies sanctorum Innocentium, s. Gregorii, s. Annae et s. Catharinae. At mendacium est. Haec enim festa in plurimis locis non servantur ex praecepto. Ibidem Heshusius probat, festum corporis Domini esse rejiciendum, quia scriptum est: Non adorabis Deos alienos. Ubi aperte significat, Christum sibi esse Deum alienum; nam festum corporis Domini proprie ipsi Christo dicatum est, ob beneficium instituti sanctissimi sacramenti.

Philippus dicit, opera praecipua hujus praecepti de sanctificatione sabbathi, esse alere, ac honore afficere pios doctores: et peccata in hoc praeceptum, esse contemnere pios doctores, et nolle conferre ad eos alendos et defendendos. Ita nimirum

utiliter servantur festa pro ministris.

Calvinus dicit, cultum sabbathi apud Christianos in eo consistere , ut otiemur ab operibus nostris , et Deum in nobis operari sinamus, idest, intelligamus nos carere libero arbitrio ad bonum, et quidquid agimus, esse peccatum. At certe, qui ita sabbathizant. non intrabunt in requiem Domini, sed in ignem detrudentur aetermum. Igitur adversus hos errores aliquot sententias proponemus.

Prima sententia: Nullo modo licet Christianis sabbathum Judaeorum, aut alias ferias Testamenti veleris observare. Iluec est contra primum errorem: et probatur Primo ex tribus locis Pauli supra citatis Roman. 14. Galat. 4. et praecipue Coloss. 2. adeo enim aperte Paulus reprehendit observatores sabbathi, ut Ebionitae propterea Paulum non reciperent, sed apostatam esse dicerent, teste Epiphanio haer. 30. et Irenaeo lib. 1. c. 26. ex quo refellitur etiam commentum Magdeburgensium, qui dicunt, Paulum indifferenter coluisse sabbathum vel dominicam.

Secundo probatur ex concilio laodiceno cap.29. ubi anathema dicitur iis, qui sabbathum colunt, alque in eo vacant ab operibus.

Tertio probatur ex Gregorio epist. 3. lib. 11.ubi ex professo hunc errorem refellit ac dicit, Antichristum renovaturum sabbathi culturam.

Quarto ratione, quia sabbathum erat praecipua caeremonia judaica, et praecipua figura Testamenti veteris, ut putet Coloss. 2. Aut Neomeniae, aut sabbathorum, quae sunt umbrae futurorum, corpus autem Christi. Igitur ubi Christus venit, sabbathum necessario finem habuit.

Ad argumentum autem factum ex illis verbis E-

xod. 31. pactum est sempiternum, respondet Augustinus in quaestionibus in Exodum quaest. 46. 124. et 139. ac Primo dicit: Sabbathum et sacerdolium, aliosque ritus Judaeorum dici pacta, et signa aeterna, quia res acternas significabant. Sicut cum dicimus, Deus est aeternus, non significamus illas duas syllabas De, us esse aeternas, sed id, quod significant, esse aeternum.

Secundo respondet: Sabbathum, et alias quasdam caeremonias dici aeternas, quia non fuerant imperatae Judacis usque ad aliquod tempus definitum; ut cum dicebatur, qui teligerit mortuum, erit immundus usque ad vesperam: sed imperatae fuerant servandae quousque Deus vellet, et proinde in acternum ex parte ipsorum, qui non poterant eas omittere pro arbitrio suo. Quod autem sacerdo. tium Aaronicum, et caeterae caeremoniae non essent revera duraturae in aeternum, sed essent mutandae a Deo. probat Augustinus ex psalm. 109. Juravil Dominus, et non poenilebil eum, tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Cum enim de saccrdotio Christi dicitur. non poenitebit eum, indicatur poenituisse Deum sacerdotii Aaronici, idest, mutare illud constituisse. Nec enim in Deo est poenitentia, nisi metaphorice, quia videlicel mutat res aliquas, ut ii faciunt, quos earum rerum poenitet. Possumus addere.

Tertio caeremonias judaicas dici aeternas, non simpliciter, sed donec duraret status illius reipublicae. Id quod explicat Dominus, cum addit, vobis autem in generationibus vestris, filiis Isräel, ul Exod. 12. Celebrabitis hunc diem solemnem in generationibus vestris cultu sempiterno. Similia habentur de sacerdotio Exod. 28. et de sabbatho Exod. 31.

Secunda propositio. Festa Christianorum non solum ratione ordinis et politiae. sed etiam ratione mysterii celebrantur, suntque dies festi vere aliis sanctiores, sacratiores et pars quaedam divini cultus. Haec est contra secundum et tertium errorem; nam tertius fere coincidit cum secundo. Probatur Primo ex die dominico; nam diem dominicum omnes celebramus tam nos,quam haeretici: at certum est diem illum celebrari in memoriam resurrectionis Domini, ut Augustinus dicit epist. 119. et satelur etiam Calvinus lib. 2.cap. 8. Instit. ergo non solum ratione ordinis festa celebrantur, sed etiam ratione mysticae significationis.

Respondet Calvinus huic objectioni, quain dicit fieri solere a suis etiam, qui crebro mussitant, dominicae diei observationem ad discrimen dierum, ab apostolo prohibitum, pertinere. Dicit autem duo; Primo diem dominicum non servari nisi propter ordinem Ecclesiae; electum autem fuisse bunc diem, quia tali die Christus resurrexit. Cum enim Christi resurrectione finitae sint omnes judaicae caeremoniae, hoc die admonemur, non esse amplius inhaerendum umbris et figuris.

At haec solutio nihit valet; nam, si hunc diem colimus, ul admoneamur finitas esse umbras judaicas, ergo colimus propter significationein. Non enim dies aliter monet, quam significando et repraesentando, ergo non est sublata, sed mutata significatio, et discretio dierum. Prae'erea dies dominicus, ut Augustinus docet lib. 22. de Civit. Dei cap. 30. non solum est memoria resurrectionis, sed etiam vitam beatam praefigurat. Igitur Secundo respondet, se non subjicere Ecclesiam servituti hujus diei, neque improbaturum, si Ecclesiae alium diem sibi eligant. At haec solutio aperte demonstrat, Calvinum agnoscere etiam apud suos coli festa ob significationem, et cupere quidem abrogare diem dominicum, sed non audere, quia nimis alte radicata et stabilita sit haec veritas.

Secundo probatur: Quia alioqui tollendi essent solemnes dies natalis, passionis, resurectionis, ascensionis Domini, et pentecostes, quos de apostolica traditione descendere, in tota Ecclesia servari docet Augustinus epist. 118. et 119. et quos etiam adversarii colunt. Nam certum est, hos dies non servari ratione ordinis et politiae, sed ratione significationis: nam in primis si solum ratione ordinis servarentur, temere constituti fuissent. Quis enim est iste ordo, ut inter diem passionis et resurrectionis non sit nisi unus dies medius; inter resurrectionis et ascensionis sint quadraginta? inter ascensionis et pentecostes sint decem, inter pentecostem et natale sint plus quam sex menses? Deinde si solum ratione ordinis celebrantur festa. cur sequimur lunam in festis mobilibus inveniendis? item cur habent ista nomina, pascha, ascensio etc. si nihil sacrum significant? Denique Patres discrte docent, festa ista celebrari ad significanda mysteria redemptionis, et ea externo ritu repraesentanda. Vide Augustinum epistola 119.et in psal. 110. upi prolixe disputat de mysteriis paschae, et aliorum festorum.

Tertio idem probatur ex eo, quod dies festi a Patribus dicuntur sancti, sacri, mystici et religiose colendi quae cum caeteris dicbus non sunt communia. Ambrosius serm. 62. Dominica nobis venerabilis est, atque solemnis. Augustinus praefatione in epist. Joannis: Quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dicrum etc. Idem lib. 22. de Civit. Dei cap. 30. Dies dominicus Christi resurrectione sacratus est. Lib.20.contre Faustum cap. 21. Populus christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat. Et serm. 251. Dominicum diem apostoli religiosa solemnitate habendum sancerunt. Et Leo I. serm. 4. de quadragesima: Ingressuri, inquit, dies mysticos etc.

Quarto, si solum ratione ordinis distinguerentur dies festi ab aliis, omnes dies festi essent aequales, nec unus alio major: una enim esset ratio celebritatis omnium. At non ita est; nam Ignatius vocat diem dominicam, diem regalem et eminentissimum omnium dierum epistola ad Magnesianos. Leo serm. 12.de quadragesima vocat diem paschae festum festorum omnium máximum. Nazianzenus orat. 2. de pascha, dicit pascha esse festorum. et celebritatem celebritatum, tanto caeteris omnibus majorem, quanto sol syderibus omnibus excellit: et oratione de obitu patris sui, dicit, paschae diem esse regem dierum. Chrysostomus homilia de s.

Philogonio, diem natalem Christi festum maximum, et festorum metropolim vocat.

Quinto, ratione ducta ex Scriptura. Observatio festorum, quae praecipitur Exod. 20.ad cultum Dei pertinet; nam est praeceptum Dei, et praeceptum primae tabulae. Sed illud praeceptum est aliquo modo naturale, et ad nos pertinet, ut adversarii concedunt: ergo etiam nos habere debenus aliquos dies, quorum observatio ad cultum Dei pertineat. Non habemus autem alia festa, quam dies dominicos: Pascha, pentecosten et similia; ergo horum observatio est cultus Dei, sanctus et religiosus. Licet enim determinatio hujus aut illius diei sit facta ab hominibus, tamen ipsa substantia festi imperata est a Deo in prima tabula.

Ultimo probatur hac ratione; Christus nascens consecravit locum, idest, praesepe; moriens consecravit crucem; resurgens consecravit tumulum, unde exivit, cur non etiam consecravit tempus, idest, dies illos, quibus natus, vel passus, vel redditus fuit nobis devicta morte? Cur prae caeteris locis sanctus ille vocatur, ubi Dominus resurrexit? et prae caeteris non erit sancta dies illa, in qua resurrexit? Praeterea si templa et altaria dicuntur domus Dei, et loca sancta, quia Deo sacrata sunt, nimirum ut in iis colatur Deus, cur non etiam sancti et sacri erunt dies, qui cultui divino sacrati sunt? Neque argumenta concludant in contrarium.

Ad Primum ex Roman. 14. Alius judicat diem inter diem, alius omnem diem. Tres sunt expositiones. Prima Theodoreti et Theophylacti, et forte etiam Chrysostomi, ut sensus sit: Alius judicat diem inter diem; idest, aliquo die abstinet a carne suilla, et aliis cibis in lege prohibitis, alius omni die ab illis abstinet, vel nullo die abstinet. Sed non placet haec expositio; nam cibi secundum legem immundi numquam edi poterant, et ideo non est verisimile aliquos fuisse Judaizantium, qui ab illis modo abstinerent, modo non abstinerent. Nec tamen haec expositio juvat adversarios.

Secunda expositio est Origenis, Ambrosii, Oecumenii, Primasii et Anselmi in bunc locum, qui hunc esse volunt sensum; Alius judicat diem inter diem. alius omnem diem, idest, aliqui jejunant certis diebus, ut feria II. IV. et VI. vel sabbatho, alii jejunant omni die, et utrique recte agunt. Haec est vera et literalis, et nobis maxime favet.

Tertia est b. Hieronymi lib. 2. in Jovinianum. quod Paulus loquatur de festis Judaeorum, et sensus sit; Alius discernit inter diem festum et profanum secundum legem, idest, feriatur die sabbathi. et in kalendis, alius omnem diem ducit profanum. quod attinet ad legem Judaeorum. Haec sententia non videtur mihi literalis, tum quia omnes veteres, qui ex professo hunc locum exponunt, de jejunio exposuerunt, non de festis: tum etiam quia apostolus de cibis disputationem instituerat, tum denique quia postquam dixerat: Alius judicat omnem diem, subjungit: Unusquisque in suo sensu abundet. Quod certe non videtur fuisse dicturus, si de festis Judaeorum ageret, quae observare jam coeperat malum esse. Tamen si propter b. Hieronymum admittatur, dico apostolum non loqui de festis Christianorum, sed Judaeorum tantum; nam ipse ctiam Paulus judicabat diem inter diem, quod attinet ad festa Christiana, cum celebrabat pentecosten, ut dicitur Actor. 20. et consequenter etiam celebrabat pascha; nam ut Epiphanius deducit baeresi 75. sine paschate nulla est pentecoste.

At instat Calvinus; nam Paulus videtur eodem modo damnare discrimen dierum, quo discrimen ciborum:sed discrimen ciborum in lege christiana nullum est, quale erat apud Judaeos, idest.propter significationem, igitur nec discrimen dierum esse debet propter significationem.Respondeo: A Paulo similiter reprobari discrimen ciborum et dierum ex lege judaica inductum: sed tamen in Ecclesia non esse eandem rationem ciborum et festorum; nam ciborum delectus non est ab Ecclesia inductus propter significationem; dies autem festi instituti sunt ob significationem, non quidem talem, qualis erat Judaeorum, sed aliam et diversam.

Ad Secundum locum ex epistola ad Galat. dune sunt responsiones. Prima Ambrosii in Galat. 4. et Augustini Enchirid. cap. 79. et in epistol. 119. cap. 7. qui dicunt: Apostolum non loqui de observatione festorum, sed de observatione vana et superstitiosa gentilium, qui dicebant cras non proficiscar, quia talis est positio syderum; hoc anno plantabo vineam, quia bissextus est.

Secunda est omnium Graecorum, et Hieronymi, atque Augustini in hunc locum, qui dicunt, Paulum agere de festis Judaeorum. Quod etiam respondetur ad tertium locum ex epist. ad Coloss.

Sed contra: Nam licet apostolus proprie Judaizantes arguat, tamen simul etiam illos videtur arguere, qui codem modo tempora et dies observant: atqui nos idem facimus. Non enim sustulimus observationem certorum dierum, sed mutavimus. Praeterea Hieronymus in hunclocum scribens, adfert duas solutiones, quae ambae videntur contra nos. Primo sic ait: Ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes pariter veniremus. Non quo celebrior sit dies illa, qua convenimus; sed quo quacumque die convenien. dum sil, ex conspectu muluo lactitia major oriatur. Secundo dicit, Christianis omnes dies esse aequales, sed propter saeculares oportuisse constituere aliquos dies, quibus convenirent ad Eccle-

Ad Primum respondeo dupliciter. Primo cum Augustino contra Adimantum cap. 46. ubi sic ait: Illi, inquit, ea serviliter observabant, non intelligentes ad quarum rerum significationes, et praenunciationes pertinerent: hoc in eis culpat apostolus, et in omnibus qui serviunt creaturae potius quam Creatori. Nam nos quoque et dominicum diem et pascha solemniter celebramus, et quaslibet alias Christiani dierum festivitates: sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora observamus, sed quae illis significantur temporibus. Exemplum de eo, qui adlert librum doctori, vel citharam magistro, cum ipse tamen nec legere, nec citharam pulsare sciat.

Secundo respondeo: Magnum est discrimen inter nostra festa, et Judaeorum; nam in primis illa post Christum habent falsam significationem; nostra habent veram. Deinde illorum finis primarius erat significare futura, ut dicitur Coloss. 2. nostrorum autem finis primarius est agnoscere Dei beneficia, propter quae festa singula instituta sunt. Denique summa praecepti in illis erat. non operari corporaliter: in nostris autem potissima praecepti pars est, interesse divino sacrificio, vacare autem ab opere corporali, nobis praecipitur solum. ne distratamur a Dei laudibus. Itaque nostra festa succedunt judaicis, non sicut in eadem haereditate filius patri, sed sicut lux umbrae et dies nocti, et exemplar figurae, et illa dici poterant carnalia, nostra autem spiritualia.

Ad Prima verba Hieronymi dico: Eum in prima solutione sua duas caussas reddere festorum Christianorum. Unam, ut honoremus Christi resurrectionem et alia mysteria, et ex hac parte non potest negari quin sit dies celebrior paschatis, quam alii dies. Alteram ut habeamus certum diem ratione ordinis; et quantum ad istam caussam non est una dies altera celebrior.

Ad Secunda verba ejusdem dico: Eum in secunda solutione sua, cum dicit, Christianis esse dies omnes aequales, non intelligere simpliciter, et quoad omnia, sed solum quoad essentialia festi, et hoc remota Ecclesiae lege; Nam, ut ipse ibi dicit, potest Christianus quotidie habere pascha et pentecosten et diem dominicum: si nimirum quotidie audiat sacrum, communicet corpori Domini, recogitet divina mysteria, et omissis operibus servilibus totus Deo vacet. Immo talis deberet esse vita clericorum et religiosorum, propter quos omnes dies dicuntur feriae. Hoc autem Judaei habere non possunt, non enim eis licet quotidie immolare agnum paschalem, vel erigere labernacula, et similia. Cum hac tamen aequalitate consistit, quod apud Christianos sit inaequalitas dierum, tum ex praecepto Ecclesiae determinantis dies, tum ex significatione et repraesentatione mysteriorum: dies enim Dominicus repraesentat resurrectionem, quod non faciunt alii dies.

Ad rationem illam ex Patribus dico: Patres illos agere de ipso sabbatho proprie dicto, non ut sabbathum alioquin accipitur pro omni die festo, sed ut accipitur proprie pro die septimo. Dicunt enim Patres, ipsum sabbathum mandatum Judaeis carnaliter, nobis autem spiritualiter; sed non sequitur, si non debemus celebrare sabbathum ad literam externo ritu, non debere etiam nos celebrare dominicam, et alia festa christiana. Immo s. Augustinus in endem epistola 119. ubi dicit, nobis mandatum sabbathum spiritualiter, ibidem dicit, nos agere debere diem dominicam celebrem externo ritu.

Tertia propositio. Observatio certorum dierum festorum recte praecipitur in Ecclesia lege obligante conscientiam, etiam citra contemptum et scandalum. Haec est contra haereticos hujus temporis. Sed antequam probetur, notandum est Primo, lege festorum duo quaedam praecipi; Primo, ut omnes intersint missae sacrificio; Secundo ut vacent ab opere servili. Horum utrumque requiri ad festi observationem adversarii fatentur, nam licet ipsi damneat missam, quatenus sacrificium est

tamen fatentur die festo oportere convenire ad Ecclesiam, et interesse mysterio sacrae coenae: et quando etiam hoc negarent, facile probari posset ex Justino in fine 2. apologiae, ex Palladio cap. 69. historiae Lausiacae, ex Hieronymo in vita Paulae, et ex aliis antiquis auctoribus.

Pari ratione fatentur, festum diem requirere vacationem ab opere corporali, et si id negarent, probari posset ex Hieronymo in epist.ad Enstochium de custodia virginitatis, ubi dicit: Monachos sui temporis exerceri solitos in operibus manuum omnibus diebus, exceptis dominicis, et similibus festis. Augustinus quoque serm. 251. et Gregorius lib. 11. epistol. 3. dicunt, festis diebus

vacandum ab opere corporali.

Secundo nota: Opus servile posse tribus modis accipi; quaedam enim sunt opera. quibus homo servit cupiditatibus suis, nimirum peccata, et haec non dicuntur proprie opera servilia, sed metaphorice tantum; non enim sunt propria servorum. sed communia omnibus, et maxime divitibus et nobilibus, qui aliis dominantur: neque prohibentur haec speciali praecepto, sed omnibus praeceptis simul. Alia sunt opera quibus homo servit Deo, ut immolatio sacrificii, oblatio thuris, et similia, et haec ita servilia sunt, ut sint etiam regalia; nam servire Deo regnare est, et haec non modo non prohibentur. sed eliam praecipiuntur maxime die festo. Alia sunt, quibus homo homini servit, qualia sunt quae per se spectant ad eos, quos proprie vocamus servos, qualia sunt omnia mechanica artificia, agricolarum labores, et similia, et haec proprie servilia dicuntur, et prohibita in sestis intelliguntur.

Tertio: Nota quod licet sola ista opera per se prohibeantur in festis, tamen justis de caussis quaedam spiritualia et liberalia interdicuntur etiam; et quaedam corporalia ac servilla permittuntur. Liberalia, quae prohibentur in festis. sunt quatuor, mercatum facere, agere caussas, jus dicere et juramentum solemne in judicio praestare. nisi ob caussam pacis, vel aliam necessitatem. Ita enim habetur capit. Omnes dies capit. Conquestus, de

feriis.

Corporalia, quae permittuntur, sunt etiam quatuor. Primo ea, quae ad opera religionis vel spiritualia, per se ordinantur. Hoc modo licet in festis campanas pulsare, et olim licebat mactare oves et boves ad sacrificia, Matth. 12. Sacerdotes in templo sabbathum violant, et sine crimine sunt. Sic eliam licet scribero in ordine ad intellectum, ut ad parandam lectionem vel concionem, non tamen licet transcribere, sine necessitate, libros lucri gratia. Secundo, opera illa permittuntur, quae vel propriae, vel aliorum saluti necessaria sunt, ut est labor pharmacopolarum, chirurgorum, coquorum etc. quomodo etiam Judaeis licebat in sabbatho educere jumenta de fovea, ci forte cecidissent, et ducere ad fontem ad bibendum, Matth. 12. Tertio, opera concessa a praelatis. Quarto, opera quae ex consuctudine facta sunt licita. Numquam enim Ecclesia tam severe praecepit vacare ab opere, quain lex judaica; et ratio est. quia vacatio apud Judaeos erat figura futurorum, figurae autem debent esse exactae, alioqui non bene significant; nostra au-

tem vacatio etiamsi interdum significat aliquid furturum, tamen non est hic ejus praecipuus finis, sed non impedire opera spiritualia.

Probatur nunc propositio; Primo, omnibus argumentis, quibus alias probavimus, Ecclesiae praece-

pta obligare in conscientia.

Secundo, jure divino praecipitur, ut aliqui dies festi observentur, et tamen nulli sunt certi dies a jure divino determinati, ergo debuit esse in Ecclesia potestas determinandi certos dies, et obligandi ad eorum observationem: quia alioqui non servaretur jus divinum. Si enim determinatio Ecclesiae non obligat, poterunt fideles non servare diem dominicum, nec pascha, nec alia festa indicta, et proinde nulla. Nec enim ulla alia festa sunt, quae servari possint. Festa enim debent esse communia toti Ecclesiae: nulla autem esse possunt communia, nisi quae indicuntur a publica potestate.

Tertio, Mardochaeus et caeteri Judaei cum regina Hesther instituerunt festum, quod Deus non praeceperat, et obligaverunt, ad illud servandum, Hesther 9. Nulli ticeat hos duos dies, absque solemnitate transigere etc. ergo idem licebit Ecclesiae. Nam tota caussa cur credant haeretici non licere Ecclesiae obligare fideles ad istam festorum observationem, est, quia Deus haec festa in particulari non praecepit, at nec praeceperat festum illud Sortium, quod Mardochaeus instituit.

Quarto, antiqua Ecclesia festa cum imperio indicebat, nec fuit unquam ullus praeter haereticos. qui ejusmodi praecepta reprehenderit. Concilium agathense ante mille annos cap. 47. Missas, inquil, die dominicò saecularibus totas audire speciali ordine praecipimus, ila ul ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat. Quod si fecerint, ab episcopo publice confundantur. Concilium laodicenum ante 1200. annos cap. 29. Non oportet, inquit, Christianos judaizare. ct in sabbatho vacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam praeponendo eidem diei. Concilium aurelianense III. etiam ante annos mille can. 27. praecepit. ut puniantur, qui diebus festis operantur, et simul tamen damnat eos, qui judaico more ita vacant, ut non putent licere parare in die dominico quae necessaria sunt ad victum. Similiter concilium VI. generale can. 8. die dominica jubet audiri sacrum, et nulla opera corporalia fieri praeter ea, quae ad victum necessaria sunt et alia similiter necessaria. Nec est iste canon ex Trullanis canonibus. Antisiodorense ante annos 900.cap. 16. Non licet, inquit. die dominico, boves jungere, vel alia opera exercere. Similia habentur in concilio II. Matisconensi cap. 1. concilium moguntinum ante annos 700.canon.36.et 37.enumerat festa praccipua totius anni, et jubet omnino ab opere in eis diebus vacare. Vide plura decreta conciliorum et pontificum, extra de feriis. Neque argumenta in contrarium concludunt; nam ad primum Magdeburgensium dico festorum dierum cultum ex se indifferentem esse.sed posita lege esse necessarium.Ad exemplum Pauli, nego illum aliquando coluisse diem sabbathi. Concionabatur enim die sabbathi, quia tunc inveniebat Judaeos congregatos, non quia ipse coleret sabbathum. Porro in epist. ad Galatas non arguit pseudoapostolos, quod obligarent ad festa, sed quod obligarent ad festa judaica.

Ad illud Heshusii, quod si festorum leges obligent, erit jugum Christianorum intollerabilius jugo Judaeorum, cum nos plura festa habeamus, quam illi habuerint. Respondeo. Primo cum b. Augustino lib. contra Adimantum cap. 16. servare festa judaice esse jugum, non autem more christiano: quia illi non intelligebant finem vocationis, nos intelligimus.

Secundo dico, festa Judaeorum vere fuisse gravia, quia cogebantur singulis sabbathis non accendere ignem, non coquere cibos.non iter facere, nisi ad modicum spatium. Item oportebat eos ter in anno ad quaedam festa ire in Hierusalem, etiamsi longissime abessent: item in paschate cogebantur per dies septem comedere azima insipida, qui Deuteron. 16. ideo vocatur panis afflictionis, et lactucas agrestes plenas amaritudine, et alia multa, quae festa onerosa reddebant. At nostra festa nihil laboris habent: quis enim labor audire sacrum, et vacare a quibusdam operibus?

Adde Ultimo, quod cum Petrus Actor. 15. legem judaicam, intolerabilem jugum vocavit, non hoc propter festa, sed propter alias innumeras et minutissimas caeremonias dixit, quas non tantum observare, sed etiam memoria retinere fere impossibile erat. Ad testimonium Socratis dico: Socratem haereticum fuisse Novatianum neque ejus testimonium in dogmatibus ullius esse momenti.

Quarta propositio. Non tenemur diebus festis ex praecepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum contritionis, vel dilectionis Dei. Hacc est b. Thomae in 2. 2. quaest. 122. art. 4. et contra Scotum in dist. 27. et 37. qui dicit, homines teneri die festo ad actum dilectionis Dei internum: et contra Abulensem ac Lyranum in cap. 20. Exodi: qui dicunt, hoc praecepto specialiter prohiberi opera servilia, idest, peccata, et proinde omne peccatum factum in die festo esse duplex.

Probatur Primo: Quia jus divinum praecipiebat solum abstinere ab opere servili. Si dicas, opus servile est peccatum. Contra, quia praecepta debent intelligi proprie, non metaphorice, peccata autem non sunt opera servilia, nisi metaphorice. Secundo, Ecclesia determinavit tempus, et modum observandi jus divinum de observatione praeceptorum: at Ecclesia nusquam praecipit actus illos internos. Tertio, id habet communis sensus fidelium. Nulli enim sunt, qui putent se novum peccatum commisisse, si die dominico non habuerint contritionem. Quarto, actus ille internus est finis hujus praecepti, non autem finis, sed media proprie imperantur. Quinto, cultus internus praeceptus jam erat in primo mandato; nam hic est ordo primae tabulae; in primo praecepto mandatur cultus cordis, in secundo cultus oris, in tertio cultus operis. Sexto.praeceptam de colendo sabbatho est praeceptum religionis; at contritio est actus poenilentiae, non religionis. Septimo, quia alioqui esset valde noxium tot festa multiplicare; esset enim tendere laqueos animabus.

At objiciunt; Primo, fornicari, vel occidere ho-

minem in loco sacro est homicidium et sacrilegium, ergo similiter occidere vel fornicari in die festo.

Respondeo: Circumstantiam loci et temporis semper aggravare peccatum, sed non semper ita aggravare, ut censeatur novum peccatum. Tunc enim solum fit novum peccalum, quando circum. stantia loci, vel temporis est essentialis, et intrinseca peccato, idest, quando violatur ipsum tempus, aut locus sacer, verbi gratia, qui fornicatur, aut homicidium facit in templo, committit sacrilegium, quia per ea peccala tollitur sanctitas loci. Violatur enim templum per effusionem seminis aut sanguinis voluntariam ex lege ecclesiastica: At qui in templo mentitur etiam perniciose, aut blasphemat, non committit proprie sacrilegium, quia mendacium et blasphemia non tollunt templi sanctitatem. Idem dico de tempore sacro. Non enim violatur tempus sacrum per quaecumque peccata, seil solum per ea, quae opponuntur ipsi tempori sacro, qualia sunt, non audire sacrum, et operari corporaliter, quae sunt specialiter prohibita.

Secundo objiciunt testimonia Augustini. qui dicit, praecepto sabbathi prohiberi opera servilia, idest, peccata. Sic enim loquitur Augustinus tract.3. in Joannem, et in psalm. 32. concione 1. Respondeo: Eum loqui de praecepto sabbathi, ut est generale praeceptum, spiritualiter significatum per sabbathom Judaeorum.

Tertio objiciunt Augustinum, qui lib. de decem chordis cap. 3. dicit: Melius faceret Judaeus in agro aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret; et melius foeminae Judaeorum domi lanam facerent, quam tota die in Neomeniis suis impudice sallarent.

Respondeo: Augustinum non velle dicere absolute esse melius, seu minus malum, die festo operari aliquid utile, licet prohibitum tali die, quam aliud peccatum facere. Potest enim fieri, ut aliquaudo sit melius, aliquando pejus; Nam minus malum est die dominico operari in agro, quam blasphemare Deum; sed e contrario, majus malum est, operari in agro die dominico, quam mentiri officiose. El tamen Augustinus videtur velle, minus malum esse die festo operari aliquid ex genere suo utile, quam peccatum aliquod committere. Augustinus ergo vult dicere, magis pugnare quaelibet peccala cum fine sanctificationis subbathi, quam opera ex se utilia, quae tamen prohibentur in sabbatho;nam finis est quies mentis in Deo, cui quieti magis repugnat quodlibet peccatum, quam distractio operis corporalis, et ideo magna est caecitas Judaeorum, quia abutuntur otio sabbathi ad multa peccata committenda, ut Augustinus dicit.

Objicies: Si peccata magis repugnant fini hujus legis, quam opera servilia, ergo omnia peccata prohibentur hoc praecepto magis, quam opera servilia; nam hoc praeceptum positum est ad removenda impedimenta cultus divini interni. Respondes: Omnia peccata prohibita esse, et magis quam opera servilia; nam peccata in nullo casu permittuntur: opera autem servilia etiam in festo saepe permittuntur. Non tamen omnia peccata prohibentur hoc praecepto speciali de sabbatho, quia non erat ne-

cesse; nam jam antea prohibita erant. Opera autem servika prohibentur hac speciali lege, quia antea prohibita non erant.

#### CAPUT XI.

#### De dominica die.

De dominica die tria dicenda sunt. Primo, de ejus antiquitate. Secundo de ratione institutionis. Tertio, de ritibus antiquis in die dominica servatis.

Quantum ad Primum, sine dubio festum dominicae est antiquissimum omnium Christianorum sestum; nam Ecclesia christiana proprie coepit in die pentecostes. Tunc enim impletis omnibus mysteriis redeinptionis, promulgatum fuit publice evangelium. Post hunc autem diem coeperunt omitti festa Judaeorum; et eis substitui festa christiana; primus autem dies festus occurrens sine dubio fuit dominicus; nam festum natalis Domini et paschae, quae etiam antiquissima sunt, non nisi post aliquot menses occurrerunt. Attestantur autem huic antiquitati primo Scripturae; nam Actor. 20. dicitur. una sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem: et 1. Corinth. 16.per unam sabbathi unusquisque apud se reponat etc.

Magdeburgenses Centuria 1. lib. 2. cap. 6. col. 503. et Culvinus in cuthena Augustini Marlorati dicunt, haec loca intelligi de die sabbathi, et eum diem a Paulo servatum. Quod etiam probant Magdeburgenses ex Actor. 13. ubi Paulus die sabbathi disputat in synagoga. At falluntur manifeste, nam in primis locum illum Actor. 20. Chrysostomus, et Beda exponunt de dominica die: locum autem 1. Cor. 16. exponunt de die dominica omnes interpretes Graeci et Latini, Chrysostomus, Ambrosius Theophylactus etc. nec solum catholici, sed etiam Petrus martyr in eum locum. Adde etiam (cui haeretici multum tribuunt) commentarium Erasmi tam Act. 20. quam 1. Corinth. 16. Praeterea Marci 16. dicitur Christus resurrexisse una sabbathorum, at constat rusurrexisse die dominica.

Praeterea constat Paulum multis hebraismis abundare: est autem hebraismus frequentissimus dicere unum pro primo: ut Genes. 1. Factum est vespere et mane dies unus, idest, primus, nam postea sequitur, dies secundus etc. Denique Paulus arguit Colossenses, et Galatas severissime, quod sabbathum, et festa Judaeorum servarent. Quomodo ergo credibile est eum servasse sabbathum Judaeorum? Quod autem Actor. 13.die sabbathi praedicavit in synagoga, non id fecit, ut coleret sabbathum, sed quia non poterat habere alio loco, nec alio tempore Judaeos congregatos.

Habcamus praeterea Apocal. 1. Ego Joannes fui in spiritu in dominica die. Quem locum de nostra dominica die exponunt fere omnes, ut Oecumenius, Anselmus, Primasius, et alii, et ipsi etiam Magdeburgenses, Cent. 1. lib. 2. cap. 6.

Ad haec, habemus testimonia Patrum antiquissimorum, Clementis can. 63. apostolorum, Ignatii epistola ad Magnesianos, Justini Apologia 2. Tertulliani de corona militis, et apologetici cap. 16. Clementis alexandrini lib. 7. Strom. Origenis hom. 7. in Exod. Athanasii hom. in illud: Omnia mihi tradita sunt a patre meo. Ambrosii epist. 83. Hieronymi in cap. 4. ad Galat. August. lib. contra Adimantum cap. 16 Gregorii lib. 11. epist. 3. Leonis epist.81.ad Dioscorum. Hilarii praefatione in psalm. Quare nullo modo dubitare licet, quin festum dominicae diei sit vetustissimum.

Quantum ad Secundum, ratio institutionis fuit, ut succederet sabbatho. Nam jus divinum requirebat, ut unus dies hebdomadae dicaretur cultui divino; non autem conveniebat, ut servaretur sabbathum. Itaque sabbathum ab apostolis in diem do-

minicum versum est.

Ut autem intelligatur, quam recte id factum sit, notandum est, sabbathum fuisse festum antiquissimum et praestantissimum apud Judaeos, et ideo solius sabbathi mentionem factam in decalogo. Erat autem sabbathum festum excellentissimum, quia cum omnia festa celebrentur, vel in memoriam beneficii praeteriti, vel ad significandum aliquid futurum, sabbathum in utroque excellebat. Nam quantum ad praeteritum, colebatur in memoriam primi, et communissimi beneficii, idest. creationis mundi. Nam, ut scribit Philo in lib. de opificio mundi, quemadmodum reges coli jubent diem natalem filiorum suorum, ila Deus coli voluit diem natalem operis sui, idest, mundi. Quod eliam utilissimum erat ad errorem philosophorum excludendum, qui dicturi erant, mundum non habuisse principium. Quantum autem ad futurum, sabbathum figura erat trium beneficiorum Dei, ad quae omnia alia revocantur.

Primo, figura erat in sensu allegorico quietis Christi in sepulchro. Ut enim Deus sabbatho quievit ab opere creationis, ita Christus quievit sabbatho ab opere redemptionis, ut apostolus observavit

Secundo, figura erat in sensu tropologico quietis mentis humanae ab operibus servilibus peccatorum. Judaei enim, dum sabbatho otiabantur, significabant venturum esse tempus gratiae, quo liberati homines per Christum a servitule peccati, quiete et otio spirituali fruerentur, ut exponit Au-

gustinus tract. 30. in Joannem, et alibi.

Tertio, figura erat in sensu anagogico quictis sanctarum animarum, quam post mortem in sinu Abrahae exspectabant, ut Augustinus docet epist. 119. et deducitur ex apostolo Hebr. 4. Jam vero propter has ipsas caussas, quibus sabbathum fuit olim institutum, decuit, ut post Christi adventum mutaretur in dominicam. Nam quantum ad memoriam praeteritorum, dies dominica longe excellit sabbatho: nam refert nobis memoriam natalis Christi et resurrectionis ejusdem, et adventus Spiritus sancti, quo die quodammodo nata est Ecclesia. Nam Christus die dominica natus est, ut patet, quia illo anno currebat litera dominicalis B, ut omnes mathematici docent, et potest ostendi retrocedendo in ciclo literarum dominicalium. Constat autem literam B haberi die 25. decembris, quo die Christus natus est. Quod autem idem Christus resurrexerit die dominica, ex evangeliis constat. Quod denique

1

adventus Spiritus sancti fuerit die dominica, patet, quia fuit in die pentecostes, idest, quinquagesimo die a paschate, qui necessario est dies dominicus. Itaque dies dominica repraesentat nobis natalem diem Christi, et Ecclesiae, et Christi non simplicem, sed duplicem. Et praeterea dies dominica repraesentat etiam memoriam creationis mundi non minus, quam sabbathum. Nam die dominico coepit mundus tieri, immo eo die sunt factae omnes partes mundi principales. coelum, terra, angeli. lux etc. Unde Justinus apologia 2. et Leo epist. 81. ad Dioscorum, dicunt, diem dominicam coli tam ob memoriam mundi creationis, quam ob resurrectionem Christi.

Quantum autem ad futurorum significationem, sabbathum plane cessare debuit, quia omnia, quae per sabbathum significabantur futura, jam sunt completa; nam Christus jam in sepulchro jacuit, et quies animorum in Deo jam agitur. Porro quies spiritum defunctorum in sinu Abraham jam est mutata in gloriam et beatitudinem: et nunc non amplius expectamus simplicem illam quietem, sed quietem gloriosam; gloria autem melius significatur per diem dominicum, quam per sabbathum.Et ideireo b. Augustinus epist. 119. dieit, sabbathum recte datum Hebraeis, qui post mortem ibant ad solam quietem; Christianis autem datam esse diem dominicam, quia jam revelata est gloria resurrectionis in Christo; et quod praecessit in capite, etiam corpus tolum exspectat.

Quantum ad Tertium, ritus in dominica erat quadruplex. Primo, conveniebant in Ecclesiam ad lectionem, concionem, sacrificium, communionem etc. ut ex Justino patet apologia 2. extrema. Secundo, vacabant ab operibus servilibus, ut patet ex Hieronymo epist. ad Eustochium de virginitate, et Gregorio lib. 11. epist. 3. Tertio, non jejunabant, ut patet ex Tertulliano de corona militis, et aliis, qui passim hoc docent. Quarto, non flectebant genua, sed stantes precabantur. De quo exstat canon 20. nicueni concilii. Idem etiam longe antea Tertullianus docuit libro de corona militis: Die dominico. inquit, jejunare, nefas ducimus, et de geniculis adorare. Item Hilarius praesatione in psalmos, Ambrosius serm. 62. Augustinus epist. 119. cap. 13. et Alexander III. c. Quoniam, extra de feriis idem docent. Ex quo intelligimus, nondum esse quingentos annos, ex quo ritus hic cessavit. Nam tres priores adhuc in universa Ecclesia observantur.

# CAPUT XII.

# De pascha.

Duo dicenda sunt. Primo, quid sit Pascha. Secundo, de erroribus circa pascha. Quantum ad Primum, aliqui Patrum existimarunt, nomen paschae deductum esse a verbo πάσχειν, idest, pati, quia passionis Domini memoria in paschate celebratur juxta illud apostoli: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: ita Ambrosius in lib. de mysterio paschae cap. 1. Unde eliam Tertullianus

lib. contra Judaeos, dicit: Pascha Domini significare passionem Christi: quorum sententiam refert, et merito refellit Augustinus epist. 119. nam pascha nomen est hebraeum, non graecum. Hebraice autem dicitur nos quod Graeci verterunt πάχα. Chaldaeus κπ53. Hieronymus legit Phase, nimirum secundum alia puncta: sed eadem semper est vox. Dicitur autem pascha a verbo non. quod est transilire. Unde primario non significat immolationem agni, ut auctor commentar, in cap. 14. Marci apud Hieronymum docet: nec transitum populi per mare rubrum ad terram promissionis, ut docet Nazianzenus oratione 1.de pascha, et Augustinus tract. 55. in Joannem. Nec etiam significat transitum angeli per Aegyptum. ut videntur sonare illa verba: Est enim Phase, idest,transitus Domini. Exod. 12. sed significat transcensionem angeli, et quasi saltum super domos Judaeorum, ut patet ex ratione, quae redditur Exod. 12. nam ubi dixerat Moyses: Est enim Phase, subjungit rationem: Transibo enim per terram Aegypti nocle illa.et perculiam primogenita Aegyptiorum. Erit autem sanguis vobis in signum in aedibus vestris, et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga. Ubi primum, transibo, est et ab hoc dicitur פנתתי secundum est ועבדתי pascha. Similis ratio ter in eodem capite redditur: ubi semper nos significat transilire, seu transcendere, non simpliciter transire. Unde Josephus lib. 2. antiquitat. cap. 13. dicit, pascha significare transcensionem. Idem docet Hieronymus in cap. 26. Matth. et Theodoretus quaest. 24. in

Veruntamen hoc ipsum nomen traducitur etiam ad alia tria significanda. Itaque Primo, significat, ut diximus transilitionem angeli. Secundo, ipsum agnum paschalem, qui per immolationem transibat de vita ad mortem. Unde dicitur Luc. 22. Necesse erat occidi pascha. Tertio, transitum populi, qui illa ipsa nocte liberatus a tyrannide Pharaonis transivit per mare rubrum, ut iret in terram promissionis, et hanc significationem agnoscunt Gregorius nazianzenus orat. 2. de pascha, et August. tract. 55. in Joannem. Quarto, ipsum festom diem: nam Luc. 22. dicitur: Appropinquabat dies festus azimorum, qui dicitur pascha.

Porro haec ipsa qualuor sunt etiam apud Christianos suo modo, idest, ut exemplaria illorum typorum. Nam angelus transiliens, et occidens primogenita Aegypti, et salvans filios Isräel, est Christus magni consilii angelus, qui, dum transiret de morte ad vitam, salvavit omnes, qui ejus sanguine aspergendi erant, relictis caeteris in manu vastatoris. Agnus paschalis idem Christus est, pro nobis immolatus. Christum enim repraesentarunt agnus et angelus, quia Christus occidi et occidere debuit: agnus autem occidi poterat, sed non occidere. Angelus occidere, sed non occidi. Transitus per mare rubrum, significat transitum populorum per aquas baptismi; et ideo in paschate ordinarie olim baptizabantur catechumeni. Denique, festus dies illorum nostrum festum diem figurabat.

Quantum ad Secundum; Primus, error fuit Aerii, qui pascha simpliciter negabat esse celebran-

dum, quod bbe judelsmum seperet. Refert bunc errorem, et refellit Epiphanius haeresi 75. non enim agimus pascha Judaeorum, sed quod illo si-

gnificabatur.

Secundos fuit Blasti cujusdam, qui, teste Tertulliano lib. de Praescript. docuit: Pascha necessario debere celebrari ipso die, que a Judaeis celebrabatur, idest, 14. luna, sive esset dominica, sive non. In que errore fuerunt eodem tempore multi episcopi Aslae minoris; ut patet ex lib. 5. histor. Ensebit c. 24. et 25. ubi refertur epistola Policratis episcopi ephesini ad Victorem papam, qua ille auctor asserit, omnes suos praedessores usque ad s: Joannem evangelistam semper celebrasse pascha die decima quarta. Nec défuerunt postea multi alii, quibus hie error placeret, quos Epiphanius haer. 50. Quartodecimanos vocari affirmat, quin etiam longo post tempere Audiani, seu Vadiani in eundem errorem inciderunt, eodem Epiphanio teste haer. 70.

Hic error illo ipse tempore refutatus est a concillis fere omnium ecclesiarum, et a romano pontifice, qui omnes communi consensu statuerunt: Pascha celebrandum esse dominica, proxima lunae quartae decimae post acquinoctium vernum, ut Eusebius idem refert. Deinde concilium nicaenum cum adhuc error ille alieubi duraret, idem staluit, ut testantur Epiphanius haeres. 50. et 70. qui dicit,in concilio codem ab Eusebio caesariensi compositum aureum numerum, qui ostendit novilunia. De qua re exstal epistola ipsius concilii nicaeni apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. histor. et ejusdem rei meminit Athanasius in epistola de synodo ariminensi et seleuciensi; Ambrosius epistol. 83. et Theophylus lib. 1. Paschali; item imperatoris Constantini epistola ad omnes occlesias, apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini; ubi Constantinus tribus rationibus probat, debere pascha celebrari die dominico. Primo, ne concurramus cum Judaeis Christi interfectoribus.

Secundo, quia par est, ut in tota Ecclesia sit una ratio pascha celebrandi, et par est etiam, ut pauciores pluribus cedant. Porro ab antiquis temporibus romana urbs, Italia, Africa, Gallia, Hispania, Britannia, Aegyptus, Lybia, Graecia, Pontus, Cilicia, et magna pars Asiae celebrant pascha die dominico, soli autem pauci orientales contra totum meridiem, occidentem aquilanem, et magnam orientis partem

oum Judaeis paselia celebrant.

Tertio, quia absurdum est, uno anno bis pascha facere, et alio anno numquam. Atqui hoc accidebat iflis, qui pascha quartadecima die agebant; nam illi non observabant aequinoctium, sed solum menses 12. lunares, et celebrabant pascha 14. luna mensis primi, non curantes, si illa decimaquarta esse ante aequinoctium, vel post. Itaque interdum accidebat, ut uno anno celebrarent pascha post aequinoctium, et anno sequenti ante aequinoctium, et preinde bis in uno anno.

Adde etiam, quod isti falso fundamento nitebantur. Nam putabant, se sequi legem Judacorum, et retera sequebantur delirium Judacorum sui temporis. Nam lex judaica Exod. 12. praecipit pascha fieri pestaequinostium vernum: jubet enim fieri luna decimaquarta primi mensis; porro mensis primus is

BELLARMINI Vol. 11.

erat, cujus decimaquarta dies incidebatin aequinoetium vernum, aut illud proxime sequebatur. Unde etiam Josephus lib. 3.antiquit cap. 13.dicit: Pascha Beri sole in ariete existente, et opposito ipsi lunae, Judaei autem posteriores (ut Epiphanius dicit haer. 70.) non amplius observabant aequinoctium, et eos tamen tamquam duces caecos sequebantur errantes iti Christiani, qui cum Judaeis pascha faciebant.

Ad auctoritatem antem s. Joannis evangelistae, quam pro se adferebant illi Quartadecimani, respondet Beda lib. 3. hist. cap. 25. Joannem celebrasse pascha 14. die, ut se accomodaret in illis initiis Judaeis ad fidem conversis, sicut etiam propter eandem caussam Paulus circumcidit Timotheum: tamen apostolum Petrum Romae instituisse, ut pascha die dominico fieret: et hoc magis es-

se sequendum.

Tertius error fuit quorundam Cappadocum, qui, teste Epiphanio haer. 50. semper pascha celebrabant die 25. martii, sicut natalem Domini semper celebramus die 25. decembris: quia putabant, Christum eo die passum fuisse, et ipso die passionis pascha agendum credebant. Similis fuit error Gallorum in principio Ecclesiae, qui, teste Theophylo Caesariensi apad Bedam lib. de ratione temporum cap. 45. semper pascha celebrabant 25. martii, quod putarent, eo die Ghristum resurrexisse. Idem error summopere placet Luthero in lib. de concilis part. 2. Ubi veltet eodem die celebrari ista festa, et non observari cursum lunae, ne videremur indaizare.

Caeterum iste error refellitur Primo, ex consensu totius Ecclesiae, quae semper die dominico pascha celebrandum statuit; Secunde, quia secundum quosdam nititur falso fundamento, Christus enim ut illi docent, non petult resurgere 25. martii, nec etiam pati; nam passus est die veneris, et resurrexit die dominico, secundum evangelia omnia. Constat etiam, Christum passum et resurrexisse anno actatis suae 33. vel 34. secundum alios. Porro anno Christi 35. die 25. martii, non fuit feria 6.nec dies dominica, sed feria 4. Anno autem Christi 34. die 25. martii, fuit feria 5. ut ex litera dominicali patef. Nam anno Christi 33. currebat litera D; anno 34. litera C; die autem 25. martii, semper est G.

Usumo, refellitur a b. August. in epist. 119. ubi ostendit, hoc interesse inter diem natalis et diem resurrectionis; quod ille celebratur solum ob memoriam, et ideo semper ipsa die 25. decembris at iste celebratur ob memoriam et sacrumentum, et ideo variatur. Vide ibidem pulcherrimam explica-

tionem mysteriorum paschae.

Quartus error fuit Britonum et Scotorum apud Bedam lib. 3. hist. cap. 25. et lib. 5. cap. 22. qui contra communem fotius Ecclesiae usum pascha celebrabant prima dominica post Iunam 13.martii, ita ut aliquando ipsa 14. luna pascha celebrarent in quo neque Judaeis, neque Christianis consentiebant. Nam Judaeis primus dies solemnis erat luna 15. sad incipiebant festum a vespera praecedente, idest, luna 14. ad vesperam; istis autem primus dies solemnis erat decimusquartus, et cum etiam ipsi inciperent a primis vesperis, necessario inci-

piebant luna 13. sed hie error non eget alia refutatione; nam fundabatur in sola imperitia; existimabant enim, ita sanctum Joannem celebrare solitum.

Quintus error est Novatianorum, qui, teste Socrate lib. 5. hist. c. 20. decretum ediderunt, quod appellarunt ἀδιάφορον, quia in eo statuerunt, liberum unicuique esse debere, agere pascha quando velit. Quem errorem satis constat placuisse etiam Magdeburgensibus ex Cent. 1. lib. 2. cap. 6. col. 504. et Cent. 2. cap. 6. col. 119. ubi dicunt, nec apostolos, nec apostolicos viros ullam legem dedisse Ecclesiae de celebratione paschae, sed reliquisse Christianis integram libertatem. Et ibidem arguunt romanos pontifices, quod propter rem indifferentem excommunicaverint Asianos.

Iste autem error refellitur. Primo, ex canon. 8. apostolorum, ubi jubentur deponi episcopi, vel presbyteri, qui pascha egerint ante aequinoctium

cum Judaeis.

Secundo, probatur: Quia cos, qui pertinaces fuerunt in opinione Asianorum, idest, quod necessario pascha deberet agi luna 14. cum Judaeis, veteres Patres semper habuerunt pro haereticis, ut patet ex Tertulliano de praescript. Epiphan. haeres. 50. August. haeres. 29. et Theodoreto lib. 3. de haereticis fabulis, et Damascen. lib. de haeres. Et ne putemus eos esse haereticos alia de caussa, imposuerunt illis nomen Tessarescedecatitas, idest, Quartadecimanos. Non ergo sine caussa romani

pont. excommunicarunt Asianos.

Tertio, si esse deberet res libera, et indifferens celebratio paschae, numquam fuissent sancti Patres multum solliciti de hac re: at semper maxime solliciti fuerunt; nam in ipso initio hujus controversiae, ubique celebrata sunt provincialia concilia pro hac re, ut apparet ex lib. 5. hist. Eusebii cap. 23. et 25. quod est signum magnae sollicitudinis. Adde, quod in illis conciliis non rem adiaphoram esse voluerunt: nam lib. 5. cap. 23. sic ait Eusebius: Unum, inquit, omnes ecclesiasticum dogma confirmant, ne liceat aliquando nisi in die dominica, qua Dominus resurrexit, dominicum pascha celebrare mysterium. Et c. 25. dicit, hunc fuisse finem decreti concilii caesariensis de paschate illo ipso tempore habiti: Epistolae autem nostrae exemplaria per omnes ecclesias transmittantur, at ne rei efficiamur animarum, quae diversis erroribus immerguntur.

Quarte; concilium nicaenum post quaestionem de fide contra Arium nihil putavit magis dignum diligenti discussione et determinatione, quam de die paschae, ut patet ex epistola Constantini apud Eusebium lib. 3. de vita Constantini. Immo Athanasius in epistola de synodis. Arimini et Seleuciae, non procul ab initio, dicit, concilium nicaenum propter duas caussas convenisse; primo, propter controversiam de pascha; secundo, propter haeresim Arii. Epiphanius etiam haeres. 70. dicit, Constantinum duo maxima bona contulisse in Ecclesiam; unum, quod congregari curavit synodum nicaenam; alterum, quod in ipsa synodo curaverit determinari quaestionem de paschate. Quod autem nicaenum concilium plane praeceperit celebrari pascha die

dominico, et non solum cohortationem adhibuerit, ut Socrates dicere videtur, patet ex Athan. qui in epist. de concil. Arimini et Seleuciae, sic ait: In negotio de paschate non abhorruerunt ab ista appendice, visum est, ut omnes obtemperarent.

Quinto, probatur ex concilio antiocheno cap. 1. ubi excommunicantur, qui legem nicaenam de

paschatis die non servant.

Sexto, idem probatur ex magna sollicitudine, quam semper habuerunt Patres, ne erraretur in celebrando paschate. Nam tempore b. Ambrosii, cum nata esset difficultas quaedam, et ignoraretur, quae esset dies paschae secundum nicaenum concilium, undique mittebantur literae episcoporum ultro citroque. Unde eti am exstat prolixa epist. 83. Ambrosii de hac re.

Deinde tempore Innocentii I. cum orta esset similis difficultas, scripsit Innocentius epistolam, quae est 11. ad Aurelium episcopum Carthaginis, ut ipse quoque coacta synodo, quaestionem illam discuteret, ed ad se scriberet concilii sententiam, ut ipse postea diem paschalis de more omnibus

praescriberet.

Rursum tempore Leonis, cum similis orta esset difficultas, scripsit inde s. Leo ad imperatorem Martianum, ad Eudoxiam Augustam, ad episcopos Galliae et Hispaniae, et alios. Vide epist. 63. 64. 65. et 93.

Praeterea idem arguit generalis providentia Ecclesiae; nam, ut scribit Leo epist. 64. ad Martianum, delegata fuerat episcopo alexandrino cura semper supputandi et indagandi diem paschatis, quem ille apostolicae sedi romanae indicabat; ac deinde apostolica sedes universae Ecclesiae diem illum praescribebat; cujus moris meminit etiam concilium arelatense I., cap. 1. et Innocentius I.

epist. 11. ad Aurelium.

Ultimo, probatur ex divino testimonio, quod refert Paschasinus episcopus Lilibetanus in epistola ad Leonem, et est 63. inter epistolas sancti Leonis. Scribit autem ille, tempore Zozimi papae ortam quaestionem de paschate, quod occidentales dicerent, pascha celebrandum illo anno 25, die martii, orientales autem 22. aprilis. Porro in quadam ecclesia Siciliae solebat singulis annis sacer fons divino miraculo per se repleri ipsa nocte paschatis, qua catechumeni baptizandi erant. Illo autem anno, cum ex praescripto Zozimi paseha agerelur 25. martii, fons inanis et aridus mansil: • deinde 22. aprilis fons repletus est; atque ex eo intellectum est, errasse occidentales in celebratione paschae. Quale miraculum contigisse etiam anno Domini 573. scribit Sigebertus in chronico. Siquidem annotavit eo anno fontem baptismalem in Hispania divinitus impletum fuisse in sabbatho reri paschatis, quod tune Galli recte servabant, Hispani autem male. At certe si res esset omnino indifferens, numquam Deus tali miraculo commissum errorein demonstrassel.

Magdeburgenses Cent. 5. cap. 6. col. 692. dicunt, fabulas et nugas esse, quae iste Paschasinus scribit. At constat, hunc Paschasinum fuisse episcopum celeberrimum, quippe qui nomine s. Leonis praesedit concilio chalcedonensi 630. episco-



porum. Constat etiam eum scribere rem sibi notissimam, nimirum quae acciderat suo tempore, et in loco sibi vicino. Constat denique rem illam scriptem gravissimo pontifici s. Leoni, cui certe fabulam et nugas pro divino miraculo numquam ven-

ditasset magnus ille episcopus.

Ultimus error est, in quem a multis jam annis saepe incidimus, scientes quidem et advertentes, sed tamen inviti. Sciendum enim est, concilium nicaenum tres regulas constituisse ad inveniendum paschae diem. Una fuit, ut semper pascha ageretur post diem 21. martii, quia illo die erat aequinoctium veris, et pascha post aequinoctium agi debet. Altera fuit, ut post 20. martii exspectaretur luna 14. et post eam diem quaereretur pascha. Pascha enim agi debet in terlia hebdomada lunae, idest, a luna 14. exclusive usque ad 22. exclusive: Et ad inveniendam lunam, composuerunt ciclum aurei numeri. Ubicumque enim in calendario invenitur aureus numerus illius anni, ibi est novilunium. Tertia regula fuit, ut post lunam 14. occurrentem, post vigesimum diem martii, exspectaretur dies dominicus, et ille esset pascha.

Istae regulae illo tempore et sequentibus annis multis optimae fuerunt. Vere enim tunc erat aeguinoclium 21. martii, et vere aureus numerus tunc indicabat diem novilunii. At a multis jam saeculis experientia docet, aequinoctium non esse fixum, vigesimaprima martii, sed semper anticipare: nunc enim est decimo martii. Similiter experientia docet, aureum numerum antiquum non indicare amplius novilunia fideliter. Nunc enim novilunium invenitur quatuor diebus ante ipsum aureum numerum. Ex quo intelligimus, tempore concilii nicaeni non fuisse exacte depréhensum motum nec Solis, nec lunae: Ecclesia autem semper antiquas illas regulas serval, el inde saepisse cogilur errare, etiamsi nolit. Sicut anno superiore, idest, 1579. celebratum est pascha 19. die aprilis, cum debuisset celebrari 15. martii.

CAPUT XIII.

De pentecoste.

Magdeburgenses Cent. 2. cap. 6. col. 119. non solum dicunt, apostolos nullam legem de festis instituisse, sed etiam addunt, primis illis saeculis Ecclesiae nibil expresse legi de ullo festo praeterquam de paschate. At hoe esse falsissimum, docet nos antiquitas pentecostes. Nam in primis meminit ejus festi Paulus in priore epist. ad Corint. 16. Manebo, inquit, Ephesi usque ad pentecosten. Et Act. 20. de Paulo inquit Lucas: Festinabat, ut, si quo modo posset, pentecosten ageret Hierosoly-mis. Et quamvis non sit omnino certum, an loquantur hac Scripturae de pentecoste Judaeorum, an Christianorum: tamen Epiphanius haeres. 75. exponit de pentecoste Christianorum.

Praeterea meminerunt hujus festi, antiquissimi auctores; Clemen's lib. 5. constit. cap. 21. Irenae-

us apud Justinum quaest. 115. Tertullianus lib. de corona militis; Origenes lib. 8. contra Celsum; Hilarius praesatione in psalm. Theophilus lib. 1. Pa. schali; Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani, et in cap. 4. ad Gal. Gregorius nazianzenus, Chrysostomus, Ambrosius, Maximus, Leo, et alii, qui sermones de hoc festo scriptos reliquerunt. Denique Augustinus epist. 118. dicit, festa passionis Domini, resurrectionis, ascensionis, pentecostes, et alia, quae in tota Ecclesia celebrantur, sine dubitatione vel a generalibus conciliis, vel ab apostolis instituta: constat autem, non esse instituta in generalibus conciliis; nam eorum mentio invenitur in Clemente, Justino, Tertulliano et Origene, qui praecesserunt omnia generalia con-

Est autem gravis difficultas, an recte celebretur festum pentecostes die quinquagesimo a die resurrectionis. Nam certum est, celebrari hoc festum propter adventum Spiritus sancti, ut Hieronymus dicit in cap. 4. ad Galat. et alii Patres supra citati. Videtur autem Spiritus sanctus advenisse die 49, vel etiam ante 49, a die resurrectionis Domini, et proinde non die dominico, sed die sabbathi, aut veneris, aut jovis. Nam ut habemus Actor. 2. Spiritus sanctus venit, dum complerentur dies pentecostes, idest, ipso die pentecostes Ju-daeorum. Non enim ibi Lucas potest intelligi de alia pentecoste, quam Judaeorum. Pentecoste a-utem Judaeorum aut erat festum datae legis in monte Sina, ut dicit Augustinus epist. 119. cap. 16. aut erat festum hebdomadarum, ut vult Hieronymus in cap. 4. ad Galat. aut fortasse utrumque simul: at neutrum in diem dominicam incidisse videlur anno passionis Christi; nam festum datae legis celebrabatur die tertio tertii mensis, ut habetur Exod. 19. ex quo deducit Augustinus dies 50. numerari ab ipso paschate Judaeorum, idest, a die 14. primi mensis inclusive; fuit autem dies paschae Judaeorum, anno passionis Christi, die jovis: ergo pentecostes complebatur etiam die jovis, nimirum triduo ante nostram dominicam pentecostes.

Porro festum hebdomadarum, quod magis proprie dicitur pentecostes, numerari incipiebat a secundo die azymorum, ut colligitur ex libro Levitic. cap. 23. ubi praecipitur, ut altera die sabbathi offerant manipulos primitiarum, et inde numerent septem hebdomadas, qui sunt dies 49. et sequenti die, idest quinquagesimo, festum diem agant. Porro hoc loco nomine sabbathi intelligitur primus dies azymorum, qui solemnis erat, et generali nomine sabbathum dicebatur, ut exponunt Lyranus, Abulensis, Cajetanus in hunc locum, et Josephus

lib. 3. antiquit. cap. 13.

Cum ergo primus dies azymorum tempore passionis Christi fuerit die veneris, si ab illo die exclusive numeremus dies quinquaginta, invenie-mus, pentecosten completam fuisse die sabbathi, non die dominica. Neque potest aliquis effugere difficultatem, si dicat, Spiritum quidem sanctum non advenisse die dominico, qui est quinquagesimus a dominica resurrectionis, tamen Ecclesiam voluisse die dominico celebrare memoriam hujus adventus. Nam Clemens lib. 5. cap. 21. constitut.

Theophylus lib. 1. Paschalis. Augustinus epist. 119. Leo in serm. de pentecoste, et alii omnes, docent, revera die decimo ab ascensione, et quinquagesimo a resurrectione venisse Spiritum sanctum. Hoc ergo effugio praetermisso, respondeo: Festum hebdomadarum, et festum datae legis veteris, fuisse unum et idem; et celebrari solitum tum in memoriam datae legis veteris, ac figuram dandae legis novae per adventum Spiritus sancti, tum etiam in gratiarum actionem pro collectis frugibus; et hoc unum festum anno passionis Christi incidisse in diem dominicum, qui fuit quinquagesimus a resurrectione Domini.

Ut autem ista omnia explicentur, consideranda sunt duo illa loca, Exod. 19. et Levit. 23. Quantum ad Primum locum, sciendum, non posse evidenter colligi ex Scriptura, quo die data sit lex vetus. Nam Scriptura dicit, venisse Moysem cum populo in desertum Sinai mense tertio egressionis ab Aegypto, ac deinde tertia die datam legem; sed non explicat quo die mensis tertii venerit in desertum Sinai; et proinde non certo scimus, unde numerentur tres illi dies, de quibus dicitur: Estote parati in diem tertium.

Invenio autem quatuor sententias, Prima est, b. Augustini epist. 119. cap. 16. et quaest. 70. in Exod. ubi dicit, venisse populum in desertum Sinai prima die mensis tertii, et tertia ejusdem datam esse legem, et illam diem esse quinquagesimam a die primi paschatis. Sed contra sunt argumenta.

Primum; Quia si ita numeremus non coincidet festum datae legis cum festo hebdomadarum, quod proprie dicitur festum pentecostes: nam festum pentecostes est dies quinquagesimus a secundo die azymorum, non a festo paschatis, et tamen debent coincidere, vel nullum erit festum datae legis, quod est absurdum, et contra ipsum Augustinum, qui ipsum festum datae legis, vult esse festum pentecostes.

Secundum: Quia revera non tollitur nostra prima difficultas; nam si lex data est die quinquagesimo a paschate Judaeorum, et illa die est festum pentecostes, et Spiritus sanctus venit in die pentecostes, certe sequitur, Spiritum sanctum non ve-

nisse die dominico, sed die jovis.

. Tertium, quia b. Augustinus non videtur recte numerare; ipse enim accipit ex primo mense dies septemdecim, et secundo mense dies triginto, ex tertio mense dies tres, et sic efficit dies, guinguaginta. At non potuit accipere ex primo mense dies septemdecim, et ex secundo dies triginta. Nam menses lunares, quales erant Judaeorum, non omnes constant ex triginta diebus, sed unus ex triginta, alius ex viginti novem; ergo debuit accipere Augustinus ex primo mense dies septemdecim, ex secundo dies viginti novem; vel ex primo dies sedecim, ex secundo dies triginta, et sic non efficit quinquaginta, sed quadraginta novem. Adde etiam quod Moyses non dicit, mense tertio paschatis, sed mense tertio egressionis de Aegypto: egressio autem non fuit decimoquarto die, sed decimoquinto, ut habetur Num. 33.

Quartum, quia și tertia die mensis tertii data est lex, oportebit, prima die mensis multo plura esse

facta, quam patiatur tempus unius dici:nam ia primis dicuntur filii Isräel mense tertio pervenisse in desertum Sinai; ex quo apparet, aliquam partem diei illius primae consumptam in itinere. Non enim credibile est, eos pervenisse summo mane, cum non consueverint noctu iter facere. Deinde, ubi pervenerunt, fixerunt tabernacola sua, in quo plurimum temporis consumebatur, cum essent in illa multitudine supra mille millia hominum. Deinde post fixa tabernacula, ascendit Moyses in montem Sina, qui altissimus erat, et com Deo loquutus, descendit et convocavil omnes majores nalu, et concionem habuit ad illos, et per illos ad omnem populum. Deinde rursum in montem secundo ascendit, et iterum descendit, et cum populo loquutus jussit, ut omnes lavarent vestimenta sua: Cumque lavissent vestimenta sua, inquit Scriptura, dixit eis Moyses: Estate parati in diem tertium. Quis porro credat, una, atque eadem die tabernacula erecta, et Moysem bis ascendisse ad montem, bis descendisse, bis populo concionatum? Quod si id credibile non est, certe sententia illa s. Augustini aegre defendi petest.

Alia expositio est Ruperti et Abulensis in cap. 19. Exed. qui dicupt: Legem quidem datam die tertio tertii mensis, sed eum diem non esse quinquagesimum, ut Augustinus dicebat, sed quadragesimum nonum a paschate, et ideo festum pentecostes non celebrari propter legem datam, sed propter foedus ictum inter Deum et populum, quod factum est die quarta tertii mensis, ut dicitur E-

xod. 24.

Haec expositio minus placet, quam prior; nam in primis valent contra hanc sententiam argumenta jam facta, excepto tertio; et praeterea peribit figura pulcherrima nostrae pentecostes, quam tamen Augustinus, Leo, et alii agnoscunt, nimirum quod pentecoste Judaeorum fuerit festum datae legis veteris, et nostra pentecoste sit festum datae legis novae.

Tertia sententia est Cajetani, qui dicit, Moysem venisse in desertum Sinai prima die mensis tertii, sed illa verba: Estote parati in diem tertiam, dicta esse die quarto mensis, et proinde legem datam die sexta ejusdem mensis, qui fuit quinquagesimus a secundo die azymorum inclusive, et hoc modo coincidit hoc festum cum sesto hebdomadarum, et omnia cohaerent.

Quarta sententia est Rabbi Salomonis et Lyrani, qui dicunt Moysem venisse in desertum Sinai die tertia mensis tertii, ac deinde die quarta dixisse: Estote parati in diem tertiam, et tandem die sexta datam legem. Quae sententia coincidit cum sententia Cajetani quoad diem datae legis, de quo erat praecipua quaestio. Videtur autem haec sententia magis conformis literae; nam sic habet textus: Mense tertio egressionis filiorum Israel de Aegypto, in die hae venerunt in solitudinem Sinai; ubi illud: In die hac, videtur referri ad numerum antea nominatum, nimirum ad tertium, ut sit sensus: Mense tertio, et die ipsa, idest, ejusdem numeri, hoc est, tertia. Quamquam potest etiam satis commode illud In die hac, referri ad initium mensis, ut sensus sit: In mense tertio, in

die hac, idest, in ipse initio mensis. Maneat igitur, ut sexta die mensis tertii data sit lex, sive populus in desertum Sinai venerit die prima, sive tertia.

Quantum ad secundum locum ex Levil. 23. duse sunt expositiones. Prima est Isichii et Ruperti in eum locum, qui volunt, per alteram diem sabbathi, intelligi primam sebbathi, idest, dominicam, quae immediate sequitur post sabbathum, et sensum legis esse, ut dies pentecostes numerentur a prima dominica, quae occurrit post festum paschae, quae sententia si vera sit, nobis maxime favet. Nam eo modo semper Judaeerum pentecoste venisset in dominica die, et quia anno passionis Christi prima dominica post pascha Judaeorum fuit dominica resurrectionis, inde eo anno necessario dies pentecostes complebantur die quinquagesimo a die resurrectionis Domini.

Altera sententia est Lyrani, Cajetani, Abulensis, Rabbinorum omnium, et ipsius Josephi lib. 3. antiquitatum cap. 13. qui intelligunt per alteram diem sabbathi primum diem post festum azymorum. Et sane movet me multum anetoritas Josephi, quippe qui noverat praxim ejus legis, cum inse quoque esset sacerdos, et vixisset in Hierusalem, cum aduc lex illa servaretur. Sed hac sententia, tamquam vera, admissa, sequitur, dies pentecostes anno passionis Christi numerari coepisse in sabbatho; sabbathum enim eo anno proxime occurrebat post festum azimorum. Ex quo sequitur ut dies pentecestes complerentur etiam in sabbatho.

Quomodo igitar nos pentecosten in dominica celebramus? Respondet Rupertus, ubi supra, etiam hac sententia admissa, non potuisse pentecusten incidere, aut compleri in sabbathe, quia Judaei habebant quandam consuctudinem, ut numquam celebrarent duo festa duobus diebus continuis. et ideo si quando occurreret primus dies azymorum feria 6. solitos Judaeos illum diem festum transferre in sequentem; et die sabbathi, celebrare tam festum sabbathi, quam festum azymorum. Alque ita anno passionis Domini diem primum azymorum celebratum a Judacis non feria 6. sed sabbathe, et proinde dies pentecostes coepisse numerari die sequenti, qui fuit dominicus.

Sed quia hacc sententia passim refelli solet, neque vacat nunc cam discutere: dicam quod sentio: et licet auctorem meae sententiae non habeam, spero tamen eam non facile improbandam cum certa ratione niti mihi videatur.

Respondeo igitur: Ordinarie quidem coepisse numerari dies pentecostes a secunda die azymorum, sed tamen si secunda illa dies esset sabbathum, tune coepisse numerari a tertia die azymorum: neque ullus hoc arguere potest; Nam caussa, cur illi dies 50. non inciperent a die primo azymorum, sed a secundo, est, quia oportebat illo die multa opera servilia facere, quae die festo erant prohibita, nimirum opontebat metere manipulum frumenti, et exaiocare, et adlerre ad sacerdotem. At ista omnia magis prohibita erant die sabbathi, quam die primo azymorum: ergo non licebat in secunda die azymorum, quando ea die erat sabbathum, incipere dies

illos quinquagista. Et hanc esse pato caussam, car Scriptura dixerit, Altera die sabbathi; el nen, altera die paschae, vel azymorum, quia nimirum voluit generation includere festa, quae immediate occurrent post pascha, sive esset unum, sive plura. Itaque illud: Altera die sabbathi, significat prima die profena post festum paschae. Et quia ut plurimum post pascha non occurrebat festam, nisi primo die azymorum, ideo non male Josephus loquens de eo, quod ut plurimum accidebat, scripsit incipere pentecosten luna decimasexta, quamquam anno Christi passionis coeperit luna decimaseptima, quia videlicet sabbathum fuit luna decimesexta. Quod si dies pentecostes eo anno numerari coeperunt luna decimaseptima, qui dies erat dominicus, sequitur, ut complerentur dies pentecostes etiam die dominico. Atque hoc est quod quaerebatur.

#### CAPUT XIV.

# De septúagesima et sequentibus dominicis.

Diximus de septuagesima, quae celebratur post pascha; nunc de ea breviter disseremus, quae celebratur ante pascha. Septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae non invenio mentionem ante tempora b. Gregorii, sed in antiphonario et sacramentario Gregorii annotantur expresse officia harum dominicarum, et earumdem meminerunt multi auctores Gregorio posteriores; nimirum Beda in libelle de officiis divinis; Alcuinus in lib. ejusdem argumenti; Amalarius lib. f. c. 1. de officiis ecclesiasticis; Rabanus lib. 2. c. 34. de institut. clericor. Ivo in serm. de septuagesima; Rupertus lib.4, c. f. de divinis officiis; et b. Bernardus in serm. de septuages. Ratio autem horum nominum non est eadem apud omnes; Beda et Alcuinos dicunt . quosdam addidisse unam hebdomadam ad jejunium quadragesimae, et illam consequenter vocasse quinquagesimam; alios addidisse adhue aliam, quia nolebant die jovis jejunare, et tamen numerum dierum integrum servari volebant. Haque addidisse unam hebdomadam ante quinquagesimam, et cam hebdomadam consequenter vocasse sexagesimam; alios denique, qui non jejunabant die jovis, nec die sabbathi, addidisse adhuc aliam, et illam vocasse septuagesimam.

Sed improbabilis est haec sententia. Nam non est verisimile propter abusum paucorum, qui non jejunabant die jovis et die sabbathi, Ecclesiam instituisse tam solemnes dominicas. Et praeterea non invenimus mentionem harum dominicarum, nisi post tempora Gregorii, quando jam non erat ille abusus.

Alii volunt septuagesimam dici a numero dierum, quia sunt dies 70. ab ea dominica usque ad sabbathum in albis: Sexagesimam dici, quia sunt dies sexaginta ab ea dominica usque ad feriam 4. post pascha: Quinquegesimem dici, quia tot sunt dies inde usque ad pescha. Inepta opinio; nam sic numis dominica poterit vocari septuagesima, si numeremus 70. dies, et non curemus ubi terminentur. Adde, quod per septuaginta dies volunt isti auctores significari captivitatem spiritualem sub diaboli potestate, cujus typus fuerat captivitas Babylonica 70. annorum. At absurdissimum est, inter dies captivitatis includere diem resurrectionis Domini, qui est dies perfectae libertatis.

Alii prudentiores dicunt, denominari a paschate has omnes dominicas, sed per synecdochen: nam a septuagesima usque ad pascha sunt fere 70.dies, idest, 64. A sexagesima usque ad pascha sunt circiter 60. dies, idest, 57. A quinquagesima usque ad pascha sunt 50. dies. Sed videtur deficere ista opinio in nomine septuagesimae; nam sexaginta quature dies magis dici deberent sexeginta, quam

septuaginta.

Est ergo sententia Ruperti, quam puto verissimam, ista nomina non esse desumpta a numero dierum, sed a numero dominicarum, voluit enim Ecclesia, ante dominicam passionis praemittere septem celebres dominicas, quibus revocaret nobis in memoriam, spiritualem nostram captivitatem, sicut per dominicam passionis, et sequentem com-

memoratur redemptio a captivitate.

Itaque prima dominica ex septem dicitur septuagesima, quia est prima ex septem. Secunda dicitur sexagesima, quia est prima ex sex. Tertia dicitur quinquagesima, quia est prima ex quinque sequentibus. Quarta dicitur prima quadragesimae eadem ratione. Quinta dicitur secunda quadragesimae. Sexta dicitur tertia quadragesimae. Septima dicitur quarta quadragesimae. Deinceps autem non dicitur quinta quadrage simae, sed dominica passionis. Et hinc eliam est, quod in dominica septuagesimae, quia commemoratur captivitas, legitur in officio, ex initio Geneseos, peccatum primi hominis, et omilluntur omnia cantica laeta, et ad missam incipimus: Circumdederunl me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me. In dominica autem passionis incipimus: Vexilla regis prodeunt etc.

De dominicis quadragesimae et passionis frequentissima mentio est apud omnes Patres; sed de ca nos disseremus in controversiis de jejunio. Interim vide Epiphanium in compendiaria doctrina, quae habeturad finem librorum adversus haereses, Theophylum in epistolis paschalibus, Cassianum

collat. 21. et Augustinum epist. 118.

## CAPUT XV.

De reliquis festis Domini.

Natalis Domini meminit Clemens lib. 5. cap. 13. Chrysostomus orat. in s. Philogonium, Ambrosius lib. 3. de virginibus, initio; Item Basilius, Nazienzenus, Maximus, Augustinus, Leo et alii, quorum exstant sermones de natali Domini.

Circumcisionis festum videtur esse satis recens; Nam non solum veteres Patres non meminerunt ejus festi, verum etiam Isiderus, Micrologus, Amelarius, Rabanus Walfridus, Strabo, qui describunt officia omnium festorum, meminerunt quidem officii diei octavae natalis Domini, sed non sub nomine circumeisionis.B. Bernardus tamen.et ante eum b. Ivo carnotensis, sermones habent de ipso festo circumcisionis.

Epiphaniae meminit Chrysostomus orat. de s. Philogonio, Nazianzenus orat.in sancta lumina, Maximus, Augustinus, Leo. et alii recentiores. Observat autem Cassianus collat. 10. c.2. apud Aegyptum una et eadem die celebrari natalis et epiphaniae diem, cum in occidentis Ecclesiis sint festa

diversa.

Dominica in albis meminit Clemens lib. 5. c.20. Nazianzenus orat. in novam dominicam, et Augustinus serm. 1. de octava paschatis; qui etiam lib. 22. de Civit. Dei, cap. 8. meminit. trium dierum paschatis

Ascensionis festum antiquissimum est, et ab apostolis institutum, ut docet Clemens lib. 5. cap. 20. Apostolic. constitut. et b. Augustinus epist. 118. In eodem festo exstant sermones Nisseni.

Leonis, et aliorum.

Festum Trinitatis recens est; Nam c. Quoniam. de feriis, Alexander III. dicit, suo tempore fuisse quidem in usu apud quasdam ecclesias, non tamen Romae. Micrologus etiam lib. de observationib. ecclesiasticis, cap. 60. reprehendit eos, qui hoc festum celebrant; et me quis objiceret, videri hoc festum antiquum, quandoquidem praefatio de Trinitate est una ex novem, quas Pelagius II. temquam antiquissimas servari praecepit, monet Micrologus, eam praefationem in dominicis omnibus cantari solitam: neque esse propriam festi Trinitatis. Postea tamen etiam Romae merito receptum est, et quidem in die octava pentecostes, ut Deo specialiter agantur gratiae pro mysterio Trinitatis, orbi terrarum apostolorum ministerio declarato.

Festum corporis Demini constat ab Urbano IV. institutum, post annum Domini 1200. quod festum omnes Lutherani et Calvinistae oderunt, sed immerito: Nam etiamsi non esset vere Christus in eucharistia (ut Calvinistae dieunt) vel non deberet adorari (ut dieunt Lutherani) tamen adhue justum esset, habere certum diem, quo recoleremus memeriam institutionis ejus sacramenti, quod etiam Lutherani et Calvinistae maximum sacramentorum esse eoncedunt.

Festum denique transfigurationis Domini antiquum esse videlur. Exstant enim de eo sermones s. Leonis, necnon Cyrilli alexandrini, et Andreae cretensis apud Surium.

# CAPUT XVI.

#### De festis sanctorum.

Festa sanctorum adversarii non parum oderunt. Primo, quod idololatriam sapere videantur, nam sabbatha sanctificare, est praeceptum primae tabulae, et proinde ad cultum Dei pertinet.

Secundo, quia aliqua falso fundamento nitantur,

ut conceptionis b. Mariae festum, qued festum beatus Bernardus nominatim reprehendit in epist. 174. ad canonicos lugdunenses. Ubi dicit, errorem et superstitionem sapere hoe festum, quia eo vel peccatom honoratur, sine que conceptio ista non fuit, vel falsa inducitur sanctitas. Et praeterea apud nos et iam non est certum, an b. Virgo sine peccato originali concepta fuerit; Ecclesia enim utramque opinionem permittit: ergo saltem dubium est, an recte hoe festum celebremus.

Tertio, quod plurima sint nova, ac praesertim festa b. Virgini dicata: nec enim ante Justiniaci tem-

pora exstabant.

Quarto, quod multa ab imperatoribus saeculi instituta sint. Nam festum purificationis instituit Justinianus, ut scribunt Paulus diaconus lib. 16. rerum romanarum, et Nicepherus lib. 17.cap.28.Festum assumptionis instituit Mauritius, qui Justiniano posterior fuit, ut idem Nicephorus ibidem refert.

Quinto, quia eousque prolapsus est abusus festorum, ut etiam imperatoribus non sanctis festi dies instituti sint, ut de Justiniano refert Nicephophorus lib. 17. c. 31. Hae sunt objectiones Tilmanni Hesbusii, lib. de erroribus pontificiorum tit. 26. et Magdeburgens. Cent. 6. cap. 6.col. 342. 343. et 344.

Verumtamen pium et bonum esse colere festos dies sanctorum, facile demonstrabimus auctoritate primum, deinde ratione. Auctoritas est tolius Ecclosiae catholicae, quae omni tempore id servavit. Ac ut solum inspiciamus quinque prima saecula, primo saeculo, idest, apostolorum tempore, habemus Clementem lib. 8. constitut. cap. 39. ubi jubet servari festa apostolorum et martyrum.

Secundo saeculo, habemus testimonium Ecclesiae smyrnensis, cujus epistolam refert Eusebius lib. 4. hist. cap. 15. in ea epist. habentur haec verba: Quo in loco etiam nune, praestante Domino, solemnes agimus celebresque conventus, maxime quidem in die passionis ejus sed et cum eorum memoriam, qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad praedecessorum viam exemplis insignibus excitentur.

Tertio saeculo, Origenes hom. 3. in diversos evangelii locos, dicit, festum iunocentium puerorum recte in Ecclesia celebrari, propterea quod fuerunt illi martyrum primitiae. Item Tertullianus lib. de corona militis dicit, unam ex antiquis traditionibus esse, annuas oblationes facere pro natalitiis. Et clarius, b. Cyprianus lib.3.epist. 6. Dies, inquit, corum quibus excedunt, annotate, ut commemorationes corum inter memorias martgrum celebrare possimus. Et lib. 4. epist. 5. Sacrificia, inquit, pro cis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus.

Quarto saeculo, Basilius oratione in Gordium martyrem; Nyssenus oratione in Theodorum martyrem; Nazianzenus orat. 1.in Julianum, paulo ante medium; Ambrosius serm. 66. 77. et 78. Hieronymus in cap. 4. ad Galat. et epist. 19. ad Eustochium; Prudentius in hymno de sanctis Petro et Paulo, festorum dierum in sanctorum memo-

riam et honorem institutorum apertissime memi-

Quinto sacculo, Chrysostemus hom. 66. ad populum; Theodorelus lib. 8. de martyribus; Augustinus in psal. 63. et 88. et alibi; Paulinus natali 2. et 3. s. Felicis. His accedunt Leo, Gregorius, Beda, et alii omnes posteriores, quorum libri testimoniis plenissimi sunt.

Probatur hoc etiam ex antiquis concilis diversarum eeclesiarum. Concilium laodicenum in oriente celebratum ante annos 1200. can. 51.vetat ; in quadragesima celebrari festa sanctorum; ex quo sequitur, extra quadragesimam fuisse in ea-provincia celebrata. Concilium carthaginense III. ante annos 1100. can. 47. Liceat, inquit, legi passiones martyrum, cum anniversarii dies corum celebrantur. Concilium toletanum in Hispania IH.can. 23. jubet, ut in diebus festis sanctorum populi non dent operam turpibus sultationibus. Concilium lugdonense in Gallia, ut habemus can. Pronunciandum de consecr. dist. 3. enumerat inter festa Ecclesiae festum sanctorum apostolorum, assumpionem et nativitatem b. Mariae, festum s. Silvestri, s. Martini, et aliorum. Idem ex Germania habemus in concilio moguntinensi cap. 36.

Ultimo probatur ratione, quae fundatur in divinis literis. Festi dies recte instituuntur ad recolenda divina beneficia, ut patet de festo sabbathi et festo Sortium apud Judaeos, et festis Domini apud Christianos. Unde Augustinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 4. Beneficiorum, inquit. Dei solemnitatibus, festis, et diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio. Sed non est pervum Dei beneficium beata consummatio alicujus sancti, et praecipue per martyrium; inde enim datur toti Ecclesiae militanti exemplum fortitudinis, et unus novum gaudium de accessione unius civis: denique tunc agitur novus et perfectus triumphus de dia-

bolo.

Confirmatur; Nam omnes caussae, propter quas homines etiam profani celebrant festos dies, concurrent in obitu sanctorum. Homines enim festa celebrant ob diem natalem principum: item ob assumptionem alicujus ad summam aliquam dignitatem denique ob partam victoriam. At cum sancti moriuntur tunc vere nascuntur, et nascuntur principes coelestes, unde ab Ecclesia eorum obitus natalitia dicuntur. Item tunc assumuntur ad summam dignitatem, quae hominibus conferri queat, idest, ad aeternam beatitudinem: denique tunc perfectam victoriam referunt de diabolo, et triumphum agunt.

Neque rationes adversariorum aliquid efficiunt. Ad primum de idololatria dico Primo, festa sanctorum Deo dicari, sed in sanctorum memoriam, quemadmodum templa sacrantur Deo in memoriam sanctorum. Secundo dico: Honorem dierum festorum immediato et terminative pertinere etiam ad sanctos, quemadmodum diximus de basilicis, de votis et de ipsa invocatione, sed telem honorem dicimus esse cultum duliae, non latriae, et proinde religionis quidem cultum, sed religionis, non ut est nomen specialis virtutis, quae hominem erga Dei

cultum bene disponit, sed at est nomen gene-

Ail secundum de festo conceptionis, qued falso fundamento niti videtur, dico Primo, in majori parte Ecclesiae pie credi b. Virginem sine peccato originali conceptam, quod etiem ex adversariis fatentur Lutherus et Erasmus; ille in sermone de festo conceptionis, iste in apologia ad Albertum Pium Carpensem.

Dico secundo: Fundamentum hujus festi praecipuum non esse conceptionem immaculatam, sed simpliciter conceptionem matris Dei futurae. Qualiscumque enim fuerit illa conceptio, eo ipso quod conceptio foit matris Dei, singulare gaudium affert mundo ejus memoris. Tune enim primuor habuimus pignus certum redemptionis, praesertim cum non sine miraculo ex matre sterili concepta fuerit. ltaque hoc festum etiam illi celebrant, qui putant

Virginem in peccalo conceptam.

Dices, hoc mode etiam Jounnis Baptistae conceptio celebrari posset. Bespondeo: Posset sane, ut Graeci faciunt. Nam in calendario Graecerum die 23. septembris annotatur festum conceptionis Joannis Baptistae: sed Ecclesiae latinae non est visum tot festa multiplicare. Et praeterea magnum est discrimen inter matrem Dei, et praecurserem ejusdem, et inter utriusque conceptionem. Nam quia major pars Ecclesiae pie credit immaculatam conceptionem, inde habuit eadem Ecclesia occasionem instituendi hoc festum, quam occasionem non habuit ad instituendum festum de conceptione Joannis Baptistae.

Porro b. Bernardi sententia nobis favet, ille enim reprehendit canonicos lugdunenses, quod sine exemplo vel praecepto romanae Ecclesiae novum festum instituissent. Si ergo nune b. Bernardus videret ex auctoritate romanae Ecclesiae festum celebrari, etiam ipse libentissime celebraret.

Ad rationem autem Bernardi dico: Nos nec peccalum honorare, nec inducere falsam sanctitatem, etiamsi Virgo in pescato concepta esset, sed bonorare officium matris Dei, ad quod ab ipsa conceptione designata fuit. Nam idem-Bernardus ibidem dicit, merito celebrari nativitatem Joannis Baptistae quia sancta fuit, et tamen ibidem dicit, se non audere asserere sanctificationem Joannis in utero delevisse originale peccatum, licet hoc pium sit oredere. Si ergo ita adversus Bernardum argumentarel; Colis festum nativitatis Joannis, quem non audes asserere natum sine peccate, ergo vel honoras peccatum, vel inducis incertam sanctitatem. Responderet Bernardus: Nec peccatum se honorare, nec inducere incertam sanctitatem, sed honorare officium pruecursoris, ad quod sanctificatus fuit adhuc in utero matris existens: Idem ergo respondeo illi de conceptione b. Mariae.

Quod si ipse quaereret, unde habeamus b. Mariam ab ipsa conceptions sanctificatam, softem ad hoo, ut esset mater Dei designata, responderem, inde nos hoc didicisse, unde ipse dicit, b. Mariam ab ipsa nativitate canctam fuisso. Asserit calm ibidem, ex eo qued Ecclesia jam tunc celebrabat b. Virginis ortom, se nibil dubitare, quia ortus ille sanctus fuerit; et nos ergo ex eo quod Reclesia ec-

lebrat festom conceptionis, nitiil dubitamus, conceptionem illam sanctam aliquo modo fuisse, ac saltem ratione officil, ad quod assumebatur.

Ad tertium dico duo:Prime, non esse absurdum, quod aliqua festa sint recentia, quandoquidem etiam saepe sunt recentia Del beneficia, propter quae festa instituuntur; vel saltem occasio festorum instituendorum potest esse recens. Unde etiam tempore Judacorum vario tempore varia sunt festa instuta, praeterea, quae Deus ipse per Moysem instituerat, ni patet de festo Sortiam propter liberalionem tempore Hester; et de alio festo ob victoriam Judith, et de festis dedicationum tempere Sa-Iomonis, et postea tempore Esdrae, et ultimo tempore Machabacorum, qued festum, licet recentissimum, Christus ipse honoravit, Joan. 10.

Dieo secondo: Festa sanctorum antiquissima esse, nt jam ostendimus. Fatemur tamen prius coepiese eelebrari festa martyrum, quam confessorum; et nonnulla etiam festa b. Mariae recentia esse. Nam sestum conceptionis tempore besti Bernardi coepit, sed non fuit publice receptum a tota Ecclesia, nisi post decretam Sixti IV. pontificis, quod habetur in Extravaganti; Cum prueexcelsa, de reliquiis, et veneratione sanctorum. Similiter festum visitationis in Ecclesia latina novum est. Fuit enim institutum ab Urbano papa VI. atque a Bonifacio IX. primum confirmatum. Deinde etiam a concilio basileensi sess. 43. quamquom utromque festum jam antea erat in calendario Graccerum.

Festum nativitatis b. Mariae longe antiquius est. Meminit enim ejus Petrus Damianus, qui tres sermones de co festo scripsit, et ante cum b. Gregorius, qui in Antiphonario, et Sacramentario annotavit officium, 8. die septembris pro natali b. Ma-

Festum annuncictionis adhue est antiquius. Exstat enim orațio s. Athanasii de saneta Deipara. ubi expresse meminit hujus festi.

Festum purificationis est etiam antiquissimum. Siquidem hujus celebritatis exstant erationes amphilochii, Gregorii mysseni, Chrysostemi, Cyrilli alexandrini, et Andrese cretensis apud Aloysium

Lipomanum, et Laurentium Surium. Denique festum essumptionis est etiam antiquissimum. Nam ejus meminit Gregorius in Antiphonatio, et Sacramentario, et ante Gregorium Andrens crotensis in oratione de hoc festo, quae exstat apud Lipomanum et Surium. Atque ante Andreae tempora exstat inter opera b. Hieronymi insignis sermo de festo assumptionis, qui quidem vel ipsi Hieronymo, vel ejus auquali Soparonio tribuitur.

Ad objectionem ergo ex Nicephoro et Paulo diacono, dico: Eorum verbu non pesse intelligi de prima institutione horum festorum, niei illi apertissime mentiantur. Quomodo enim instituit Justinianus festum purificationis, et Mauritius festum assumptionis, si utrumque festum erat institutum tempore Hieronymi et Chrysostomi, qui ducentis annis Justiniano antiquiores fuerunt? Praeterea lidem auctores ibidem dicunt; a Justino imperatore institutum festum nativitatis Bomini. At constat ex Ambrosio, Augustino, Leone, et altis, qui Justinum praecesserunt, festum nativitatis longe esse antiquius. Solum ergo imperatores illi addiderunt aliquid ad celebritatem, et fortasse praeceperunt civilibus legibus, ne ullus operaretur in illis solemnitatibus, cum tamen etiam antea legibus Ecclesiae dies illi festi sanciti essent.

Ad quartum, patet responsio. Non enim imperatores festa instituerunt, sed instituta jam festa ab Ecclesia, legibus etiam suis adjuverunt et ornarunt.

Ad quintum respondeo: Nicephorum non dicere, institutum fuisse. festum diem Justiniano, sed solum quotannis episcopum quendam constantinopolitanum solitum celebrare ejus memoriam. Id quod non cogimur intelligere de aliquo festo die, sed solum de laudatione Justiniani, quam ille episcopus admiscebat concioni suae, propterea quod Justinianus multa pia opera, et Ecclesiae utilissima fecisset. Addo praeterea, quidquid illud fuerit, sive festus dies, sive simplex laudatio, fuisse unius privati episcopi factum, quod non immerito reprehendi posset, praesertim cum ejus successores mox omiserint ejusmodi celebritatem.

#### CAPUT XVII.

# De vigiliis.

In profestis magnorum dierum consueverat Ecclesia vigilare et jejunare. Ac in primis vigilia paschae, quae nocte praecedente dominicam resurrectionis agebatur, semper celeberrima fuit; ut patet ex Clemente lib. 5. constitut. cap. 19. ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem; ex Eusebio lib. 6. histor. cap. 7. et ex aliis permultis.

De vigiliis autem in sanctorum honorem meminit Basilius in psal. 114. Hieronymus in lib. adversus Vigilantium, Burchardus lib. 13. decretorum, cap. 16. Bernardus serm. de vigilia s. Andreae, et de vigilia sanctorum Petri et Pauli, et Innocentius pontifex III. cap. 1. et 2. de observatione jejuniorum. Caeterum quoniam paulatim occasione nocturnarum vigiliarum, abusus quidam irrepere coeperant, vel potius flagitia, non raro committi: placuit Ecclesiae nocturnos conventus, et vigilias proprie dictas intermittere, ac solnm in lisdem diebus celebrare jejunia.

Finis quatuor Controversiarum generalium Tomi secundi.

LAUS DEO, VIRGINIQUE MATRI MARIAE

# INDEX SCRIPTURARUM

# EX VETERI TESTAMENTO

# NUMERUS PRIMUS CAPITA BIBLIORUM, SECUNDUS VERO PAGINAS INDICAT

#### **GENESIS**

Hic liber est historia quaedam patriarcharum, non liber dogmatum 385.

- Factum est vespere et mane dies unus 548.
- Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram 479.
- Crescite et multiplicamini 280.
- Quacumque die comederis, morte morieris
- Non est bonum hominem esse solum 235.
- 3. Posuit ante paradisum flammeum gladium 386. 387.
- Ipse coepit invocare nomen Domini 221.
- Noë vir justus fuit, atque persectus 84. Qui effuderit humanum sanguinem funde-9. tur sanguis illius 326.
- Ejice ancillam et filium ejus 193.
- Surrexit Abraham ab officio funeris 385. 23.
- Votum vovit Jacob 247.
- 38. Producite cam ut comburatur 326.
- 44. Ego hunc in fidem meam recepi 261.
- Sollicitudo patriarcharum qui cupierunt in terra promissionis sepeliri 358.
- 48. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedical pueris istis 452.

#### **EXODUS**

- Locus in quo stas terra sancia est 487.
- 12. Est enim Phase, idest, transitus Domini 549.
- 12. Celebrabitis hunc diem solemnem in generationibus vestris, cultu sempiterno 274.
- 19. Mense tertio egressionis Israël de terra Aegypti. in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Et, Estote parati in diem tertium 179, 552, ad 554.

- 20. Non habebis Deos alienos 476. 477.
- 20. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem 476. ad 478.
- 20. Non adorabis 442, 443.
- 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum 536. 537.
- 20. Non concupisces rem alienam, etc. 476. 477.
- 20. Deos aureos et argenteos non facietis mecum 476. ad 478. 480. 502.
- 21. Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur 326.
- Judices populi vocantur Dii 315.
- 28. Aaroni et filiis praecipitur, ut foeminali-bus lineis a renibus usque ad foemora tecti essent cum ingrederentur tabernaculum 179.
- 31. Pactum est sempiternum, signumque perpetuum 541.
- 32. Hi sunt Dii tui, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Et, Cras solemnitas Domini est 101. 102. 486. 490. ad 492.
- 32. Recordare Domine Abraham, Isaac et Israël servorum tuorum 452.
- 33. Moyses vidit posteriora Dei 479.

## LEVITICUS

- 19 Non morabitur apud te opus mercenarii tui usque mane 436.
- 21. Non radent caput neque barbam 301. 302.
- 23. Numerabitis ergo ab altero die sabbathi 553. 554.
- 27. Jussu Dei dantur Levilis decimae 195.

# NUMERI

Vota Nazaraeorum, qui seipsos Domino consecrabant 221.

- 6. Nazaraei in die consecrationis suae tondebantur 303. 304.
- 12. Murmuratores puniuntur morbo leprae 375.
- 18. In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars et haereditas tua 200.
- 18. Jubentur decimae dari levitis 195.
- 20. Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem? 95.
- 21. De serpente aeneo 472.
- 22. Aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via, evaginato gladio, adoravitque eum 444.
- 30. Si quis Domino votum voverit, non faciet irritum verbum suum 261.
- 35. Ego Dominus haereditas levitarum sum 200.

#### **DEUTERONOMIUM**

- 4. Non vidistis aliquam similitudinem etc.
- 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, etc.240.
- 6. Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies 446.
- 10. Non habuit Levi partem, nec possessionem 200.
- 15. Omnino indigens, et mendicus non erit inter vos 310.
- 18. Non sit maleficus, nec incantator inter vos 536. 537.
- 20. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem offeres ei primum pacem 332.
- 32. Numquid non ipse est Pater tuus, qui fecit et creavit te 88.
- 33. Qui dixit patri suo et matri suae, nescio vos, fratribus suis, ignoro illos, hi custo-dierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt 178.
- 34. Deus ipse corpus Moysi honoravit 466. Illudque abscondit 471.

#### **JOSUE**

- 5. Noster es, an adversariorum? 444.
- 13. Tribui autem Levi non dedit possessionem

#### **JUDICES**

- 3. Qui non noverant bella Chananaeorum, et postea discerent filii sorum certare cum hostibus, et habere consuetudinem praeliandi 327.
- 17. Sanctificavi et vovi Domino mille et centum argenteos, ut faciam sculptile atque conflatile 486. 492.
- 21. Non erat rex in Israël, sed unusquisque quod bonum sibi videbatur, hoc faciebat

# I. REGUM

15. Vade et percute Amalech 327.

- 21. Noluit Abimelech sacerdos dare Davidipanes propositionis comedendos, nist prius intellexisset eum ab uxore aliquandiu se continuisse 179.
- 31. Habitatores Rabes Galaad, audita morte Saul, jejunaverunt septem dies 357.

#### II. REGUM

- 1. David flevit et jejunavit pro Saule 358.
- 3. David jejunavit pro Abner. ibid.
- 12. Peccavi Domino. Deus quoque transtulit a te etc.376. 377.
- 12. David jejunavit pro filio suo infantulo, dum aegrotaret. ibid.

#### III. REGUM

- 8. Convertitque rex faciem suam, et benedixit Ecclesiae Israël. Omnis enim Ecclesia Israël stabat 95.
- Tu nosti solus omnia corda filiorum hominum 458.
- 17. Adfer mihi, obsecro, bucellam in manu tua 310.
- Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus sequimini eum, si Baal est Deus sequimini illum 492.
- Relictus sum ego solus. Et, Reliqui mihi septem millia virorum 101. 102.
- 22. 400. Prophetae erraverunt, ipso Domino protestunte 375.

# IV. REGUM

22. Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quae introducturus sum in locum istum 458.

#### I. PARALIPOMENON

- 23. Sacerdoles a domo et uxore abfuisse dicuntur tempore quo erant celebraturi 179.
- 28. Paravi domum ubi requiescat arca Domini 442. 443.

# II. PARALIPOMENON

15. Transibunt dies multi in Israël sine Deo vero, sine sacerdote et doctore et sine lege 101. 102.

## **TOBIAS**

- Vide auctoritatem libri hujus 53.
- 4. Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus 357.
- 12. Bona est oratio cum jejunio 299.
- 12. Ego obtuli orationem tuam Domino 448.

# JUDITH

De tempore quo contigit haec historia 53.

6. Omnis populus per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt 121.

#### HESTHER

- 9. Nulli liceat hos duos dies absque solemnitate transigere 545.
- 13. Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem 440. 446.
- 14. Ne tradas sceptrum tuum iis qui non sunt

#### **JOB**

- 5. Voca si quis est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere 452.
- 9. Verebar omnia opera mea 242.
- 14. Sive nobiles fuerint filit ejus, sive ignobiles, non intelliget 458. 459.
- 16. Rugae meae lestimonium dicunt contra me 91.
- 19. Miseremini mei, amici mei 452.
- 34. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi 321.

# **PSALMI**

- 2. Postula a me, et dabo tibi gentes, haereditatem tuam etc.115.
- 5. Sepulchrum patens est guttur eorum 358.
- 6. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum 395.
- 6. Sana animam meam, quoniam conturbata sunt ossa mea. ibid.
- 6. Anima mea turbata est valde. ibid.
- 6. Lavabo per singulas noctes lectum meum.
- 17. Et ero immaculatus cum eo 84.
- 18. In sole posuit tabernaculum suum 96.
- 24. Unicus et pauper sum ego 252.
- 25. Ecclesia malignantium 73. 74.
- 31. Tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno 84.
- 36. Non vidi justum derelictum 310.
- 27. Domine, ne in furore tuo arguas me 358.
- 39. Ego autem mendicus sum et pauper 307. 308.
- 47. Deus fundavit eam in aeternum 97.
- 53. Voluntarie sacrificabo tibi 268. ad 270.
- 65. Transivimus per aquam et ignem, eduxisti nos in refrigerium 338.
- 75. Vovete et reddite Domino Deo vestro 247. 248.
- 16. Numquid obliviscetur misereri Deus 388.
- 17. Cum occideret eos, quaerebant eum, et revertebantur 357.
- 81. Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat 73. 74. 315.
- 88. Ecclesia sanctorum 73. 74,

- 88. El ponam in sacculum sacculi semen ejus
- 88. Visitabo in virga iniquitatem corum, et in verberibus peccata corum, misericordiam autem meam non dispergam ab co. ibid.
- 88. Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.ibid.
- 98. Adoratae scabellum pedum ejus 442. 443.
- 108. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent 310.
- 108. Quia persequutus est hominem inopem, et mendicum 309.
- 109. Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum 369. 370.
- 109. Juravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech 118.
- 114. Circumdederunt me dolores mortis, etc. 395.
- 114. Placebo Domino in regione vivorum.ibid.
- 120. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi 448. 449.
- 126. Cum dederit dilectis suis somnum 378.
- 131. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus 442.
- 132. Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum 216.
- 142. Ne intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo etc. 242.

#### **PROVERBIA**

- 8. Per me reges regnant 315.
- 11. Ubi non est gubernator, corruet populus 316.
- Non contristabit justum quidquid ei acciderit 394. 395.
- 16. Sortes mittuntur in sinum,a Domino autem temperantur 153.
- 30. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi
  310.

#### **ECCLESIASTES**

- 7. Utilior est sapientia cum divitiis, et magis prodest videntibus solem 310.
- Viventes sciunt se morituros, mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem 389. 458. 460. 461.
- Quodeumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos 378. 389.
- Si ceciderit lignum ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. ibid.

# CANTICA

2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter flias 82. 88.

- 4. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te 84.
- 4. Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viventium 82.
- 6. Sexaginta sunt reginae.et octoginta concubinae, et adolescentularum non est numerus;una est columba mea,perfecta mea, una est matris suae. ibid...

#### SAPIENTIA

- 3. De hoc libro vide pag. 53.
- 3. Felix sterilis, et incoinquinata, quae nescivit thorum in delicto 230, 231.
- 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus 275.
- Nemo potest esse continens, nisi Deus del 187. et fuse 274.

#### **ECCLESIASTICUS**

- 10. Regnum a gente in gentem transferetur propter injustitiam 320.
- 11. Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas 424.
- 18. Ne vereris usque ad mortem justificari 389.
- 27. Propter inopiam multi deliquerunt 310.

# ISAIAS

- 1. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me 88.
- 1. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui, Israël autem me non congnovit. Et, A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas 104.
- 2. Conflabunt gladios suos in vomeres 328.
- 4. Purgabit Dominus sordes filiorum et filiarum Sion 287.
  9. Successa est augei irmis impietes augus et
- 9. Succensa est quasi ignis impietas, vepres et spinas devorabit. ibid.
- Assur virga furoris mei, et baculus ipse est. In manu eorum indignatio mea (usque ad id) cor ejus non ita existimabit 318. 319.
- 11. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiae 289. 290.
- 11. Non occident et non nocebunt in omni monte sancto 343.
- 11. In eum Gentes sperabunt 466.
- 19. In illo die cognoscent Aegyptii Dominum, et colent eum in hostis, et muneribus et vota vovebunt, et solvent 246.
- 40. Cui similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei 478. 480.
- 42. Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus 476.477.
- 43. Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram (usque ad) non cognovisti me 318. 319.
- 46. Cui assimilastis me? 479.
- 52. Non adjiciet ultra, ul pertranseat per te incircumcisus et immundus, recedite, recedi-

- le, exite inde. pollutum nolite tangere, exite de medio ejus 86. 87.
- 56. Non dicatEunuchus: Ego lignum aridum etc.
- Speculatores ejus caeci omnes, neque quidquam noverunt omnes sanes muti etc. et pastores ejus nihil sciunt 47. 104.
- 60. Ambulabuni gentes in lumine tuo. et reges in splendore ortus tui 315. 520. 521.
- 61. Et foedus perpetuum feriam eis, et scietur in gentibus semen sorum, et germen eorum in medio populorum omnes qui viderint eos, cognoscent illos quia isti sunt semen cui benedixit Dominus 97.
- 63. Tu es Pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos 458. 459.
- 64. Pannus menstruatae omnes justitiae nostrae 242.
- 66. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum 252.
- 66. Assumam ex eis sacerdotes et levitas 154.
- 66. Ignis eorum non extinguetur 388.

# HIEREMIAS

- 3. Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina 28.
- 6. A propheta usque ad sacerdotem, quisque sectatur mendacium 47.
- Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes templum Domini, templum Domini 101. 530. 533.
- 9. Cicumtonses in comam 301. 302. 304.
- 14. Prophetae mendacium prophetant in nomine meo 47.
- 15. Dixit Dominus ad me, si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea, ad populum istum 450.
- 23. Regnabit rex et sapiens erit, faciet judicium et justitiam in terra 324, 325.
- 27. Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor 318. 349.
- 31. Dabo legem meam in cordibus corum, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum 100.
- 35. De Rechabitis qui laudantur propter obedientiam 221, 234, 254.
- 48. Maledictus qui facit opus Dei negligenter 243.

# **EZECHIEL**

- 18. Cum aversus fuerit impius ab impietate sua omnium iniquilatum ejus non recordabor 378.
- 22. Conjuratio prophetarum in medio ejus, sicut leo rugiens qui rapit praedam, sacerdotes ejus violaverunt legem meam, et prophanaverunt sancta mea 47.
- Nabuchodo nosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna 318. 319.
- 33. Speculatorem domus Israël dedi te 45.

14. Non radent caput, neque barbam 301. 302. 304.

#### DANIEL

In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur 97. 533.

Deficiet hostia et sacrificium 101.

#### **OSEAS**

Ipsi regnaverunt, non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi 320.

Speculator Ephraim cum Deo laqueus Aucupis, odium in domo Dei 47.

11. Ex Aegypto vocavi filium meum 522.

# **JOEL**

Veniet dies Domini, dies tenebrarum 361.

#### AMOS

Post haec revertar, et reaedificabo taberna-9. culum David, quod decidit, et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud 534.

#### **JONAS**

Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur 388.

#### **MICHAEAS**

Ne laeteris inimica mea, nam si cecidi resurgam 358.

#### SOPHONIAS

Juxta est dies Domini magnus 361.

#### ZACHARIAS

Tu autem in sanguineTestamenti tui eduxi-9. sti vinctos tuos de lacu, in quo non est agua 358.

# MALACHIAS

Ipse sedebit, quasi ignis conflans, et purgabit filios Levi, el celabit eos 350.353.et 358

# I. MACHABAEORUM

De 1. et secundo libro Machabaeorum vide quae dicuntur 53. 355. 356. 450.

# II. MACHABAEORUM

12. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro de-

functis exprare, ut a peccalis solvantur 355. 356.

15. Judas vidit Oziam et Hieremiam orantes pro populo Judaeorum 450.

# EX NOVO

# Testamento

# MATTHAEUS

Joseph fili David, noli timere, accipere Mariam conjugem tuam 293.

2. Herodes turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo 241.

Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne 3.

Permundabit aream suam, et congregabit 3. triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili 81.

Dominum Deum tuum adorabis etc. 440. 4.

Beati pauperes spiritu 252. 5.

Non potest civitas abscondi supra montem 5. posita 96.

Audistis quia dictum est antiquis etc.ego au-5. tem dico vobis non resistere malo etc. 326.

Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio (us-5. que ad id) gehennae ignis 369. 370.

Esto consentiens adversario tuo cito dum 5. es cum eo in via etc. 367.

Nolite jurare per coelum, quia thronus Dei 5. est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus 487.

Oculum pro oculo 321. 326.

Si quis voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, da ei et pallium etc. 321. 324. 325.

Si quis te percusserit in unam maxillam, 5. porrige ei et alteram etc. ibid.

Solem suum oriri facit super bonos et ma-5. los, super justos et injustos 321.

Estote perfecti 232. 5.

Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum 520. 523.

Pater noster qui es in coelis 460. 461. 6.

Dimitte nobis debita nostra 84. 227. 7.

Nolite solliciti esse animae vestrae dicentes; 6. quid manducabimus? 304.

Quaerite primum regnum Dei 305.

Quam angusta porta est, et arcia via, quae ducit ad vitam 242.

10. Notile possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, non duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam 309.

10. Nihil tuleritis in via 200.

10. Non est discipulus super magistrum. ibid.

12. Non remitteiur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro 359.

13. Comparatur regnum coelorum terrae bonae, cujus una pars reddebat fructum centesimum, alia sexagesimum 230. 231.

13. Qui habet aures audiendi audiat 278.

13. Parabola de zizaniis 77.

13. Sinite utraque crescere usque ad messem 344.

13. Simile est regnum coelorum sagenae missae in mare ex omni genere piscium congreganti 81. 85. 97.

13. Qui potest capere capiat 274.

16. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam 65. 66.

16. Et tibi dabo claves regni coelorum 159.

- Portae inferi non praevalebunt adversus eam 45.
- 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum etc. 255.

17. Reges gentium a quibus accipiunt tributa etc. ergo liberi sunt filii 313. 314.

- 18. Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum etc. si eos non audierit, dic Ecclesiae, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus 18. 70. 85. 98. 99.
- Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum 24. 43. 44. 408.
- 19. Quos Deus conjunxit homo non separet 295. 296.
- Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est 187. 230. 231.
- 19. Sunt Eunuchi qui se castraverunt 230. 231. 260.
- 19. Si vis ad vitam ingredi serva mandata 232.
- Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus. Et sequere me 218. 232. 234. 253.
- Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum 239.
- 19. Quod impossibile est hominibus, possibile est apud Deum 243.
- 19. Ecce nos reliquimus omnia et sequuti sumus te, quid ergo erit nobis etc. Omnis qui reliquerit domum, patrem etc. 184. 233.

20. Multi sunt vocati, pauci vero electi 81.

- 21. Domus mea domus orationis vocabitur 518. 519. 522.
- 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. 240. 241.
- 22. Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo 196. 197. 315.
- 23. Quaecumque dicunt facile, quae faciunt nolite facere 85. 96.
- 23. Vae vobis duces caeci, qui dicitis, quicumque juraverit per templum nihil est, qui autem juraverit in auro templi debet; stulti et caeci, quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? 529.
- 23. Vae vobis scribae et pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulchra prophetarum 463. 464. 471.
- 24. Multi pseudopro phetae surgent et seducent multos 47.

- 24. Ecce in deserto est, nolite exire 297. 299.
- Quis est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam 67. 170. 315.
- 24. Beatus ille servus quem cum venerit Dominus invenerit sic facientem, amen dico vobis, super omnia bona sua constituel eum 451.

 Veniet Dominus ejus in die qua non sperat, et dividet eum. parlemque ejus cum hypocritis ponet 85.

25. Simile est regnum coelorum decem virginibus 81.

 Statuet oves quidem a dextris suis, koedos autem a sinistris 181.

25. Venite benedicti Patris mei (et de aliis) ite maledicti in ignem aeternum, quia esurivi et non dedistis mihi manducare etc. 378. 386. 387.

26. Omnes vos scandalum patiemini in me 104.

26. Tristis est anima mea usque ad mortem 395.

Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt 321. 326.

28. Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi 96.

#### MARCUS

10. Intuitus eum, dilexit illum 232.

10. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo, quo ego baptizor baptizari? 230. 251.

14. Sacerdos cum omnibus sacerdotibus et senioribus populi condemnaverunt Christum esse reum mortis 104.

15. Totus populus clamavit, crucifige. ibid.

16. Exprobravit incredulitatem corum, et duritiam cordis. ibid.

#### LUCAS

1. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 256. 257. 362. 363.

. Et regni ejus non erit finis 97.

3. Factum est verbum Domini super Joannem Zachariae filium in deserto, et venit in omnem regionem Jordanis.praedicans baptismum poenitentiae 298.

3. Neminem concutiatis, neque calumniam fa-

ciatis 332.

6. Mutuum date nihil inde sperantes 248.

Venit Joannes non manducans neque biben 298.

9. Nescitis cujus spiritus estis 344.

- 9. Sine mortuos sepelire mortuos suos 292.
- 11. Illi prophetas occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulchra 471.
- 12. Sint lumbi vestri praecincti. Et Vigilate 367.
- 12. Baptismo habeo baptizari 366.

- 12. Esto consentions adversario tuo cito dum es oum so in via, ne forte tradat te adversarius judici, el judez tortori, et mittaris in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde donec reddus novissimum quadrantem 367
- 14. Cum facis prandium, voca pauperes, debiles, claudos. caecos, qui non habent retribuere tibi, et beatus eris 312.
- 14. Si quis venit ad me, et non odit Patrem etc. non potest meus esse discipulus 292.
- 14. Misi quis renunciaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus 200.
  - 5. Redde rationem villicationis tuae 389.
- 16. Facile vobis amicos de mammona iniquitatis 369. 370.
- 16. Narratio de Lazaro 423. 429. 436.
- 16. Dives autem cum in tormentis esset 436.
- 17. Cum feceritis haec omnia, quae praecepta sunt vobis, dictie etc 242.
- 17. Regnum Dei non venit cum observatione, neque dicent ecce hio, aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos est 100.
- 18. Putas inveniet fidem in terra? 101. 102.
- 21. Videte ne graventur corda vestra crapula, et ebrietate, et curis hujus mundi 178.
- 22. Rogavi pro te Petre, ut non deficial fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos 45.
- 23. Memento mei dum veneris in regnum tuum 369. 370.
- 23. Hodie mecum eris in paradiso 379.

#### **JOANNES**

- 1. Tu quis es? Helias es tu? 298.
- 1. Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto 456.
- 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum. nt judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum 262.
- 3. Qui credit. non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est 378.
- 4. Venit hora, et nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierusalem adorabitis Patrem. Spiritus est Deus, qui eum adorant, in spiritu et veritate adorare oportet 520. 523.
- 5. Filius, quos vult vivificat. Item. Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit fitio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem 392. 393.
- 8. Operamini non cibum qui peperit, sed qui permanent in vitam aelernam 305.
- 6. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum 278.
- 6. Vultis et vos abire? 344.
- 8. Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis 84.
- 8. Qui facit peccatum servus est peccati, servus autem non manet in domo in aeternum, filius autem manet in aeternum, si ergo filius vos liberaverit, vere liberi eritis 322.
  - BELLARMINI Vol. II.

- 9. Me oportet operari donec dies est, venit autem now in qua nemo potest operari, quamdiu in mundo sum, tux sum mundi 388.
- 10. Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili 83.
- 10. Illos dixil Deos, ad quos sermo Dei factus est 108. 315.
- 11. Jesus moriturus erat pro gente. et non solum pro gente, sed etiam ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum 83.
- 12. Anima mea turbata est 395.
- 13. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos 243.
- Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponet quis pro amicis suis. ibid.
- Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem 43. 44. 98. 99.
- 18. Mitte gladium tuum in vaginam 344.
- 20. Sicul misit me Pater, et ego mitto vos 155.
- 20. Quia vidisti me Thoma credidisti, beati qui non viderunt et crediderunt 101.

#### **ACTA APOSTOLORUM**

- 1. Cecidit sors super Matthiam, et annumeratus est cum undecim apostolis 160. 161.
- Quem Deus suscitavii, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erut teneri eum ab illis 371.
- 5. Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate 223.
- 5. Cur tentavit Ŝatanas cor tunm mentiri Spiritui sancto? non es mentitus homini, sed Deo 253.
- 6. Et elegerunt Stephanum 159.
- 6. Et cum orasseni imposuerunt illis manus 160. 161.
- 7. Ecce video coelos apertos, et filium hominis etc. 428.
- 10. Surge, nam et ego ipse homo sum 440. 446.
- 14. Et cum constituissent illis per singulas civitales presbyteros 160. 161.
- 15. Conveneruut Apostoli, et seniores videre de verbo hoc; et Infra. Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia 29. 30.
- 15. Paulus transiens Syriam et Ciliciam praecipiebat populis ut custodirent praecepta Apostolorum etc. 33.
- 20. Una Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem 548.
- 20. Festinabat ut si quo modo possel, Penlecosten ageret Hierosolymis 551.
- Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguins suo 96. 171.
- 20. Scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupirapaces, non parcentes gregi 12.
- 21. Tota confunditur Hierusalem 241.

#### EPISTOLA AD ROMANOS

2. Reddet unicuique secundum opera sua 379.

- 3. Non sunt facienda mala, ut eveniant bona 533.
- 3. Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? 261.
- 3. Quid ergo, legem destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus 322.

6. Ut in novitate vitae ambulemus 366.

Stipendium peccati mors 375.

- 6. Liberati a peccato servi facti estis justitiae 250, 251, 322.
- Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati 242.
- 7. Si quod nolo facio.jam non operor illud 271.
- 7. Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae 272.
- 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus 82.
- Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? 456.
- 11. Conclusit Deus omnes in infidelilate 388.

12. Qui pracest in sollicitudine 315.

- 12. Non vos defendentes charissimi, mihi vindictam, et ego retribuam 328.
- 12. Nulli malum pro malo reddentes, et non vosmetipsos vindicantes charissimi 328.
- 13. Si male egeris'time, non enim sine caussa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram ei qui male agit 38.328.340.
- 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum 315.
- 13. Nemini quidquam debeatis nisi ul invicem diligatis 313 ad 315.
- 14. Omnis anima polestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est polestas nisi a Deo, quae autem sunt a Deo, ordinata sunt; itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; ideoque necessitate subditiestate, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam 315.

14. Alius judical diem inter diem, alius judical omnem diem 542. 544.

Quod non est ex fide. peccatum est 247.
 Salutant vos omnes Ecclesiae Asiae 73. 74.

16. Obsecto vos ul observetis cos, qui dissensivnes, et offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab eis, nam per dulces sermones et benedictiones, seducunt corda innocentum 338.

## I. AD CORINTHIOS

- 1. Significatum est mihi, quod contentiones sunt inter vos 85.
- 3. Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem 359. 360. 362. 363.
- 3. Nescitis quia estis templum Dei, et spiritus
  Dei habitat in vobis 523.
- 5. Cur non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri qui hoc opus fecil? 79.80.
- 5. Auditur inter vos fornicatio etc. tollatur de medio vestri 111.
- 5. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? 78.

- Membra vestra templum sunt Spiritus sancti. Item. Portate et glorificate Deum in corpore vestro 523.
- Delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos 321.
- 7. Propter fornicationem, unusquisque uxorem suam habeat 186. 271.
- 7. Qui se non continent, nubant 186. 273.
- 7. Hoc autem dico secundum indulgentiam 273.
- 7. Melius est nubere quam wri 271.
- 7. Bonum est mulierem non tangere 234. 272.
- De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do 234.
- 7. Si dormierit vir ejus. liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino 51.
- Bonum est innuptis et viduis, si sic permanserint, et qui nubit, bene facit, qui non nubit, melius facit 193. 234.

7. Si nupserit virgo. non peccavit 275.

- . Qui siatuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suac voluntatis 274. 278.
- Pretio redempti estis, nolite fieri servi hominum 256, 257, 313, 314.
- Arbitror hoc bonum esse propter praesentem necessitatem, et tribulationes tamen carnis habebunt hujusmodi 243.
- Mulier innupta, el virgo, cogitat quae Domini sunt, quomodo placeat Dco, ut sit sancta, el corpore et spiritu 235.
- Non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem praebeat, sine impedimento Dominum obsecrandi 269. 270.
- 7. Cui vult nubat tantum in Domino, beatior autem erit si sic permanserit 235. 267.
- Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, unus sic, alius vero sic 235. 274.
- Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi et jejunio, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Salanas propter incontinentiam vestram, hoc autem dico secundum indulgentiam 293.
- 7. Si quod nolo facio, jam non ego operor il lud 271.
- Scimus quia nihil est idolum in mundo 474.
   Nunquid non habemus potestatem sororem
- mulierem circumducendi, sicut caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Caephas 184.
  193.
- 9. Quae est mens mea, ut Evangelium praedicans, sine sumptu ponam Evangelium? 236.
- Melius est mili mori, quam ut gloriam meam quis evacuel, nam etsi evangelizavero, non est mili gloria. ibid.
- Ut non abutar potestate mea.Et. Ne offendiculum ponam. ibid.
  - Castigo corpus meum et in servitutem redigo 272,

- 10. Nos sumus, in quos fines saeculorum devenerunt 183.
- 10. Unus panis, el unum corpus multi sumus 86.87.
- Non potestis mensae Domini, et mensae daemoniorum participes fieri 521.
- 11. Ideo inter vos sunt imbecilles, et dormiunt multi 376. 377.
- 11. Oportel hacreses esse 344.
- 12. Omnes nos uno spiritu in unum corpus batizati sumus 82. 84. 86. 87.
- 15. Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt 366.
- 16. Mancho Ephesi usque ad Pentecosten 551.

#### II. AD CORINTHIOS

- Scimus, quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, aedificationem ex Deo habemus 379. 425.
- Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati, eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri 425.
- 5. Et si novimus Christum secundum carnem, sed jam non novimus 472.
- 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum 379. 389.
- 5. Vos estis templum Dei vivi 523.
- 6. Et recipiam vos, dicit Dominus 86. 87.
- 8. Unus Dominus 313. 314.
- 8. Propter vos egenus factus est, cum esset dives 307. 308.
- Si voluntas prompta est secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet 311.
- Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus 268.
- 12. Virtus in infirmitate perficitur 272.
- 12. Datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus Sathanae, qui me colaphizel, propter quod etc. 272.

#### AD GALATAS

- 3. Non est Judaeus, neque Graecus etc. omnes vos unum estis in Christo 151.
- 3. Omnes filii Dei estis per fidem in Jesu Christo, quicunque enim baplizati estis, Christum induistis 82.
- 4. Quod si filius, et haeres per Deum 81.
- 4. Filioli mei, quos iterum parturio 88.
- 4. Ejice ancillam et filium ejus 193.
- Iis qui natura non sunt Dii serviebatis 140.
   446.
- 5. Qui talia agunt regnum Dei non possidebunt 388.
- 6. Quae seminaverit homo, hace et metet 389.

# **AD EPHESIOS**

1. Elegit nos in ipso, ut essemus sancti 84.

- 4. Posuit in Ecclesia primum Apostolos etc. 29. 30.
- 4. Et ipse dedit quidem quosdam Apostolos etc. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis 96.
- 4. Unus Deus, una Fides, unum Baptisma 313. 314.
- 4. Magis autem laboret operando manibus suis 304. 305.
- 4. Ascendens in altum, captivam duxil captivitatem 426. 427.
- 5. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam 68.
- 5. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam 84.
- 5. Sacramentum hoc magmum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia 297.
- 5. Mundans eam lavácro aquae in verbo vitae
- 6. Filii obedite parentibus 292.

#### **AD PHILIPPENSES**

- 1. Qui sunt Philippis cum episcopis et diaconibus 170,
- 1. Cupio dissolvi, et esse cum Christo 428.
- 2. Omnes quaerunt quae sua sunt 47.82.
- Superiores invicem arbitrantes 256, 257.
   Ouicumque perfecti sumus hoc sentiams
- 3. Quicumque perfecti sumus hoc sentiamus. Et. Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim 84. 391.
- 3. Imitatores mei estote 47.
- 4. Germane compar adjuva illas 184.
- 4. Quaecumque sunt vera, et haec cogitale, quae et didicistis 243.

#### AD COLOSSENSES

- 1. Pacificans per sunguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis 506.
- 1. Dignos nos fecil in partem sortis sanctorum 149. 150.
- 2. Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum etc. 457. 458.
- 2. Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte dici festi 542.
- Chryrographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci 506.
- 2. Habeto honorem corpori 297. 300.
- 2. Apostolus reprehendit omnem superstionem 247.
- 3. Charitas est vinculum perfectionis 323.
- 3. Filii obedite parentibus per omnia 255.
- 3. Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes 256. 257.

# I. AD THESSALONICENSES

- 4. Consolamini invicem in verbis istis 260.
- 4. Operamini manibus vestris 305.
- 5. Prophetias nolite spernere, omnia probate, quod bonum est tenete 339.

5. Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus conservetur 218.

#### II. AD THESSALONICENSES

2. Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati 101.

 In omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus 136.

#### I. AD TIMOTHEUM

- 1. Regi sacculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria 446.
- 1. Quidam circa fidem naufragaverunt 77.

1. Finis praecepti charitas 323.

- Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus 520. 523. 524.
- 2. Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus 457.
- Jubet Apostolus nominatim orari pro regibus 315.
- Oportet episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum 192.
- 3. Haec tibi scribo. filii Timothee,ut scias, quomodo te oporteat conversari in domo Dei vivi, columna et firmamentum verilatis 45. 67. 98. 99.
- 3. Qui domui suae bene praesil, el filios habeat subditos in omni castitate 178, 201.

3. Diaconi sint unius uxoris viri 193.

3. Mulieres similiter pudicas non detrahentes etc. 195.

4. Prohibentium nubere 183.

- 4. Noli negligere gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum presbyterii 117. 151. 171.
- 4. Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem 529. 536.
- 5. Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt 261.

5. Volo juniores nubere 272, 273.

- 5. Adolescentiores viduas devita, cum enim luxuriate fuerint in Christo nubere volunt 262. 289 ad 291.
- Adversus presbyterum accusationem noli accipere. nisi sub duobus, aut tribus testibus 170.
- 5. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor 189. 190.
- 6. Radix omnium malorum est cupiditas 218.

# II. AD TIMOTHEUM

- 1. Resusciles gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum mearum 151.
- 2. In magna domo, sunt vasa aurea, et argentea, et lignea, et fictilia 77.
- Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus 179.
- 2. Firmum Dei fundamentum sunt, habene si

gnaculum hoc, novit Dominus qui sunt ejus 83.

3. Hos devita 338.

#### AD TITUM

- 3. Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros etc 171.
- Oportet episcopum esse sine crimine hospitalem, benignum, sobrium, justum, continentem etc. 171, 179, 192.
- Haereticum hominem post unam, et alleram admonitionem devita 76. 338. 345.

#### AD PHILEMONEM

Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino Jesu. et in omnes sanctos 457.

Ne veluti ex necessitate bonum tuum sit,sed voluntarium 268.

#### AD HEBRAEOS

- Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati. iterum renovari ad poenitentiam 381-382.
- Hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam 326. 327.
- 10. Non descrentes collectionem nostram 297.

10. Adjuvemus nos invicem 297.

11. Ili omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones 121. 122. 128.

12. Non accessistis ad montem Sion etc. sed ad Sion montem et Hierusalem coelestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum.qui conscripti sunt in coelis, et spiritus justorum perfectorum, etc. 100. 428.

13. Nonorabile connubium in omnibus 184.

- 13. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviuni 521.
- 13. Obedite praepositis vestris 315.

# **JACOBUS**

 Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus etc. 375.

# I. PETRI.

- El ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis 100.
- 2. Subjecti estote omni humange creaturae propter Deum 256. 257.

5. Non dominantes in cleris 149. 150.

5. Pascile qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacle, sed spontance etc. neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo 152.

#### II. PETRI

1. Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obilum meum, ut horum memoriam faciatis 450.

 Fuerunt et pseudoprophetae in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducunt seclas perditionis 47.

#### I. JOANNIS

- 2. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis
- Nam si fuissont ex nobis, mansissent utique nobiscum 83. 90.
- Quicquid est in mundo.aut est concupiscentia carnis. aut concupiscentia oculorum, sed superbia vitae 218.
- 3. Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus 298. 428.
- 4. Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo 218.
- 4. Omnis qui diligit, ex Deo natus est 84.
- 4. Perfecta charitas foras militi timorem 390.

#### II. JOANNIS

Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non adfert, nolite recipere in domum, nec ave ei dixeritis 338.

#### **APOCALYPSIS**

2. Qui vicerit, et custodierit usque iu finem o-

- pera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget cas in virga ferrea 451.
- 2. Joannes septem Ecclesiis quae sunt in Asia etc. 85.
- 4. Virgines cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest 275.
- 5. Viginti quatuor seniores prociderunt coram throno Dei 450.
- 6. Vidi sublus allare animas interfectorum propter verbum Dei 421. 422. 428.
- 6. Dantur singulis stolae albae 428.
- 6. Animae sanctorum marlyrum petunt vindictam de interfectoribus suis 462.
- 7. Hi qui amici sunt stolis albis, sunt ante thronum Dei 428.
- Nolite nocere terrae, neque mari.neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum 510. 511.
- 12. Peperit Filium, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea 451.
- 14. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati 237. 238.
- 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis 379.
- 14. Habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus in frontibus suis 275.
- 19. Vide ne feceris, conservus tuus sum 440.
- 21. Et templum non vidi in ea 520. 522.
- 21. Fundamenta duodecim in aedificio Ecclesiae 466.

# **INDEX**

# RERUM NOTABILIUM

#### A

Aaronis peccalum in adoratione vituli 102. Aaronicum sacerdotium quale 154. 155. 168. 169. quanto tempore duravit 118.

Abnegatio sui duplex 234.

Abrahae sinus 432.

Abulensis in 4. cap. Deut. quaest. 5. asseruit (et male) non recte fieri, ut imagines Dei ab Ecclesia tolerentur 478.

Adam fuit principium materiale, et formale Ecclesiae 102.

Adoratio latriae etiam Christo convenit 441.

Adorationis species. ibid. 501.

Adoratio in spiritu et veritate 101.

Adversarius noster quis 367.

Adulterorum poena 186.

Aughterorum poena 18 Aerii haeresis 123.

Ambilio 131. 132. 282. 283. Item haeresis 549.

Afri Catholici Romanorum nomine designantur
436.

B. Agnes excitavit quendam aeternae damnationis reum 399.

Alberto imperatore fuit actum concilium florentinum 18.

Alexandro Megno quid responderit pyrata quidam 313. 314.

Altarium lapideorum erectio antiqua, et eorum consecratio 168. 169. 529. qui meminerint altaris 521.

Sub altaribus reconduntur reliquiae sanctorum 467. 470.

Amanti quomodo dulcescant rocnae 391.

B. Ambrosius in psalm. 36. videtur sensisse o-

mnes, tam bonos, quam malos post hanc vitam transituros per ignem purgatorii, quae opinio nec improbatur ut error, nec asseritur ut vera 386. 387.

Idem asseruit lib. 1.de Cain, Moysen adhuc vivere 399.

Idem asseruit in 1. cap. ad Rom. Deum non egere suffragatore, sed mente devota (intellige ex parte Dei non ex parte nostra) 456.

Amor Dei habet multos gradus 165. 166. Amor Dei ex toto corde, anima etc. 240

Anachoretse 166. Vide v. Eremitse.

Angeli invocantur 452. adorabantur loco Dei a Platonicis 457. an recte pingantur 483. visi sunt in forma humana. *ibid*.

Ipsorum praesentia in templis 530.

Angelis comparantur virgines 267. adhibetur adoratio 442. 443. 446. an templa illis dedicanda 325. 520.

Inter angelos praefectura et subjectio 320.

An ex revelatione angelorum sancti cognoscant nostras preces 459.

Anima Samuelis apparuit Sauli 397.

Variae animarum apparitiones 376. 377. 399.

Anima quomodo dicatur tota pulchra 84. subjectum et caussa efficiens peccati 400.401.concurrit principaliter ad opera bona et mala 437. Quod sine corpore nunc beatificetur nulla estinjustitia 436. ipsius inclinatio ad corpus secundum Augustinum et Bernardum facit, ut ante resurrectionem non potuit tota vi ferri in Deum 433. ad 435.

Animae judicantur statim ac exeunt a corporibus 392. exempla a quo et ubi 391. ad 393.

Animae purgatorii non possunt mereri, nec pecca-

re 389. possunt dici perfectae et imperfectae. 396. non sunt in via, sed in termino, et quomo do 391. Quibus rebus juventur 402. 406. quipus torqueantur 403. orandae pro nobis cum nesciant quid agamus in particulari 405. orant pro nobis 405. 452. aliquando fuerunt redditae corporibus, et quae 399. aliquando etiam animae ex inferno fuerunt redditae corporibus 399. utrum idem dicendum de animabus beatorum. ibid. et de animabus in lymbo 399.

Animae quae in coelo sunt orant pro animabus

quae sunt in purgatorio 399.

Animae gloria an major futura sit post resurrectionem quam ante 433.434. Immortalitas animae et resurrectio corporum fuit habita eadem quaestio 357.

De anima perfecta agitur in Canticis 82.

Anni lunares 430. Vide de paschate Judaeorum 557.

Annorum supputatio a Seleuco, vel ab Assuero 40. 45.

Antichristi miracula 136.

Antichristus discessio appellatur 103.

Tempore ipsius pauci erunt fideles. ibid.

Antichristum quo tempore apparuisse dicant haeretici 112. 113.

Antonius non fuit primus monachus 221. sed primus eremita 223. conversio ipsius 233. 299.

Antonii sententia in fine vitae 338. pallium ipsius in veneratione habetur 467.

Apostoli ordinati episcopi a s. Petro 133.

An erraverint omnes circa fidem tempore passionis Domini 104. Primitiae sacerdotii secundum ordinem Melchisedech, honorabant tamen illud Aaronicum 188. pauci homines contemptibiles totum mundum traxerunt 129. dicebantur omnes veri episcopi tempore Apostolorum 170. an uxores habuerint 184. an fuerint virgines 267. Primi monachi Christiani fuerunt 223. Vide etiam 253. Primi praedicatores 361. excitarunt aliquos Ethnicos 399. electi 26. a Christo 117. Apostolorum paupertas 309.

Angustia tempore passionis 329.330.an more ipsorum vivere teneamur 232.An omnium Apostolorum finem ex divinis literis habeamus 462.Ipsorum basilicas qui aedificarint 524.Ipsorum dies

festi celebrari mandantur 556.

Illis quomodo succedant episcopi 117.

Apostolica dicitur Ecclesia 116. Vide v. Catholicus.

Appellatio ad summum pontificem episcoporum est 391. 392. 393.

Appellatio ad imperatorem non datur episcopis 39.

Appellatio a concilii generalis decretis non datur 45.

Appellatio a concilio ad papara 49.

Appetitus concupiscibilis et irascibilis, naturalis et animalis 218.

Aquae benedictae institutio 537. miracula per illam 536.

Arcae Noë comparatur Ecclesia 82. 86. 87. 114. Arcae aderatio 442. 443.

Arca ubi conservabatur 525. 526.

Arii haeresis 21 22. 111. 122. Ambitio 131. 132. Exilium 340.

Arios duos excogitavit Sulpitius 16. 39.

Ascensionis festus dies 555.

Athanasius non fuit praeses in concilio nicaeno 35. Vide 52. 69.

B. Augustinus institutor religionis clericorum regularium 219. et monastici ordinis 223. episcopatum fugiebat 227. humifitas 316. miracula 134.

Augustinus ambigere videtur, an sinus Abrahae in inferno fuerit, an alibi 432.

Idem quid dubitet de purgatorio 385.

Idem aliquando dubitavit de loco ubi sint animae beatorum 423, 432.

Idem sanctorum animas, dixit videre quidem Deum, sed non ita perfecte ut post resurrectionem 433.434.

Vide quare reprehenderit sepulchrorum adoratores 473. item picturarum adoratores 536.

Aureus numerus quando compositus 551. 552.

ŀ

Baptismus est unum ex requisitis ad Ecclesiam constituendam 88. Diluit peccata, non solvit conjugia 194.

Parvulis non baptizatis.qui moriuntur,invenit Pela-

gius locum quendam 380.

Baptismus haereticorum, et ab illis collatus 116. 537.

Per Baptismum homines flunt membra Christi 76, et Ecclesiae 89.

Errores haereticorum circa Baptismum 122. 123. Miraculum factum in confirmatione veri Baptismi 137. 138.

Inter Baptismum et religionis professionem quaedam similitudines 226. 227.

Promissio-quae fit in Baptismo, non est proprie votum 230. 251.

Baptizari pro mortuis quid sit 365.

Babtismus lachrymarum et poenitentiae 366.

Baptismus ablutionis et absolutionis quomodo varie remittant peccata 381. 382.

Qui mox a Baptismo moriuntur nullam sentiunt purgatorii poenam 386. 387.

Basilicae aedificantur et dedicantur martyribus 518. 519. 524.

Discrimen inter basilicam et templum 323.

Busilius episcopus auctor cujusdara ordinis monastici 221. 223.

Sub Basilio imperatore fuit actum concilium IV. constantinopolitanum 17.

Bartholomaeus Caranza in summa conciliorum canon.109.VI. synodi, errat dicendo VI. synodum prohibere imaginem Christi in forma agni, et Spiritus sancti in forma columbae 479.

Beatorum animae vident Deum ante diem judieii 298.

Beatorum spiritus post mortem, ante resurrectionem accipiunt potestatem in gentes 451.

Beatitudo an major futura post resurrectionem 433. 434. includit certitudinem de non amittenda unquam felicitate 399. vocatur Domus 425.

Ad perfectam beatitudinem pertinet scire ea quae ad se pertinent 459.

Bellum Christianorum pro terra sancta recuperanda

Bellum gerere aliquando licet Christianis 326. Quot sint, et quae justi belli conditiones 331. Licere bellum gerereChristianis contra Turcas 333.

Benedictio Aquae, Salis, Cinerum, etc. 535.

Recte benedici Aquam, Oleum, Panem, Cereos, Ci-

neres, Ramos et similia 536. Objectiones Calvini et solutiones 535.

Recte ad effectus supernaturales efficiendos, et significandos, nos uti aqua, oleo, aliisque rebus benedictione consecratis 536.

Solvuntur objectiones Heshusii 537.

Benedictus clarus prophetiae dono 140. laudatur.

Bernardus clarissimus miraculis 135.. Prophetia 139. laudatur etiam ab Haereticis. ibid.

Defenditur cum loquitur de die festo. Conceptionis b. Virginis 556.

C

Caiphas an verus pontifex 118. Caiphae sententia de Christo 49. 50. 104. 133. Calendarii error 551.

Calvinus brevi invaluit 87. In plerisque locis asseruit se toti antiquitati repugnare 119.120. Ipsius haereses de Christo 96. 160. 161.et miraculum tentatum 134. Mors 140.

Candela quae sola accensa conservatur in triduo ante Pascha 104. Vide v. Cerei.

Canones sex conciliorum, quae videntur asserere continentiam clericis in sacris constitutis non esse praecipiendam 186.

Canones sextee synodi falso adscribuntur sextae synodo 17. 53.

Canonistarum error de decimis 196. 197.

Canonizatio sanctorum 437.

Quae dicuntur in canticis de sponsa, non necessario intelligenda sunt de Ecclesia 82.

Capacitus et incapacitus 278.

Cardinales. Antiquitas et significatio nominis cardinalium 173. antiquitas et varietas officii. 174. 175. comparatio cum episcopis 176.

Ratio eligendi summum pontificem per solos cardinales, est omnium optima, et merito conservanda, etsi absolute possét pontifex eam mutare si vellet. 162.

Si casu aliquo omnes cardinales simul perirent, jus electionis ad episcopos vicinos, et clerum remanum pertineret, cum dependentia tamen aliqua a concilio generali episcoporum 163.

Cardinales eligunt summum pontificem 162.

Caritas est vinculum perfectionis 218. est radix omnium bonorum. ibid. augetur in genere gratiae et gloriae 390.

Caritatis quatuor gradus 218.

Ad opera caritatis non obligantur homines privati, nisi quando se offert occasio 365.

Caritati an repugnet timor 390.

Bellarmini Vol. II.

Carnis concupiscentia, item tentatio 187.

Carolus Magnus et Pipinus patet 56.

Carolus Magnus imperator constitutus 56. illi concessum jus eligendi summum pontificem 163. ipso imperante fuit actum concilium francofordiense 19. Basilicae ab ipso fabricatae 531. 532. tamquam sanctus colitur. ibid. adoravit sepulchra Apostolorum 315.

Caroli IV. basilicae ab ipso fabricatae 531, 532.

Carpocratianorum errores 128. 368. 486.

Catechumeni an sint de Ecclesia, et an possint salvari 75. non dicebantur fideles 293. ipsorum scrutinia in quadragesima 276. 277.

Pro catechumenis an orandum et sacrificandum .407.

Cathedra s. Petri 119, 120, 125, 126,

Cerei paschalis benedictio 536.

Cereorum et lampadum usus 470. 472.

Cerlitudinis tres gradus 392. 393.

Character baptismatis an faciat hominem haereticum esse actu in Ecclesia 78. 407.

Cherubim veneratio 487.

Chorepiscopi 177.

Christiana perfectio. Vide Perfectio.

Christiani nomen 94. 110. In primitiva Ecclesia ex voto vivebant vitam communem 253.cur viribus in bello inferiores plerumque sint 320.

Christianorum Ecclesiae quare non vocantur templa ab Apostolis, item a Patribus 520. 522. Arma praecipua fides et oratio 324. 325. cultus spiritualis 523.

Christianorum tria genera, haerelici occulti, mali et boni catholici 91.

Christianis neque licet illa pluralitas uxorum 491. non est illicitum judicia-publica-exercere 324. 325.

A Christianis coepit initium persequationis Diocletiani 51.

Christiani laudantur etiam ab ipsis Paganis, Judaeis , Mahumetanis et Haereticis 137 ad

Christiano principi licet leges condere 321.

Christus descendit ad inferos 437.

Summus sacerdos semel se obtulit pro nobis in cruce, et nunc se offert per manus sacerdolum 506. dicitur altare 529.

Habuit omnem auctoritatem 67.

Plusquam homo dicitur a Josepho 139.

Quomodo sequendus 234.

Vivens profuit viventibus, mortuus mortuis, vivens mortuis, et mortuus viventibus 404.

Sponte elegit sibi crucem 506. 512.

Anima ipsius repleta scientia et gratia 437.

In Christi nomine congregare concilia quid sit

Adventus primus sine observatione 100.

Tempore Passionis Christi an fides remanserit in Apostolis et caeteris 104.

Nativitas attulit pacem mundo 91.

Meritum ipsius quomodo applicetur 381. 382.

Memoria humanitatis Christi 472.

Imago ipsius an pingenda, et quomodo 478.479. Variae imagines Christi variis modis depictae in calicibus et alibi 481. 484, 485.

Imago Christi aenea erecta ab Haemorrhoissa 489.

Par Christom impetrant nobis sancti quidquid impetrant 448. 449.

Cibi immoderata sollicitudo 305.

Ciborum delectus 123. Vide de sanguine et suffocato 33. 49. 50.

Circumcisionis quaestio in concilio hierosolymitano 33.

Circumcisionis Domini festus dies 555.

Clavus quem Helena ad Constantinum misit 507. Clericus. De nomine clerici et laici 149. 150.

Clericis licet habere possessiones 199.

Licet illis retinere proprium patrimonium 201.
Clerici quomodo ad concilium convocentur 28
ad 30.

Clerici non debent domi suae habere mulieres 181. 182. 185. 187.

Qui bona patrimonialia habent, an simul habere possint bona ecclesiastica 201.

Clerici in sacris tenebantur olim alere suas uxores, licet se separaverint quoad thorum 186.

Poena ducentium uxores 188.

Habitus 303. ordines 164. antiquitas 165.

Clericis debentur decimae 195.

Licet habere possessiones quae dono laicorum possident 199.

Clericatus honor an prosit ad salutem 151.

Clerus an, et quomodo habuerit potestatem eligendi episcopos vel pontificem 162.

Clerus Christianorum forte major est quam sexagesi na pars christiani populi 199.

Coelibatos. Vide etiam v. Continentia. Sit ne jure divino annexus sacris ordinibus an non 178.

Jure apostolico rectissime annexum ordinibus sacris 178.

Argumenta haereticorum contra coelibatum, ex Scripturis petita 183, 271.

Argumentum ex historia Paphnutii 185. alia de Paphnutio 33.

Ex epistola s. Udalrici 188.

Ex conciliis et canonibus 186.

Ex difficultate coelibatus 187.

Poena incontinentium sacerdotum 188.

Coelibatus in Ecclesia a Judaeis coepit 267.

Coelibatus possibilitas 398.

Ex coelibatu an sequantur absurda 279.

Coelum dicitur velum Deitatis 426. 427.

Cogitationes hominum quomodo cognoverint sancti quidam 459.

Concilia. De concilis qui scripserunt 13. 14.

De nomine concilii atque origine 15.

Partitio conciliorum duplex. ibid.

Concilia generalia approbata. *ibid.* Item reprobata 18. Item partim confirmata, partim reprobata 19. concilio nec manifeste probato, nec reprobato 20.

Concilia ob sex caussas celebrantur. ibid. Utrum sint necessaria concilia generalia. ibid.

Concilia episcoporum aliqua simpliciter esse necessaria 23.

Cujus sit congregare concilia. ibid.

Solvuntur argumenta haereticorum, quod non sit papae indicere concilium 26.

An non liceat concilium indici ab alio, quam a pa-

pa, quando sit necessarium Ecclesiae; et tamen papa nolit illud indicere 27.

An non liceat concilium indici ab alio, quam a papa, quando Papa non debet indicere, co quod sit haereticus vel schismaticus 28.

An non liceat concilium indici ab alio, quam a papa, quando papa non potest illud indicere, eo quod sit captivus apud infideles, vel mortuus, vel insanus effectus, vel renuntiarit 27.

Quinam sint ad concilium convocandi 28.

Quot episcopi requirantur ad generale concilium 32.

Episcopos in conciliis non consiliarios, sed judices esse. ibid.

Argumenta baereticorum 33.

Cujus sit generali concilio proesidere 34.

Praesides antiquorum conciliorum. ibid.

Argumenta baereticorum, quod papa non praesideat conciliis 38.

Conditiones quas in conciliis requirunt Lutherani 41.

Concilia generalia, a pontifice confirmata, errare non posse, nec in fide, neque in moribus 43.44.

Concilia etiam particularia, a pontifice approbata, errare non posse 46.

Argumenta adversariorum ex Scriptura 47. ex Patribus. ibid. ex conciliorum erratis 49. 50. Ratione 57. 58.

Concilia particularia non probata a summo pontifice, non omnino certam fidem facere 59.

Concilia generalia ante confirmationem summi pontificis, quaenam errare possint 60.

An sit major auctoritas concilii, quam Scripturae 62.

An concilium sit supra pontificem 63.
Summus pontifex est supra concilium 64.67.

Non esse in concilio summam potestatem 65. 66.

Pontifex nec a concilio, nec a quoquam mortalium judicari potest aut puniri 67.

Neque potest seipsum subjicere sententiae coactivae conciliorum 69. Solvuntur argumenta. ibid. Concilium generale errare potest in quaestionibus

facti, non juris 48 ad 50.

Ad generale concilium quatuor conditiones requiruntur 32.

Concilio generali repraesentatur universa Ecclesia 45.

Concilii generalis sententia in caussa fidei, est ultimum Ecclesiae judicium 45. 46. ubi multa de proprietatibus et attributis concilii generalis.

Concilium generale cur errare non potest 60. 61. Conciliis plenariis qui non acquiescunt, excommunicandi 46.

Decreta legitimorum generalium conciliorum sunt a Spiritu sancto ibid.

Potius moriendum, quam recedendum a decretis generalium conciliorum.ibid.

Concilia generalia postularunt Lutherani, et postea contempserunt, et damnarunt in praefatione.

Concilia provincialia absolute possunt errare, et quae erraverint 59.

Concilia particularia an possint censere de hacresi secundum se, et definire dogmata vere dubia 60.

Concilium particulare non expresse confirmatum. an faciat argumentum probabile 59.

Concilia particularia, plenariis cedere debent 487. Concilia episcopalia ordinarie non instituunt dogmata fidei 48.

Concilia prima fiebant sumptibus publicis 27.

Concilium debere constare ex vere piis et electis. falsa sententia est 28.

Concilium legitimum potest errare in iis, quae non legitime agit 48.

Concilia possunt emenderi quoed praecepta morum, non quoad dogmata fidei. ibid.

Concilia varia quae haeretici errasse dixerunt 49.50. Concilia priora an emendentur a posterioribus 48. **53.** 57. 58.

Concilia legitima fuisse, unde cognoscamus 59. Conciliorum decreta in multis different a Scriptura sacra 62.

Conciliorum canenes an ejusdem auctoritatis epistolis decretalibus 63.

In conciliis quae pars ad adem pertineat, et quae non 62.

Missio legatorum ad concilia 60. 61.

Concilia varia. Antiochenum 18.

Ariminense 18. 21. 22. 34. 103.

Basileense 19. 57. 58. 61. 63.

Chalcedonense 16. 26. 37.

Constantinopolitanum I. 16. 26. 35 53.

Aliud Constantinopolitanum 17. 38.

Constantinopolitanum III. sub Constantino IV 38. Coustantinopolitanum sub Leone Isauro 19.

Constantinopolitanum aliud sub Constantino Copronymo 19. 94, 486.

Constantiense 19. 57. 58. 71. 72.

**Ephesinum I. 16. 26. 36. 37.** 

Ephesinum II. 19.

Ephesinum III. non datur, contra quosdam qui dicunt, Constantinopolitanum sub Copronymo fuisse Ephesinum III. 404.

Florentinum 18.

Franciordiense 19. 54. 486. 494.

Hierosolymitanum tempore Apostolorum 33.49.30.

Lateranense I. 18.

Lateranense II. ibid.

Lateranense III. ibid.

Lateranense IV. 57. 58.

Lateranense V. 18. 68.

Lugdunense I. 18.

Lugdunense II. ibid.

Mediolanense 48.

Nicaenum I. 15. 35. Vide eliam de auctoritate et laudibus niczeni concilii quae dicunt Patres 45. Item 48. 51. 62.

Nicaenum II. 17. 38. 54. 487.

Pisanum 19. 20. 63.

Quinisextum 19. 179. 180.

Sardicense 19. 27. 52.

Syrmiense 19. 52.

Tridentinum 18.

Trullanum 179, 188.

Viennense 18.

Wirtembergense 19.

Concilium pontificum Judaeorum contra Christum **49**. 50.

Concordia est signum regni Def 102.

Concubinae nomen quomodo accipiatur interdum 53.

Episcopi vel presbyteri concubinarii 192.

Concupiscentia carnis an peccalum 122. 271.

Concupiscentia et membrorum inobedientia ex peccato nata est 229. Edomatur jejunio 300.

Concupiscentiae motibus non consentiendum 227.

Item illius motus involuntarii poenae sunt 242. Conjugium simpliciter prohibetur sacerdotibus, atque hominibus in sacris constitutis: Monachis, et lis qui se voto virginitatis obstrinxerunt 33.52. 478.Item 260.usque ad 268. Item 286.Vide Clericus, v. Sacerdos, et v. Matrimonium.

Conjugium an aliquando necessarium 320. an in praccepto 224. 225. 318. 319. Non aequatur virginitati 123. dicitur honorabile 184. Post votum est pejus adulterio 282.283. Sacramentum

non pollutio vocatur 227.

Confirmationis minister ordinarius est episcopus 168. 169.

Conscientia nostra dicitur noster adverserius 367. Consilia evangelica. Quid sit consilium, et quomodo differat a praecepto 228.

Variae sententiae de iis rebus, quas catholici vo-

cant consilia 229.

Asseruntur consilía evangelica testimoniis Scripturae.ibid. exemplis 237. 238. Testimoniis Patrum 261. Solvantur objectiones. ibid.

Consilia evangelica nobis demonstrata a Christo. **227. 2**30. 231.

Quae sint 229.

Consilia an praeponantur praeceptis 227.

Constantinopolitana Ecclesia non est apostolica 118.

Constantinus Magnus imperator. Professus est de episcopis se judicare non posse.ibid.

Quid Ecclesine donaverit laus ipsius in defensione Ecclesiae 140.

Tempore ipsius celebrari coeperunt concilia generalia, et primo nicaenum 15. 17. 23. 27.

Abrogavit legem qua prohibebantur successione haereditaria homines steriles 263. 264. 285.

Vocatus a Deo singulari miraculo 316.

Vicit in bellis, miraculis ei ostensis 327.

Initio imperii permisit libertatem religionis: tamen postea revocavit 335. 336.

Tempore ipsius translatae sunt reliquiae multorum sanctorum 468. 469.

Quid posuerit in loco ubi fuit baptizatus 481.

Tempore ipsius inventa crux Domini nostri 506. et honorata 508. eique apparuit 509.

Quae templa aedificaverit 524 ad 526. 531. 532.

Ad consecrationem aedis cujusdam convocavit synodum etc. 528. Sepultus ad fores basilicae s. Petri 372. 534.

Constantini IV. tempore coacta est VI. synodus apud Constantinopolim 16.

Constantinus V. dictus Copronymus, omnes reliquias sanctorum ubique deleri jussit 463. 464. item omnes imagines 475.

Infelix exitus ipsius 490. 491.

Concilium sub ipso eongregatum, reprobatum

Sub Constantino imperatore congregata sunt concilia antiochenum, et mediolanense, et ariminense, reprobata 18. item sardicense, et syrmiense, partim confirmata, partim reprobata 19. 26.

Superbia ipsius 35.

Continentia perpetua. Volum continentiae asseritur illis verbis Luc. 1. Quomodo fiet istud 256. 157.

Item ex illis Matth.19.sunt Eunuchi qui se castraverunt 260.item ex illis 1.Tim.5.Damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt 261.asseritur etiam conciliis 263.264.Respousis pontificum et imperatorum. ibid. Testimonio Patrum 265. Ratione 267.

Solvitur I. objectio contra votum castitatis, sumpta ex ratione libertatis 268.

Solvitur II.ex Scripturis, quae imperant conjugium iis, qui stimulum carnis patiuntur 271.

Solvitur III. ex locis Scripturae, qui docent, continentiam esse donum Dei, quod non omnibus datur 274.

IV. Ex ratione naturali 279.

V. Ex concilio 281.

VI. Ex Patribus 284.

Quod juniores possunt vovere continentiam 289. 290.

Licere conjugatis ex consensu vovere continentiam 293.

De possibilitate continentiae 274. 287. de difficultate 228. 275. 279. De utilitate 235. De dono continentiae 187. 275. 288.

Nemo est qui continere non possit si velit 187. Continentia Religiosorum 219.

De continentiae voto fusissime 256. 257.

Continentia clericorum, et ab uxoribus 179. 186. 288. 293.

Continentiae votum an annexum ordinibus sacris, et quo jure 178.

Continentiam esse relinquendam in arbitrio clericorum nullam habetapparentiam ex historiis 185. Qui post votum continentiae ad Matrimonium trans-

eunt, pro bigamis habentur 281. Continentia consilium evangelicum 229. usque ad 234.

Continentia'cur coli coepit in Ecclesia 267.

An incommoda quaedam pariat 279.

An liceat propter sanitatem continentiae volum frangere 320.

Continentes debent esse humiles 281.

Illis datur gloria singularis 230. 231.

Incontinentia et ustio idem significant apud Paulum 246.

Cordis cogilationes quomodo cognoverint sancti quidam 439.

Corpori humano comparatur Ecclesia 76.

Corpus nostrum appellatur domus terrestris 425. Corpus Christi in sacramento altaris. Vide Eucharistia.

Correptio fraterna facta Judaeis 79. 80.

In memoriam beneficii creationis celebrabatur sabbathum, et nunc dies dominica 550.351.

Crucifigendi modus 504. 505.

Crux. Proponitur disputatio de adoratione crucis 503.

De vera Cruce Domini 504. 505.

Vera Crux Christi veneranda 506.

Imagines crucis venerandae 507.

Signum crucis quod digito exprimitur, sacrum est et venerabile 509.

Solvuntur objectiones 512.

Crucis adoratio 488. 503. 509.eliam adoratur crux quae pingitur sine Christo 512. Crucis figura 504. 505.

Crux Christi, et figura ejus crucis. Vexillum imperatoris christiani. ibid.

Venerabilis. ibid. Electa sponte a Christo 506.512. Ara summi sacrificii 506. Scala fuit Christo ad regnum. ibid. Instrumentum liberationis. ibid. Figurae pro cruce. ibid. Hac cruce diabolus vincitur. ibid. et 513.514. Mysteria in ipsa significata 506.

Inventio crucis. ibid. Exaltatio 508.

Attulit laetitiam et gloriam Christo 512.

Tres effectus ipsius 513. 514.

In loco crucis, hostes christiani nominis posuerunt Veneris simulacrum 509.

Crucis particulae gestantur ad collum 507.

Crucis honor. ibid.

Crucis signum in coelo apparebit. ibid. 508.

Crux non amplius horrori est. ibid.

In pecuniis, crucis figura excuditur. ibid. Humi non sculpitur. ibid.

In supplicationibus praefertur 509.

Omnibus locis depingitur. ibid.

Apparitiones et miracula ipsius. ibid.

Crucis signum 504. 505. Ejus figurae et honor 509. Antiquitas et miracula 510. 511. Expelluntur daemones et omnia magica compescuntur 513. 514.

Tres effectus hujus signi. ibid.

Aliqua sanctitas accedit rebus cum signantur cruce. ibid. Crucis contactus aliquo modo sanctificat. ibid.

Cultus divinus praecipue circa fidem, spem et charitatem 98. 99.

Cultus Dei praecipuus in Ecclesia internus est 100-Cupiditas ad tria capita revocatar 219.

Cypriani error de Baptismo 23.

Defenditur 46.

Cypriano duae basilicae extructae 524.

Cyrus monarchiam ex cupiditate dominandi 318.

Catholici nomen 92. 93. 100. 114. 113.

Catholici cum haereticis conciliari non possunt 335, 336.

#### n

Damnati nec actu, nec potentia sunt membra Christi 78.

Puniuntur citra condignum 388. 407.

Ad poenas aeternas damnati non possunt revocari ad vitam 400. 401.

Non possunt juvari precibus, sanctorum 407. Damnatos salvandos somniavit Origines 386, 387.

Daemones torquentur nunc ante diem judicii, etiamsi in aëre nostro caliginoso aliqui versentur 437. In die judicii ex hoc aëre in abyssum praecipitandi sunt, et adhuc exspectant futura tormenta. ibid. A daemonibus an torqueantur animae purgatorii 403.

Vide paulo post v. Diabolus.

Decimae sacerdotibus persolvendae 195. etiam malis 196. 197.

Praeceptum de Decimis solvendis, quantum ad determinationem talis quantitatis, non esse nunc de jure divino. ibid. et an possit contraria consuetudine abrogari 198.

An laici pauperes teneantur decimas dare clericis divitibus 199.

An excusari possint a peccato, qui nullas decimas solvunt, ubi nulla est consueludo solvendi. ibid. Qua ratione ostendi possit justam esse determinationem Ecclesiae, quod Christiani decimam partem suorum fructum Ecclesiae tribuant 198.

Dedicatio templi, ejusque dies festus solemnis

Defuncti non immoderate deflendi 385.

Statim judicantur, et exempla hujus rei 392. 393. Ex lymbo Patrum vel purgatorio ad vitam revocari possunt: at ex inferno, et loco beatorum non possunt 399.

Possunt huc venire et nobis opem ferre 460. 461. Prosunt defunctis, et viventimes 404.405. Nesciunt naturaliter gold viventes agant 459.

Justi defuncti sunt membra Ecclesiae 398.

Defuncti juvantur precibus sanctorum 281.

Defunctorum funus 407. 472. ubi de cereis accen-

Justorum defunctorum laus 429.

Defunctis prodest sacrificium missae, et alia bona opera fidelium. Vide contra hoc haeresim 123. 302. 406.

Laborantes in sepeliendis defunctis 164.

Oratio et suffragia pro defunctis 355.356.371.385. Item epulae et convivia 357. Jejunia 358. Baptismus lachrymarum. et poenitentiae 366.

Desertum duplex in Judaea 298.

Desertum mysticum dicuntur dogmata hacretico-

Deus est ubique. Sed non omnibus modis 524. In coelo proprie esse dicitur 426. 427. An possit videri a creatura 423. 431. Visus est corporea specie 479. Quarumdam rerum quomodo poenituisse dicatur 543.

Dei dilectio in quatuor gradibus 218. Item in tribus 219.

Dei dilectio in toto corde et anima 240.

Dei dona multiplicia 398.

Dei imagines non sunt prohibitae 478.

Licet eas pingere. ibid. Honor qui eis debelur. Vide v. Latria.

Deo propinquatuus requiritur continentia 129. Deo debentur omnia nostra 249.

Cum Deo componendum in hac vita, quando facile impetramus remissionem poenae 369.370.

Judaei putarunt Deum esse corporeum 510.511. Diabolus numquam salvandus, contra Origenem 386, 387,

Odit imagines 490, 491.

Victus est cruce Domini 506. Eamque timet 513. 514.

**K77** 

Expellitur signo crucis 510. 511. 513.

Ejicitur a templo consecrato 529. 530. Fugatur per aquam benedictam 537.

Diaconi sunt principes et praesules 165.

Diaconi nostri sunt, ut levitae in Testamento veteri 168. 169.

Diaconorum officia 167.

Diaconorum et subdiaconorum continentia 288. Vide v.Continentia supra.

Diaconissae 464. 184.

Dies Domini quae sit 361.

Digami non admittendi ad sacros ordines 189.190. Digami, qui frangunt votum virginitatis 263. 264. Qui post votum continentiae ad Matrimonium transeunt, pro digamis habentur 194. 281.

An censendus digamus, qui unam uxorem habuit ante Baptismum, et alteram post 194.

Digamis communio datur 52.

Digamiae tres species 194.

Diocletianus privavit multos cingulo militari 139. Dionysius Carthusianus, male opinavit animas purgatorii ignorare certitudinem suae salutis 392.

Discipulis LXXII. succedunt presbyteri 168. 169. Discordiae malum 333.

Divites an debeant permittere mendicos 310.

Divitiae et mendicitas an postulanda. ibid.

Divitiarum commoda. vel incommoda 311. Renunciatio 230. 231. 239.

Doctorum Ecclesiae sanctitas 130. quod non dici potest de doctoribus ethnicis et haeresiarchis. ibid.

Doctrina tempore Adae, Henoch et Noë traditione conservabatur 384.

Doctrinae sanctitas in Ecclesia 128.

Conspiratio cum Ecclesia antiqua 119. 120.

Doctrinae filii qui dicantur 88.

Dolor de peccalis 390.

Dominica dies 543. et seq. et praesertim 548.

Dominica septuagesimae.sexagesimae et quinquagesimae et Passionis 553. 554.

Dominica in albis 555.

Dominicus Sotus temere asseruit neminem manere in purgatorio ad decem annos 402.

Idem temere asseruit sanctorum defunctorum animas, quae cum Christo regnant, non orare pro sanctorum animabus in purgatorio laborantibus. 405.

Domitianus 139. Libenter audiebat sibi acclamari in amphitheatro: Domino et dominae feliciter, et jubebat de se scribi: Dominus et Deus noster sic fleri jubet 316. ejus imago delecta 490. 491.

Dominus verus quid sit 316.

Domui comparatur beatitudo 425.

Dona Dei 398.

Donatistarum haeresis 122. 128. Miracula contra se 133. Visiones, se polius somnia 136.

Dulia quae sit 443. 446.

Duplicitas per rugas designatur 31.

Durandus asseruit non recte fleri, ut ab Ecclesia tolerentur Dei imagines 478.

E

Ecclesia. Ecclesiae nomen 73. 74. Definitio, et quos comprehendat 75.

Utrum catechumeni sint in Ecclesia 76.

Haerelici et apostatae non sunt in Ecclesia. ibid.

Neque Schismatici 78.

Neque excommunicati 79.80.

Praedestinati, et reprobi ad Ecclesiam pertinent 81. Non perfecti etiam 83. item magni peccatores 85. Item, infideles occulti 89.

De Ecclesiae visibilitate 95. Est visibilis.ibid. Ecclesia visibilis non potest deficere 96.

Ecclesia non potest errare 97.

Non esse eas notas verae Ecclesiae, quas haeretici statuunt 106. 107.

Verae notae Ecclesiae quae sint 109.

Notae verae Ecclesiae I. Ipsum catholicae Ecclesiae et Christianorum nomen 111. II. Antiquitas 110. III. Duratio diuturna, nec unquam interrupta 114. IV. Amplitudo 115. V. Successio episcoporum in romana Ecclesia ab Apostolis deducta usque ad nos 116. VI. Conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua 119. 120. VII. Unio membrorum inter se, et cum capite 124. VIII. Sanctitas doctrinae 128. IX. Efficacia docirinae 129. X. Sanctitas vilae auctorum, sive primorum Patrum nostrae religionis 130. XI. Gloria miraculorum 133. XII. Lumen prophetiticum 137. 138. XIII. Confessio adversariorum. ibid. XIV. Infelix exitus, seu finis eorum qui Ecclesiam oppugnant 139. XV. Felicitas temporalis divinitus ils collata, qui Ecclesiam defenderunt 140.

Contra id quod universa Ecclesia facit, disputare insolentissimae insaniae est 372.

Ecclesia est corpus quoddam vivum 76. 88.

Ecclesia est una, non plures 79. 80. 85. 89. 92. 93. 124.

Ecclesia comparatur exercitui ordinato, corpori humano, mulieri speciosae, regno, ovili, domui et navi, seu arcae Noë 65. ad 67.

Aliae comparationes Ecclesiae 81. 82. 96. 114.assimilatur pani 86. 87.

Item corpori humano 91. Item soli 109.

Ad Reclesiam constituendam tria requiruntur 88.

Ecclesia inchoata ab hominibus pauperibus et vilibus 129. 130.

Ecclesia ex latere Christi 192.

Ecclesia christiana proprie coepit in die pentecostes 548. Antiquitas ipsius 111. Duratio 114. Vide de notis Ecclesiae supra.

Reclesia maximam partem orbis occupavit 115.

Persequutionibus crevit 114. Vide de persequutionibus Ecclesiae 109. 114. et infra v. Perseguutio.

bus Ecclesiae 109. 114. et infra v. Persequutio. Sustentare Ecclesiam proprie martyribus convenit 451.

Ecclesia an errare possit 45. 97.

In Ecclesia romana semper viguit apostolicae cathedrae principatus 116.

Ecclesia debet habere unum caput 64.

Ecclesiae nomine aliquando intelligitur episcopus 70. Non potest esse sine pastoribus et episcopis 116.

Hoc argumento de successione episcoporum tamquam indissolubili probatur apud haereticos non esse Ecclesiam 117. 152.

An aliquando gnbernabatur a presbyteris 172.

Ecclesiae pastores omnes an possint errare 104. Ecclesia judicat de sensu sacra Scripturae 101. Quomodo dicatur tota pulchra, gloriosa, sine macula et ruga 84. 88.

Dicitur sancia, et quare 88. est regnum Chri-

sti 67.

Ecclesia universa repraesentatur concilio generali 45.

Ecclesiae universalis simul congregatae caput et pastor est summus pontifex 65. 66.

Ecclesia significatur per vestem Christi inconsutilem 78.

Ecclesia spiritualis, et quomodo 101.

Ecclesia interdum obscurata tantum est 103. Particularis Ecclesia erat populus Judaeorum 102. Ecclesia est simpliciter prior et notior quam Scriptura 109.

Ecclesia Testamenti veteris, figura Ecclesiae Testamenti novi 124.

Ecclesia sancta brevissimo tempore totum mundum traxit per homines contemptibiles 129.

Christi sponsa est et virgo, et filios parit 193. Ecclesia Testamenti veteris non repudiatur sed renovatur. *ibid*.

Ecclesia legere solet tetum aliquem locum Scripturae; propter unam aut alteram sententiam, quae ad aliquod propositum faciat 395.

An petat in orationibus gloriam sanctis 407.

Bona Domini, Ecclesia 451.

Ecclesiam regere absoluta potestate, cujus sit 206.

Ecclesiae Christi an conveniat monarchica gubernatio 257. Vide etiam 364.

An sit summa potestas ecclesiastica in Ecclesia 65. 66.

Ecclesia ex se nullam habet auctoritatem 67.

Ecclesia cum papa quam auctoritatem habeat 70.

Ecclesiae auctoritate nititur fides nostra quoad nos 98. 99.

Ecclesiae forma est ades externa 92. 93.

In Ecclesia dissensiones esse possunt 88.

In Ecclesia aliquid videtur, et aliquid creditur 101.

Extra Ecclesiam nemo salvatur 76.

Qui extra Ecclesiam sunt nullam habent auctoritatem aut jurisdictionem in Ecclesiam 90.

In Ecclesia diversi gradus et ordines 145.

In Ecclesia militante tres hierarchiae 165. Communio Ecclesiae triumphantis cum militante

451. Ecclesiae miracula in singulis aetatibus 102. a

Ecclesiae defensores 140.

Ecclesiae oratio pro defunctis 98. 99.

Ecclesiae figurae fuerunt tabernaculum et tein plum 534.

Solis justis Ecclesiam constare error est 122.

IMDEX

579

Ecclesise Christignorum quere non vocentur templa 521. Vide v.Templum.

Ecclesiae nomen unde 523.

Eleamosyna an magis danda templis quam pauperibus 535.

Eleemosynae prosunt defunctis 376. 377.

Debent fieri libere, idest, non coac le 369. 260.

Dandae magis indigenti 312. Justo potius quam injusto 406.

Illis juvantur animae purgatorii. ibid.

Error corum qui existimarunt omnes illos esse salvandos per ignem purgatorii, qui eleemosynas fecissent 388.

Eloquentia 317.

Epiphaniae festus dies 555.

Episcopus. Episcopus irreprehensibilis et sine crimine debet esse 192.

Episcopus esse non potest qui in episcopatu filios gignat 188. poena incontinentis episcopi. *ibid.*Vide explicationem ejus loci, episcopum unius uxoris virum 181. 182. 189. 190. 192. et qua de caussa debet esse monogamus 192. 193.

An olim potuerint episcopi alere uxores quas habebant antequam sacris initiarentur 186. Vide

v. Sacerdotis coelibatus.

Episcopus malus quomodo verum caput suae ecclesiae 86. 87. 90. 153. Quilibet episcopus personam gerit suae ecclesiae 31.

Ut aliquis episcopus dicatur ab apostolis legitime descendere, et esse legitimum episcopum duo requiruntur 117.

Episcopus verus qui habeatur in ecclesia. ibid.

Episcopus nomine ecclesiae aliquando intelligitur 70.

Episcopus potest cogere populum ad temporalia danda 309.

Episcopi maximus labor in regendis subditis 85. Episcopi et presbyteri jurisdictio an de jure divino distinguatur 171. 472. Nomen utrorumque commune olim erat 117. 151. 170. 173.

Episcopi succedunt Apostolis 451. 470. Habendi ut pastores, praepositi, doctores, et Patres 45. Omnes et soli in eonciliis, habent jus suffragii decisive, ordinarie 28.

Aliqui rudes episcopi fuerunt in concilio nicaeno 33.

Atribus episcopis ordinari debent 117. 151.

Quomodo cum clericis et laicis se gerere debeant 149. 150.

Soli, aliquem ordinare possunt 151. 168. 169. 171. 172.

Eliguntur, non nascuntur per successionem 154. 155.

Ministri Ecclesiae regendo 159.

Quinque modis eligi consueverunt 163.

De electione episcoporum, videlicet regibus concessa a pontificibus 162. Quod non pertineat jure divino ad clerum 67. Quod ordinarie assumebantur ex presbyteris et diaconis 165.

Episcopi et presbyteri quomodo distinguantur.ubi de majoritate et auctoritate episcoporum 167. 173.

Nomen episcopi et presbyteri olim commune erat 117. 151. 170. 173.

Episcopi veri tempore Apostolorum, dicebantur Apostoli 170. 173.

Episcopi et presbyteri variis modis a Patribus comparantur 173.

Quinque episcopi olim praeferebantur cardinalibus non episcopis 176.

Episcopi dicuntur servi suarum plebium 320.

An dari possit casus, ut omnes episcopi in uno concilio ficti sint 59.vel ut omnes Ecclesiae pastores errare possint 404.

Quot episcopi requirantur ad generale concilium 32.

Episcopi in conciliis non sunt consiliarii, sed judices. ibid.

An omnes episcopi simul, sive concilium, sint supra papam 63.

Qui sint veri episcopi 117.

Haeretici non sunt veri episcopi. ibid.

Episcoporum honor, et praecellentia 360. legitimus conventus 59.

Episcoporum consessus in conciliis legitimis est verum judicium, ipsique veri judices 33.

Episcoporum ordinatio 151. Vocatio seu missio 153. Vide infra v. Pastores et Ministri Ecclesiae ibid.

Episcoporum electio per sortes reprobatur. ibid. Episcoporum electio non convenit populo 154. 155.

Episcopórum doctrina vera vel falsa, quomodo judicanda 159.

Episcoporum proprium est officium praedicandi 167.

Episcoporum et cardinalium comparatio 176. Episcoporum perfectio qualis esse debeat 165.

Argumentum insolubile contra haereticos ex successione et ordinatione episcoporum 117.

In episcopo munus sacrificandi, studium orationis, efficacia praedicationis, cura pastoralis. cura pauperum, et administratio sacramentorum 181. 182.

In episcopis duo considerantur, quod locum Christi leneant, et quod habeant potestatem ordinis et jurisdictionis 94.

Episcopatus ambitione multi haeresiarchae facti sunt 130. ad 132.

Episcopatus dignitate magis gravantur homines 451.

Episcopalum inviti susceperunt sancti, illumque fugerunt 226.

Episcopatuum novorum institutio ad romanum pontificem pertinet 117.

Epistolae decretales annumeranter inter Scripturas canonicas 63.

Eremitae et coenobitae 219. et eremitis fuse 247. Esseni qui fuerint 222.

Ad evangelii lectionem in Ecclesia accenduatur cerei 473. 487.

Eucharistiae sacramentum sub utraque specie an omnibus concedendum 57. 58.

Haereses contra Eucharistiam 124.

Eucharistiae sacramentum circumdatur angelis in Ecclesia 529.

Transubstantiatio panis et vini 57. 58.

Signum habens conjunctum Christi corpus, sive

verum Christi corpus ibi praesens existens frangitur et teritur: non tamen in se, sed in signo.ibid.

Dies festus corporis Domini 555.

Evidentia veritatis et credibilitatis, quae sit 109. Eunomius reliquiarum cultum primus reprehendit 463, 464.

Eunuchi voluntarii 229. 260. 275.

Euthymius erravit opinando animas justorum non conscendere coelum ante diem judicii 423.

Excommunicati sunt extra Ecclesiam 94.

Excommunicati occulti sunt de Ecclesia numero, non merito; de facto, non de jure. ibid.

Excommunicationis poena quae sit 81. 341. 342.

F

Felicitas humana et christiana 311.

Ferdinandus imperator 18.

Florini haeresis 121.

Festi dies. Sententiae hacreticorum de festis 541. Mendacia et ineptiae illorum 542.

Nullo modo licet Christianis sabbathum Judaeorum aut alias ferias Testamenti veteris observare. ibid.

Festa Christianorum non solum ratione ordinis, et politiae, sed etiam ratione mysterii celebrari, esseque dies festos vere aliis sanctiores, et partem quandam divini cultus 543.

Argumenta haereticorum 344.

Observationes certorum dierum festorum recte praecipi in Ecclesia lege obligante in conscientia etiam citra contemptum et scandalum 543.

Argumenta hacreticorum 546. 547.

Quaenam opera diebus festis sint prohibita, et quae mandata 545.

Non teneri nos diebus festis ex praecepto peculiari ad non peccandum, sive ad actum contritionis, vel dilectionis Dei 546. 547.

Dies festus hebdomadarum et datae legis unus et idem 530.

De die dominica, nempe de antiquitate 543. 548. de ratione institutionis. ibid. et de ritibus antiquis in ea observatis 549.

De paschate. Quid sit 549, errores circa celebrationem. ibid.error in quem incidimus a mutis jam annis 550, non debet esse libera et indifferens hujusmodi celebratio. ibid.

De pentecoste. Antiquitas hujus festi 551 an recte celebretur die quinquagesima a die resurrectionis. ibid.

De septuagesima, sexagesima, quinquagesima etc. 553. 554.

De dominicis quadragesimae et Passionis 555.

De reliquiis festis Domini 553. 554.

De festis sanctorum 553.

De festo Conceptionis 536.

De aliis festis b. Virginis 557.

Fidelis nomen 92. 93.

Fides externa est forma Ecclesiae. ibid.

Fides in quibus permansorit tempore passionis Domini nostri 104.

Fidei seu credendi libertas non debet permitti 335. 336. et qui permiserint 334 ad 336.

Fidei dogmata inviolate servanda 337.

Fidei dogma quatuor modis probari solet 260.

Fides quomodo facial filios Dei 152.

Fides et oratio praecipua arma Christianorum 331.

Omnis sententia de fide nascitur vel ex duabus propositionibus de fide, vel ex una de fide, altera evidenti 101.

Fidem sine operibus sufficere, qui haeretici dixerint 121. Accedens ad fidem an debeat explorare vires suas 275.

Fidei externa professio pertinet ad definitionem Ecclesiae 101. Item est unum ex requisitis ad Ecclesiam constituendam 88.

Fides pro promissione et pacto 261. 265.

De Filio Dei haereses. Vide Arius, et v. Christus. Filii Dei, et filii hujus saeculi, qui dicantur 379.

Filfi nomen tribus modis accipitur in Scriptura . ratione productionis, imitationis, doctrinae 88.

Filii tenentur obedire parentibus 255.

Filii quid debeant parentibus 292.

Filits licet ingredi religionem parentibus invitis 291.

Filiorum magnorum generatio praedicta iu Scriptura 259.

Fornicatio prohibita ab ipsis Apostolis 51.

B. Francisci vita, miraculis plena 135, ipsius prophetia 137, 138, vitae asperitas 226, auctor fuit vitae mendicantium 310, illius mors 364.

Fridericus I. 18. Fridericus II. ibid.

Funera defunctorum 408. 409. 473. ubi de cereis accensis ad tumulos.

r

Galerii imperatoris exitus 139.

Galliae regnum convertit s. Kilianus 130. Gaudium in Spiritu sancto est regnum Dei 109. Gentiles propter quas caussas movebantur ad cre-

dendum idola esse Deos 492. Gentilium Dii, homines erant 480.

Ipsorum simulacra vocabantur Dii 490. 491.

Gentilium testimoniis quare utuniur Patres, atque etiam sacra Scriptura interdum 267.

Germanos convertit s. Bonifacius 130.

In Germania tempore Gregorii VII. sacerdotes coeperunt, uxores ducere 183.

Germani voluerunt et obtinuerunt quoddam interim annos 1526. 334.

Sanctorum Gervasii et Protasii corpora divinitus revelata 470.

Gothi misere decepti ab Arianis 129.

Graeci suspecti fuerunt de hacresi, quae purgatorium tollebat 354, tamen numquam dubitarunt de purgatorio 385.

Graeci professi sunt in concilio florentino se non ponere ignem in purgatorio 402.

Graeci dixerunt animas sanctorum non posse admitti ad beatitudinem usque ad diem judicii 421. 422.

Imperatores graeci haeresim Iconomachorum patrocinabantur 496.

Graecorum imperium cur translatum ad Gallos et Germanos 56.

Graecorum episcoporum successio interrupta 118. Apud Graecos non est Ecclesia. ibid.

Graecis permittitur usus uxorum, quas habuerunt ante ordinationem 178. quando incoepit hic mos Graecorum 179.

Gratia sufficiens et efficax 275 ad 277.

Gratia naturam sanat et dirigit 242.

Ad gratiam vocamur a Deo sine ullo opere nostro 268.

Gregorius Magnus an sacerdotibus uxores ademerit, et deinde decretum resciderit 171.

An oraverit pro Trajano 398.

Illius tempore fuit vera Ecclesia (contra haereticos) 112. 113. 115.

Laus illius. Item humilitas 227.

Gregorius 4. Dialogor. cap. 40. et 55. videtur asserere animas purgatorii purgari ubi peccaverunt; quod est improbabile 396.

Gregorius nyssenus libro de anima et resurrectione dicit locum poenalem animarum esse äerem istum caliginosum. ibid.

H

Habitus monachorum 301. 302.

Haereses enumerantur ordine saeculorum, et a quibus conciliis et pontificibus damnatae. Item haereses 20. heresiarcharum, cum eorum sectatoribus 121.

Item multae hacreses enumerantur, quae ortae sunt ex ambitione, invidentia et odio 130.

Item divisae in varias sectas 127.

Haereses variae permitti coeperunt paulo ante Christi adventum 335. 336.

Haereses fere omnes extinctae 114.

Haereses in uno loco exortae, in alio damnantur 41.

In haeresim manifestam aliquem incidisse, concilia provincialia el dioecesana judicare possunt 60.

Haereses manifestae contra fidem et mores 128.

Hacreses conferentur cum idolis 136.

Haeretici sunt simiae catholicorum 77.

Dicuntur Antichristi 90.

Comparantur lupis 47. 340. Furibus et latronibus 340. item Cancro. ibid.

Hostes sunt veritatis, et vera falsis permiscent 339.

Moderni, et antiqui haeretici denominantur ab hominibus privatis, quod signum est, eos non esse in vera Christi Ecclesia 111.

Non diu durant filorum dogmata 114. Ipsimet timent sibi interitum. ibid.

Repugnant toti antiquitati 119. 120.

Tantum concordant cum antiquis haereficis 121. Concertant inter se 122.

Superbia eorum 130.

Mali mores. ibid. 131. 132.

Destituti sunt gratia miraculorum 133.

Martyrium ipsorum nullum est 109.

Eorumque falsi martyres. ibid.

Inter se, unus habet alium pro haeretico 127. Non possunt conciliari cum catholicis 333. 336.

BELLARMINI Vol. II.

Postularunt, et deinde contempserunt concilia. In praefat.

Varii in diversis conciliis damnati 61.

Neque habent veram Ecclesiam 117, 154, 155.

Quare polest Ecclesia eos punire 78.

Ab Ecclesia damnati, temporalibus poenis, atque etiam morte possunt mulctari 340. Vide argumenta ipsorum in contrarium 343.

Infelix exitus ipsorum 139.

Vendicant sibi auctoritatem Ecclesiae, more simiarum 77.

Non habent veros episcopos 117.

Argumentum insolubile contra ipsos ex successione et ordinatione episcoporum 117. 154. 153.

An sint vere Christiani 92. 93.

An sint rebaptizandi 119. 120.

An saepe simulent se esse catholicos 94.

Occulti an sint de Ecclesia 90.

Numquam converterunt Ethnicos aut Judaeos ad fidem, sed solum perverterunt Christianos 129. Etiam ipsorum confessione habemus veram fi-

dem 127.
Theobutes primus haereticus. Vide sequentes 130.
Dogmata insorum dicuntur desertum 300.

Ipsorum schisma ab Ecclesia figuratur per rebellionem Israëlitarum a tribu Juda 316.

Ipsorum confusio cum catholicis permitti non debet 334.

Ipsorum colloquia et libri vitandi sunt 338.

Hacreticos qua arte compescuit Theodosius 119.

Numerus Hebraeorum in Testamento veteri 199. Vide de his v. Judaei infra.

Helena mater Constantini laudatur 39.

Helias et Helianeus sine uxoribus et divitiis in hoc mundo vixerunt 168. 169. 224. 225. 282. 283.

Helias cremitarum princeps 297.

Heliae tempore defecit populus Judaeorum 102. Henrici I.imperatoris opera, plures reges et popu-

li ad fidem conversi 130.

Henricus IV. rex propter multa scelera excommunicatur 20.

Henricus V. imperator 18.

Henricus VII. imperator. ibid.

Heraclius imperator 151. 508.

Herodis magni simulatio 337.

Herodis Ascalonitae tetrarchae exitus 139.

Hieremiam non coluerunt populi sacrificiis 436.

B. Hieronymus fuit simplex presbyter 176.

Ipsius humilitas in fugiendo presbyteratum 227 et sacrificium altaris offerre non audebat 127. 228.

Tentationes carnis patiebatur 271. 272.

Hieronymus videtur in ea sententia fuisse, ut existimaret episcopos, si de jurisdictione agatur, esse quidem presbyteris majores, sed jure ecclesiastico, non divino, quae sententia falsa 171.

Idem in commentario 1. cap. epistolae ad Titum, in quadam sententia non admodum constans videtur 172.

Idem memoria lapsus est, dicendo juvenem illum, de quo Matth. 19. animo tentantis, non animo discentis ad Dominum accessisse 232.

Quaedam verba ipsius in epistolam ad Ephesios

sunt dicta in persona Origenis asserentis, omnes malos, tam daemones, quam homines tandem salvandos, et falso Ruffinus tribuit ea Hieronymo 386. 387.

Idem in ultima verba Isaiae non videtur existimasse, omnes et solos catholicos in fide perseverantes ad purgatorium descendere, quamvis alioqui pessime vixissent 388.

Hierosolymorum Ecclesia patriarchalis 53.

Hierusalem recuperata a nostris 333.

Eversio praedicta a Daniele 102.

Historiae aliquorum sanctorum apocryphae 462.

Homicidae puniendi gladio 278.

Homo est animal sociale, et quare, et quomodo 316. 317. Est imago Dei 479.et ut sic est dignus veneratione 499.

Potest dici membrum Christi, vel filius Christi 83. Nullus est homo qui non peccet 84.

Homines numquain vagati sunt more bestjarum,ut M. T. dixit 317.

Hosius cardinalis a calumniis haereticorum defenditur. In praefat.

Humana lex. Vide v. Lex.

Hilarius dixit; Moysem adhuc vivere 399.

ı

D. Jacobi sedes lignea honoratur 467. Sola lintea veste usus est 301. 302.

Iconomachorum principes 474. eorum improbitas 490. 491. Infelix exitus. ibid.

Idola quid sint 473.

Esse Deos, quare putabant Ethnici 492. ubi de idolorum cultu apud Gentiles et Judaeos, usque ad 494.

Idolorum templa conversa in basilicas martyrum 458.

Idola gentium merito execramur et confringimus 426.

Idolothytorum mensa 521.

Jejunium est remedium pro tentationibus 187. Est medium optimum ad orationem 299.

Confert ad sanitatem 300.

De jejunio quadragesimae, quatuor temporum, et vigitiarum, et hueresim contra hoc 123. Vide 185.

Jejunium sabbathi 28.

JESUS nomen venerabile 487.

Ignis, signum laetitiae, gloriae et vitae 473. signum honoris 471.

Ignis eruptiones quae in terra apparent 396.

Ignis genere, sive gehennae, sive purgatorii 381. 382.

Ignis purgatorii an corporeus 402.

Quomodo animas urat 403, et quomodo animae torqueantur ab igne. ibid.

Ignis vocatur justum Dei judicium 362. 363. item poena aliqua purgatorii 364. 402.

Imagines. De nomine imaginis, idoli, et simulacri 473.

De principibus Iconomachorum 474. Licere imagines facere et habere 476. 477. Non esse prohibitas imagines Dei 478. Imagines in templis recte collocari 480.
Imagines utiles esse etiam extra historiam 484.
485.

Proponitur quaestio de cultu imaginum 486. Imagines Christi et sanctorum recte coli 487. Quo genere cultus imagines sint honorandae 55.

Imagines per se et proprie colendas 500.

Non esse dicendum imaginibus deberi cultum latriac 55, 500.

Imagines Christi improprie, et per accidens posse honorari cultu latriae 501.

Imagines per se, et proprie non esse colendas eo cultu, quo exemplum ipsum colitur 502.

Quo genere cultus adorentur imagines 503. De imaginibus quid statutum sit in concilio fran-

cofordiensi 54. Concilium elibertinum, an et quare prohibuerit

imagines in templis 482. Imaginum sanctorum in templis antiquitas 124. Vide haereses. *ibid.* et 480.

Imagines sanctorum utilia signa divinitus instituta 488.

Mirucula facta per imagines Christi, et sanctorum 489.

Tres imagines factae leguntur tempore Christi 484. 485.

Imagines b. Mariae Virginis. ibid.

Infelix exitus eorum qui imagines obliterare conabantur 490. 491.

Imago una cur magis frequentetur quam alia. ibid.

Imagines pavimento non debent sculpi 533.

Imperatores judicium de rebus fidei judicandis Ecclesiae romanoque pontifici remiserunt 26. 33.

Imperatorum non est in caussa fidei judicare 40. Imperatores non possunt convocare concilia generalia 24.

Quomodo possint interesse conciliis, iisque subscribere 29. 30.

Non possunt esse praesides in conciliis 34.

Aliquando praesidebant tantum quoad locum materialem, non ut judices. *ibid.* Vide objectiones 38. 41.

Qui sunt habiti optimi, faverunt Christianis 137.

Imperatores optimi qui contra haereticos leges tulerunt 340.

Qui Ecclesiam defenderunt 140.

Aliquando habuerunt jus eligendi summum pontificem 163.

Imperatores varii excommunicati et depositi, a summis pontificibus 20.

Imperatorum imagines adorabantur 489.

Imperatoribus romanis ubique praeferebatur ignis 472.

Imperii translatio a Graecis ad Gullos et Germanos 56.

Incarnatio comparatur mysterio Trinitatis 271. dicitur repromissio 428.

Incensum adolere in Ecclesia 444.

Indulgentiae defunctorum per modum suffragii 406.

Infernus, est locus subterraneus 396.

Damnati qui sunt in inferno, numquam inde sunt liberandi 399.

Quid sentiendum de Trajano 398.

Quid de aliis, quorum animae ex inferno ad corpora revocatae sunt 399.

Utrum damnati aliquando subleventur poenis 407. Error Origenis de inferno, nempe esse conscientiam accusantem 122. 366.

Inimico mortem optare ex odio, malum est 329. 330.

Innocentiae status habuisset etiam politicum principatum 318. 319.

Innocentium puerorum dies festus 566.

Innocentius III. quod dixit lib. 2. cap. ult. de contemptu mundi, nempe Christum in forma crucifixi apparere omnibus morientibus, tam bonis, quam malis, probabile non est 394

Invocatio sanctorum 447. usque ad 457.

B. Joannis Baptistae desertum in quo fuit 297, vestis 298. victus. ibid.

Ejus conceptio celebratur a Graecis 556.

Fuit monachorum et eremitarum princeps 221. 289. **290. 297.** 

Praescripsit modum servandum in bello 332.

Ejus ossa igni cremantur. ibid.

Ad ejus sepulchrum daemones rugire consueverunt 333.

Inventio ejus capitis. ibid.

B. Joannis evangelistae evangelium, qua lingua scriptum 60. item qua occasione 64.

B. Joannes chrysostomus, presbyter ordinatus

Episcopatum fugiebat 227. Ab episcopatu deposi tus 69.

Ad reliquias ipsius procubuit Theodosius junior 372. Pugnavit contra hostes Theodosii 327. Translatio reliquiarum ejus 470.

Idem putavit locum poenalem animarum esse istum aërem 396.

Joannes Gerson lect. 1. de vita spirituali videtur negare animabus purgatorii certitudinem suae salutis 392. 393.

Joannes Roffensis contra art. 32. Lutheri, idem videtur sensisse quod Gerson. ibid.

Joannis Feri error exponentis, illud 16. cap. Matth. qui acceperit gladium, gladio peribit:ubi docet, artem bellandi prohibitam esse a Christo 327.

Joviniani haeresis 123. 224. 225. 229.

Jovinianus libertatem credendi concessit 335. 336. Irenaeus asseruit daemones tradendos igni sempiterno in die judicii 437.

Israël, sub rege Samariae 102.

Judas dicebantur ii qui erant sub rege Hierusalem.

Judas de vera Ecclesia aliquando fuit 82.

Judae labia propter contactum sacri corporis, non sunt propterea veneranda 512.

Judaei an reprehendantur in evangelio, quod aedificarent vel ornarent monumenta prophetarum

Ut facilius converterentur apostoli statuerunt illis legem de sanguine et suffocato 51.

Semper habuerunt aliquam synagogam 114. Post Christi adventum nulla habuerunt miracula 133.

\$83

Cur tolerantur 343.

Erant propensi ad idololatrium 472.

Sunt primi Iconomachi 474.

Post Christi adventum sunt superstitiosissimi contra imagines 476. 477.

Vocabant Deos suos idola 490. 491.usque ad 494. ubi de idolis, et idololatria ipsorum.

Quare vitulum aureum pro Deo coluerunt 492.

Putabant Deum corporeum. ibid. Duo genera idolorum apud ipsos. ibid.

Orabant et orant ad occidentem 518. 519.

Nimium confidebant in suo templo 533.

Judaeorum praeclarum de Christo, et Christianis testimonium 139. 222.

Manifesti errores ipsorum 128.

Ingratitudo quaerentium regem 321.

Caeremoniae judaicae 248.

Ecclesia eorum particularis erat, non universalis, ut est Christianorum 102.

Eorum secta triplex 223.

Non fuit proprium ipsorum, vota facere, sed cum Christianis commune 243.

Religio eorum quando florebat, non poterant reges permittere libertatem religionis 335. 336.

Cultus ipsorum an fuerit tantum externus 523.

Ritus et cultus sabbathi 542. 548.

Inter festa Christianorum et Judaeorum disferentia 544.

Ipsorum festa gravia. ibid. Lex ipsorum intolerabile jugum 549.

Pentecostes ipsorum. ibid. festa pro variis temporibus instituta 557.

Judaeis an permissum regimen politicum 317.

Item bellum 327.

Cum Judaeis quae correptió facta a Deo 79. 80. Apud Judaeos eadem fuit quaestio de immortalitate animae, et de resurrectione 357.

A Judaeis coepit coelibatus in Ecclesia 267.

Gentibus conversis permisit Deus in insidelitatem ruere Judaeos 388.

Judices populi 315.

Judex politicus non potest punire clericos. ibid. Vide de judice político. ibid. et seq.

Judicia publica exercere licet Christianis 324.

Judicium infallibile in generalibus conciliis 43.44.

Judicium Dei severum et justum vocatur ignis 362.

Judicium particulare, quo judicantur animae statim a morte, quale, a quo, et ubi judicentur animae 392. ad 394.

Judicium generale, ob quinque caussas fiet 436. Judicii diem praecedet magna tribulatio 350. ad 353.

Julianus apostata libertatem credendi concessit 335. 336.

Idem persequebatur crucem, cum tamen usus sit signo crucis 519.

Idem voluit destruere omnia templa 533.

Juniores vovere possunt vota monastica 289. 290.

Juramentum differt a volo 244. 245. et accipitur pro voto 246.

Juramento honoratur primario Deus, secundario id per quod juratur 487.

Jus gentium est quasi conclusio deducta ex jure naturae per humanum discursum 317.

Justificatio a peccato libertas dicitur 322.

Justinus Apolog. 1. et 2. non potest defendi ab errore dicendo, daemones nondum esse traditos igni sempiterno, sed tradendos in die judicii 437.

Justinianus senior Augustus vocat Joannem II. caput omnium sanctarum Ecclesiarum 112. 113.

Idem voluit suam approbationem in creando summo pontifice 163.

lpsius laus in defensione Ecclesiae 140. Idem basilicam fabricavit 531. 532.

Idem aliquid addidit ad celebrationem purificatio-

nis beatae Virginis 555. 557.

Justinianus II. convenit V. synodum apud Constantinopolim, et canones Trullanos edidit 19.

Justitia legitima et moralis 309.

L

Labarum Constantini 504. 505. et quale fuerit ante ipsum **508.** 

Lactantius sensit omnes transituros per ignem, licet non omnes laedendi sint ab igne, quae opinio nec affirmari, nec negari potest 386. 387.

Idem erravit asserendo animas sanctorum non visuras Deum ante judicii diem 423. 435.

Laici quomodo convenire possunt in conciliis 28. et seq. praesertim 31.

Laici nomen et distinctio a clericis 149. 150.

Lampadum usus in Ecclesia 471.

Lanceae Domini nostri inventio 507.

Latria, dulia, et hyperdulia 449.

Latriae cultus non debetur imaginibus 500. 501. Laus tribuitur aliquando omnibus, pro aliquibus 47.

Lazari narratio, an sit historia, vel parabola 421. 422. 429. 431. 436.

Leo Isaurus Iconomachus 19. 273.

Levi familia 198. 200.

Levitis an respondeant nostri sacerdotes 124.

Lex nova, cur lex libertatis, vetus autem leo terroris appelletur 249.

Lex data in Syna 552.

Lex pontificia et civilis obligant in conscientia 322. 323.

Lex ecclesiastica necessaria similiter civilis 322. Item a Christiano principe 321.

Lex civilis an possit condi a papa; item a Christiano principe. ibid.

Lex Domini facilis et difficilis 242.

Lex Domini non est impossibilis. ibid.

Lex Domini quomodo sit noster adversarius 368.

Lex velus quo die data sit 552.

Legis divinae custodes debent esse reges 39.

Legis essentia vel passio, est obligatio 323. Legis divinae et humanae differentia. ibid.

Leges variae multorum philosophorum contra fidem et mores 128.

Imperfectio legum philosophorum 98. 99. Libertas in religione permittenda non est 334. ad

336. Libertas in qua creati sumus repugnat cum despotica subjectione 320.

Libertatis lex quae sit 250. 251.

Liberi arbitrii articulum habent pro fundamento suae doctrinae Lutberani 121.

Haereses circa liberum arbitrium 122.

Libri qui vulgo tribuuntur Dionysio Areopegitze vere sunt illius 222.

Libri Carolo Magno adscripti contra imagines 392, 393. 496.

Libri haereticorum abolendi sunt 337.

Lymbus sanctorum Patrum 396.

Item lymbus puerorum. ibid. Litaniae quando inventae 453.

Lotharius imperator 18.

Lumen est signum honoris 471.

Lutherus fuit praeses conciliabuli Lutheranorum

Lutheri baereses 108. 111. ad 113. 121.122. 129. Prima hacresis illius 385.

Superbia et initium suae haeresis 131, 132.

Miracula tentata 133. Prophetia 139.

Mors 140. et foetor in morte 133. 135.

Lulberani vix nati arescere coeperunt 114. Contra Lutherum et Lutheranos multa 131. 132.

Comparatio Lutheri, et Francisci Xaverii 155.

Testatur in papatu esse omne bonum Christianum

Lyranus in 35. Numeri non bene quaedam advertit 200,

M

Magia omnis expellitur signo crucis 513. 514. Magistratus politicus an possit esse apud Christianos 367.

Magistratus politicus asseritur fatione ducta ab efficiente 317.

Principatus sive dominium in impiis esse potest 320. Vide 313. 314. 316.

De potestate magistratus 321.

Licet christiano principi leges condere. ibid.

Lex civilis obligat in conscientia 322.

Judicia publica exercere non est Christianis illicitum 324. 325.

Licet Christiano magistratui gladio punire perturhatores publicae quietis 326.

Ad magistratum non pertinet judicium de religione 404. sed pertinet ad illum defensio religionis. ibid.

Mahumeti haereses 128. Incontinentia 131. 132. falsum miraculum 133. fuit Iconomachus 474.

Docet Christianos salvari, Christum vero esse maximum prophetarum, et ipsam Dei animam habere 139.

Hujus secta numquam transivit ad occidentem 116.

Mahumetani traxerunt quidem multos ad suam fidem, sed terrore armorum, non vi, et efficacia doctrinae 129.

Mali sunt in Ecclesia 84.85.

Mali principes principatum habere possunt 313. 314. 316. Vide v. Principatus.

Manichaei mors 139.

Manichaeorum haereses 122. 128.

Manus attollere erat signum suffragii 160. 161.

Manibus laborare monachis licet 304, non tamen tenentur 305.

Marcionis haeresis et ambitio 131. 132.

B. Marcus institutor monachorum, et sacrarum virginum in Aegypto 222.

Marci Aurelii imperatoris testimonium de laudibus Christianorum 139.

Marcii Aurelii milites miraculum quoddam fecerunt 327.

Martiano imperatore celebratum est concilium chalcedonense 17. 26. 36. 37. libertatem credendi avulsit 335. 336.

B. Martini sanctitas 468. 469.

Martyres. Vide v. Sancti.

Martyres statim ad praemium perveniunt 386.387. Invocantur in sacrificio altaris 456.

Ad corum memorias quomodo alligamus cultum et invocationem 471, 518, 519.

Eorum sanguis est semen Christianorum 114.

Eorum consolationes in termentis 291.

Eorum reliquiae venerandae 463. 464. v. Reliquiae.

Eorum dies festi prius celebrari coeperunt, quam confessorum 557.

Martyrum beneficia collata viventibus 403.

Martyribus convenit sustentare Ecclesiam 451.

Illis aedificantur et dedicantur basilicae 524. non
autem templa 525, 526.

In martyrum basilicas converse sunt templa idolorum 458.

In martyres translata est gloria Dearum. 454. 455.

Pro ipsis non est orandum 372. 400. 401. 407. Martyres falsi diversorum haereticorum 109,

Martyrium purgat reliquias peccatorum 409. 401.

B. Matthiae electio per sortes 156. 159.

Matrimonium prohibetur sacerdotibus, et hominibus in sacris constitutis, monachis, et iis qui se voto virginitatis devinxerunt 33. 54. 52. 123. 178. 179. 260. usque ad 269.270. Vide v. Clerious, et v. Sacerdos.

Matrimonium an necessarium 279.

An in praecepto 224, 225, 275, 318, 319.

Non aequatur virginitati 123.

Dicitur honorabile 184.

Post votam est pejus adulterio 282. 283. 287.

Post volum simplex vel solemne 263. 264.265.273. 274. 275. ad 277. 286. et praecipue 282.283.

Ante matrimonii consummationem multi continentiam voverunt ex consensu 293. 294.

An solvatur per conversionem alterius conjugis ad fidem 186.

An dirimatur propter ordinis sacri susceptionem 295. 296.

Matrimonium cum haeretico vel haeretica 53.

Matrimonium sacramentum non poliutio vocator 227.laudetur 284.ad matrimonium an sint creatac mulieres 224. 225,

Matrimonii sacramentum triplicem habet significationem 297.

Ad Mairimonium vocantur homines non ob solas tentationes, sed ob incontinentiam, et ob flagitia quae committuat incontinentes 271.

Mairimonium quo impedimento esset sacerdotibus 183.

Solemnitas secundi matrimonii prohibetur 51.

Matrimonium b. Virginis cum Josepho. 258. 298.

Maximiniani exitus 139.

Maximilianus imperator 18.

Mediator Christus ut homo non ut Deus 450. ubi de mediatore 457.

Membra Christi secundum praedestinationem et secundum praesentem justitiam 83.

Membra Christi viva et mortua quae 86, 87.

Mendicitas, de hac vide 307. 308.

Meritum Christi quomodo sufficiens et efficax 381.

Meretor homines in hac vita posse purgari, et juvari in alia 379. 385.

Meritum non est post hanc vitam in purgatorio 389. et quare 391.

Ad meriti essentiam non concurrit nisi sola anima 437.

Meriti et satisfactionis propria 383.

Michaelis Bail error dicentis; nostra opera esse tantum conditionem sine quibus non applicaretur nobis Christi satisfactio, vel ad summum esse tantum dispositiones 381. 382.

Idem negavit animabus purgatorii certitudinem sune salutis 392. 393.

Militia, Vide v. Bellum.

Militiae cingulus olim fuit res magni honoris 51. Miracula quae Deus operatur per sanctos, cur ma-

Miracula quae Deus operatur per sanctos, cur majora per minores, et contra 462.

Miracula facta ad reliquias 468. 469.

Miracula quae in ipsis sanctorum mortuis corporibus cernuntur 470.

Miracula facta per imagines Christi et sanctorum 489.

Miracula facta ipsa cruce Domini 504.505. item signo orucis 510. 511.

Miracula Ecclesiae in singulis aetatibus enumerantur 134.

Miracula paganorum et haereticorum ficla, vel contra se patrata 133.

Miraculorum necessitas et sufficientia in confirmanda fide. *ibid*.

Ex miraculis demonstratur Ecclesia 136.

Miraculum praecipuum fuit quod pauci Apostoli totum mundum subegerint 129.

Miracula facta pro invocatione sanctorum 456.

Missae sacrificium. Vide v. Sacrificium, infra.

Missas pro definictis offerre 123. 406.

Triginta missae pro defunctis 376. 377. Missa s. Petri etc. our sic dicatur 322.

Monachi et monastice. Varia nomina indita monachis 216. 217.

Explicatio hujus nominis Monachus. ibid.

Antiquitas monastices 221. 226.

Caussa instituendae monastices 223.

Eadem est essentia monastices nostrorum, et autiquorum monachorum, ibid. Habitus monachorum 301. 302.

Labor manuum 304. 305.

Licitum est illis vivere ex bonis patrimonialibus in communi 306. item ex rebus sponte oblatis, et donatis 307. 308. Item ex mendicatione. *ibid*.

Solvuntur objectiones contra mendicitatem istam 310.

Monachi antiqui habuerunt proprium altare, et sacerdutes 127, 160, 161.

Monachi omnium aetatum, sunt juvenes, senes etc. 226. 289. 293

Monachi, qui inviti facti sunt episcopi 227.

Monachi similes crucifixo esse debent 255.

Monachi est, spiritus utilitatem quaerere 226.

Monachorum sanctitas tempore d. Augustini 130.

Monachorum ordinatio 164.

Monacho domum redire non licet 287.

Monachis bellum interdictum 331.

Monachatus laudatur 226.

Monastica vita melior saeculari 227.Domino approbata 228.

Monasteria qualia fuerint tempore d. Augustini 224 ad 226.

Monasleria aedificata ex rebus sponte oblatis 307.

Mons Sion, Ecclesia triumphans 101.

Montani ambilio 131. 132. Haereses 128.

Mors felix sanctorum. Vide Patres 429. 452.

Mori in Domino et non in Domino qui dicantur 379. In morte aliquando reliquiae peccatorum purgantur 400. 401.

Mors est poena peccati originalis 375.

Morte violenta puniti in Scriptura veteri. *ibid*.

Mortem secundum se unusquisque abhorret 281.

Mori licet pro opere supererogationis 279.

Mortuo Christo an fides remanserit in apostolis, et aliis 104.

Moyses erat summus sacerdos, sed extraordinarius 4.33.

Moyses non erravit in illa adoratione vituli 102.

Moyses solitus erat orare pro populo eliam mortuus.

450.

Moysi sepulchrum cur occultatum Judaeis. 463. 464.

Mulier quae nubit vivente adhuc priore viro 489. Mulier subjecta viro 320.

Circa principatum mulieris error 122.

Mulieres creatae ad aliud quam ad nuptias 224. 225.

Mulicres non occiduntur in bello 332.

Mulieres prohibentur habere sacerdotes et diaconi domi suae 180 ad 183. 185.

Mulicres velari debent 284.

Mulieres quae sequebantur apostolos 184.

Mundus creatus die dominico 550.

Mundus ornatur ex malis, sed per accidens 88.

## N

Nabuchodonosoris regnum amplissimum 317. Natalis Domini nostri dies 543. 555. Nativitas Christi attulit pacem mundo 328 ad 330. Naturalis propensio ad gignendam prolem 280. Nazaraeorum vota 224. Necessitas triplex 316.

Neronis exitus 139.

Nestorii haeresis 124. superbia 131. 132. exitus 139.

Nomen δμοούσιος 337.

Nomen Dei. Vide v. Deus.

Norvegiam ad fidem convertit Adrianus 1V. ante pontificatum 130.

Novatiani ambitio 130. Haeresis 122. 337.

Novum quod est, suspicione carere non potest 337.

Secundae nuptiae 191. 192. 263. 264. 274. 287.

0

Obedientia religiosorum 223.

Obedientia consilium evangelicum et quale 246, 247.

Recte vovetur Deo, ubi de obedientia 248. 249.

Inter inferiorem et superiorem 318. 319.

Occidere sontes licitum est publico magistratui 326.

Occisio sui 357. cur peccatum 280.

Odores suaves in Ecclesia imaginibus, et reliquiis offeruntur. 444.

Occumentus in cap. ult. 1. Petri dicit: Daemones non modo damnationem suam ignorasse, sed etiam salutem per Christi adventum sperasse 437. Oleo quare utimur in consecratione ecclesiarum

**528.** 

Olei benedictio 537.

Opera consilii et praecepti quomodo distinguantur 226.

Opera quae flunt ex voto magis grata sunt [Deo, quam sine voto 268. ad 270.

Opera bona impiorum non fraudantur temporali mercede 378.

Operum nostrorum virtus a sanguine Christi 381. 382.

Opus servile quod sit 545.

Opus non imperatum an sit melius facere, quam imperatum 269. 270.

Oracula Apollinis 137. 138.

Est res nobilissima 523.

Ubique fleri potest. ibid.

Requirit dispositionem in orante ad hoc ut impetret 460. 461.

Est remedium pro tentationibus carnis 206. 271.

Est arma Christianorum 331. In oratione quid petendum 276. 277. 460. 461.

Media ad orationem sunt austeritas, solitudo et jejunium 299.

Orationis ritus 100.

Ad orandum etiam privata oralione instituuntar templa. Et exempla eorum qui magis exauditi sunt in templis 522.

Oranles convertebantur ad orientem 518. 519.
Oratio et psalmodia non est nota verae Ecclesiae

Oratio et votum apud Latinos idem est 244. 245. Orationi insistentes debent ab opere nuptiarum vacare 381. 382. quia oratio requirit mentem purgatam 483.

Orationes fidelium pro defunctis 357. 358. 371. 385. 395. 406. Vide v. Defunctorum suffragia, et v. Sacrificium.

Orationes mortuorum pro aliis exaudiuntur 123. Orationes animarum purgatorii pro nobis 405.

Orationes sanctorum pro nobis 450.

Oratio sacerdotis sacrificium offerentis debet offerri ad Patrem 456.

Orationes petendae eliam a vivis 432. 457. Orationes viventium quomodo cognoscantur a sancus 459.

Christiani diebus dominicis, et a pascha usque ad pentecosten stando orare soliti erant 536. 549. Oratoria dicuntur Ecclesiae 523.

Ordinum ecclesiasticorum numerus 164. Antiquitas 165.

Officium singulorum ordinum. ibid.

Canonistae novem ordines faciunt. ibid.

Origenes sensit infernum nibil esse nisi conscientiae horrorem 122. 396.

Adamum perdidisse imaginem Dei ad quam creatus fuerat 122.

Nullas alias agnovit poenas nisi purgatorias 354. Puenas inferni negavit esse aeternas, et omnes tam daemones, quam homines malos dixit esse salvandos 386. 387.

Purgari debere post hanc vitam tam bonos, quam malos, uno Christo excepto 386. 387. 400. 401. Similiter sensit, sanctos paulatim proficere in alia

vita 421. ad 423. 430.

Origenes damnatus a Vigilio papa 17. Visus est in gehenna 399. Defenditur etiam ab aliquibus 198.

Ovili comparatur Ecclesia 82. Oves dicuntur praedestinati 83.

Paganorum errores 128. Miracula 133. laus de Christianis 137. 138.

Palmarum benedictio 536.

Pani comparatur Ecclesia 86.87.

Panis benedictio 536.

Panormitanus iu cap. Cum olim, de clericis conjugatis utile judicavit (et male) si sacerdotibus jus conjugii concederetur 179.

Idem in cap. Aliquibus de decimis, tenet decimas quoad determinationem quantitatis esse de jure divino, quod error est 196. 197.

Paphoulii consilium in concilio nicaeno 33. 185.

Parabolae non oportet ut omni ex parte quadrent 428 Paradisi nomen pro terrestri et coelesti 425.

Paradisus terrestris forte periit aquis diluvii. ibid. An latro primus omnium in paradiso sit ingressus 430. Vide etiam 371. 379. 392. 393. 400. 401. Vide de explicatione illius loci (hodie mecum eris in paradiso) agitur.

Paschatis celebratio 188. et praesertim 549. ubi multa de paschate.

Passio Christi die veneris 550.

Passionis Christi instrumenta 512.

Pastores seu ministri Ecclesiae. Vide v. Episcopus et v. Pontifex.

A quo sint instituendi pastores et ministri Ecclesiae 452.

Ordinatio cum episcoporum, tum aliorum Ecclesiae ministrorum, non ad plebem, sed ad solos episcopos perlinet 153.

Vocatio seu missio pastorum non ad populum pertinet, sed ad episcopos, et polissimum ad summum pontificem 156.

Electio ministrorum Ecclesiae non fit a solo Deo.

ibid. Non decuit christianos sacerdotes et pastores carnali successione propagari 157.

Jus eligendi summum pontificem, caeterosque Ecclesiae pastores et ministros, non convenit populo jure divino; sed si quid aliquando in hac re populus potuit, id tolum habuit ex conniventia vel concessione pontificum. ibid.

Electio episcoporum non pertinent jure divino ad clerum, sed ad summum pontificem, ut vel ipse eligat, vel praescribat eligendi modum 162.

Ratio eligendi summum pontificem per solos cardinales, est omnino optima, et merito conservanda, etsi absolute posset pontifex eam mutare si vellet. ibid.

Si nulla extaret pontificia constitutio de electione summi pontificis vel casu aliquo omnes electores a jure designati, idest, omnes cardinales simul perirent, jus electionis ad episcopos vicinos, et clerum romanum perlineret, cum dependentia tamen aliqua a concilio generali episcoporum 163.

Pastorum Ecclesiae munus 28.

Patres Testamenti veteris accusantur ab haereticis 122.

Patrum errores excusantur 339.

S. Patres in lymbo nullos patiebantur dolores 366.

Sanctorum Patrum locus ante Christi adventum 378.

Patres novi Testamenti minori tempore laborarunt, quam fecerunt Patres Testamenti veteris 428.

Cur Patribus in lymbo non revelarentur preces viventium 459. quia non erant beati. ibid.

Patriarchales sedes quae sint, et quo ordine et numero 52

Defecerunt a fide, excepta romana sede 118.

Patriarchae an ad concilium generale convenire debeant 32.

Patriarchae et metropolitani quando possint noves episcopalus erigere 117.

Patriarcha constantinopolitano numquam videtur caruisse Ecclesia constantinopolitana 118.

B. Paulus prius fuit lupus deinde ovis 82.

An habuerit uxorem 185.

Gratis evangelium praedicavit 236.

Multis hebraismis abundat 546. 547.

Pauli epistola ad Corinthios quo tempore scripta

Paulus I. aremita 221. 299.

Paupertas Christi 307. 308.

Paupertatis commoda et incommoda 216. 217.

Consilium perfectionis vendendi omnia pro Christo, et dandi pauperibus 232.

Paupertas religiosorum 426. 427.

Paupertas voluntaria recte suscipitur ac vovetur Deo 252, ubi multa de paupertate.

Pax tempore Christi. 328 ad 330. 343.

Peccator non potest velle bonum ordinatum ad vitam aeternam 322.

Peccatores graves, occulti et manifesti sunt in Ecclesia 85.

Peccatores et homines impii dicuntur filii et alieni 90.

Peccatores et perturbatores publicae quietis, gladio punire licet 326.

Peccatorum opera 242. non fraudantur temporali mercede 378.

Contra peccatum originale haeresis 124.

Peccati caussa non est Deus 122.

Peccali subjectum et caussa efficiens est anima 400. 401.

Peccatum in renatis semper vivere dixerunt Proclus, Lutherus etc. 122.

Peccatum post Baptismum negatur ab haereticis.

Per peccatum homo sit similis bestiis 320. Peccatum quod in purgatorio punitur 384.

Peccata parentum an puniantur in filiis 406.

Peccata in Spiritum sanctum quare irremissibilia dicuntur 358.

Peccatorum reliquiae 400. 401.

Peccata commissa in die festo an aggraventur ratiouc diei festi 546. 547.

Peccatum veniale dari probatur 375.

Culpa venialis dimittitur in purgatorio per actum dilectionis et patientiae 383.

Item quomodo remittantur venialia secundum Scotum. ibid.

Peccata venialia delentur per aquam benedictam

Pelagianorum haeresis 124.

Pentecostes 548.

Peregrinationes ad loca sacra 533. et praesertim 337.

Persecti et non persecti quomodo ad Ecclesiam pertineant 84.

Perfectio vera in charitate consistit 218.

Perfectio christiana essentialiter consistit in observatione praeceptorum 227.

Perfectio duplex in qualibet re naturali, ad esse et ad bene esse 239.

Perfectio ad excellentiorem gradum gloriae 232. Medium ad perfectionem est vendere omnia etc.

Perfectionis qualuor gradus 218.

Perfectio hominis in tribus consistit. ibid.

Persequatio Diocletiani unde ortum habuit 51.

Persequutiones Ecclesiae 333.

Persona una in Christo 124.

Petro datae sunt claves, atque eas in persona totius Ecclesine accepit 159.

Petro tribuuntur nomina quae dicuntur de Christo in Scriptura 67.

Petrus Romae mortuus, ubi multa de morte sanctorum Petri et Pauli, Romaeque sepultus 467.

Petri et Pauli reliquiae in magna veneratione habentur 465. 467.

D. Philippus pugnavit contra hostes Theodosii

Philonis error dicentis, infernum et purgatorium nihil aliud esse quam conscientiam accusantem

Philosophi dicti sunt monachi 216, 217.

Philosophorum errores 128.

Philosophorum superbia et impuritas 130.

Philosopherum antiquorum sapientia imperfecta 129.

Philosophiam naturalem execrantibus quomodo respondeatur 188.

Pictores reprehenduntur aliquando 431.

Pictura utilitates 484. 483.

Pingendi et sculpendi ars bona est 476. 477.

Pingi potest aliquid tribus modis 479.

Pilati infelix exitus 139.

Pipinus et Carolus Magnus 56.

Plato dixit: Angelos adorandos tamquam minores Deos **458**.

Plato locum pestilentem elegit, ubi versaretur et doceret 299.

Plebs quomodo potest interesse conciliis episcoporum 29. 30. Vide v. Populus.

Poena respondet culpae. Vide infra v. Satisfactio.

Poena purgatorii qualis 372.

Gravitas poena purgatorii 403.

Poena damni an summa omnium.ibid.

Poenae purgatorii paulatim remittuntur 404.

Poenas omnes, purgatorias esse, existimavit Origogenes 354. 360. 388.

Poenas horruit Dominus 390.

Poenitentia. Vide v. Dolor de peccatis.

Poenitentiae tempus utile usque ad extremum spiritum 394.

Poenitentiae fructus peragendi 300.

Poenitentia dicitur Baptismus 366. quomodo peccata remittat 381. 382.

Poenitentium habitus 303.

Item tonsura. ibid.

Pontifex romanus se Christi vicariom et famelum profitetur 63. 66.

Est pastor et caput non solum ompium Ecclesiarum particularium, sed etiam totius universalis Ecclesiae simul congregatae 64.

Illi tribuuntur nomina quae de Christo dicuntur

Pontifex summus servum servorum Dei se nominat 320. Vide supra v. Gregorii humilitas.

Est summum caput in Ecclesia militante, quoad influxum exteriorem 79. 80.

Pontificum successio a temporibus Apostolorum. usque ad haec nostra tempora 115.

Pontificis electio non convenit populo 157.sed cardinalibus 162. 163.

Pontifices olim eligebantar ab episcopis vicinis. ibid. Atque hi episcopi dicebantur Cardinales 174. 175.

Pontifici non expedit eligere successorem 163.

Pontificis eligendi forma temperata est ex omnibus aliis bonis et legitimis formis.ibid.

Pontifex a nemine judicari, neque deponi potest 63. ad 68.

Pontificum depositio tentata 63.68. 70.ad 72.102. Vide loca, quod a nemine judicari potest.

Pontifex malus quomodo verum caput Ecclesiae 86.87.

Ejus est congregare concilia generalia 24. Vide v. concilia.

Ad ipsum jure pertinet praesidentia in conciliis 34.

Cum adest sententia summi pontificis intelligitur concilium absolute generale 61.

Pontificum decretales annumerentur inter Scripturas canonicas 63.

Conjunctio cum romano pontifice est nota verae Ecclesiae 124.

Pontifex ultimus quis fuerit secundum haereticos

Pontificis auctoritas distinguitur ab imperiali 202. Romanus pontifex praesidet conciliis 34.

Argumenta 38.

An concilium sit supra pontificem 63.

Pontifex nec a concilio, nec ab ullo mortalium judicari aut puniri potest 67.

Neque potest seipsum subjicere sententiae coactivae conciliorum 69.

Solvuntur argumenta adversariorum. ibid.

Electio episcoporum pertinet ad summum pontificem, ut vel ipse eligat, vel praescribat eligendi modum 162.

Ratio eligendi summum pontificem per solos cardinales, est omnium optima, et merito conservanda, etsi absolute posset pontifex eam mutare, si vellet. ibid.

Si nulla exstaret pontificia constitutio de electione summi pontificis, vel casu aliquo omnes electores a jure designati, idest, cardinales omnes simul perirent, jus electionis ad episcopos vicinos, et clerum romanum pertineret cum dependentia tamen aliqua a concilio generali episcoporum 163.

De quibusdam romanis pontificibus, quibus haeretici, errores et vitia objiciunt.

De Joanne XXII 424.

Leone I. 70.

Liberio. ibid.

Marcellino 20. 68. 69.

Populus episcopos et presbyteros creare non potest, ac jus eligendi summum pontificem non convenit illi de jure divino 157.

Non potest ordinare episcopos, sed nominare et postulare 153. Quando et quomodo coepit suffragia dare super electione episcoporum 158. 160.161.

Qua regula judicare debeat doctrinam sui pastoris, an sit vera, vel falsa 159.

Populus romanus contra pontificem 339.

Populo an aliquando sit datum judicium privatum de rebus fidei 31.

Populus an melius regatur legibus, quam arbitrio principis 322.

Potentia seu omnipotentia tribuitur Filio Dei 189. 190.

Potestas summa ecclesiastica data Petro, etc. 65.

Potestas spiritualis est quasi anima, et temporalis quasi corpus 335. 336.

BELLARMINI Vol. II.

Potestas politica. Vide supra v. Magistratus politicus.

Potestatis ecclesiasticae et politicae differentia 317. ad 319.

Potestas politica est a Deo immediate, et de jure naturae, et divino, ejusque subjectum quod sit 317.

Potestas ligandi et solvendi peccatores, non est in populo 159.

Praeceptum. Vide supra v. Lex.

Praecepta moralia Scripturae veteris non minus ad Christianos, quam ad Judaeos pertinent 248.

Praecepta Decalogi sunt explicationes juris naturae, excepto illo de sabbatho 475. ad 477.

Consilia non praeponuntur praeceptis 227.

Praeceptorum et consiliorum differentia 228.

De praeceptis justitiae non dicitur: qui potest facere faciat 230. 231.

Praecipi potest aliquid duobus modis 240.

Deus non praecipit impossibile 242.

Praedestinati soli an sint de Ecclesia 81.

Secundum praedestinationem, et secundum praesentem justitiam, oves, et membra Christi quae dicantur 83.

Praedicatio vera quae sit 108.

Praedicatio Pauli gratis sine praemio temporali 236. 309.

Praedicationis verbi Dei efficacia 129.

Praedicationis officium proprium est episcoporum 167.

Praedicatores primi fuerunt apostoli 361.

Praedicatoribus concessum est, ut jure exigant sustentationem 309.

Praelatorum mali mores non impediunt quo minus illi vere Praelati sint, et nos illis obedire teneamur 86. 87. 103.

Presbyter. Vide infra v. Sacerdos.

Presbyteri nomen commune erat olim presbyteris et episcopis 153. 170. 171.

Distinctio inter episcopos et presbyteros 167.

Presbyteri et episcopi jurisdictio, an de jure divino distinguatur 171.

Presbyleri et episcopi variis modis a Patribus comparantur 173.

Non sunt pares episcopis 123.

Presbyteri ordinare non possunt 153. 168. 169. 172.

Presbyteri an per suffragia populi creabantur 138.

Succedunt LXXII. discipulis 168. 169.

Presbyteri dignitas an conferat ad salutem 131.

Primates qui sint. Vide v. Patriarcha.

Primatus semper viguit in romana Ecclesia 40.

Princeps politicus. Vide de politica potestate 313. 314.

Principatus in implis esse potest 313. 314. 317. 320.

Prophetae falsi Testamenti veteris 137. 138.

Qui erraverunt tempore Michaeae 49. 50. Prophetae Baal 133.

Prophetarum filii 221.

Prophetis quaedam stulta videbantur aliquando praecipi 301. 302.

Prophetiae donum in Ecclesia 137. 138.

Psalmista an ordo 25.

Psalmodia religiosarum 224. 225.

Psalmos canunt lingua vulgari, haeretici 109.

Pubertatis anni 324. 325.

Purgatorium. Vis et significatio nominis purgatorium 350. ad 353.

Purgatorium esse, probatur Scripturis Testamenti veteris 355. 356.

Idem ex Testamento novo 358.

Asseritur testimoniis conciliorum 371.

Testimoniis Patrum graecorum et latinorum 372. Asseritur ratione 375.

Solvuntur argumenta contra purgatorium sumpta ex Scripturis 378.

Ex Patribus 379.

Ex ratione 380.

Purgatorii confessio ad fidem catholicam pertinet 384.

Quibus personis purgatorium subeundum sit 386. 387.

In purgatorio non possunt animae mereri, vel peccare 389.

Solvuntur objectiones 390.

Animae in purgatorio certae sunt de sua aeterna salute 392. 393.

Ubi sit purgatorium 395.

Genus quoddam purgatorii mitissimum in amoeno loco 397.

Utrum qui sunt in purgatorio possint revocari ad vitam 398.

Post extremum judicium non erit amplius purgatorium 400. 401.

Quot annis duret purgatorium 402.

Qualis sit purgatorii poena. ibid.

Ignis purga!orii est corporeus. ibid.

Sciri non potest quomodo ignis corporeus animas urat 403.

An in purgatorio torqueantur animae a daemonibus. ibid.

Gravitas poenarum purgatorii. ibid.

Non est incredibile etiam animas pargatorii pro nobis orare et impetrare 405.

Animae purgatorii possunt dici perfectae et imperfectae 390.

Non sunt in via, et quomodo 391.

Affliguntur gravissimis poenis 402. 403.

Quae poenae paulatim remittuntur 404.

Multis rebus juvantur 402. 404. 406.

Vide v. Suffragia, et v. Defuncti.

Poena temporalis purgatorii per ignem significatur 364.

Homines merentur in hac vita purgari et juvari in alia 379. 385.

An omnes tam boni, quam mali debeant transire per purgatorium saltem materialiter, sine ulla scilicet laesione bonorum 386. 387.

Quod genus peccati in purgatorio punitur 385.

Purgatorium est pro iis tantum, qui cum venialibus culpis. vel cum reatu poenae, culpis jam remissis moriuntur 389. 400. 401.

Purgatorii poenas non sentiunt qui mox a Baptismo decedunt 386. 387. 400. 401.

Nou alias poenas agnovit Origenes quam purgatoria 354. 360. 386. 387.

Purificationis beatae Virginis festus dies 557. Pusillanimitatis vitium 109.

## Q

Quadragesimae jejunium est apostolica traditio 185. Quomodo dicatur indictum a Domino 198.

Integram quadragesimam sine ullo cibo et potu jejunavit s. Simeon 301. 302.

Dominicae quadragesimae 553. ad 555.

In quadragesima celebrari dies festos sanctorum prohibuit concilium laodicenum 556.

Quartodecimani excommunicati a Victore I. papa 407.

Cur sic nominati 552.

### R

Redemptio nostra per sanguinem et mortem corporalem Christi 385.

Regnum Dei dicitur gratia et charitas 100. Regnum Dei, gaudium in Spiritu sancto 109.

Regni Dei signum est concordia 102.

Regnum Christi est Ecclesia, et Ecclesia comparatur regno 62.

Regna saepe sunt juste et injuste occupata, a Deo, et non a Deo 318. 319.

Religio defendi debet a regibus 334.

Religionis libertatem qui concesserint 335. 336.

Religionem remittere, nemo audere debet 337.

Judicium de religione, ad magistratum non pe

Judicium de religione ad magistratum non pertinet 334.

In omni mutatione religionis sex demonstrari possunt 361.

Religio et religiosi. Explicatur natura et definitio religionis 218.

Diversa genera religionum 219. Utilitas diversarum religionum *ibid*.

Confirmatio religionum. ibid.

Quando in coeperint 221.

Caussa instituendarum religionum 223.

Religionem ingredi licet junioribus 226.

Licet filis ingredi religionem parentibus invilis. 346. 347.

Mendacia contra religionem deteguntur, et calumniae refutantur longissime 344.

Primi vituperatores earum 229.

Religiones mendicantium sanctae sunt et perfectae 307. 308. 310.

Solvuntur objectiones contra ordinem mendicantium 224, 225.

In ingressu religionis pie creditur remitti totam poenam, remissa culpa 226.

Laudes religionis. ibid.

Inter religionis professionem, et Baptismum quaedam similitudo. ibid.

Religiosus similis crucifixo esse debet 255.

Religiosorum opera quid mereantur, et quomodo communicentur aliis 226.

Religiosae vitae essentia in tribus virtutibus consistit 223.

Contra religiosorum vota sensit Vigilantius 123. 124.

Reliquiae. Proponuntur argumenta contra cultum reliquiarum 463. 464.

Deteguntur mendacia Centuriatorum 465.

Asseritur veritas et probatur, primo exemplis 466. Conciliis. *ibid*.

Patribus 467.

Ex miraculis factis ad reliquias 136. 468. 469.

Ex miraculis quae saepe in ipsis sanctorum mortuis corporibus cernuntur 470.

Ex inventione et revelatione divinitus facta sanctorum corporum. ibid.

Ex translatione reliquiarum de uno loco ad alium 135. 466. 470.

Ex eo quod reliquiae sub altaribus reconduntur 470.

Ex usu caereorum et lampadum quibus honorantur sacrae reliquiae 471.

Ex ratione ducta ab utili et honesto. ibid.

Reliquiarum cultus a Deo inspiratus 472. Qui reliquias tangunt, aliquo modo sanctificantur

513. 514. Reliquiarum nomine, quae intelligantur 523. 526.

Reliquiarum nomine, quae intelligantur 523. 526. Reliquiis sanctorum idem vel major honor debelur, qui debebatur arcae Mosaïcae. ibid.

Haereses contra venerationem reliquiarum 123. Respublica an possit indicere bellum 331.

Resurrectionis fides an fuerit in apostolis tempore passionis Domini nostri 255.

Resurrectio mortuorum probatur 365.

Ex quibus locis possint mortui revocari ad vitam 399.

Resurrectio mortuorum cum corporibus in die judicii quale gaudium futurum sit 430.

An post resurrectionem sit futura gloria animae major quam antea 433. 434.

Resurrectionis quaestio fuit habita eadem cum quaestione de animae immortalitate 355.ad 357. Rex. Vide supra v. Princeps. et v. Principatus.

Regis nomen unde dictum 320.

Rex magis proprie dicitur servus quam dominus. ibid.

Regia potestas quomodo a Deo sit 323.

Regis electio ad populum 157. Reges Israël an omnes mali 316.

Reges qui sanctissime regnaverunt. ibid.

Reges mali quare permittantur regnare 156. 321.

Habent primum locum inter Christianos, ut Christiani homines sunt 334.

Custodes esse debent legum divinarum, non interpretes, et negotiis sacerdotalibus non se debent miscere 39.

Sunt ministri Dei 323.eorum palatia dicuntur basilicae 525. 526.

Possunt indicere bellum contra hostes 331.

Non debent permittere confusionem haereticorum cum catholicis, neque libertatem credendi, sed religionem defendere 306.

Reges habent jus eligendi episcopos ex concessione pontificum 162. 163.

Romae dignitas propter reliquias martyrum, praecipue apostolorum Petri et Pauli 467.

Romani cupiditate gloriae quaerebant monarchiam 318. 319.

Romani et Romanensis nomen 110.

Romani imperii defectio, nomine discessionis ab aliquibus significatur 103. Rugae nomine quid intelligatur 91.

S

Sabelii superbia 131. 132. item haeresis ejusdem 122.

Sabbathum fuit dies festus antiquissimus et praestantissimus 550.

Sabbathum Judaeorum Christianis observare non licet 531. 532.

Una sabbathorum quid significet 550.

Sacerdos. Vide etiam v. Presbyter.

Summus sacerdos ac sacerdoles minores, et levitae 168. 169.

Summus sacerdos Testamenti novi. Vide v. Pontifex.

Dum sacra mysteria peragit, Christi personam sustinet 179.

Dicitur mediator 457.

Ejus oratio sacrificium offerentis debet offerri ad Deum 456.

In Testamento veleri nulli erant nisi qui descendebant a Levi per Aaronem 117.

Respondent levitis 124.

Non propagantur carnali successione 157.

Prohibentur interesse nuptiis digamorum 192.

Cur olim non radebantur 304.

Dei providentia erga sacerdotes 202.

Eorum officia reges invadere non possunt 39. Eorum coelibatus. Vide supra v. Coelibatus 33.51.

**52**. 123.

Sacerdotum uxores ducentium poena 188. Sacerdotibus praestanda obedientia 340.

Ad illos recurrendum in dubiis circa legem 33. 39. 47.

Privilegium illis concessum, non errandi in docendo populo, usque ad Christum duravit 104.

Prohibetur illis conjugium, et quo jure. Vide supra v. Conjugium 178, 179, 185.

Ouare monogami debent esse 192.

Illis prohibetur mulieres domi suae habere 180.ad 182. 185.

A sacerdotibus quaedam requiruntur 183.

Sacerdotium aaronicum duravit usque ad Christum, et quale fuerit 118. 157.

Cur abstinent Patres a nomine sacerdotii 522.

Sacramentum Eucharistiae. Vide supra v. Eucharistia.

Sacramentorum communicatio pertinet ad definitionem Ecclesiae 75.

Mali ministri comparantur canali lapidee 89.

Eorum administratio impediretur, si sacerdotibus concederentur uxores 183.

Sacramenta recte ministrantur certo loco 520.

Sacrificium. Vide v. Missa.

Sacrificium soli Deo exhiberi potest 441. 444.

Sacrificium gratiarum actionis offerimus pro sanctis 372. 407.

Sacrificandi munus summam puritatem requirit 183. In sacrificio oratio sacerdotis debet offerri ad Patrem 456.

Ad sacrificia offerenda institutae sunt Ecclesiae Christianorum 521.

Sacrificium pro defunctis, quo juvantur animae purgatorii. Vide supra v. Defunctorum suffragia, et v. Oratio, et haeresim contra hoc 123. 402. 406. 463. 464.

Salomon s. Augustini sententia, a Deo reprobatus est 399.

Sampson an salvatus. ibid.

Samuel etiamsi mortuus, solitus erat orare pro populo 459.

Anima ipsius Samuelis vere apparuit Sauli 397. Sancti miraculis clari in singulis saeculis enumerantur 134, 135.

Sancti post mortem impetrant a Domino quidquid postulant, quia id meruerunt in hac vita recte vivendo 379.

Post hanc vitam an debeant transire per purgatorium saltem materialiter sine laesione 386. 387.

In coelo orant pro animabus purgatorii 398. Eorum praemia paria dixit Jovinianus 123.

Eorum beneficia exhibita viventibus 405. eorum precibus juvantur homines post hanc vitam 369. 370.

Pro illis non est orandum 372. 402. 407.

Sanctis an gloriam petat Ecclesia 407. Multi sancti bella gesserunt 327.

Mendacia haereticorum in sanctos 415. 416. item contumeliae 417. 462.

Argumenta quibus illi probare nituntur sanctos nondum esse beatos 421, 422.

Contraria catholica assertio demonstratur testimonio Ecclesiae 424. Scripturarum testimoniis. ibid. Ex Patribus graecis 428. ex Latinis 431. Rationibus 436.

Sancti recte ab Ecclesia canonizantur 437.

Cujus sit sanctos canonizare 438.

Credendum est pontificem non errare in canonizatione sanctorum 439,

Sancti non canonizati privatim possunt coli non publice. ibid.

Quaestio de cultu sanctorum 440.

Controversia de invocatione sanctorum 447.

Quomodo sancti invocandi non sint 448. 449. Sancti pro nobis orant 450. 462.

Sunt invocandi et orandi 112.113.et haeresim conira hoc 123. 452.

Solvuntur argumenta contra invocationem sanctorum 456.

Possunt aliquomodo sanctis vota nuncupari 539. 540.

Sancti quomodo sint mediatores 457. quomodo cognoscant viventium preces 475.

Vident in Verbo quae ad eos pertinent 459.

Vident quae flunt in terris 462.

Non est signum diffidentiae eos invocare 460.

461. Sanctorum aliquorum historiae apocryphae 462. Sanctorum dies festi 460. 461. Vide v. Festi dies.

Sanctis recte aedificantur, et dedicantur templa 403.

Sanctarum reliquiarum veneratio 466. Miracula 468.

Inventio 470.

Translatio. *ibid*. et vide supra v. Reliquiae.

Sanctimoniales juniores possunt vovere. Vide v.

Virgines sacrae etc. Continentiae votum etc 224.

225. 289. 290.

Sanctimonialium vota 263. ad 265. 299.

Sanctimonialium habitus, ejusque antiquitas 303. item tonsura 303. 304.

Sanctimonialium ancillae 287.

Sanguinis et suffocati lex 33. 49. 50.

Satisfactio Christi sufficiens et efficax 380.

Satisfactio Christi quae applicatur nobis per opera nostra an sit una vel duae, una Christi, altera nostra 381. 382.

Satisfactionis nostrae virtus est a sanguine Christi.

Satisfactio ante et post justificationem.ibid.
Opera satisfactoria defunctis prosunt 406.
Satisfactionis et meriti propria quaedam.ibid.
Schismatici non sunt de Ecclesia 78. 127.
Scriptores sacri mirifice inter se consentiunt 125.
126.

Scriptura quomodo differat a conciliorum decretis

Non est simpliciter notior quam Ecclesia 109. Quae sit vera Scriptura, et quis verus sensus ipsius ex Ecclesia peti debet 108.

Est antiquior ipsis Diis gentilium 110. Pendet ab Ecclesia, non contra 109.

In Scriptura nullum est verbum frustra, et omnia ad fidem pertinent 62.

In Scriptura nullus potest esse error. ibid.

Scripturas canonicas credere, an sit absolute necessarium ad salutem 98. 99.

An sit major auctoritas concilii, quam Scripturae 62. Sedes Petri comparatur capiti, radici, fonti, soli 109. Vide supra v. Ecclesiae comparationes.

Sepulchrum Domini gloriosum 466. 472.

Sepulchra sanctorum dicuntur memoriae. *ibid.*Sepulturam esse rem bonam et utilem, et ritus Ecclesiae in sepeliendis mortuis esse antiquos et

clesiae in sepeliendis mortuis esse antiquos et sanctos 408.

Serpens aeneus colebatur 487. confractus ab Ezechia 497. 498.

Servitutis duplex genus 320.

Sexuum distinctio futura in alia vita negatur ab Origenistis 224. 225.

Si, atiquando non est dubitantis, sed affirmantis 460. 461.

Sigismundus imperator 19.

 S. Simeon Stylites in columna plurimos annos vixit 300.

Ejus imagines frequentissimae 484. 485.

Simonis magi ambitio 130. fictum miraculum 133. Haeresis 435. Mors 134.

Simonianorum haeresis 121.

Simulacrum quid sit 474.

Socrates haereticus Novatianus 546. 547.

Socrates in historia multa mentitur 185.

Solitudo et austeritas vitae 297. 299.

Sortium usus in electione praelatorum damnatus 156. quando licitus 157.

Sozomeni historia a Gregorio reprobatur, quia multa mentitur 185.

Spirituale dicitur aliquid vel secundum substan-

ae. tiam, vel secundum ordinationem ad spiritum.

Ejus dona sunt anima corporis Eeclesiae 76.

Ejus adventus die dominica. Vide de hac die 548.
et de pentecoste 549.

Ejus imago sub specie columbae an recte pingatur

4/8.

Sponsae quae sint 295. 296. S. Stephani inventio 474. Miracula 468. 469.

Subjectio politica et despotica 320. 446.

Suffragii signum erat attollere manus 160. 161. Suffragia defunctorum. Vide supra v. Defuncti v.

Oratio, et v. Sacrificium.

Suffragia Ecclesiae defunctis prosunt 398.

Suffragiorum genera quae sint 406.

Quis possit defunctis suffragari. ibid. Quibus prosint suffragia. ibid.

An el restitutio rei alienae sit genus quoddam suf-

fragii. ibid.
Superbia commune vitium haeresiarcharum 130.
Supplicationes. In supplicationibus gestari debet

theca reliquiarum 467.

Debet praeferri crux cum ardentibus facibus 509.

Supplicia a Deo intentata in bac vita, sunt commi-

natoria 304

luie B

6.

1

Symbolum apostolorum recipere an satis sit 335.

Synagoga, particularis Ecclesia 115. An repudiata 193.

Т

nes v.s. Tabernaculi Mosaici ornatus 530.

Hic ornatus fuit typicus 533. et moralis 534.

Tau signum 504. 503. 510. 511.

Templum, de erroribus circa templa 515. 517. Eorum erectio. ibid. forma. ibid. finis 520.

Recte instituuntur quaedam loca in quibus Verbum Dei et sacramenta populo ministrentur 520.

Ecclesiae Christianorum ad sacrificia offerenda institutae sunt, el ideo vere el proprie templa appellari possunt 521.

Ecclesize Christianorum recte ad orandum etiam privata oratione instituuntur 522.

Sacrae domus non solum Deo, sed etiam sanctis recte aedificantur et dedicantur 524.

Merito templa Dei cum ingenti laetitia, et solemnitate dedicantur 525. 526.

Merito ab Ecclesia variis precibus, et caeremoniis templa consecrari 528.

Templum consecratum merito sanctum et venerabile, ac virtute quadam divina praeditum existimari debet 529.

Opus bonum et pium est ex genere suo ingentibus sumplibus templa Dei aedificare, aut ornare 530.

Potest tamen ejusmodi opus ex defectu circumstantiarum facile vitiari 533.

Templi Salomonis partes 518. 519. Ornatus 530. fuit typicum et morale 534. fuit etiam ad conservandam arcam 525. 526.

Quare voluit Deus ut everteretur 522.

Templi repurgatio et dedicatio quoties facta 527.

Cur apostoti abstinent a nomine templi 522. Qui autem Patres nomine templi utuntur 521.

Templum vocatur domus orationis 522.

Varia templa a variis fabricata et dedicata 524.531. 532.

Templa idolorum conversa in basilicas martyrum 458.

In templis eriguntur altaria 399. 467. 469.

In templis recte collocantur imagines 480.

In templis Deus est magis, quam alibi, et citius exaudit 323.

Miracula in erectione templi 466.

Templorum destructores 533.

Templorum Christianorum magnificentia, aedificia, ornatus, et splendor sacrorum vasorum 530.

An magis danda eleemosyna templis, quam pauperibus 534.

Tentatio carnis, ejusque remedia 187. 508.

Ob solas tentationes carnis non vocantur homines ad nuptias 271.

Tentari non esturi 271. 272.

Loca Scripturae pro tentationibus justorum. ibid. Tertulliani defenditur quidam locus 284.

Ejus haeresis fuit, animas beatorum nondum esse admissas ad beatitudinem 421, 422.

Item animarum apparitiones, dixit fuisse duemonum, qui fingunt se esse animas 399. Discrimen inter utrumque Testamentum 400.

In Testamento veteri qui erant de populo Dei 117. In signum cessationis status veteris Testamenti voluit Deus ut everteretur templum Salomonis 522.

Testamenti novi proprius cultus est internus 523. Theodosii senioris laus in defensione Ecclesiae 140.

Eo imperatore celebrata est synodus constantinopolitana I. 16. 26.

Qua arte compescuit haereticos 119. 120.

Adoravit sepulchra apostolorum et martyrum 313. Cum eo pugnavit sanctus Joannes ohrysostomus contra hostes ejus 327.

Reprehensus est ab Ambrosio quod sine delectu obvios quosque necari jussit 333.

Lbertatem credendi avulsit 334. Jussit idola ubique destrui 490. 491 Nihil judicavit in caussa fidei 40.

Theodosius junior laudatur pro defensione synodi et Ecclesiae 36. 37. Eo imperatore celebratum est concilium ephesinum I. item ephesinum II. reprobatum 19.

B. Thomas post hanc vitam posuit meritum, non respectu praemii essentialis, sed accidentalis, quam tamen opinionem mutavit 391.

Thomas Cajetanus videtur incaute concedere, licere facere idola quae habeantur pro Diis, modo non habeat pro Diis ille qui facit 478.

Thomistae et Scotistae ex quibus dissentiant 127.

Tonsura monachorum 301. 302.

Prima tonsura non est ordo 164. 165. Tilmanni ineptiae de pontifice 470.

Timor Christi in passione qualis 390. Timor an repugnet charitati. ibid.

Trajani historia an vera 398. ejus exitus 139.

Trajanus mortuus triumphavit 500.

Traditiones non scriptes non recipiebant Ariani
122.

Ad traditiones apostolicas quae referantur 384. Doctrina quando conservabatur traditione. *ibid.* Transfigurationis Domini nostri dies festus 555. Tribulationes aliquando dicuntur purgatorium 350. ad 353.

Tribulationes per diem Domini aliqui intelligunt

In tribulationibus perficitur virtus 391. Vide etiam supra v. Persequutio.

Tribus duodecim vel tredecim erant 198.et 220.ubi particulatim de tribu Levi.

Trinitatis imagines an faciendae, vel pingendae 478. 479.

Trinitatis festus dies 555.

Turca. Contra Turcas bellum gerere licet 333. Tyrannus suam quaerit utilitatem 320.

#### V

Valens imperator 415. 416. libertatem credendi concessit 335. 336.

Idem Gothos misere decepit 129.

Valentinianus senior noluit concilium convocare, neque episcopum eligere 158.

Concessit polygamiam 189. 190.

Valentinianus junior libertatem credendi avulsit334. Quid posuerit super altare s. Petri 481.

Valentini gentilis ambitio 131. 132.

Vasorum sacrorum splendor 530.

An liceat aliquando vendere sacra vasa templi 533. Verbi Dei praedicatio Vide v. Praedicatio.

Verbi Dei efficacia 129.

Verbum Dei recte ministratur certo loco 520.

Vespasianus caecum et claudum non curavit, ut aliqui dixerunt 136.

Vexillum imperatoris milites adorabant 508.

Vexillum Christi, est crux 504. 505.

Via intelligitur vita praesens 367.

In via Dei non progredi, est retrogredi 391.

Viduae quae alebantur ab Ecclesia 262.

Vigilanti haereses 123. 181. 182. 447. 463. 464.

Vigiliae in profestis magnorum dierum 557.

B. Vicentii efficacia in praedicando 130.

Ejus miracula 135.

Vindicta non est appetenda 326.

Virga ferrea quae sit 451.

Virginitas hostia Christi dicitur 236.

Virginitas an virtus 280.

Virginitatis consilium 224. 225. 228.

Praemium 237. 238. Laus 267. 281.

Virginitatem vovit b. Virgo ante Matrimonium 224. 225. 258. 259.

Virginitati non aequatur conjugium 123. 224. 225. 229. 267. 288.

In b. Virgine fuit fides explicita resurrectionis in triduo mortis Christi 104.

Haereticorum contumelia in b. Virginem 417.

B. Virginis invocatio 430. 454. 455.

B. Virginis imago posita Constantinopoli 481.

Miraculum ex imagine b. Virginis 489.

Illas imagines timet diabolus 490. 491.

B. Virgini templa an sit dedicanda **525. 526.**Dies festi b. Virginis, ut Conceptionis **556.** Natatis. *ibid.* Annucciationis. *ibid.* Purification et Assumptionis. *ibid.* 

Virtutis medium 312.

Virtutes quare pingantur 479.

Visiones et miracula quibus haereses condemi tur 134.

Visiones, seu potius semnia quorundam haer corum 135.

Vita praesens intelligitur nomine viae 365.

Vitae sanctitas auctorum, seu primorum Patr nostrae religionis 130.

Vilae austeritas et solitudo 297. 299.

Vitae impuritas in homine docto quid efficiat 3 Vita una melior alia 271.

In hac vita merentur homines posse purgari juvari in alia 379.

Vitulus in summo honore apud Judaeos 492. Unio membrorum Ecclesiae cum capite, et inter

125. 126. Votum. Ejus definitio 244. 245.

Dicta haereticorum de votis 246. 289. 290.

Omne quod sit ex voto, esse cultum Dei 246.

Non est proprie votum, promissio quae sit in I plismo 250. 251.

Num res a Deo imperatae, sub votum proprie ( dere possint. ibid.

Vota parvulorum facta a parentibus non sunt ra nisi ab ipsis confirmentur in aetate adulta. ib Melius est cum voto aliquid facere, quam sine v

268. ad 270.

Etiam juniores possunt vovere 289. 290.

Licet conjugatis ex consensu vovere continenti: 293.

Per vota solemnia solvitur Matrimonium ratum,n consummatum 288. 294.

Incitamur ad vota emittenda 268.

Votum ex se lactitiam gignit 269. 270.

Votum ab invito aut temere susceptum, dicitur quens. ibid.

An faciat opus laudabilius qui facit opus non impratum, nempe ex voto. ibid.

Vota Religionis cujus efficaciae 196. 197.

Voti usus etiam in primitiva Ecclesia 224. 225. Posse aliquomodo sanctis vota nuncupari 539.54 Argumentum in contrarium 278. Responsio. ibid

Ustio incontinentiam significat 271.

Usurae prohibitio 248.

Waldensium haeresis quando exorta 350. ad 35 Wandalos quidam monachi converterunt 130.

Wicless ambitio 131. 132.

Uxor ducta sine dote, et externa solemnitate, c citur concubina 53.

Uxores non permittuntur hominibus in sacris co stitutis 33. 178. 179. 186. Vide v. Matrimoniu et v. Sacordos, vel Clerici 191.

Apostoli an habuerint uxores 184. 268. 282. 283
Continentia ab uxoribus aliquando a Deo requir
batur 179.

Uxorum pluralitas an aliquando licuerit 189. 19

Finis secundi tomi.

## Napoli 12 aprile 1856.

## CONSIGLIO GENERALE

DBLLA

# PUBBLICA ISTRUZIONE


Vista la dimanda del tipografo Luigi Fusco, il quale ha chiesto di porre a stampa l'opera intitolata: De Controversiis Christianae fidei etc. del Cardinale Roberto Bellarmino.


Visto il parere del Regio Revisore P. D. Alfonso Capecelatro dell'Oratorio:

Si permette che la indicata opera si stampi, ma non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto essere la impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore di Stato, Presidente provvisorio Sig. Cay. Caponazza

> Il segretario generale GIUSEPPE PIETROCOLA





· 2 ·

DU	JE DATE		
MAR 1 5 1993			
EB1 5 1993	-		
SEP 3 0 200	3		_
JUL 2 2 20	00		
DEC 1 2 200	18		
77 94 1			
THE PART OF THE PA			
	-		_
	1		
	118		9
		Printed in USA	d





v 2

DUE	DATE
WAR 1 5 1993	
SEP 3 0 2005	
JUL 2 2 2005	
DEC 1 2 2008	6
	Printed in USA





v 2

The state of the s	DATE
MAR 1 5 1993	
FEB1 5 1993	
SEP 3 0 2005	
JUL 2 2 2005	
DEC 1 2 2008	
	transport
	Printed in USA



